APULEII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE OUDENDORPIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SEXTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1825.

APULEII

OPERA OMNIA.

VOL. VI.

APULEII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE OUDENDORPIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SEXTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1825.

sis: ἐπὶ τοῦ παρόντος. et ibid. 'Ἄχρι τοσούτου, tantisper:' nec tam ad vocem sequentem, quam ad τὸ *diverteret* applicandum. Apud Terent. III. 3. Heautont. 'Concedas hinc aliquo ab eorum ore aliquantisper.' 'Iratum breviter vites,' Publius Syrus dixit. *Pric.*

Quoad spatio fervens mariti sedaretur animus] Seneca III. 39. de Ira: 'Primam iram non audebimus oratione mulcere, surda est et amens: dabimus illi spatium.' Supra heic lib. VI. 'Inter istam spicarum congeriem patere, &c. delitescam, quoad tantæ Deæ sæviens ira spatio mitigetur.' Ita enim ille locus legendus. Hegesipp. de Excid. Hierosol. I. 43. 'Nullum sibi aliud remedium, nisi ut longius aliquo secederet, quo tantæ bestiæ furori vel fuga eximerentur.' Esaiæ 26. 20. 'Abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.' Rebecca ad Jacobum Genes. 27. 43. Ἀναστὰς ἀπόδραθι εἰς τὴν Μεσοποταμίαν πρὸς Λάβαν τὸν ἀδελφόν σου εἰς Χαῤῥὰν, καὶ οἴκησον μετ' αὐτοῦ ἡμέρας τινὰς, ἕως τοῦ ἀποστρέψαι τὸν θυμὸν καὶ τὴν ὀργὴν τοῦ ἀδελφοῦ σου ἀπὸ σοῦ. Achilles Tatius lib. VI. Ἔδοξεν οὖν τῇ Μελίττῃ τὸ νῦν ἀναχωρεῖν· ὅταν δὲ ἐν καλῷ θῇ τὰ πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ γένηται τὰ τῆς ὀργῆς ἐν γαλήνῃ, τότε μετιέναι. Vide l. XXVII. § 4. ff. de ædilit. edict. Apud Petronium est, 'iram prudenti absentia exstinguere.' Apud Theophylactum ad Joh. 10. ὑποχωρεῖν, τῷ θυμῷ ἐνδιδόναι, καὶ διὰ τῆς ἀπουσίας τὸ τοῦ θυμοῦ πάθος λῆξαι παρασκευάζειν. De *Tempore* Ovidius loquens: 'Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras.' De eodem Philo in de Josepho: Ἱκανὸς καὶ πένθος ἀνελεῖν, καὶ θυμὸν σβέσαι. Augustinus Confess. IV. 8. 'Non vacant tempora, nec otiose volvuntur per sensus nostros: faciunt in animo mira opera.' *Idem.*

Qui, non eram dubius, aliquid, &c. (*tristius*) *pr. cogitaret* (*aliud*)] Suo more Floridus Pricæi notam decurtavit. Is autem in capite notæ præfixo exhibuit, *non eram dubius alioquin de se, &c.* Difficillimus sane est locus, nec Latina constructio, *qui, non eram dubius cogitaret*; nisi anacoluthon statuas pro *quem non eram dubius cogitare*, vel, *qui, non eram dub. quin cogit.* In Mss. Flor. Pal. Bert. Pith. Fux. Guelf. sec. Lips. Oxon. D'Orvill. exaratur *erat*, ediditque Scriverius. In Oxon. D'Orv. *non erat dubium cogitare.* Quod ultimum etiam est in Palat. et Guelf. utroque, ac Pith. Hinc existimo varie a librariis locum esse corruptum, non intelligentibus, quod dederat Auctor, *non dubio*, i. e. sine dubio, ut l. hoc p. 178. 'Nec dubio me compilassent:' ubi vide. Putavi aliquando, Græcissasse Auctorem, ac scripsisse, *qui non erat dubius cogitare*, passive, pro *quem non dubitabam cogitare.* Uti ait Auctor de Mundo p. 729. ut leg. e Mss. 'Adeo illis cognita est vis mali, ad inferiora aëris noxii crassitate densati, inferiores facilius adire.' pro *cognitum est vim adire.* Similia sæpe in Pandectis. Vide Jensii præfat. ad Stricturas. Auctor Corr. Eloq. c. 16. 'Manifestus est accingi.' Mela l. III. c. 5. 'Araxes neque in utram partem eat, manifestus.' Sic et 'nunciatus est adesse,' et similia frequenter. Vide ad Cæs. l. I. B. Civ. 14. 64. Plin. l. III. Ep. 7. Amm. Marcell. l. XXII. c. 7. Sed multum præfero priorem conjecturam *non dubio.* In sequentibus vero nihil est mutandum vel delendum: licet etiam Lipsius conjecerit, *cogitaret. Talium cont. epularum.* Salmas. *cogitare. Talium.* Atqui *aliquid tristius aliud* recte copulantur, uti 'quispiam alius levior labor,' supra p. 184. et l. x. p. 217. 'ab alio quopiam.' Cic. pro Sext. c. 24. 'Expulsus non alio aliquo crimine:' et sæpe Auct. ad Herenn. l. II. c. 17. 'ab aliqua alia civitate:' ubi tamen Mss. septem a me visi cum Edd. pp. non agnoscunt *alia.* Par est *alius*

quis; de quo vide ad Melam. l. II. c. 7. in f. 'aliudve quod virus:' ut leg. item in Colum. l. II. c. 9. e Cod. Sangerm. 'ubi vel viligo vel alia quæ pestis segetem enecat.' Vulgo, *aliqua.* De significatione τοῦ *aliud, aliter* in malam partem, vide plura ad l. I. p. 8. et ad Hirt. B. Afric. c. 52. 'Aliter adversariis cecidit.' *Oud.* *Qui tanto calore tantaque rabie perculsus, non eram dubius alioquin etiam de se suaque conjuge tristius profecto cogitaret aliud*] Josephus Antiquit. XVIII. 10. de Caio Imper. Περιοργὴς ὢν, φανερὸς ἦν ἐργασόμενός τι δεινὸν αὐτούς. Mss. Florent. et Bertin. *Non erat dubius.* Oxon. *Non erat dubium.* Casaub. ad oram libri sui: *Non eram dubius,* et post, *quin aliud, &c.* *Tristius aliquid,* εὐφημισμὸς, pro, *morte violenta.* τὸ *aliud* nulli usui est nisi ad sensum implicandum. *Pric.*

Contubernalis epularum tædio fatigatus, &c.] Glossarium: 'Tædet me hujus hominis, σικχαίνομαι τοῦτον ἄνθρωπον.' *Fatigatus,* metaphora ab iis sumpta qui onere laborant. Sirachides XXI. 19. Ἐξήγησις μωροῦ ὡς ἐν ὁδῷ φορτίον. Petronius: 'Itaque tædio fatigatus, rogo inquam,' &c. Gellius I. 2. 'Jamque omnes finem cuperent, verbisque ejus fatigati pertæduissent.' *Idem.*

Quæ suo pudore postposito, torique genialis calcato fœdere] Oxon. *Quæ s. pudore torique, &c.* Ita, 'calcare pudorem' heic, erit quod supra II. 'pudorem devorare:' at non facile vulgatum rejicio. Arnobius lib. V. 'Postpositis pudoris et verecundiæ frænis.' *Idem.*

PAG. 195 *Larem mariti lupanari maculasset infamia*] Sic, 'commaculare torum,' Isidorus Orig. V. 26. dixit: item Plinius jam statim adducendus. Contra Hebr. 13. 4. ἀμίαντος κοίτη. ubi Latinus, 'immaculatus torus.' *Idem.*

Prostitutæ notam adsciverit] Pal. Lips. Guelf. cum Edd. Colv. Vulc. Merc. Wow. Pric. *notam.* Sed recte *nomen* revocari jusserunt Elmenh. et Priceus e Mss. quibus adde Reg. Fux. D'Orv. aliosque. 'Nomen prostitutæ adsciscere' est meretrix et adultera fieri, ut *nominari* et *vocari* passim pro *esse* sumitur. Vide Pric. et p. 196. 'Intempestivum tibi adulteri nomen vindicas.' Frequens quoque est 'adsciscere nomen.' Sic Liv. l. XXXIII. c. 21. 'Regium adscivit nomen.' Sil. Ital. l. XIV. 36. 'nomen ab amne Adscitum patrio.' In Guelf. pr. *adseruit.* Oud. *Jamque perdita nuptæ dignitate, prostitutæ sibi notam adsciverat*] Lege *nomen,* ex Mss. Florent. et Bert. et edito Vicentiæ libro. Sic Rom. 7. 3. μοιχαλὶς χρηματίζειν. Luc. 15. 19. prodigus ille, nequitiæ suæ et luxuriæ conscius: Οὐκ ἔτι ἄξιός εἰμι κληθῆναι υἱός σου, ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. Et nota heic, 'dignitatem nuptæ.' Plinius l. VI. Epist. 30. de Gallita adulterii rea: 'Et suam, et mariti dignitatem Centurionis amore maculaverat:' hinc XIX. 25. apud Isidorum, 'maritalis dignitas.' Scriptor ad Hebræos, ubi supra: Ὁ γάμος τίμιος. *Pric.* *Prostitutæ, &c.*] Glossæ: 'Ἑταίρα, prostituta, meretrix.' Ibidem: 'Προστᾶσα ἐπὶ πορνείᾳ, prostituta:' et, 'Προΐσταμαι, ἐπὶ πόρνης, prosto.' Firmicus V. 26. 'Prostituto pudore publicas meretrices:' et cap. 25. 'Passivis libidinum cupiditatibus prostituta.' Iterum VI. 30. 'In publicis meritoriis prostituta.' *Idem.*

Suadebat maritum temporius quieti recedere] Mss. longe plurimi cum Edd. Ber. Bas. Colv. et seqq. dant *temporius,* Guelf. sec. *temporis,* Bert. Pith. cum Edd. ceteris, *temperius.* Quod cum nonnullis præfert Burmann. ut antiquius, ad Ovid. l. IV. Met. vs. 198. 'modo surgis Eoo Temporius cælo.' Sed adi G. J. Voss. de Vitiis Sermonis p. 168. Dein *marito decederet* præbet D'Orvill. de quo dixi ad pag. præc. *Decedere* est item in Re-

gio, Oxon. Guelf. utroque, Flor. cum Edd. Wower. et Pric. Vere. Confer notata ad l. v. p. 91. 'Decessit ad somnum.' Dativo usus etiam est Auctor l. III. p. 60. 'concedere angulo.' et l. VI. p. 116. 'concedere cœnæ.' l. I. p. 8. 'Quieti nos reponamus.' *Oud.* *Temporius quieti decederet*] Sic, 'temporius discumbere,' Donatus in Terentii vita. Glossæ: ''Ενωρότερον, temporius.' Vide quæ in 'de Vitiis sermonis' pag. 168. vir summus J. G. Vossius, communi eruditorum damno dum hæc scriberem mortalitati ereptus. *Pric.*

Utpote intercepta cœna profugerat pr. jejunus] Vulg. *ne profugeret prorsus jejunus.* Colv. Sic etiam Mss. Pith. Bertin. In D'Orv. *profugaret.* Priceus legit, *utpote qui, &c. profugerat.* Sed non ita solet Auctor, qui, licet sæpissime utatur τῷ *utpote*, nusquam tamen addit pronomen. Verum etiam nusquam jungit cum verbo, ut Colvius eumque sequentes exhibuerunt cum Mss. plerisque; sed vel adjectivo nomine vel participio: e. g. l. I. p. 6. 'Utpote ultime adfectus:' et passim. Vide Indicem. Quare vel parenthesi includenda videntur verba, *profugerat prorsus jejunus:* vel forsan scripsit Auctor: *Utpote interceptæ cœnæ* (quæ vox exsulat a Palat. Guelf. ambobus, et Oxon. a pr. m.) *profugus et pr. jejunus.* Adi Duker. ad Flor. l. III. c. 22. 'profugus feralis illius tabulæ.' Aliquando cogitavi, num ex illo *ne* sit refingendum *nam* vel potius *enim*, quam conjunctionem sæpe præponit Auctor. Vide congesta ad l. IV. p. 69. *Oud.* *Utpote intercepta cœna, &c.*] Scripserim, *Utpote qui, &c.* Pric. *Profugerat prorsus jejunus*] Horatius: 'Quem nos sic fugimus ulti, Ut nihil omnino gustaremus.' *Idem.*

Mensam poni comiter postulabat] Hæc lectio (quam et probat Colvius) est Beroaldi: sane infra heic lib. x. et in Floridis Noster 'mensam ponere' dixit. Græci etiam eadem facie τράπεζαν παραθεῖναι. Vide quæ ad Act. 16. 34. adnotavimus, et quæ ad eundem locum vir maximus H. Grotius. Mss. autem et veteres editiones legunt, *mensam potius, &c.* quod, sensum adeo commodum efficiens, cur de suo depellendum? *Idem.* *Potius*] Lego *poni:* sic Plautus: 'Pueri mensam apponite.' Horat. 'Mensam poni jubet.' *Beroald.*

Mihi penitus carpebantur præcordia, &c.] Vide quæ ad Act. 17. 16. allata. Hegesippus I. 17. 'Coquebantur ægra præcordia.' Persius, ad hunc asinum nostrum perapposite: 'Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.' *Pric.*

Mecumque sedulo deliberabam, si quo modo possem, detectis ac revelatis fraudibus, &c.] 'Omnia narrasset, sed et os et lingua volenti Dicere non aderat, nec quo loqueretur habebat.' 'Si quo modo,' ut supra VII. 'Quod si quo modo cæteri latrones persenserint,' &c. ubi otiose reponebat Stewechius, *quoquomodo:* est enim utrumque in usu, at illud rarius. Glossæ: 'Εἴτινι τρόπῳ, si quomodo.' Item: 'Εἴ πως, si quomodo,' &c. Virgilius VI. Eclog. 'Si qua,' &c. ubi Servius: 'Pro, si: vel, si quomodo.' Sic Philipp. III. 11. εἴ πως· ubi Latinus, 'si quomodo.' *Idem.*

Illumque qui ad instar testudinis alveum succubabat, &c.] Qui 'Abditus interea latuit sub tegmine cavo, Impatiensque moræ siluit, præputia ducens.' *Idem.*

Senex claudus, cui nostra tutela permissa fuerat, &c.] Lib. IV. 'Anum senio curvatam, cui, &c. tutela tot numero juvenum commissa videbatur.' De 'claudis agasonibus' supra pag. 121. dixi. *Idem.*

Universa nos jumenta, id hora jam postulante, ad lacum proximum bibendi causa gregatim prominabat] Suetonius Galba: 'Cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argu-

mentis et testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum ubi adaquari solebat, duceretur capite obvoluto,' &c. Varro lib. IV. de Ling. Lat. 'Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest:' ubi forsan, *lacuna non magna* legendum. Glossarium: 'Τόπος ἐν ᾧ ὀλίγον ὕδωρ συνίσταται, lacus, stagnum.' *Lacum proximum*, intellige, portæ oppidi illius contiguum lacum. Terentius IV. 2. Adelph. 'Priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum Est pistrilla.' Donatus: 'Credibiliter lacum addidit, nam Varro docet semper lacum portis additum: scilicet ob usum jumentorum exeuntium et introëuntium.' Et nota, *hora postulante*. Artemidorus III. 67. Πάντα πρὸς τὰς ὥρας ἀποβλέποντες ἄνθρωποι, ποιοῦσι. 'Gregatim prominare' heic, ut supra lib. VII. 'Gregatim pecua comminantes.' *Idem.*

Opportunissimam mihi vindictæ subministravit occasionem] Apud Petronium ille: 'Ego autem nactus occasionem vindictæ,' &c. Rom. et Vicent. editt. rectius *optatissimam*. Vide supra pag. 24. dicta. *Idem.*

Observatos extremos digitos adulteri, qui per angustias cavi tegminis prominebant] Suetonius de Claudio post aulæa latente: 'Jacentem discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, &c. agnovit.' *Idem.*

Ad summam minutiem contero] Seneca de granis Epist. 90. 'Sæpius teruntur, donec ad minutiem, &c. redigantur.' *Idem.*

Sublato flebili clamore] Lib. VIII. 'Fletis cum clamore sublato.' Phædrus: 'Flebiles gemitus ciens.' Scriptor ad Hebræos 11. Κράξας μετὰ δακρύων. *Idem.*

Cænam] Lego *scenam*: hoc est, apparatum, tegumentum. Translatio a scena histrionica, quæ subductis alveis cuncta demonstrat. In hac locutione frequens est Lucius noster. *Beroald.*

Exsangui pallore trepidantem] Infra: 'exsangui formidine trepidantem adulterum.' Lactantius ad VI. Thebaid. Statii p. 107. 'Sanguis proprie videtur animæ esse possessio, unde exsangues mortuos dicimus.' *Elmenh.*

Exangui pallore trepidantem puerum] Metam. VI. 'Pallentem, trepidamque, et dira timentem.' Metam. XIII. 'Trementem, Pallentemque metu, ac trepidantem morte futura.' 'Exangui pallore,' ut apud Euripid. αἷμα δ' οὐκ ἐνῆν χροΐ. Supra lib. I. 'buxeum pallorem' dixit. *Pric.*

Serena fronte] Lib. III. 'frontem tuam serena venustate lætabit assidue.' *Elmenh.*

Nihil triste de me tibi fili metuas: non sum Barbarus] Heliodorus lib. I. ubi de Chariclea et ceteris captivis: Ἐπεὶ ἤγοντο, τίς ἄρα τύχη διαδέξεται ἡμᾶς, ἐβόων; καὶ πολλὰ τὸν Κνήμωνα ἱκέτευον, εἴ τι δύναιτο, συμπράττειν. ὁ δὲ ἐπηγγέλλετο, καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγαθὸν προύτρεπεν· οὐ παντάπασι βάρβαρον εἶναι τὰ ἤθη τὸν λῄσταρχον ἐγγυώμενος. *Pric.*

Non sum Barbarus] In Euripidis Heraclidis ille: Οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω. *Idem.*

Nec agresti morum squalore præditus] Metam. I. 'Non incola montis, Non ego sum pastor.' Catullus: 'Pleni ruris et inficetiarum.' Hesychius: Ἀγροῦ πλέων· ἀγροικίας πλήρης. Gellius I. 5. 'Subagresti ingenio homo:' ex eo (ut semper) Ammian. XXXI. 'In crudelitatem proclivior, ingenii subagrestis:' et XIV. 'Velamento subagrestis ingenii persuasionis opifex.' Horatius: 'Asperitas agrestis, et inconcinna, gravisque.' *Idem.*

Nec ad exempl. machinæ truculentæ] Ms. *ut ad exempl. &c.* Ceterum scripserim; *nec ad exemplum mœchæ truculentæ*, de uxore sua sentit. *Colv.* Liber Fulvii, *nactinæ truculentæ*. Unde forte, *naccæ*: ut uxorem fullonis seu naccæ intelligat. Nisi potius *nactinæ*, pro naccæ uxore. Aliis visum, *mœchæ truculentæ*. Sed invita necarat

adulterum mœcha: quare machina potius occiderat: viminea scilicet cavea. *Wower.* Ms. Bertin. pro *machinæ* habet *votivo.* Sed Fulvianus: *ad ex. nactinæ truculente sulphuris te l. f. n.* Nactina ergo forte erit, qui *nacca*, de quo modo sermo erat, id est, de fullone: an verius, ut uxorem naccæ significet? Videat Lector eruditus. M. N. L. *Sciopp. in Symb. et Susp.* lib. II. 14. *Naccinæ truculentiæ.* Ita Flor. membranæ. Aldus et Palat. *machinæ t.* Bert. *vativo truculente.* Rom. *machiæ t.* Scaliger, et Colvius, *mœchæ t.* Elmenh. *In machina truculenta* L. D'Orleans ad Tacit. lib. II. Ann. p. 258. Doct. Schoetgenius *naccinam*, sive potius *nactinam*, truculentiam explicabat talem, quali fullo seu nacta tractat pannos suos p. 3. de fullonia: cum certo certius respiciat Auctor ad mœchum per naccæ uxorem alveo sulfurato absconditum, supra p. 193. 194. Non enim dubito de lectionis *nactinæ* veritate, ad quam insuper accedunt Oxon. *naptinæ*, Gnelf. pr. in marg. *nactine.* Litura erat in textu. Palat. *nacne*, Zabar. et Pith. Cod. *vaccinæ*; ut supra in Mss. 3. erat *vaccam* pro *naccam*. Sed præter unum Mediceum et Pithœanum ceteri Mss. dant *truculentæ* (*turculentæ* Guelf. pr.) adjective vel *truculente* adverbialiter. Quare et quia fullonis uxori magis adscribenda est illius mœchi mors, quam ipsi fulloni, non alienus essem a lectione *nactinæ truculentæ* cum Wowerio, Scioppio, quem et vide in Epist. Corp. tom. II. p. 52. et Ferrario l. I. c. 15. Si modo *nactina* pro uxore nactæ firmari posset exemplo; ut 'regina,' 'caupona,' &c. Quod certe malim, quam substituere cum Colv. Vulcanio Ed. sec. Scriverio et Pricæo *mœchæ*, aut *matronæ*, ut diserte exstat in Ms. D'Orvill. sed sine dubio correctoris sapit manum, aut *vicini*, uti volebat vir doctus, nescio quis. Nunc servo *naccinæ truculentiæ* pro fullonicæ, sive quod fullo mœchum sic siverat perire, sive quia ejus in domo res erat gesta. *Machinæ*, quod habent omnes usque ad Colvium Edd. nullius assis est. *Oud.* *Nec ad exemplum machinæ truculentæ sulphuris te lethali fumo necabo*] Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio: 'Supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum 180. et a summo usque ad imum damnatos ligaret: et ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu, &c. necaret:' ubi vide quæ ex Martyrologio notavit eximius ille Casaubonus. Philo de Alexandrinis in Judæos sævientibus: *Καπνῷ τὸ πλέον ἢ πυρὶ διέφθειραν, οἰκτρότερον καὶ ἐπιμηκέστερον ὄλεθρον τοῖς δειλαίοις τεχνάζοντες.* Macrobius Saturn. IV. 4. 'Ut, dum queritur Cicero, flammam ex lignis viridibus factam, atque ibi inclusum fumo necatum: hoc enim a materia pathos est: quoniam hic usus est fumo materia ad occidendum, ut alius gladio, alius veneno.' Julianus in Cæsaribus: *Τυφούμεθα ὑπὸ τοῦ καπνοῦ.* Hesychius: *Τυφῶσαι, πνίξαι, ἀπολέσαι.* Pro *machinæ*, lege cum Scaligero *mœchæ*: intelligit uxorem fullonis, quæ adulterum suum cavea sulphurea contexit. Rem totam paulo supra narratam habemus. *Pric.*

Ad discrimen vocabo capitis] Adi Cujacii Observat. lib. VI. c. 11. Rævardum nostrum Variorum lib. IV. c. 6. *Colv.* Vide notas nostras ad Arnobii lib. IV. fol. 87. *Elmenh.* *Nec, &c. ad discrimen vocabo capitis tam venustum atque pulchellum puellum*] Tale illud VII. 'Nefas tam bellum asinum sic enecare.' *Pric.*

Cum uxore mea partiario tractabo] Supra lib. IV. 'Partiario majestatis honore tractor:' supra l. VIII. 'Promiscui operis partiarios concubitus agebat.' *Idem.*

Erciscundæ familiæ] Glossarium: '*Οὐσίας διαιρετέας*, familiæ erciscundæ.' *Idem.*

Sine ulla controversia vel dissensione]

Gloss. '᾽Ανευ ἀντιλογίας, sine controversia, sine contradictione:' et statim: '᾽Ανευ μέμψεως, sine querela:' quod heic, 'dissensione.' *Idem.*

Tribus nobis in uno conveniat lectulo] Ausonius: 'Tres uno in lecto: stuprum duo perpetiuntur, Et duo committunt.' Scholiastes Juvenalis de Istro quodam, ad II. Sat. 'Omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ut simul dormiret is qui et illum corrumperet, et illi misceretur.' *Idem.*

Cum mea conjuge tam concorditer vixi, &c.] Suetonius de Tiberio: 'Cum Julia primo concorditer, et mutuo amore vixit:' quæ sic imitatus est Noster in Apologetico suo: 'Omnem supellectilem, cunctasque divitias, in concordia conjugii, et mutuo amore ponentem.' Servius ad Virgilii ea: 'Connubio jungam stabili. Dicendo, connubio, ostendit legitimum: dicendo, stabile: longam promittit concordiam.' *Idem.*

Ut, ex secta prudentium, eadem nobis ambobus placerent] Nec incommode hoc modo legas: *Ut et secta prudentium eadem nobis ambobus placeret. Prudentes* heic non consultos, sed philosophos intelligo: quo et spectat 'placendi' vox. Glossæ: 'Secta, αἵρεσις, φιλοσόφου δόγμα,' &c. Glossæ aliæ: 'Φιλοσοφία, philosophia, secta.' Servius ad Æneid. x. 'Sectas dicimus habitus animorum, et instituta philosophorum circa disciplinam.' *Idem. Eadem nobis ambobus placerent*] Ovidius, si non labitur memoria, de Baucide et Philemone: 'Velle ac nolle ambobus idem.' *Idem.*

Habere plus auctoritatis uxorem] August. Quæst. in Genesin, Quæst. 53. apud Gratianum Decret. part. 2. Causs. 33. q. 5. 'Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris, filii parentibus; quia nulla justitia est, ut major serviat minori.' Vide Aristot. probl. Sect. 29. fol. 468. Chalcidium in Platonis Timæum fol. 281. *Elmenh. Sed nec æquitas ipsa patitur habere plus auctoritatis uxorem quam maritum*] Paulus ad Timoth. I. 2. 12. Γυναικὶ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς οὐκ ἐπιτρέπω, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ. *Pric.*

Deducebat ad torum nolentem puerum, sequentem tamen] Horatius: 'Ego, ut contendere durum est Cum victore, sequor.' Supra lib. I. 'Obstinationi suæ me ingratiis obedientem, perducit ad illum suum grabatulum.' *Idem. Nolentem, &c. sequentem tamen*] Martialis v. 'Secuit nolente capillos Encolpus Domino, nec prohibente tamen.' *Idem.*

Solus cum puero cubans] Παιδεραστία est, ubi Venus mutatur in alteram formam, et masculi ἄῤῥενες ἐν ἄρσεσι τὴν αἰσχημοσύνην κατεργάζονται, ut ait Basilius Magnus homil. 'quod deus non sit author malorum' p. 161. Hos gentium Apostolus 1 Cor. VI. vs. 9. et 1 Timoth. IV. 10. ἀρσενοκοίτας vocat. Equidem enorme et abominandum hoc vitium in omni mundo late vagatum ubique fere reperit suos amatores, et velut pestilenti sidere Romanorum, Græcorum, Persarum, Æthiopum et Turcarum mentes afflavit, sicuti docui ad Arnob. lib. I. contra gentes fol. 36. Soli Germani nihil tale novere, nec urtica illa unquam tetigit fortissimos heroës nostros, ut erudite ex Quintiliano observat vir eximius J. Lipsius in notis ad Taciti Germaniam p. 53. *Elmenh. Et pudicissima illa uxore altrorsus disclusa, solus ipse cum puero cubans, gratissima corruptarum nuptiarum vindicta perfruebatur*] Apud Petronium ille: 'Ego nactus occasionem vindictæ, Eumolpum excludo: redditaque scordalo vice, sine æmulo scilicet, et cella utor, et nocte.' Maritos autem ita molliores uxorum mœchos tractasse testantur multi Poëtarum loci: vel vide Epigr. 57. Catull. et II. 47. Martialem. *Pric. Solus ipse cum puero cubans*] Vide supra pag. 171. notata. *Idem.*

Rota Solis lucida diem peperit] Oxon.

lucidam, et fortasse melius, judice Pricæo lib. x. p. 218. 'remeabit ad diem lucidam.' Nihil temere novandum puto. Quia Solis rota (sive orbis, de quo vide Broukh. et Vulp. ad Tib. I. 9. 52. 'Luciferi rota') est *lucida*, ideo parit diem. Et sine adjectivo dies ita sæpe usurpatur a Nostro. Sic lib. II. init. 'Sol novus diem fecit:' ubi paulo post p. 21. contra Pricæus mavult, *jubaris orbe lucido:* Illic eum vide. Ac 'Sol,' 'Luna,' 'stellæ,' 'sidera' sexcenties *lucida* poëtis dicuntur. Quare miror, nec intelligo, cur a Cl. Cuninghamo contra Mss. innumeros, et Grammaticorum citationes apud Horat. lib. I. O. 3. 2. 'lucida sidera' editum sit *fulgida*, vox, quæ, si a Lucretio lib. III. 364. recesseris, auctoritate idonea caret. Prudentium enim, Fortunatum, Solinum, et similis Latinitatis scriptores nihil moror. Nec juvat Claudian. I. R. Pros. 115. 'Obducam tenebris lucem; compage soluta Fulgidus umbroso miscebitur axis Averno.' Nam ita solus Ms. Claverii dat. In Ceteris codicibus et Edd. Vett. exstat, *Obd. ten. solem; c. s. Lucidus, &c.* Alibi quidem Horatius dicit 'fulgere sidera nautis' lib. II. 16. 3. Sed *fulgida* non vocat. At Carm. Sec. vs. 2. 'lucidum cæli decus:' ut apud Senec. Œd. 403. *Oud.*

Ferula nates ejus obverberans] Adulterum prætextatum more pædagogi ferulis excipit. Fulgent. Mythol. lib. I. 'Tumidas ferulis gestabam palmas.' Prudentius præfat. καθημερινῶν: 'Ætas prima crepantibus Flevit sub ferulis.' Juvenal. Sat. I. Augustinus de Civit. Dei lib. XXII. c. 22. Confess. lib. I. c. 14. Sidonius Apollin. lib. II. Ep. 10. Columella lib. x. de cultu hortorum. Non solum autem manus (de quo video dubitare virum doctum) sed et nates puerorum ludimagistri cædebant. Disco hoc ex Plauto Bacchid. scena *Nunc experiar, &c.* 'Inde de hippodromo et palæstra ubi revenisses domum, Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres: Tum librum legeres: si unum peccasses syllabam, Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.' Et Tzetze Chiliad. Hist. IX. Histor. 258. Σκῦτος, τὸ παῖον τὰς πυγὰς παίδων τῶν μανθανόντων. Cædi autem pueros parte hac ideo receptum, quod sint nates sensus obtusi ob cutis crassitudinem, cui insit callosum quiddam, et solidius duriusque quam reliquo corpori, præsertim superno. Cœlius Rhodig. Antiq. Lect. lib. IV. c. 8. *Elmenh.* *Quam altissime sublato puero, et ferula nates ejus obverberans*] Prudentius in Romano: 'Præcipit Sublime tollant, et manu pulsent nates.' Ferula autem objurgatur mœchulus iste, ut tenellæ ætatis. Vide Suetonium in Caligula, Ulpianum lib. I. ff. ad SC. Silan. et quæ heic Elmenhorstio adnotata. *Pric.*

Tu autem (inquit) tam mollis ac tener? &c.] Gloss. 'Τρυφερὸς, tener, mollis,' &c. Hesychius: 'Απαλὸς, μικρὸς, τρυφερός. Philostratus de Como: 'Απαλὸς, καὶ οὔπω ἔφηβος. De 'pueris tenellis' vide supra pag. 146. dicta. *Idem.*

Et admodum puer] Suetonius Nerone: 'Puer adhuc, necdum matura pueritia.' *Idem.*

Defraudatis amatoribus, &c.] Q. d. 'Tute lepus es, et pulpamentum quæris?' Suidas: Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ· λέγεται δὲ ἐπὶ τοῦ ἐπιθυμοῦντος παρ' ἄλλῳ γενέσθαι τὰ ὄντα παρ' ἑαυτῷ. Supra heic de alio juniore mœcho: 'Adhuc lubrico genarum splendore conspicuus, adhuc adulteros ipse delectans.' *Idem.*

Et connubia lege sociatas corrumpis] Hæc absunt (sed, ut puto, male) ab Oxon. Ms. Sirachides IX. 12. Μετ' ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθου. ad quæ Clemens Alexandrinus: 'Επεὶ μείζων ὁ κίνδυνος τῷ τῆς συμβιώσεως δέσιν λῦσαι πειρωμένῳ. vide et 19. 20. Levitic. Apud Plutarchum in de liber. educ.

inter alia juniorum ἀδικήματα, numerantur et γαμετῶν γυναικῶν οἰκοφθορίαι. Illud *corrumpis* Græcum est: sic supra IV. 'matrimonia corrumpens.' Vide pag. 124. adnotata. *Idem.*

Forinsecus abjecit] Sive medium eum sublatum e domo in plateam *provolvit*, ut apud Terent. Andr. IV. 5. 37. Quare non puto audiendum esse N. Heinsium, qui ad Ovid. lib. V. Met. 450. legendum autumat *abigit*; licet in Mss. de more scribatur *abicit*. Oud.

Ille adulterorum omnium fortissimus] Beroaldus, *formosissimus*. Verum est appellari eum superius 'formosum et liberalem:' sed additur *strenuum*, et contra maritorum diligentias *constantissimum* (id est, audacissimum) fuisse. Quem ergo alibi *audacem* dixit, quid heic mirum *fortem* vocari? Juvenalis Sat. IV. 'Solaque libidine fortes.' Scholiastes: 'Ut quem nullus posset a consuetis vitiis deterrere.' Possumus et alio sensu eam vocem capere. Horatius: 'Fortique marito Destinet uxorem:' quod, 'validum in officio noctis,' Donatus ad Hecyram IV. 1. exponit. *Pric.* *Adulterorum fortissimus*] Non videtur convenire, ut puer delicatus *fortissimus* adulterorum nuncupetur: proinde lego *formosissimus*. Beroald.

Insperata potius salute] Ex his Virgilii: 'Insperata tandem tellure potiti.' Apud Suidam in συνυφαίνουσα· Ὁ δὲ Χαγᾶνος παράδοξόν τι ἕρμαιον σωτηρίαν ηὐτύχησε. *Pric.*

PAG. 197 *Proturbavit domo*] Perperam omnino Scioppius defendit *perturb.* et male revocavit tacite Wower. unde et mansit in textu Pricæi, bene propugnantis alterum. *Proturbare* omnino scribendum est, ubi agitur de aliquo qui suo loco detruditur, vel foras, vel humi: *perturbare*, quando de simplici corporis vel animi commotione agitur, manente tamen persona suo loco vel statu. Exempla enim, quæ profert Scioppius, vel corrupta sunt, vel nihil probant; erratque dicens, in nullo Mstorum esse *prot.* Sic enim diserte Florent. Reg. Palat. D'Orvill. cum Edd. Colv. Vulc. Merc. Elm. Scriv. Adi ad lib. II. p. 38. 'Domo proturbor:' item ad hujus libri p. 205. 'Obtundens eum dorso meo proturbat:' ubi vide Stewech. Errat quoque Vorstius ad Justin. lib. III. c. 4. 'In exsilium proturbatus.' Contra e Mss. *perturbat* omnino reponendum in Val. Flacc. lib. I. vs. 597. 'Nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto: Pangæa quod ab arce nefas, ait, Æole, vidi,' &c. *Oud.* *Eamque protinus de sua perturbavit domo*] Mira lectioni isti obstinatione propugnat Scioppius: cum et supra tamen lib. II. Noster, 'domo proturbari' dixit. *Pric.*

At illa, præter genuinam nequitiam, contumelia etiam, &c. commota] Vide supra p. 84. dicta. *Idem.*

Contumelia etiam, quamvis justa, tamen altius commota atque exasperata] Macrobius Saturn. VII. 2. 'Dolor semper reprehensionem vel justam sequitur.' In Apologia Noster: 'Etiam hi, qui sibi delicti alicujus conscii sunt, tamen, cum male audiunt, impendio commoventur.' Quanto fortius commovetur ergo hæc pistoris uxor, quæ male non audiit tantum, sed et malum divortii subivit! *Idem.*

Ad familiares fœminarum artes accenditur] Ovidius Metamorphos. IX. 'Inferior virtute, meas divertor ad artes.' Bene et *artes fœminarum*. Clytemnestra apud Senecam Tragicum: Agam. 'Tecum ipsa nunc evolve fœmineos dolos.' Euripides: Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς, γυνὴ γὰρ εἶ. In Ejusdem Medæa: Φείδω μηδὲν ὧν ἐπίστασαι Μήδεια, βουλεύσασα καὶ τεχνωμένη. Scholiastes ad Ejusdem Hippolytum: Ὥσπερ τὸ νοῦν ἔχειν τοῖς ἀνδράσι δέδοται, οὕτως τὸ κακουργεῖν καὶ μηχανὰς ἐξευρίσκειν, ταῖς γυναιξί. Et (quod proxime ad argumentum nostrum) apud Eundem senex ad Creu-

iam: Ἐκ τῶν δὲ δεῖ σε δῆ γυναικεῖόν τι δρᾶν· Ἢ γὰρ ξίφος λαβοῦσαν, ἢ δόλῳ τινὶ, Ἢ φαρμάκοισι σὸν κατακτεῖναι πόσιν. Pro *accenditur*, melius cum Colvio *accingitur* legas. Vide quæ supra pag. 153. dicta. *Idem.*

Veteratricem] *Veratricem* inlustravit Scaliger ad Virgil. Cirin. p. 75. Verum ipse sic non legit; sed edidere ita Vicent. Junt. pr. Ald. Vulcan. Ed. sec. ac Wower. Theod. Marcil. not. Gramm. ad I. Florid. Appuleii, cum Pricæo, qui tamen probavit quoque *veteratricem* cum Scalig. ibid. p. 76. et Broukhusio ad Tibull. I. 2. 41. 'Ut mihi verax Pollicita est magico saga ministerio.' Adi et Beroald. ac Festum v. 'Veteratores.' In D'Orv. *vitatric.* Oud. *Magnaque cura requisitam veratricem quandam, &c.*] Melius in aliis *veteratricem*. In veteri Onomast. 'Veteratrix, πανοῦργος.' Glossarium Isidori dictum: 'Veteratricem: callidam, incircumscribendam.' Idem x. Orig. 'Inveteratus, eo quod sit multi veterisque in malitia usus:' adde Donatum et Eugraphium ad II. 6. Andr. Glossæ aliæ: 'Πέπειρος πανουργίας, inveteratus.' Appuleius Floridis: 'Tanti veteratoris perfectissimus discipulus.' *Pric.* *Veteratricem*] Sicut *veterator* dicitur vetus in malicia, ita et *veteratrix* fœmina, in astutiis et fraudibus exercitatissima. *Veteratorie* adverbium, significans callide, astute, malitiose: veteratoris est, confidere in mendaciis. *Beroald.*

Quæ, &c. maleficiis quidvis efficere posse credebatur] 'Carminibus quæ posset solvere mentes Vinctas, atque aliis duras immittere curas; Sistere aquam fluviis, ac vertere sidera retro, Infernasque ciere animas, mugire jubere Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.' Dio Cass. Φαρμακίδα περιβόητον· ut in Claudium suum Agrippina. Tacitus in eodem argumento: 'Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta.' *Pric.*

Multisque suffarcinat muneribus] Sic, 'auro suffarcinari,' Hieronymus ad Paulinum. Proprie 'suffarcinari' autem de avibus: ut ad Andriam Donatus notat. *Idem.*

Conciliari marito] Τῷ ἀνδρὶ καταλλαγῆναι, I. Cor. 7. 11. Interpres vetus Judic. 19. 3. 'Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei.' Glossæ: 'Εἰς φιλίαν διαλλάσσω, reconcilio.' *Id.*

Larva] Fux. *lania.* Forte, *Lamia.* Sed improprie. *Roald.* Infra: 'larvatus ad Inferos demeavit maritus.' p. 198. ubi, et hic inspice Pricæum. Lib. I. p. 5. 'larvale simulacrum.' *Oud.*

Si id nequierit, certe larva, &c.] Sallustius de Jugurtha: 'Bomilcari, &c. imperat, pretio, &c. insidiatores Massivæ paret, &c. sin id parum procedat, quovis modo interficiat.' 'Si id nequierit,' hoc loco, ut in Apologetico: 'Ipsum vivum: si id nequierint, vel mortuum ostendant.' *Pric.* *Certe larva, vel aliquos diro numine immisso, violenter ejus expugnari spiritum*] Firmicus III. 14. 'In nono ab horoscopo loco Mercurius cum Venere partiliter constituti, fascinantes mulieres dabunt, et uxores quæ etiam ipsos artus (lege *maritos*) larvari, &c. faciant.' Glossæ: 'Larva, δαιμόνιον, εἴδωλον.' *Dirum numen*, est, 'Deorum ira immissum.' Vide Servium ad Æneid. II. et Nonnium Marcellum. Gloss. 'Dirus, δεινὸς, θεοχόλωτος.' *Idem.*

Divinipotens] Onomasticon vetus: 'Divinipotens, θεοκρατής.' *Idem.*

Primis adhuc armis facinorosæ disciplinæ, &c.] Servius ad Æneid. x. 'Arma, sunt uniuscujusque rei possibilitas:' et ad Æneid. II. 'Arma, sunt instrumenta cujuslibet rei: unde insidiantis fraudes arma nominavit.' 'Prima arma' heic, sunt, qualia supra I. 'folia artis' vocavit. *Idem.*

Sequius] Vide Indicem Florid. Pric. ad Apolog. p. 187. Gron. ad Gell. lib. III. c. 14. Comm. ad Liv. Sueton. alios. De confusione τῶν *sequius* et *sequens* vide ad lib. x. p. 235. *Oud.* *Quæ res, cum ei secius ac rata fuerat,*

proveniret] Sallustius Catil. 'Sed ea res longe aliter ac ratus erat evenit.' Ammianus lib. XXVIII. 'Sed longe secus accidit quam sperabatur.' *Pric.*

Umbramque violenter peremptæ mulieris, &c.] Infra lib. X. 'Sic elisus violenter spectatissimus medicus:' supra heic: 'Violenter ejus expugnari spiritum.' *Idem.*

Argumentaveris] Antiqui pleraque verba active pronunciabant, quæ nunc passive dicuntur: ut 'auguro' pro 'auguror,' 'contemplo' pro 'contemplor,' 'scruto' pro 'scrutor:' ita et 'argumento' pro 'argumentor.' Plautus dixit 'arbitrabant,' pro 'arbitrabantur.' Maro 'populat,' pro 'populatur.' Ennius 'criminat,' pro 'criminatur.' *Argumentari* autem est, argumentis uti ad rem probandam, ut docet Asconius. *Beroald.*

Sed forsitan lector scrupulosus reprehendens narratum meum, sic argumentaberis: Unde autem tu stultule asine intra terminos pistrini contentus, quid secreto, ut affirmas, mulieres gesserint, scire potuisti] Vopiscus in Aureliano: 'Imperator qui domi clausus est, vera non novit.' Catullus (ex quo fortasse asinus noster): 'Dixerit hic aliquis, qui tu isthæc janua nosti, Cui nunquam Domini limine abesse licet? Non populum auscultare, sed huic suffixa tigillo, Tantum operire soles, aut aperire domum.' *Pric.*

Quemadmodum homo curiosus, &c. cuncta, &c. cognovi] Supra lib. I. 'Non quidem curiosum, sed qui velim scire vel cuncta, vel certe plurima.' *Idem.*

Nudis et intectis pedibus] Lib. X. 'Nudo et intecto corpore.' Infra hic: 'Sub dio, et intecto conclusus stabulo:' et supra: 'Detectus, et revelatis fraudibus:' et in Apologia: 'Jejunus et irrefectus.' *Idem.*

Flebili centunculo] Fortasse rectius, *scissili cent.* Scindere vestes in luctu et re anxia, moris vulgati. Lib. VII. 'Adhuc flentem, adhuc vestes lacerantem.' Lib. IV. 'mœrentem, et crines cum veste sua lacerantem.' Ovid. IV. Metam. 'Deplanxere domum scissis cum veste capillis.' Herodian. lib. I. *Wower. Scissili* placebat etiam Pricæo. Si quid, quod tamen non opinor, mutandum, mallem *sutili* ῥακιώδῃ vel *futili* πολυθόρῳ. Adi ad pag. 5. ubi 'scissile palliastrum' vocat 'sutilem' vel 'fut. centunculum.' *Oud. Flebili centunculo semiamicta*] Supra hic: 'Scissili centunculo inumbrati.' Et fortasse sic hoc loco scribendum. Vide supra pag. 4. notata. *Pric.*

PAG. 198 *Discerptæ, &c.*] Vox *discerptæ*, vereor, ut ab Apuleio sit, quem paullo post scripsisse arbitror *pleram*, non *pleramque;* quomodo Sallustium, Livium, Suetonium locutos, Germaniæ flos Janus Palmerius in spicilegiis suis docuit. Item Priscianus lib. V. et Festus in *plera*. In luctu, de more Veterum, caput inspergi cinere solitum, testes sacræ literæ, et ipse Apuleius libro septimo: 'Nam mater mortem pueri deplorans filii fletu, et lachrymosa fuscaque veste contecta, ambabus manibus trahens cinerosam caniciem, ejulans,' &c. rum libro dicimo de patre loquens, qui altero filiorum humato, alterum, ut incestum, judicibus sistere cogebatur, 'Et statim,' inquit, 'ab ipso ejus rogo senex infelix ora sua recentibus adhuc rigans lacrymis, trahensque cinere sordentem caniciem, foro se festinus immittit.' Ritum illum attigit Arnobius libro V. adversus gentes: 'Lugentium' (ait) 'sumunt sordes, et miseriarum insignia.' Virgil. lib. X. Æneid. 'Canitiem immundo deformat pulvere, et ambas Ad cœlum tendit palmas.' In lætitia, in conviviis virorum pariter ut fœminarum capillos ungi solitos, ab Apuleio, Cicerone, Virgilio, aliis plerisque veteribus plus centum locis ostenditur. Etsi compositi capilli, uncti, et calamistrati indicium fuerint mollitiei,

ut videre est apud Martialem non uno loco: apud Ciceronem secunda oratione in Catilinam: in ea, quam pro P. Sextio dixit: in ea, quam post reditum habuit in senatu. In ponenda, vel contra, alenda coma, variæ, tum antiquæ superstitiones Veterum. Imprimis pro cætera bona corporis valetudine crines alere solitos, testis mihi Censorinus lib. de die Natali, in ipso proœmio. Quin et in faciendis votis superstitionem hanc quoque obtinuisse historiæ loquuntur. Victi enim ab Lacedæmoniis Argivi, qui criniti antea fuerant, voverunt, non ante comam alituros, neve mulieres suas aurum laturas, quam Thyreas recuperassent. E diverso Lacedæmonii vovere, ut antea non comati, in posterum comati essent. Meminit Herodotus lib. II. Et videre est hoc seculo qui eam superstitionem servent. *Stewech.* Quid in *discerptæ* seu laceratæ *et discissæ* obstiterit Stewechio, non percipio. *Disceptæ* Guelf. pr. Archaismi captatio in *pleram* contra Mss. nulli bono est. De ea vide etiam Torrent. ad Sueton. Tiber. c. 75. In Pal. et Coll. Voss. est *pleraque*, in Regio, Fux. *plerasque*. Tum Oxon. *inspersæ*. Oud. *Comæ semicanæ sordentes inspersu cineris*] Lucianus in de Luctu: Καί που καὶ ἐσθὴς καταῤῥήγνυται, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. Apud Quintilianum Declam. x. 'Confusi cinere vultus, et infectum favilla caput.' Euripid. Κόνει φύρουσα δυστηνὸν κάρα. *Pric.*

Pleramque ejus anteventulæ contegebant faciem] 'Solutas In vultus effusa comas:' ut de Cornelia Lucanus, Pompeio occiso. *Idem.*

In s. cubiculum seducit eum] Alii, *deducit.* Elmenh. *Deducit*] Frequens hæc est locutio de Amantibus, et Venereo furto vel nuptiis operam daturis. Vide ad lib. II. p. 24. 'Et in cubiculum te deduxit comiter.' Is vero sensus huic loco minime convenit. Quare, licet nusquam *seducere* usurpaverit Auctor, hic tamen malim e membranis Florentinis cum Elmenh. Scriv. et Flor. ac Pricæo in notis *seducit*, sive solum et seorsum ducit. Frequens autem in his est varietas. Vide ad Cæs. l. I. B. Civ. c. 7. 'A quibus seductum Pompeium.' *Oud.* *Manu pistori clementer injecta, quasi quidpiam secreto collocutura, in suum cubiculum deducit eum*] Infra lib XI. 'Me, &c. arrepta manu, sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia.' Act. 23. 19. Ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς αὐτοῦ ὁ χιλίαρχος, καὶ ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν, ἐπυνθάνετο· τί ἐστιν ὃ ἔχεις ἀπαγγεῖλαί μοι; ubi, si placet, notata vide. Deductio autem in secretum locum hoc loco per insidias facta: ut Genes. 4. 8. Judic. 3. 19. II. Samuel. 3. 27. qua in historia Josephus: Ἀποσπᾷ μὲν οἰκείων, ὡς ἐν ἀποῤῥήτῳ διαλεξόμενος, pro quibus Appuleius, 'quasi quidpiam secreto collocutura.' In quibusdam heic *seducit eum:* quod melius argumento quadrat. *Seducit*: seorsim ducit: *seducit* etiam, est, εἰς τὸ κατ' ἰδίαν ἀποσπᾷ, in vetere Glossario. *Pric.* *Pistoris*] Lege *pistori*, ut sit casus dandi: significat enim mulierem illam squallentem et luridam injecisse manum pistori, eumque sevocasse quasi quædam secreto colloqui vellet. *Beroald.*

Adducta fore, &c.] *Fore* ἑνικῶς posuit et Plautus, nec non Petronius. *Pric.*

Confectum omne frumentum] Id est, molitum, elaboratum. Glossæ: 'Συντελεσθὲν, confectum.' Glossæ aliæ: 'Confectum esse, κεκοπᾶσθαι, συντετελῆσθαι. *Idem.*

Opperique supplementum postulabant] Glossæ: 'Supplementum, ἀναπλήρωμα.' *Idem.*

Atque ut illis sæpicule et intervocaliter clamantibus nullus respondit Dominus, jam forem pulsare validius, &c.] Libanius in de Invido: Κεκλεισμένας ἰδὼν τὰς, &c. θύρας, οὐκ εἰωθὸς ὄν, προσελθὼν κρούσας ἐκάλουν· ὡς δὲ οὐδεὶς ὑπήκουε, πάνυ σφόδρα κόπτων καὶ βοῶν,

&c. *Idem.* *Intervocaliter clamantibus*] Lib. I. 'Januam, &c. pulsare vocaliter incipio:' ubi dicta pag. 16. vide. *Idem.*

Diligentissime f. oppessulata] Supra lib. III. 'Patere fores cubiculi diligenter occludam:' et VIII. 'Valvis super se diligenter obseratis.' Interpres vetus citato Judicum loco, com. 23. 'Clausis diligentissime cœnaculi ostiis.' *Idem.*

Redacto] *Reducto vel diffracto.* Ex vitiosa Elmenhorstii notula deceptus Scriverius Ed. Lugd. *distructo card.* et in Amstel. est *distracto vel diffracto cardine.* Non enim pro *reducto* in Bertin. cod. est *distracto;* sed exhibet ille *reducto vel distracto.* Male. Ait Auctor, eos vel removisse cardinem, vel diffregisse, utcumque sit, certe reserasse forem. Lib. XI. bis: 'velis reductis.' Sic Scaliger legit in Germanici Arateis p. 28. Ed. Grot. de clave: 'Succutit, et foribus reducit vincula clostri:' cum in Grotii Ed. sit *prædicti.* Sed Mss. et Edd. Vett. dant *præducit.* Hinc contrarium τῷ *reducti* debet admitti, et emendari: 'Succutit, et foribus præducti vincula clostri.' Sera enim vel pessulus foribus præducitur, ut claudantur, vel *obducitur*, ut frequentius dicitur. *Oud.* *Majus pejusque aliquid opinantes, nisu valido reducto vel diffracto cardine, tandem patefaciunt aditum: nec uspiam reperta illa muliere, vident e quodam tigillo constrictum jamque exanimem pendere Dominum*] Ibidem com. 45. de Egloni servis: 'Exspectantesque diu donec erubescerent, et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes, invenerunt Dominum suum in terra jacentem mortuum.' *Pric.*

Summis plangoribus] Glossæ: 'Plangoribus, κοπετοῖς, θρήνοις.' *Idem.*

Ultimo lavacro procurant] Vide ad Act. Apost. pag. 85. dicta. *Idem.*

Frequente prosequente comitatu, tradunt sepulturæ] Artemidorus II. 54. Τὰ αὐτὰ ἀμφοτέροις συμβαίνει, τῷ γαμοῦντι καὶ τῷ ἀποθνήσκοντι· οἷον, παραπομπὴ φίλων, ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν. Vide supra pp. 86. et 156. notata. *Id.*

In quo pridem] Recte Gulielm. et Colvius cum seqq. emendavit *pridem:* ut postulat sensus, et Mss. præter Bertinum et Pith. exhibent; ac non solum jam ante vidit Stewechius, sed et olim expressit Ed. Junt. post. At prave omnino Colvius *in quo* intrusit, ceterique retinuerunt, contra Mss. O. et Edd. priores, et optimorum scriptorum exempla. Tacit. l. VI. Ann. c. 37. 'Denupsit in domum Rubelli Blandi.' Ovid. Met. lib. XII. 196. 'nec Cænis in ullos Denupsit thalamos:' ubi vide Heinsium. Favet quidem Colvio Quinctiliani locus Declam. 337. 'Ea domo, in qua virgo nupserat.' Verum et illic melius summi viri, Gron. et Burm. emendarunt, *in quam.* Cic. pro Cœl. c. 14. 'An quum in familiam clarissimam nupsisses?' Potius *innupsisses.* Vide ad Lucan. l. III. 23. *Oud.*

Crines pendulos quatiens] Lib. VIII. 'Crinesque pendulos rotantes.' *Pric.* *Crines p. q. et interdum pugnis obtundens ubera*] Virgilius: 'Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.' Hieronymus ad Paulam: 'More lymphatico sparsis crinibus, &c. lacerum pectus invadere.' *Idem.*

Qua] Legendum est, *Quæ*, scilicet filia: casu recto. *Beroald.*

Sed ei per quietem obtulit sese flebilis patris sui facies, adhuc nodo revincta cervice] Quintilianus Declam. 315. 'Stabat ante oculos laceratus et adhuc cruentus pater, ostendebatque effusa vitalia.' *Idem.*

Eique totum novercæ scelus aperuit] Virgilius: 'Cæcumque domus scelus omne retexit.' *Idem.*

Et quemadmodum larvatus ad Inferos demeasset] Quemadmodum sibi spiritus larva expugnatus fuerat. In vetere Inscriptione: 'Nec luctu, nec lacrymis misera ac larvata nostra de-

Aleatis funera.' Gloss. 'Δαιμονισμὸς, larvatus:' ubi *larvatio*, aut (quod malim) δαιμονιζόμενος legendum. *Idem.*

Accursu familiarium, &c.] Infra heic: 'Ut accurrentium familiarium manu liberaret se.' *Idem.*

Pausam, &c. fecit] Vide supra pag. 173. notata. *Idem.*

Pag. 199 *Jamque nono die, completis apud tumulum solennibus, &c.*] Glossæ: 'Novendialia, ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα.' Donatus ad Phorm. I. 1. 'In nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur.' 'Solennia complere' heic, est quod in l. XLIV. ff. de manum. testam. 'mortis solennia peragere.' Servius ad Æneid. VI. 'solennia tumuli peragere.' Vide supra pag. 157. adnotata. *Idem.*

Ad hæreditariam actionem] Corrige, *auctionem:* significat enim, omnia deducta esse ad venditionem hæreditariam, qua scilicet bona ex hæreditate provenientia vendi solent. *Actionem* autem dici publicam venditionem, sive subhastationem, notissimum est, ex eo quod ementem augeat, et vendentem, ut interpretatur Fulgentius Placiades. Apud Plautum parasitus in Sticho, *auctionem* facit *parasiticam*, vendens jocos ridiculos, et cætera parasiticæ supellectili congruentia. Apud eundem in Menæchmis fit auctio, qua servi, supellex, fundi, ædes, omnia veneant. *Beroald.*

Pauperculus quidam hortulanus] Juven. 'Exigui lætus plantaribus horti.' Virgil. 'Custos et pauperis horti.' Excerpt. vet. Gloss. 'Pauperculus, πτωχότατος.' Firmicus IV. 6. 'Aut erunt hortulani, sed miseri pauperesque.' *Pric.*

Q. nummis. Sed magno, ut aiebat. Sed] Fulvius conjecit, *Scilicet ut communi.* Quod mihi non displicet. Facile enim ex *scil.* quod est *scilicet,* (quomodo et alibi in Fulvii Ms. scriptum erat,) fieri potuit *sed.* Colvius aliis locis similiter *scilicet* pro *sed* bene reponit, aitque in suo libro *scil.* scribi solitum, quod utrumque significat et *sed* et *scilicet.* Sciopp. in Symbola. Fulvius, *q. n. scilicet magno.* Florent. recte τὸ *sed* delet. *Elmenh.* In M. deest *sed.* Putean. Haud infrequens est, ita bis poni particulam *sed.* Adi Burm. et me ad Lucan. I. I. 143. X. 161. Cic. lib. VI. ad F. Ep. 12. Nepot. in Paus. c. 4. in f. Val. Max. l. I. 8. 7. Misc. Obs. vol. I. p. 428. Et sic Mss. plerique et Edd. Heinsio priores in Claud. de Laudibus Serenæ vs. 4. 'Si floribus ornes Reginæ Regina comam; sed floribus illis Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit Æstibus; æterno sed veris honore rubentes,' &c. Immo sic sæpius scripsit Noster. L. VIII. p. 164. 'Sed illa pernicitas non erat alacritatis meæ, sed formidinis indicium.' Lib. XI. p. 246. 'Sed sollerte repertu, &c. Sed et ad istum plane modum.' De Deo Socratis p. 670. Ed. Flor. 'Sed nunc non de errorum disputatione, sed de Naturæ distributione disseremus.' Nihilominus quia Mediceo codici consentiunt Reg. Fux. Pal. D'Orv. Guelf. ambo, Mang. Oxon. cum Edd. Wower. Elmenh. Scriv. Pric. Flor. ejeci prius *sed,* pro quo Ursinum voluisse *scilicet,* male Elmenhorstius ait, ut patet e Scioppii nota. De ejus vocis decurtatione in *scil. sc. s.* alibi dixi. *Oud.* *Magno*] Id est, magno pretio. Virgil. 'Magno cum optaverit emptum.' Servius: 'Magno pretio: ut alibi, Et magno mercentur Atridæ.' Idem I. Georg. 'Milesia magno Vellera mutentur.' Servius: 'Ingenti pretio comparentur.' Vide Beroaldum. *Pric.*

Ut communi labore victum sibi quæreret] Et meo, et suo labore. Virgilius Georg. II. de agricola: 'Sustinet hinc armenta boum, meritosque juvencos:' ubi Servius: 'Sui consortes laboris.' Lactantius IV. 17. de suillo genere: 'Ventri et pabulo servit, nec

alium ullum dum vivit præstare usum potest, sicut cœteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum vivunt,' (lege *juvant:*) 'vel plaustra collo trahunt,' &c. Columella præfat. lib. VI. 'Jumenta nomen a re traxere: quod nostrum laborem, vel onera subvectando, vel arando juvarent:' quæ XII. 1. Orig. Isidorus transcripsit. Lactantius idem in de Ira Dei, c. 13. 'Intelligimus et ipsa animalia eodem modo ad usum hominis a Deo facta: partim ad cibos, partim ad vestium, partim ad operis auxilia.' Ita juvencum *σύνεργον ἡμῖν ζῶον*, Basilius in c. 7. Esaiæ dixit. *Idem.*

Me multis oleribus onustum proximam civitatem deducere consueverat] Virgilius Moreto: 'Venales olerum fasces portabat in Urbem.' Horat. 'Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.' *Idem.*

Venditoribus tradita mercede] Non modo permittente, verum et postulante sententia scribo, *venditoribus tradita merce:* eamque conjecturam nostram Luciani verbis corroborari memini; adscriberem, si ad manum esset. *Stewech.* Vel potius *merce*, scilicet herbis, quas vendebat hortulanus. Ita Fulvio visum. *Wower.* Recte Fulvius *merce*, nimirum oleribus, quæ vendebat hortulanus. Atque etiam ita Stewechius. *Sciopp. in Symb.* Elmenh. Per *venditores* intelligunt viri docti *institores*, propolas *παλιγκαπήλους*, vel *magnarios* lib. I. ubi vide, qui simul emta aliis per partes vendunt, Voorkoopers. Barthius lib. XXXIII. Advers. c. 5. statuit etiam *venditores καταχρηστικῶς* poni pro *emtoribus* ut prave nonnemo reponendum suspicatus est e Luciano tom. II. p. 611. *παραδοὺς τοῖς ταῦτα* (λάχανα) *πιπράσκουσιν*. Hinc etiam tot viri docti, quibuscum facit Sopingius, vocem *mercede*, quæ nusquam, quod sciam, pro *merce* vel re venali occurrit, licet in Nominativo sit *merces* in Glossis, reponunt *merce*, ut ediderunt quoque Elmenh. Scriv. Flor. iisque favet margo Cod. Oxon. Solus Beroaldus *mercedem* capit pro 'pecunia ipsi pro oleribus a venditoribus' (seu propolis) 'tradita.' Sed eo sensu nimis abrupta et insolens est locutio. Cogitavi aliquando, num majus hic hæreret ulcus, ac rescribendum foret, *venditis oleribus sibi tradita*, vel *contracta* aut *nacta mercede.* Sensu claro facilique, sive corrogata pecunia, laboris sui mercede. Lib. II. pag. 29. 'Stipes, immo mercedes opimas consecutus.' De verbo *contrahere* vide ad lib. I. p. 30. De *nactus* passive ad lib. VII. pag. 173. 'nacta libertate.' *Oud.* *Venditoribus tradita merce*] Lucianus hic, Τοῖς ταῦτα πιπράσκουσιν. intelligit *παλιγκαπήλους*. *Pric.* *Venditoribus*] Septimus est casus: ut exponas, 'tradita a venditoribus mercede olerum, hortulanus ad hortum remeabat.' Lucianus planius inquit: *καὶ παραδοὺς τοῖς ταῦτα πιπράσκουσιν*; id est, 'tradens olera emptoribus, agebat me iterum ad hortum.' *Beroald.*

Sic hortum redire] Id est, 'sic demum:' et nota est rei factæ. Vide quæ ad Act. 20. 21. adnotata.

Dum fodiens, dum irrigans, cæteroque incurvus labore deservit] Pœnalem vitam olitoris *ἠθικῶς* ob oculos ponit. Ad Menedemum Chremes apud Terent. I. 1. Heautont. 'Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi Domum revertor, quin te in fundo conspicer Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique Nullum remittis tempus, neque te respicis.' Hesiodus de agricolis: Οὐδέ ποτ' ἦμαρ Παύσονται καμάτου καὶ ὀϊζύος, οὐδ' ἔτι νυκτὸς Γινομένης, χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας. 'Curvare corpus,' est terram subigentium. Sidonius Carm. V. 'Sic quondam Consule curvo Vertebas terram.' Virgilius III. Ecloga: 'Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.' Plinius senior: 'Arator, nisi semper incurvus, prævari-

çatur.' Lucianus Timone: 'Επικεκυφὼς ἔσκαπτεν. et ibidem: νενευκὼς εἰς τὸ ἔργον. Eustathius ἐρωτικ. 4. Γήπονος, περὶ μέσους κεκυφὼς τοὺς ἀστάχυας. Sic aquilegem, κατέχοντα δίκελλαν, καὶ κεκυφότα, Achilles Tatius lib. I. depingit: et, 'figulum se curvantem,' XXXVIII. 33. Sirachides. *Idem.* *Deservit*] Inservit operi rustico intentus. Posses legere *Deserit*, id est, plantat: propter verbum Luciani ἐφύτευε, id est, Serebat. *Beroald.*

Tacita quiete recreabar] Contra lib. VII. 'Nec tamen tantillum, &c. meæ quieti spatium datum.' In Lipsii et Fuxensi Ms. *placita:* unde recte vir summus P. Faber, *placida.* Virgilius: 'Omnia noctis erant placida composta quiete.' Idem: 'Placidam per membra quietem Irrigat:' et alibi: 'Placida laxarunt membra quiete.' *Pric.*

Remeans annus] In se recurrens. Annus itaque secundum Ægyptios indicabatur ante inventas literas, picto dracone, caudam suam mordente, quia in se recurrit. Servius ad Æn. V. *Idem.*

Hybernas Capricorni pruinas] Cicero de Natura Deorum: 'Tum gelidum pavi[illegible]pectore frigus anhelans, Corpore semifero magno Capricornus in orbe.' *Elmenh.* *Post mustulentas Autumni delicias ad hibernas Capricorni pruinas deflexerat*] Juvenalis: 'Jam lethifero cedente pruinis Autumno.' *Pric.*

Assiduis pluviis, nocturnisque rorationibus, sub dio, &c.] Propertius II. 7. 'Sub Jove duravit multis immota diebus, et Lunæ patiens, et pluvialis aquæ.' 'Nocturnis rorationibus,' &c. ut IV. 22. Danielis, ὑπὸ τῆς δρόσου αὐλίζεσθαι. 'Sub dio,' quia Domini adeo pauperis jumentum. Horatius: 'Pauper, et infima De gente, sub dio moreris,' &c. ubi vetus Scholiastes: 'Sub dio posuit pauperis mansionem.' Theophylactus ad I. Tim. 5. Κἂν ἄλλα ἄπορος εἴη τις, οἰκίαν πάντως ἔχει, οὐ γὰρ δὴ αἴθριος μένει. ubi forsan, δεῖ α. μένειν legendum. Xenophon apud Suidam: 'Υπὸ τῆς αἰθρίας κακῶς σκηνοῦντες. *Idem.*

Continuo discruciabar frigore] Plinius VIII. 43. de Asinis: 'Animal frigoris maxime impatiens.' *Idem.*

Quippe cum meus Dominus, &c. ne sibi quidem, nedum mihi, posset, &c.] 'Ο δοῦλος οὐχ' ὑπὲρ τοῦ Κυρίου αὐτοῦ. Matth. 10. 24. ubi dicta vide. *Idem.*

Tegimen] Ovid. lib. III. Metam. 52. 'tegimen derepta leoni Pellis erat.' *Tegumina*, e Mss. Colum. l. I. c. 8. *Wass.* Guelf. pr. *regimen*, D'Orv. *tegmen.* Contra l. X. p. 225. 'spoliata tegmine,' in Ms. *tegimine:* ubi et vide. p. 232. 'dirupto spineo tegmine.' Sed adi et Stewech. ad Veget. V. 14. 'Tegminum cura:' ubi in 3 Mss. *tegiminum.* Barth. ad Stat. Theb. II. 541. me ad Cæs. l. II. B. G. c. 21. item Comm. ad Æn. III. 584. VII. 666. *Oud.* *Vel exiguum tegimen*] Glossæ: 'Tegimentum, Στέγασμα, κάλυμμα, σκέπασμα.' *Pric.*

Contentus umbraculo] Flor. *contectus.* Elmenh. B. *fr. c. contectus u.* Putean. *Contectus* etiam legitur in D'Orvill. Verissime. Non enim continemur umbraculo, sed tegimur. Neque hic hortulanum videtur voluisse laudare ab animi plura non desiderantis continentia Auctor, sed simpliciter ejus humilem conditionem descripsisse; ut inde tanto magis adpareret, quam miserum suus Asinus hospitium hic nactus esset. Crebro autem *contentus* et *contectus* confusa esse, patuit jam p. 180. 'intra hospitium contenta:' et p. 197. 'Intra terminos pistrini contentus.' Apud Lucan. l. IV. vs. 810. 'Nullo contectus Curio busto:' in multis Mss. legas *contentus.* Non placet tamen. *Oud.* *Frondoso casulæ contentus umbraculo*] Seneca Epist. XC. 'Furcæ utrinque suspensæ fulciebant casam, spissatis ramalibus ac fronde congestam:' et post, ead. Epist. 'Adversus sævitiam hiemis aut

imbris, vili receptaculo tuti, sub fronde vivebant.' Hieronymus ad Heliodorum: 'Frondoso arboris tectus umbraculo.' *Pric.*

Geluque præacuta frusta] Interpres vetus Sirachidis XLIII. 21. 'Gelu sicut salem effundet super terram: et, dum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli.' Imo *tanquam acumina tribuli* acutius et vividius legas. Ammianus Marcellinus l. XXX. 'Per nives, et acumina crudelium pruinarum.' Onomast. vetus laudabilissimum: 'Acumen, ὀξύτης.' Glossæ: 'Acumen, ἄκρον ξίφους.' et Seneca Epist. LXXXII. de re tribulo non aliena valde. 'Quid acutius Arista?' at Ammiani locus rem extra controversiam ponit. *Frusta* Appuleius vocat, quæ alii *crustas*. Sidonius IV. 6. 'Cumulis nivium, crustisque glacierum.' Gloss. 'Παγετοῦ κλάσματα, crusta,' lege *crustæ*. In vetere Onomastico: 'Crusta, πλὰξ ὄστρακον.' Servius ad Georg. III. 'Cum crusta feminino genere dicimus, lapidis, aut ligni, aut gelu partem significamus.' Et ad VII. Æneid. 'Crusta neutraliter dicimus de his quæ comedi possunt: feminino genere, fragmenta quæ comesse non possumus: ut Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ:' hinc 'frigore humum crustatam,' lib. XXV. idem Ammianus dixit. *Idem.*

Nudis invadens pedibus] Sic VII. 'Saxeas sudes incursare:' quod hic *invadere*. *Nudis* intellige, ferro non munitis. Hesychius: Γυμνὸς, ἀνυπόδητος. *Idem.*

Enitebar] Donatus ad Andr. III. 4. 'Enitere, labora: quasi difficile sit, et conatu opus.' *Idem.*

Ac ne suetis saltem cibariis ventrem meum replere poteram] Supra lib. VII. 'Nec mihi misero statuta saltem cibaria, &c. præstabantur:' ubi fusius p. 143. dixi. *Idem.*

Mihi et ipsi Domino cœna par et similis] Horatius: 'Servorum ventres modico castigat iniquo, Ipse quoque esuriens.' Tacitus de Germanis loquens: 'Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas.' Apud Quintilianum VI. Declam. 'Habitamus in fluctibus, hiberni nos feriunt venti: non statio, non sedes, non quies: sed, quod malorum meorum maxima portio est, tam miseri sunt etiam Domini mei.' *Idem.*

Lactucæ veteres et insuaves illæ] Juven. 'Tales ergo cibi qualis domus.' Apud Aristophanem in Pluto: Σιτεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων, Μαλάχης πτόρθους, ἀντὶ δὲ μάζης, φυλλεῖ' ἰσχνῶν ῥαφανίδων. *Idem.*

Cœnosi succus cariem] Ms. Ald. Ven. *cœnosi sucus.* Quidam, *cœnosi succi. Succus*, quarto inclinandi ordine, quomodo loquuntur Grammatici: ut *lectus* in Plauti Amphitruone: 'Quam lectus ubi cubuisti concaluit locus!' recte notante Prisciano; et male aliter accipiente J. Palmerio. Sic Cornificius de Cœnis Deorum lib. I. 'Ipsis vero ad Cereris memoriæ renovandæ gratiam, lectus sternuntur.' Apud eumdem Grammaticum lib. VI. sic *sonu* apud L. Sisennam lib. III. Historiar. 'Postquam in sonu signorum prælium magno cum clamore virorum commissum est.' De loco Plauti monuit hoc loco etiam Beroaldus. Nos repetere debuimus, ne ii sequendi putentur, qui super hoc veteres Grammaticos non audiunt. *Colv.* Pal. *scariem.* Elmenh. Mss. plerique et Edd. Vett. *sucus:* ut passim. *sutuis* Pith. *succi* Edd. Vulc. sec. Elm. Scriv. Flor. nec quidquam varietatis e Florent. est notatum. Sed ita 'intrimenta sucuum' dixit lib. X. p. 219. *Sonu* vidimus lib. VIII. p. 175. In Oxon. quoque et utroque Guelf. *scariem.* Oud.

PAG. 200 *Tenebris illunæ caliginis impeditus, et imbre nimio madescens, &c. ad hortum nostrum, &c. divertit*] Anacreon de Cupidine: Ἄνοιγε, φησὶ, Βρέφος εἰμὶ, μὴ φόβησαι, Βρέχομαι δὲ,

κατέλησον Κατὰ νύκτα πεπλάνημαι. In Salomonis Cantico. v. 5. Ἄνοιξόν μοι, ὅτι ἡ κεφαλή μου ἐπλήσθη δρόσου, καὶ οἱ βόστρυχοί μου ψεκάδων νυκτός. Seneca vi. 15. de Benef. 'Quanti æstimas in solitudine hospitium, in imbre tectum!' In vetustis editt. et Mss. *madefactus.* Orientius Illiberitanus: 'Nemo Conspersus pluvia, nec madefactus erit.' Hesychius: Διαχεῖται· ὑπὸ ὄμβρου βρέχεται. *Pric. Tenebris illunæ caliginis, &c.*] Latinus Proverb. vii. 9. Interpres: 'In noctis tenebris, et caligine.' Virgilius: 'Et nocte tegentur opaca.' Servius: 'Opaca nubium caligine.' *Idem.*

Atque ob id ab itinere directo cohibitus, ad hortum nostrum, &c. divertit] Valde hic locus illustrat Evangelii illum Luc. xi. 6. Χρῆσόν μοι τρεῖς ἄρτους, ἐπειδὴ φίλος μου παρεγένετο ἐξ ὁδοῦ πρὸς μέ. Impulsus nempe aut nocte, aut imbre, aut utroque: noctu autem supervenisse eum monstrant illa, πορεύσεται πρὸς αὐτὸν μεσονυκτίου. jam et illud ἐξ ὁδοῦ παραγίνεσθαι, est quod hic, 'ab itinere directo divertere,' vel 'cohiberi:' quæ vis locutionis Græcæ haud scio an Interpretibus animadversa. 'Iter directum' hic, ut vi. 'Canale directum.' Glossæ: 'Εὐθεῖα ὁδὸς, itiner.' (id est, *rectum iter.*) ex illo qui deflectunt, *divertere* dicuntur. In vetere Onomastico: 'Diversito, τρέπομαι.' videtur ἐκτρέπομαι legendum. Glossæ: 'Devertit, ἐκνεύει, ἐκτρέπεται.' et hinc ad Eunuch. iv. 2. Donati illa: 'Diverticula dicuntur, &c. domicilia, ad quæ de itinere divertendum sit.' In eodem Glossario: 'Diverticulum, &c. καταγώγιον.' *Idem. Ad hortulum nostrum jam fesso equo divertit*] Lib. viii. 'Ad civitatem quandam populosam, &c. jam fessi pervenimus.' *Idem.*

Receptusque comiter pro tempore, licet non delicato, necessario tamen quietis subsidio] Basilius Conc. de Ingluvie et Ebriet. de se et cœnobiotis suis: Ἐπεδήμησεν τίς τῶν ξένων; &c. κέκμησεν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας; τοσοῦτον αὐτῷ προστίθεμεν ὅσον τὸν κόπον παραμυθήσασθαι. Tale Antiquit. iv. 8. apud Josephum illud: Ἀφιγμένους ἀλλαχόθεν ἀνθρώπους ξενίων τυχεῖν ἀξιοῦν ὧν ὁ θεὸς καθ' ὧν ἂν παρέχει. ubi pro καθ' ὧν ἂν, quis non videt καθ' ὥραν scribendum? 'Quietis non delicatum subsidium,' est, non delicatum lectum. In Epistola Myiæ Pythagoricæ: Ἐν τούτοις (lecti stragulis) τὸ οἰκεῖον ἡ φύσις ἐπιποθεῖ, οὐ τὸ πολυτελές. Chrysostomus Homil. xiii. in Epist. ad Ephes. Κέχρησο κλίνῃ καὶ στρώμασι, μὴ πρὸς ἐπίδειξιν πεποιημένοις, ἀλλὰ πρὸς ἀνάπαυσιν. E converso hic lib. x. 'Pulvillis pluma delicata ventose tumentibus terrestrem nobis cubitum præsternunt.' Bene autem *delicato* opponit *necessarium.* Plinius lib. viii. Epist. 4. 'Cur tibi similis audientia, præsertim non delicata sed necessaria denegetur?' Seneca (sensu Appuleianum proximante): 'Id actum est ab illo mundi conditore qui nobis vivendi jura descripsit, ut salvi essemus, non delicati.' Epist. 119. De locutione *pro tempore,* supra pag. 15. dixi. Commode et post ea verba, *necessarium* subjunxit. Virgilius: 'Nunc te marmoreum pro tempore fecimus:' ubi Servius: 'Pro necessitate.' *Idem.*

De prædiis suis] Fux. *de præsidiis suis:* et Aldus. Condita *præsidia* appellavit elegantissime, quod olim de pecunia dici solitum alii annotarunt. Daniel ad Querulum Plauti, quæ occultata et jacens alio etiam nomine *peculium* appellata est celebri illo rusticorum dicto apud Celsum lib. lxxix. § 1. de leg. 3. pecuniam sine peculio fragilem esse. Non ab alia mente Tertull. lib. adversus Valent. 'Inerat autem,' inquit, 'in Achamoth peculium quoddam seminis spiritalis: sicut et ipsa Achamotha in filio Demiurgo sequestraverat, ne hoc quidem gnaro. Accipe industriam clandestinæ ejus providen-

tiæ. Ad hoc enim et deposuerat et occultaverat,' &c. Qui locus, vulgo, interpretum hactenus ignorabilis fuit. *Roald.* Vulgarii libri, *de præsidiis suis.* Basil. 2. editionem expressimus. *Colv.* Flor. et Rom. *de præsidiis s.* Elmenh. Sic quoque D'Orv. Pith. Guelf. sec. Lips. et alii cum omnibus ante Bas. sec. quibus intelliguntur omnia ad vitam sustinendam necessaria, et in his pecunia. Vide Burm. ad Phædr. lib. IV. F. 21. et Hensing. Diss. ad Nepot. Themist. c. 8. 'Quod satis esset præsidii, dedit.' Solin. cap. 52. 'Eadem illa in præsidio.' (Huls. *præsidia*) 'gerunt.' Sed tum non habent, quo referantur, seqq. *prædicti agri.* Quare omnino præstat legi *de prædiis.* Nec infrequens earum vocum est confusio. Confer notata ad Cæs. lib. VI. B. G. 32. 'Non præsidium, non oppidum.' Drak. ad Liv. l. v. c. 55. XXXIV. c. 51. *Oud.*

Nec moratus meus Dominus] Supra hoc lib. 'Nec quidquam moratus, &c. ille egregius maritus.' *Pric.*

Sacculo et utribus vacuis secum apportatis] Ad vinum et frumentum asportandum. Lib. VIII. 'Avidis animis corradentes omnia, et in sacculos de industria, &c. præparatos farcientes.' *Idem.*

Prandio participat] Vide supra pag. 4. notata. *Idem.*

In poculis mutuis altercantibus] Ita Sirachidis IX. 13. Latinus, 'in vino altercari:' quod supra heic, 'vino mutuis vicibus velitari:' et VI. 2. apud Pollucem, ἐν πότῳ διαμιλλᾶσθαι. *Idem.*

Mirabile prorsus evenit ostentum] Æn. II. 'Subitum, dictuque oritur mirabile monstrum.' *Mirabile* heic, παράδοξον· ut bene in Glossario. Sic Luc. v. 26. παράδοξον Latinus peritissime vertit. *Idem.*

Clamore genuino] Fux. *clangore.* Roald. Ms. *clangore.* Sciopp. in Symbola. Omnes libri, *clangore.* Wowerius. B. M. *clangore genuino.* Interpr. in marg. *genuino.* Puteanus, *Clangore.* Vulg. *clamore.* Elmenh. Sic anseribus *clamores* tribuit Veget. lib. IV. c. 26. Miror tamen unde ea vox hic loci intrusa sit. Nam Mss. quorum excerptis utor, ad unum omnes, numero 9. cum Ed. Junt. post. dant *clangore:* quod bene restituit Wowerius. *Clangor* est sonus quarumvis avium majorum. In Florid. N. 17. 'Avium instigati clangores.' N. 23. 'Corvus dum vult clarissime clangere.' Senec. Herc. Œt. vs. 1390. 'feris clangoribus Ætherea Stymphalis.' Eadem confusio in Ovidii lib. XII. Metam. vs. 528. 'ingenti clangore sonantem Vidit avem:' ubi consuli possunt Heinsius et Burmannus. *Oud.*

Aucilla] Ita Flor. Alii, *ancilla;* male. Vide Indicem. *Elmenh.* Deminutive scil. pro *avicula.* Quomodo olim conjecerat Meurs. l. IV. Exerc. Crit. c. 8. lib. II. Cr. Arn. 3. et jam expresserat Vulcan. Ed. sec. adplaudente Lindenbrogio. Adi etiam Reines. Var. Lect. lib. II. p. 198. ac videtur etiam scriptum in Oxon. frustra reclamante Pricæo. Nam quod citat e libro VI. 'Ancilla nequissima,' nequaquam hoc convenit. Sic enim ibi a Venere Psyche vocatur p. 115. Rectius tum protulisset avem gaviam et columbas, quæ dicuntur in 'dominæ Veneris famulitio' esse, lib. V. p. 107. et lib. VI. p. 113. Sed longe alia in his ratio, quam ut gallinam paterfamilias vocet *ancillam,* quia parit ova; nisi habuerit eam quasi in coquis, et de familia culinaria. *Idem.* *O bona ancilla*] Ita editio Vicentina pervetus, et Cod. Oxon. Sunt tamen qui contendunt *aucilla* legendum. Supra lib. VI. 'ancillam nequissimam' dixit: cur non hoc loco e converso, *ancillam bonam?* certe et 'partubus saginare' (ut inquit) 'Dominum,' quoddam genus famulationis videtur. Qui adeo fastidiosi sunt ut hujusmodi non queant ferre, non est

cur ingrata lectione se ipsos et Appuleium inquietent. *Pric.*

Heus, inquit, puer] Palat. *heus tu, inq. puerum:* unde tacite istud *tu* inserunt Wowerius cum Pricæo. Nec male. Lib. I. pag. 3. 'Heus tu, inquam:' p. 10. 11. 'Heus tu, inquit.' 'Heus tu, ubi es?' et passim, et plane, ut hic, lib. VII. pag. 147. 'Heus tu, puer, ait.' Sed tamen cum ceteri Codd. non agnoscant, addere omisi. Nam et alibi non additur pronomen. Lib. II. p. 35. 'Heus juvenis.' Lib. III. p. 46. 'Heus pueri, inquit:' et ut hic super mensa ad servum lib. X. p. 222. 'Heus, ait, puer.' Sic et Horatius, aliique. *Oud.*

Calathum fœtui gallinaceo destinatum angulo solito collocato] Varro III. de R. R. 'Acus' (id Festo, *palea*) 'parturientibus substruendum.' *Pric.*

Ita ut jussum fuerat, procurante puero] Luc. XIV. 22. Καὶ εἶπεν ὁ δοῦλος, Κύριε, γέγονεν ὡς ἐπέταξας. *Idem.*

Ante ipsos pedes Domini] Infra lib. X. 'Ante ipsos pedes Præsidis.' Supra lib. II. 'Ante ipsa vestigia mea.' *Idem.*

Quod scimus illud] Vide supra pag. 33. notata. Palatinus autem, Codex Lipsii, et Oxon. Ms. hoc non agnoscunt. *Idem.*

Non enim ovum, &c. sed pinnis, et unguibus, et oculis, et voce etiam perfectum edidit pullum] Merito prodigiosum hoc visum, cum et Epicharmus de hac avium specie agens: Οὐ τίκτει τέκνα ζῶντ', ἀλλ' ἐπώζει, καὶ ποιεῖ ψυχὴν ἔχειν. Et Macrobius VII. 16. generalius: 'Natura fabricans avem, ab informi rudimento incipit: et ovum, in quo necdum est species animalis efficit. Ex hoc, perfectæ avis specie existit, procedente paulatim maturitatis effectu.' *Idem.*

Qui m. s. continuo cœpit comitari] Bert. *comitare.* Elmenh. Ut Ovid. ex Pont. 'Stygias comitavit ad undas:' et Trist. V. 4. 'comitavit Oresten.' *Wass.* Probavit etiam N. Heinsius ad Ovid. lib. I. Trist. 9. 31. 'comitaret euntem:' ubi vide, et lib. VIII. Met. 692. 'Ac nostros comitate gradus.' Ibidem vero pro *qui* citatur *quæ*, operarum, credo, vel memoriæ errore. *Oud.*

Nec eo secius longe majus ostentum, &c. exoritur] 'Aliud ex alio malum,' ut Terentius locutus. Supra lib. VIII. 'Ecce tanto periculo malum majus insequitur.' Expressit autem hunc locum Appuleius ex Virgilii isto: 'Heic aliud majus miseris, multoque tremendum Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.' *Pric.*

PAG. 201 *Sub ipsa mensa quæ reliquias prandii gerebat*] Lib. II. 'Et adsistit mensula, totius cœnæ, &c. reliquias tolerans.' *Idem.*

Largissimus emicuit fons sanguinis] Juvenalis XIII. 'Tanquam in mare fluxerit amnis Gurgitibus miris, et lactis vertice torrens.' Scholiastes: 'Aut lacteis, aut sanguineis.' Et ita in Juvenale legendum: dico, *aut lactis vert. t.* In Oxon. *emanavit:* quo nil opus. Glossæ: 'Emicat, ἐξάλλεται, προπηδᾷ.' *Idem.*

Ipsoque illo momento quo stupore defixi, mirantur, &c.] Seneca Natur. quæst. III. 27. 'Transierat in stuporem metus, non vacabat timere mirantibus.' Sic Luc. IX. 43. post ἐκπλήττεσθαι θαυμάζειν. *Idem.* *Ipsoque i. m. q. s. d. mirantur, &c.*] Supra hic: 'Ipso illo denique momento quo nos lauti cœnam petebamus,' &c. *Idem.*

E cella vinaria] Glossæ: 'Cella vinaria, οἰνών.' nec aliter in Onomastico legendum, ubi vulgo *cellaria.* Interpres vetus Cantic. II. 4. 'Introduxit me in cellam vinariam.' Virgilius: 'Nec ideo cellis contende Falernis:' ubi Servius: 'Cellis, apothecis: nam cellas vinarias dicimus.' *Idem.*

Quod olim diffusum fuerat] *Diffusum* proprie. Vide Beroaldum. *Idem.*

Visæ etiam interea mustelæ mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahen-

tes] De Xenocrate Suidas: Συνεγράψατο τὸ οἰωνοσκοπικὸν οἰώνισμα· οἷον, εἰ ἐν τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ ἢ ὄφις, τὸ δὲ τί σημαίνει, quæ eadem et in Telegono habet. *Idem.*

Pastoricii canis] Glossæ: 'Pastoricius canis, ποιμενικὸς κύων.' Pollux VII. 33. Ποιμνῖται κύνες· αἰπόλοι κύνες. *Idem.*

Hæc tot ac talia, &c. ad extremum stuporem dejecerunt animos, quid prius, quidve posterius, &c.] 'Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor, quid fata parent.' Virgilius de Turno: 'Obstupuit varia confusus imagine rerum:' ubi Servius: 'Multiplici nuncio: quod Regina periit, quod urbs oppugnatur,' &c. Curtius IV. de Diario: 'Multiplicis doloris exspectatione commotus, et quid potissimum timeret incertus.' 'Quid prius, quid posterius' proverbiale est, ubi in pluribus difficilis delectus. Virgilius XI. 'Quem telo primum, quem postremum aspera virgo Dejicis?' Idem IV. 'Quæ quibus anteferam?' ubi Servius: 'Quid prius? quid posterius dicam?' Et alibi ad eundem librum: 'Quid prius, quid posterius dicimus, ubi omnia et paria et magna sunt.' Seneca Herc. Œt. 'Quæ prima querar? Quæ summa g[illegible]am? pariter cuncta Deflere juvat.' Claudian. Consul. Honor. 'Quæ prima miser, quæ funera dictis Posteriora querar?' Ammianus lib. XXIX. 'Inter ambigentes Judices quid prius quæri debeat, quid posterius.' Libanius Basilico: Ἐνταῦθα δὴ τί πρῶτον ἢ τί τελευταῖον χρὴ λέγειν. Apud Achillem Tatium lib. VIII. ille: Οὐκ οἶδα τίνος ἄρξωμαι λόγου, καὶ πόθεν· οὐδὲ τίνων κατηγορήσω πρῶτον καὶ τίνων δεύτερον. *Idem.*

Numinum cœlestium leniendis minis] Adeo vere Lucretius: 'Homines in rebus acerbis Acrius advertunt animos ad religionem.' Et nota, 'minis leniendis.' Virgilius de Anchise: 'Numina magna vocat, meritosque indicit honores: Dii prohibete minas: Dii talem avertite casum.' *Idem.*

Adhuc omnibus exspectatione teterrimæ formidinis torpidis, accurrit quidam servulus, magnas et postremas Domino illi fundorum clades annuncians] Ovid. Metamorph. XI. 'Cursu festinus anhelo Advolat armento custos Phoceus Anetor: Et, Peleu, Peleu, magnæ tibi nuncius adsum Cladis, ait.' Jobi cap. 1. Ἔτι τούτου λαλοῦντος, ἦλθεν ἕτερος ἄγγελος, &c. et post: Ἔτι τούτου λαλοῦντος, ἦλθεν ἕτερος, &c. *Idem.* *Exspectatione teterrimæ formidinis torpidis*] Ita 'stupore ac miraculo torpidos,' lib. XXII. T. Livius. *Idem.*

Tribus liberis doctrina instructis, et verecundia præditis, vivebat gloriosus] De alio lib. X. 'Habebat juvenem filium probe literatum, atque ob id, pietate et modestia præcipuum.' 'Gloriosus vivebat,' est ipsum id quod apud Terentium. Uno ore omnes omnia bona dicebant, et laudabant fortunas ejus, qui guatos haberet tali ingenio præditos. Glossarium: 'Gloriosus, δεδοξασμένος.' Est et hoc sensu Græcum μακαριζόμενος. *Idem.*

Potens et dives] Phædrus: 'Venit ecce dives et potens.' Lib. III. *Idem.*

Et prosapiæ majorum gloria male utens] Apud Quintilianum ille IX. Declam. 'Non ego æs alienum luxuria contraxi, nec profusus in vitia, fortuna nostra male usus sum.' Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσιν κακοί, fuit veteris Græci dictum. Exemplum vel e Thrasyllo pete initio VIII. libri. *Idem.*

Pollensque factionibus] Talis Crotoniata ille, de quo sic Porphyrius: Κατὰ μὲν τὸ γένος καὶ δόξαν προγονικὴν, καὶ βίου περιουσίαν πάντας τοὺς πολίτας ὑπερβάλλων· χαλεπὸς δὲ ἄλλως, καὶ τυραννικὸς, τῇ τε τῶν φίλων περιβολῇ, καὶ τῇ τοῦ πλούτου δυνάμει πρὸς ἰσχὺν ἀδικημάτων χρώμενος. 'Pollere factionibus,' divitum est. Plautus Aulul. 'Te esse hominem divitem, Factiosum.' In ejusdem Cistellaria: 'Ne-

que nos factione tanta quanta tu sumus: Neque opes nostræ tam sunt validæ quam tuæ.' Idem in Trinummo *opulentiam* et *factiones* junxit. Cæcilius Comicus apud Gellium II. 23. 'Opulento famam Facile occultat factio.' Vide et Nonium in 'factio.' *Idem.*

Et cuncta facile faciens in civitate] Τὴν πόλιν διὰ χειρὸς ἔχων· ut II. 4. apud Jul. Pollucem. Theseus ad Creontem apud Sophoclem, magno Grotio vertente: 'Ingressus urbem quæ colit fas ac pium, Quæ cuncta rite legis ex norma facit, Nostris omissis moribus, quicquid lubet Moliris, et vi cuncta te acturum putas.' Idem Pollux VI. 32. potentem ac factiosum describens: Τίς δ' ἂν ἀντίσχοι πρὸς τὴν ῥύμην αὐτοῦ, &c. πάντολμος ἄνθρωπος, πᾶν ἂν πράξας. Josephus Antiquit. XIX. 1. de Aruntio quodam: Χρήματα περιβεβλημένος ὅμοια τοῖς Ῥωμαίων πλουσιωτάτοις· δύναμίς τε ἦν ἐφ' οἷς ἐθελήσεις πράσσειν κατὰ τὴν πόλιν. Plato Alcibiade I. Ὃς οὐ μόνον ἐν τῇδε τῇ πόλει δύναται πράττειν ὃ βούληται, ἀλλ' ἐν πάσῃ τῇ Ἑλλάδι. *Idem.*

Hostili modo vicini tenuis incursabat pauperiem] Varro: 'Qui pote plus, urget: pisces ut sæpe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.' Et nota hic τὸ *vicini*. Martialis de liberto Cæsaris: 'Vexat sæpe meum Patrobas vicinus agellum.' Sirachides XIII. 23. 'Pascua divitum sunt pauperes.' Salvianus IV. 'Quotusquisque juxta divitem pauper aut intactus aut tutus?' *Idem.*

Pecua trucidando] Ut suas iis mensas instrueret. Vide II. Reg. 12. 4. *Id.*

Boves abigendo] Claudianus bello Get. 'Si bos abductus aratro.' Simile quod Basilius de Divite, Homil. εἰς τοὺς πλουτοῦντ. Ἐπάγει τὰ ζεύγη τῶν βοῶν, ἀροτριᾷ, κατασπείρει, θερίζει τὰ μὴ προσήκοντα. *Idem.*

Fruges adhuc immaturas obterendo] Ibidem Claudianus: 'Si libata seges.' Quanto laudabilior Belisarius, etiam hostis personam sustinens: Ἡνίκα ἀκμάζοι τὰ λήϊα, εἰς τὸ ἀκριβὲς διεφύλασσε μή τινι παριοῦσα ἡ ἵππος λυμήνηται. Vide Suidam. *Idem.*

PAG. 202 *Frugalitate spoliatum*] Sic *frugalitatis* vocem Declam. CCXCVIII. Quintilianus posuit. et *venalitatem* pro *venalibus* VII. 32. Cassiodorus. *Idem.*

Ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat] Claudianus: 'Proturbat avita Quemque domo, veteres detrudit rure colonos.' *Idem.* *Finiumque inani commota quæstione, &c.*] Seneca VII. 4. de Benef. 'Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt.' Et nota, *finium quæstionem*. Ulpian. lib. VIII. ff. fin. regund. 'Ad officium de finibus cognoscentis pertinet, mensores mittere, et per eos dirimere ipsam finium quæstionem.' Servius ad Eclog. IX. de Virgilio: 'Lis exorta est de finibus inter eum et eos qui in proximo agros acceperant.' *Idem.*

Terram totam sibi vindicabat] Isocrates ad Nicoclem: Τινὲς, ἣν καὶ μικρῶν μείζω τῶν ὁμόρων δύναμιν ἔχωσιν, ἀποτέμνονται τῆς γῆς, καὶ πλεονεκτεῖν ζητοῦσι. *Idem.*

Ut suo saltem sepulchro paternum retineret solum, &c.] Non jam tam ut aleret se vivum agens, quam ut mortuum tegeret. Servius ad Eclog. III. de Cælio quodam, quamvis prodigo et ganeone: 'Venditis omnibus rebus, et consumptis, tantummodo spatium sibi reservavit quod sepulchro sufficeret.' *Idem.*

Amicos plurimos ad demonstrationem finium, &c. corrogarat] Sic in lib. XIII. ff. fin. reg. 'fundi terminos demonstrare.' 'Amicos corrogare,' ut IV. 'vicinos corrogare.' Vide supra pag. 70. dicta. *Idem.*

Trepidans eximie] Lib. VIII. 'Satis agentes rerum suarum, eximieque trepidi.' *Idem.*

Quantulum ferentes auxilium] Placeret legi, *quantulum quantulum*, hoc

est, *quantulumcumque.* Ea phrasi multa efferebant Antiqui, maxime Jurisconsulti nostri, et inter illos Ulpianus, ut 'qualis qualis,' 'qualiter qualiter,' &c. Qua de re nos alibi. Alterum hujus scriptoris locum subjiciam: quod emendatione indigere videatur. Is lib. VII. De Asino: 'Quod si quo modo cæteri latrones persenserint,' restituo geminationem *quoquo modo:* ut in vulgatis quoque codicibus paulo infra dicto libro legitur: 'ut me quoquo modo perditum iret.' *Stewech.* Flor. *quantulum quantulum f.* Elmenh. Immo *quantulum quantulum* jam comparet in Ed. Junt. poster. uniceque probo. Miror, Pricæum vulgatæ lectioni adhærere malle, qui tamen lib. V. p. 99. repetitionem 'quorum utrum utrum sit' amavit. Plaut. in Pœn. A. III. Sc. 4. 25. 'Quantum quantum ad eum erit delatum.' Terent. Adelph. II. 4. 3. 'Quantus quantus nihil nisi sapientia es.' Phorm. V. 8. 10. 'Quanta quanta hæc mea paupertas est.' De pluribus similibus vide ad lib. II. p. 22. 26. Lib. V. p. 105. 'Nec solatium unde unde spernendum est.' Edd. Scriv. habent *quantillum.* Oud. *Quantulum ferentes auxilium*] Sic Oxon. Ms. etiam, et vetus Vicent. editio. Gloss. 'Quantulum, ποσόν τι.' Florent. *Quantulum quantulum:* id foret quod Hebr. 10. 37. μικρὸν ὅσον ὅσον. adhæreo autem priori lectioni. *Pric.*

Confusus] Δυσωπούμενος, αἰσχυνόμενος. *Idem.*

Clementer expostulantibus, fervidosque ejus mores blanditiis permulcentibus] 'Iratum blanditiis lenientibus:' ut supra lib. VI. locutus. Rich. Victorinus II. 13. 'Dum Saulem spiritus malus vexat, cithara David ejus insaniam temperavit: quia cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est ut elocutionis nostræ tranquillitate, quasi citharæ dulcedine ad salutem revocetur. Durus adamas incisionem ferri non recipit, sed leni hircorum sanguine madescit.' Et nota hic *mores fervidos.* sic 'homo ferventis naturæ,' apud Ammianum Marcellinum. Bene et *expostulantibus.* Donatus ad I. 2. Hecyr. 'Expostulatio, est apud illum ipsum qui peccaverit: postulatio, de illo apud alterum:' quæ et repetit ad IV. 1. Andr. *Idem.*

Suam suorumque carorum salutem, &c. adjurans] Servius ad Æneid. II. 'Naturale est jurare per id, quod quis carum habet.' Significat *carus* nonnunquam in interiorem amicitiæ gradum receptum: sic supra VIII. 'En carus mariti:' hic malim *liberos* restrictius denotari: hinc etiam III. illud, 'per pignorum caritatem:' horum autem per salutem jurare, haud insolitum. Hieronymus contra Jovinianum: 'Celebrandus natalis ejus,' (filiolæ nempe,) 'jurandum per salutem ejus.' Ita, non jurat tantum per salutem filii, sed et pejerat Regulus apud Plinium, lib. II. Epist. ult. 'Per suam salutem' jurandi vestigia habemus in lib. V. et XXXIII. ff. de jurejur. *Idem.*

Tot mediatorum præsentiam] Idem Ms. *meditatū.* Al. *meditatorum.* Colvius. Ms. *meditatum.* Alius, *meditatorum.* Quæstio finium mota. Locus igitur erit terræ mensoribus. Quare emendandum, *tot metatorum præsentiam.* Wowerius. Flor. *tot emiditorum* (*emediatorum*). Rom. et Ald. *totum m.* Alii, *t. metatorum.* Vide Indicem. *Elmenh.* Ms. *meditatum,* al. *meditatorum.* Quid si *metatorum,* vel *metitorum,* id est, mensorum? Ulpian. lib. VIII. D. finium regund. 'Ad officium de finibus cognoscentis pertinet, mensores mittere, et per eos dirimere ipsam finium quæstionem.' Vide et lib. III. eod. tit. et Tertullian. lib. I. adversus Marcionem. *Brant.* In Indice, quo lectorem delegat Elmenhorstius, nihil est. *Mediatorum* quidem servant Mss. plerique, quorum, neque Glossarum auctoritas mihi tanti non est, ut credam ea voce barba-

ræ Latinitatis usum hic Appuleium, quod censet Pricæus, alioquin conjectans *mendicarum*. Haud magis Latinum est *metitorum* pro *mensorum*, quod Brantio in mentem venerat. *Metatorum* mihi maxime arrideret æque ac Wowerio, Tollio, Vossio de Vitiis Sermonis p. 76. quo facit etiam Fux. Guelf. ambo, et Ed. Junt. post. *meditatorum*, nisi existimarem veriorem esse aliam lectionem, quam probabilem faciunt Ms. Pith. et Edd. Rom. Vicent. Junt. pr. Ald. *totam mediatorum pr.* Scilicet existimo, ab Auctore relictum, *totam mediorum præs.* Sequestri enim passim vocantur *medii*, qui depravata Latinitate sunt dicti *mediatores*. Adi omnino Passerat. ad Propert. lib. IV. 4. 58. Heins. ad Claud. II. in Ruf. vs. 309. Mox *illum* abest a D'Orv. *Oud.* *Adseverans parvi se pendere tot mediatorum præsentiam*] Emendant, unus *metatorum*, *meritorum* alius. Si quid mutandum crederem, *mendicorum* reponerem. Pollux VII. 6. de hoc genus impotente: Διαπτύων τοὺς πολλούς· καθάρματα, καὶ πτωχοὺς καλῶν. non dubito autem lectionem positam rectissime se habere. Suidas: Μεσίτης· εἰρηνοποιός. Glossæ: 'Μεσίτης, Sequester, mediator:' nec aliter vocem eam 1. Tim. 2. Latinus vertit. Imo quam aliam lectionem permittunt præcedentia illa? 'Clementer expostulantibus, fervidosque ejus mores blanditiis permulcentibus.' Firmatur etiam (quod pene me fugerat) a Codice Oxoniensi. *Pric.*

Auriculis per s. servulos sublatum] Idem, *aniculis*. Colvius. Ms. *anniculis*. Corrigendum, *amiculis per suos servos sublatum*. Wowerius. Manuscrip. *avinculis*. Nihili lectio. Puto scrib. *maniculis*, a manica, vinculo. Plaut. Captiv. 'Injicite huic actutum manicas.' Et Mostel. Ac. v. Sc. 1. 'manicas celeriter connectite.' *Brant.* Alii, *anniculis*, Wower. *amiculis*. Elmenh. *Amiculis* sive vestibus est in Edd. Wow. et Pric. Verum ea vox non convenit participio *sublatum;* multo minus Brantii *maniculis* sive χειροδέσμοις; quod etiam in mentem e Glossis venit Sopingio, qui et frustra conjecit *manniculis tendiculis, inter manus.* Sciebat etiam satis ille, potens quamvis et dives, privatus tamen, sibi non licere, alii homini libero manicas injicere. Neque iis opus erat ad vindicationem possessionis istius agri; sed tantum, ut inde protruderetur vi et manu. Satis bene vulgatam lectionem, O. Mss. confirmatam, tuetur Pricæus. Nos etiam dicimus, *by de Ooren vatten.* Pro *servulos* in Bert. est *famulos*, Fux. *servos*. Oud. *Denique vicinum illum amiculis per suos servulos sublatum, de casula longissime statimque projectum iri*] Illud *amiculis* formavit Wowerius ex nescio cujus Ms. vestigiis: alius *maniculis* voluit, i. e. parvis manicis. At veteres editiones, etiam Oxon. Ms. multo melius *auriculis* legunt. Nostrates, eodem loquendi genere, *to pull out by the ears:* cui simile apud Phædrum, 'capite foras protrudi:' quod etiam nostra lingua, *to thrust out by head and shoulders.* Post, pro *statimque* æque infeliciter *stratumque* reponebant. Qui graviter commoventur, solent addere, quod minantur, *statim* impleturos. Supra lib. I. 'Faxo eum sero, imo statim,' &c. *Pric.* *Longissime*] Gloss. ''Ως πορρωτάτω, quam longissime.' *Idem.* *Projectum iri*] Ibidem: 'Projectus, ἐκβεβλημένος, ἐξεῤῥιμμένος. *Idem.*

Quo dicto insignis indignatio totos audientium pertentavit animos] Act. 7. 54. 'Ακούοντες ταῦτα, διεπρίοντο ταῖς καρδίαις. *Idem.*

Paulo liberius respondit, &c.] Quintilianus IX. Declam. 'Paupertatis est proprium, quando alia deficiunt, exercere libertatem.' *Idem.*

Suis opibus confisum] Opes faciunt animum. Ter. Hecyra act. III. sc. 5. 'Quia paululum pecuniæ accessit, sublati est animi.' *Elmenh.* *Frustra*

eum suis opibus confisum] Apud Menandrum ille: Μηδ' αὐτὸς, εἰ σφόδρ' εὐπορεῖς, Πίστευε τούτῳ· μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν Ἡμῶν καταφρόνει. De fiducia autem in opibus collocata, ad I. Tim. 6. 17. haud pauca diximus, quæ integra ei loco servamus. *Pric.*

Tyrannicam superbiam comminari] Idem, *tyrannica superbia.* Colv. Certum est *minari* cum compositis et derivatis sæpe sibi jungere casum quartum, significantem illud malum, cujus minas quis intendit: ut Hirt. in B. Afric. c. 71. 'Comminarenturque impetum.' Suet. Tib. c. 75. 'Uncum et Gemonias cadaveri minarentur.' Adi Lamb. ad Horat. lib. I. O. 28. 25. 'quodcumque minabitur Eurus.' Bentlei. ad lib. IV. O. 14. 28. 'Diluviem minitatur agris.' Immo sic apud Nostrum sæpius, ut docet Pricæus ad lib. X. p. 213. 'Sibi eumdem illum gladio comminari:' quod tamen illic non mutandum videbimus. Sed et hic iste Accusativus mihi displicet. Non *comminabatur* illis *superbiam*, sed *comminabatur malum* tumide et impotenter, ac superbi tyranni more. Lege igitur, *tyrannica superbia*, auctoritate Mss. Florent. Palat. Lips. D'Orv. Oxon. Fux. Guelf. cum Edd. Vulc. sec. Elm. et Scriverii. In D'Orvill. est *comminare.* Oud.

Cum pauperes e. liberali legum præsidio] Vide Tacitum lib. III. Annal. cap. 28. et Ulpianum leg. IX. Digest. de Offic. Procoss. *Elmenh.* *Cum alioquin pauperes etiam, liberali legum præsidio, de insolentia locupletium consueverint vindicari*] Ovidius Fast. III. 'Inde datæ leges, ne fortior omnia posset.' Philo in de Princip. creat. Ὅταν ἰδιῶται καὶ ἄποροι καὶ ἄδοξοι πρὸς δυνατωτέρους διαφέρωσι, πρὸς τὸ μηδὲν ἀνήκεστον παθεῖν μία ἐλπὶς ὁ νόμος. Apud Ciceronem vetus Tragic. de Orat. III. 'Erras, erras: nam exultantem te et præfidentem tibi Reprimunt validæ legum habenæ.' Theophylactus ad Rom. 13. de Magistratibus: Δι' αὐτῶν ὁ βίος ἡμῶν συνίσταται, καὶ εἴγε μὴ ἦσαν, πάντα ἂν ᾤχετο, τῶν δυνατωτέρων τοὺς ἀσθενεστέρους καταπινόντων. Euripides Supplicibus: Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖττον ἢ νόμοι πόλει Καλῶς τεθέντες. ὅ τε γὰρ ἀσθενέστερος, Ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην φέρει, Νικᾷ δ' ὁ μείων τὸν μέγαν, δίκαι' ἔχων. [V. Suppl. 432.] Theodoreti est Epist. X. Τοὺς νόμους εἰς ἐπικουρίαν τῶν ἀδικουμένων οἱ νομοθέται γεγράφασι. Idem VII. περὶ Προνοίας, de legum beneficio agens: Ὁ ἀδικούμενος ἀδεῶς πρόσεισι τοῖς δικάζουσι, καὶ τὴν τῆς ἀδικίας εἰσάγει γραφὴν, καὶ τὴν τοῦ ἠδικηκότος οὐ δέδοικε δυναστείαν, οὐδὲ φρίττει πλούτου τὴν περιφάνειαν. Apud Suidam in ἔθος· Ὁ νόμος τοσαύτης δικαιοσύνης καὶ φιλανθρωπίας μεστὸς, ὥστε καὶ τοῖς ἀτυχοῦσι χρησιμώτερος καθέστηκε τῶν γένει προσηκόντων· καὶ τοῖς ἀδικουμένοις ἰσχυρότερος τῆς αὐτῆς ἐκείνων ῥώμης. Apud Livium ille lib. XXVIII. 'Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit: nihil tam æquandæ libertati, quam potentissimum quemque posse causam dicere.' Impp. Valentinianus et Marcianus Novell. 'Neminem exhiberi,' &c. et in Theodos. Cod. 'Illi' (Provinciarum rectores) 'noxiæ potentiæ vim legum benignam, illi divitiis integram mentem opponant.' Bractonus de legg. et consuetud. Angliæ. III. 10. 'Coram iis' (de Judicibus agit) 'nullum deprimat adversariorum potentia, sed agat quilibet quod causa sua desiderat.' *Pric.*

Quod oleum flammæ, quod sulphur incendio, hoc et iste sermo truculentiæ hominis nutrimento fuit] Eurip. Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα τοὺς κρείσσους λόγους Πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο. Sirachides XXVIII. 10. Κατὰ τὴν ὕλην τὸ πῦρ ἐκκαυθήσεται, οὕτως κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται· καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον ἀνθρώπου ἀνυψώσει τὴν ὀργὴν αὐτοῦ. Eundem sapientem Hebræum etiam 8. 4. vide. *Idem.* *Quod sulphur incendio, &c.*] Terent. Phorm.

'Loquar ne? incendam.' Donatus: 'Quia iracundia ignis est.' *Idem.*

Suspendium sese, &c. ipsis legibus mandare proclamans] 'Jura negans sibi nata.' Salvianus Massiliensis: 'Mavult quilibet improbus execrari legem, quam emendare mentem.' De Caio Philo: Νόμον ἡγούμενος ἑαυτὸν, τοὺς τῶν ἑκασταχοῦ νομοθετῶν ὡς κενὰς ῥήσεις ἔλυσεν. Philostratus VII. 11. Τὸ φρόνημα (ὁ πλοῦτος) ἐγείρει, νόμοις τε οὐκ ἐᾷ πείθεσθαι. Aristoteles Politic. IV. 11. Οἱ ἐν ὑπεροχαῖς εὐτυχημάτων ὄντες ἰσχύος, καὶ πλούτου, &c. ἄρχεσθαι οὔτε βούλονται, οὔτε ἐπίστανται. Præcipue autem, si (ut heic) ira accesserit, nulla legum reverentia. In vett. Mimis: 'Legem solet oblivisci iracundia.' Ibidem: 'Lex videt iratum, iratus legem non videt.' 'Suspendium legibus mandare' heic, ut, 'iratus leges minitari,' apud Horatium: et, 'laqueum Fortunæ mandare,' apud Juvenalem. *Idem.*

Pastoritios] Pal. *pastoritos*, Par. *pastoraticos*. pag. præc. 'de ore pastoritii canis.' Sed utroque loco Barthius ait in veteri fragmento membraneo scribi *pastorii* et *pastorios*, ad Calpurn. Ecl. v. 105. 'pastoria virtus.' Cic. I. ad Att. 16. 'pastoritia fistula:' et alibi. Varr. l. I. de R. Rust. c. 2. § 16. 'pastoritiam vitam agerent.' Item Gloss. Alterutra vox restituenda Columellæ l. VII. c. 12. 'Hæc de domesticis custodibus: illa de pastoralibus.' Nam in Mss. Sangerm. et Med. est *pastoribus*. Mox Ed. Merc. *feras*. Oud. *Canes, &c. villaticos, feros atque immanes, &c.*] De hujusmodi vide supra pag. 65. notata. *Pric. Feros atque immanes*] Gellius XVI. ult. 'Feros atque immanes nautas.' Idem XV. 21. 'Immanes et ferocissimos.' *Idem.*

Esitare cadavera] Ita et Oxon. Ms. at Colvius aliam heic lectionem tuetur. *Idem.*

Passivis m. annulatos] Canes, qui vincti erant annulis suis, jubet laxari, ad mordendos invadendosque passim omnes sine ullo discrimine transeuntes viatores. Sed valde corrupta hæc ante: duplexque hoc loco nobis haud parvi momenti emendatio. Prior, *passivis morsibus*. Lectum enim fuit, *passim morsibus*, emendante Beroaldo. At vetus excusa, etiam illa lectio, quæ in libro scripto, *passibus morsibus:* unde scripsimus id, quod expressum est. *Passivum* id quod passim commune est, vulgare, confusum. Sic supra lib. VI. (p. 116.) 'Discerne seminum eorum passivam congeriem.' Infra l. XI. (p. 240.) 'Perque divina colla passive dispersi.' Hinc conjeci scribendum Florid. lib. II. 'Passivis verbis, soluto loquutu, libera oratione.' Dictio hæc Afrorum propria fuisse videtur. Non enim eam semel dumtaxat in Tertulliano, sed et concilio Carthaginiensi etiam repperire est: ut notatur a B. Rhenano. Presbyter ille lib. de Carne Christi: 'Qui alium faciunt Jesum, alium Christum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum, alium in secessu montis, in ambitu nubis, sub tribus arbitris clarum, alium ceteris passivum, ignobilem,' &c. Lib. I. advers. Marcionem, 'Passivum nomen Dei, et passivum convictum' dixit. 'Passivos discipulos,' advers. Valentinian. 'Passivum censum,' de Monogamia. Et 'passivitas' pro libertate et communione, confusione, de Pallio, Apologet. advers. Hermog. de Anima, de Pudicitia, et alibi. Altera emendatio est *annulatos laxari:* ubi vulgo erat, *alumnatos laxari*. Ms. *annullatos*. *Annulatos* reposui, id est, colligatos, vinctos. Sic supra: 'pedes annulati.' Glossæ H. Stephani: 'Anatus, δακτυλιοφόρος, συμποδισθείς. Lego, *Annulatus*. Annulus enim pro compede, catena, a similitudine scilicet, quæ illi cum annulo. Mart. 'Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus.' Plauti locum, doctis viris sæpius tentatum, emendandum

ita putavi, Menechmis: 'Nam se ex catenis eximunt aliquo modo. Tum compediti annulum lima proterunt. Aut lapide excutiunt clavum:' et male vulgo legi, *januam lima prot.* Gulielmo nostro reponente licet, *lamnam lima prot.* Nam laminæ hic nullus locus; quandoquidem de compede sermo, et aliud est in Lucretio Propertioque, quos idem amicus noster adducit, quam quod in Plauto denotare vult. Vice versa D. Ambrosius pretiosis istis annulis oneratas mulieres vinctis et compeditis in carcere comparat. Locus elegans lib. I. de Virginibus: 'Hinc collum catena constringit, inde pedem compes includit. Nihil refert, auro corpus oneretur, an ferro. Si cervix premitur, si gravatur incessus, nil pretium juvat: nisi quod vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid interest, utrum aliena sententia, an vestra vos damnet? Hinc vos etiam miserabiliores, quam qui jure publico damnantur; quod illi optant exui, vos ligari.' Similiter Basilius Magnus luculentissima illa Oratione ad Divites: Χρυσὸς δὲ περισφίγγων καὶ βαρυτίμους τῶν λίθων ὁ μὲν τις αὐταῖς προμετωπίδιος γίνεται κόσμος, ὁ δὲ περιαυχένιος· καὶ ἄλλος ἐν ζώναις, καὶ ἄλλος τὰς χεῖρας δεσμεῖ, καὶ τοὺς πόδας· χαίρουσι γὰρ αἱ φιλόχρυσοι δεδεμέναι ταῖς χειροπέδαις, μόνον ἐὰν ὁ δεσμῶν αὐτὰς ᾖ. Atque horum locorum collatio non injucunda mihi visa, et iccirco latius ea adscripsimus. *Colv.* Pro *annulatos* vulgati libri et Bertinianus codex habent *alumnatos.* Sciopp. in Symb. Mss. *passibus m. alumnatos.* Elmenh. Mordicus Mss. et Edd. Vett. retinent *passibus;* unde facile quis conjiciat *assiduis.* In Edd. Colin. et Wower. ac Pric. est *passim.* Sed verissima est emendatio Colvii *passivis,* sive promiscuis, qui passim fiunt in viatores quoscumque. Vide etiam Pricæum, recte damnantem alteram ejus conjecturam, a Vulcan. et Merc. temere admissam, *annulatos,* sive vinctos. De quo vide ad l. IX. p. 185. Salmas. ad Tertull. Pall. pag. 375. Vopisc. Aurel. c. 50. Neque enim conjungi possunt *morsibus annulati,* ac *morsibus laxari* Dative pro *ad morsus* hic locum habere. Quippe nunc non præcipit eos laxari in morsus 'transeuntium viatorum,' sed horum fratrum, et sociorum. Recte ergo *alumnatos,* ut est in Mss. sive canes edoctos mordere transeuntes quoscumque nunc immitti jubet in fratres. De passivo usu participii *alumnatus* vide ad lib. VI. p. 124. 'meis manibus alumnatus.' Nihil notatum e Guelf. *Oud.* *Transeuntium viatorum passim morsibus alumnatos*] 'Transeuntes viatores' dixit et Declam. VI. Quintilianus. In Mss. erat *passibus:* unde Roaldus *assiduis.* Beroaldus, *passim.* Colvius, *passivis:* quod satis belle firmat ex aliis Scriptoribus. Accedat illis et Firmicus, qui 'libidinum passivas cupiditates' dixit. Cur non et Nostrum VIII. sic scripsisse putemus? quo loco omnes editi hunc in modum habent: 'Lupos passim rapinis adsuetos cunctam regionem infestare.' Male pro *alumnatos* autem idem *annulatos* reposuit. Supra lib. VIII. 'Canes rabidos et immanes, &c. quos ad tutelæ præsidia curiose fuerant alumnati:' et VI. 'Adolescentem istum quod meis manibus alumnatus sit, scitis, &c. omnes.' *Alumnati* (i. e. nutriti) erant hi canes viatorum morsibus. In Epistolis Simocattæ: Ἡ θήλεια κύων, &c. περιφρουρεῖ τὸ γήδιον, ἀνθρωπίνης ὀργῶσα πιμελῆς ἐφάψασθαι. Φυλακτικοὺς θῆρας, οἷς τὸ αἷμα ἡ τροφὴ, apud Clementem Pædag. III. 3. habemus. Seneca cap. 22. ad Marciam de Sejano: 'Et acerrimi canes, quos ille, ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat.' Vide quæ de Alyattis canibus Polyænus VII. 2. Philo in de Mosis vita: Ἐπιφοιτῶσιν (οἱ κύνες) καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀδεῶς, κἂν ἀπείργῃ τις,

εἰς τὸ ἀήττητον ἀντιφιλονεικοῦσιν, ἄχρις αἵματος καὶ σαρκῶν κορεσθῶσιν. Imo Colvii lectione admissa, nec vel sensus constabit: quid enim est, *morsibus annulatos?* i. e. *vinctos*, ipso exponente. Quin et alteram lectionem flagitant prolati e libb. VI. et VIII. loci. *Pric.* *Passibus*] Purior lectio est, si legas *Passim.* Beroald.

PAG. 203 *Laxari*] Seneca Hippol. 'Laxas Canibus tacitis mittite habenas.' *Pric.*

Atque in eorum exitium inhortatos, &c.] Supra lib. VIII. 'Canes rabidos, &c. nobis inhortantur.' ubi notata pag. 164. vide. *Inhortari* hic, est, quod Petronio 'canem instigare.' Quo sensu et Glossarium: 'Instigant, ἐφιστῶσιν, ἀπελαύνωσιν.' scribe, ἐπελαύνουσιν. Hesychius: 'Επελαύνειν· ἐπιπέμπειν. Iterum in Glossario: 'Instigatio, διδασκαλία, ἀπελασία.' lege, Instigatio, ἐπελασία. *Instillatio*, (quæ vox perierat,) διδασκαλία. *Idem.* *In eorum exitium inhortatos, &c.*] Lib. II. 'Parvulos etiam ad exitium mulieris hortantur:' et X. 'Quæcunque ad exitium mulieris bestia fuisset immissa.' *Idem.*

Qui simul signo solito pastorum incensi atque inflammati sunt, latratibus absonis, &c.] Lib. VIII. 'Signo sibi repentino reddito, latratibus fervidis dissonisque miscens omnia.' *Idem.*

Eunt in homines] Mihi pro genuino sonat *in omnes.* Nam non hominibus solis canes illos imposuerant, atque inhortati fuerant rustici: sed et jumentis; quæ varia in illo latronum comitatu. Rescribo et lib. XI. 'Totæ civitati notus ac conspicuus, digitis omnium nutibusque notabilis.' Vulgatis libris circumfertur hactenus, *digitis hominum.* Quin et lib. III. Floridorum mirum, ni eadem via tollendum scripturæ vitium: 'cæterum ipsius vocis homines exercendi casus.' Atque scribendum, *omnes*; vel, ut solent Antiqui eo casu, *omnis.* Stewech. Aliud egit Stewechius confundens historiam canum, per rusticos inmissorum in transeuntes pastores l. VIII. p. 164. 165. cum his canibus a divite in hos fratres, &c. qui hic sine jumentis erant, incitatis. *In* exsulat a Guelf. pr. *Oud.* *Eunt in homines*] Virgilius: 'Simul ense recluso Ibat in Euryalum.' Æn. IX. *Pric.*

Fugientibus s. compescunt] Emendo certissime *compercunt*, id est, parcunt. Turpillius Lindia apud Nonium v. 'Velitatio.' (p. 3.) 'Comperce verbis velitari." Et alii. *Roald.* *Compescunt.* Sic scriptus liber, sic omnes vulgati. Reponunt alii, *comparcunt.* Ego aliquando, *compercunt.* Sed ἀρχαϊκῶς *compescunt*, id est, *compercunt.* Sic *pascere* pro *parcere* alibi apud Festum: nempe ut Asa, ara: Valesius, Valerius, et sexcenta alia, in quibus littera S olim posita, cujusque locum postea occupavit R. *Colv.* *Compescunt*, ἐπέχουσι, hoc est, se ab illis continent, se inhibent et subsistunt. Non enim satis placet Colvianum hoc, ut *compescere* et *compercere*, hoc est, parcere, idem sint. Opponuntur enim hoc loco 'fugientibus compescunt,' et, 'irritatiores sequuntur.' *Sciopp. in Symb.* Colvius accipit pro *compercunt*, ἀρχαϊκῶς *s* pro *r*. Ego acceperim τὸ *compescunt* παθητικῶς, id est, compescuntur aut sustinent, et *fugientibus* absolute. *Brant.* Qui *r* in textum recepit, et adsentitur Cl. Wasse. Cum Colvio faciunt Soping. et Gruter. l. I. Susp. c. 1. Mihi Scioppii et Brantii sententia præplacet. Plaut. Bacch. III. 3. 59. 'Compesce in illum dicere injuste;' sive inhibe, contine te, tibi, non, parce. Glossæ: 'Compescit, temperat:' ubi non opus ergo, cum Salmasio Plin. Exerc. p. 562. scribi *compercit.* Alio sensu rectius idem reposuit in Solino c. 22. 'In hiemem compercunt arborum fructus:' ubi multi Mss. *compergunt.* Sed Voss. pr. a m. sec. diserte *compercunt.* Al. *compertiunt.* Oud. *Nec fugientibus saltem compescant*] Justi-

nus lib. xxiv. 'Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit.' *Compescunt* habet et Oxon. Divinavi (quod et alios fecisse video) *compercunt*. Ammianus lib. xiv. 'Ne cedentium quidem ulli parcendo.' Senec. Controv. viii. 4. 'Quis miretur eum mori voluisse, quem fugientem quoque Fortuna persequitur?' *Pric.*

Sed eo magis irritatiores sequuntur] Seneca Epist. lxxviii. 'Perniciosior est hostis fugientibus.' Solinus cap. 35. de Crocodilis: 'Formidant resistentes, fugientes insequuntur:' malim et *insequuntur* in Appuleio scribi. Sallustius Jugurthino: 'Ac primo mulieres et pueri, &c. fugere, postremo cuncti, armati, inermesque: quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere,' &c. Judic. 20. 39. vetus Interpres: 'Putaverunt filii Benjamin eos fugere, et instantius persequebantur.' *Idem.* *Eo magis irritatiores sequuntur*] Æn. xii. 'Haudquaquam dictis violentia Turni Flectitur, exuperat magis ægrescitque medendo.' *Idem.*

Inter confertam trepidæ multitudinis stragem] Onamasticon vetus: 'Strages, ὄλεθρος.' Glossæ: 'Strages, ἀναίρεσις πολλὴ, ὡς τὴν γῆν σώμασι κατεστρῶσθαι.' *Idem.*

Offenso lapide] Insolentiorem paullo locutionem esse bene advertit Pricæus, pro *off. pede ad lapidem.* Similis aliquantum est Ciceronis pro Rosc. Amer. c. 29. 'offendis scopulum.' *Oud.* *Offensa lapide*] Offenso ad lapidem pede. Locutio insolentior paulo. *Pric.*

Obtunsis digitis] Lib. ii. 'Digitis pedum detunsis ob lapidem.' *Elmenh.* *Et obtunsis terræ digitis*] Vide supra pag. dicta. *Pric.*

Canibus instruit nefariam dapem] L. iv. 'Suis epulis bestiarum saginam instruentes.' In Fabellis Phædri: 'Inedia sunt consumpti cum suis, Felisque catulis largam præbuerunt dapem.' Ad Achillem Hector apud Homerum: Μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν. Jacobus apud Philonem de Josepho: Ἀτιθάσσοις καὶ σαρκοβόροις θηρσὶν εὐωχία καὶ θοίνη γέγονας· γευσαμένοις καὶ ἑστιαθεῖσι τῶν ἐμῶν σπλάγχνων. Sic, τοῖς θηρίοις ἑστίασις, apud Suidam in λωποδύτης. Sic, gulones δαψιλῆν ἐξ οἰκείων σαρκῶν τράπεζαν τῷ σκώληκι παρασκευάζειν. Chrysostomus Homil. vi. de Fato et Provident. adde his quæ supra pag. 126. adnotata. *Idem.*

Nacti prædam jacentem, miserum illum adolescentem sic frustatim discerpunt] Supra lib. viii. de Tlepolemo ad terram devoluto: 'Nec diu, et furens aper eum invadit jacentem, ac primo lacinias ejus, mox ipsum resurgentem multo dente laniavit.' Ait, 'frustatim discerpunt.' Juvenalis, nec absimili casu: 'Labitur heic quidam, nimia formidine cursum Præcipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum Frusta ac particulas, ut multis mortuus unus Sufficeret, totum corrosis ossibus edit Victrix turba,' &c. Infra heic: 'Concisurum eum machæra sua frustatim.' *Idem.*

Agnovere] Repone (quod in aliis) *cognovere:* sic semper Appuleius. *Idem.*

Obvolutisque lacinia lævis manibus] Habitus se ad pugnam componentis. Pollux v. 3. de venatore: Ἣν (χλαμύδα) δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν, ὁπότε μεταθέοι ἢ προσμάχοιτο τοῖς θηρίοις. Vide Commentatores Petronii, et hoc loco Beroaldum. *Idem.* *Lævis manibus*] Signat adolescentes involvisse sinistras vestimento, et quasi obarmasse ad conflictum: quod fieri solet in quotidianis rixis, ut scilicet pro scuto sit pallium circa sinistram involutum. Livius: 'inter hæc dicta paludamento circa lævum brachium intorto, nam nec scuta quidem secum extulerat, in hostes impetum fecit.' Cæsar quoque in Commentariis belli civilis Pompeiani sic refert: 'Repentino periculo exterriti, sinistras

sagis involvunt, gladiosque distringunt.' *Beroald.*

Propugnare fratri] Sic constanter exhibent Mss. Heinsius tamen ad Petron. c. 63. 'involuta manu sinistra curiose,' existimat legendum *propulsare.* Sed mihi non persuadet. Sic enim ferme lib. VII. p. 151. 'Propugnare pedibus et arcere misello puero potueris.' Item Amm. Marc. l. XVIII. c. 8. 'Propulsans miseriis meis.' Vide omnino G. J. Vossium de Constr. c. 37. et Stephan. ad Saxon. Gramm. p. 51. 'partibus ejus propugnaturus.' *Oud.*

Conterrere] Scribe cum Vicentina et aliis, *conterere.* Pric.

Vindicarent de pollutissimo fr.] Minus recte vir doctus ad marg. Ed. Junt. post. conjecit *vindicate.* Ellipsis est τοῦ *ut* creberrima post verba rogandi, concedendi, hortandi, jubendi, suadendi; quam habuimus jam sæpissime. Sic etiam post τὰ *clamandi.* Vide ad Front. II. 4. 1. Cæsarem, Livium, Suetonium, alios. Dein in Oxon. Guelf. pr. prave *de opulentissimo.* Confer Pricæum, et Cort. ad Sallust. B. Jugurth. c. 15. 'polluta licentia.' *Oud.* *Quippe cum miserrimus adolescens voce ultima prolata, vindicarent de pollutissimo divite mortem fratris, &c.*] Lucretia ad patrem et matrem (si memini) apud D. Halicarnass. Ὑμεῖς, εἴπερ ἄνδρές ἐστε, &c. ἐμοὶ τιμωρήσατε. et I. Livii: 'Date dextras fidemque haud impune adultero fore.' Servius ad Virgilii Æneid. VIII. de Eadem: 'Petiit, ne violatus pudor, neve inultus ejus interitus esset.' Germanicus apud Tacitum moribundus Annal. II. 'Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo quæstu: sed, quæ voluerit, meminisse: quæ mandaverit, exequi.' Josephus Antiquit. XIV. 15. de Phasaëla: Ἀκούσας, &c. τὸν ἀδελφὸν Ἡρώδην τοὺς πολεμίους διαπεφευγότα, σφόδρα τὴν τελευτὴν εὐθύμως ὑπέμεινε, καταλιπὼν τὸν θάνατον αὐτοῦ. Pric. *De pollutissimo divite*] Infra l. X. 'Scelerosæ pollutæque fœminæ.' Gloss. 'Μεμολυσμένος, pollutus, maculatus.' Affini Gellius significatu 'homines inquinatissimos' dixit. Philo in de legg. special. Ἀκάθαρτος, κυρίως ὁ ἄδικος καὶ ἀσεβής, ὃ τῷ μήτε τῶν ἀνθρωπίνων μήτε τῶν θείων αἰδώς τις ἔρχεται. Talis hic noster dives, qui et hominibus et ipsis legibus suspendium mandavit. In Oxon. male, *opulentissimo d.* Idem.

Non tam hercule desperata quam ultro neglecta sua salute, contendunt ad divitem, atque ardentibus animis, &c.] 'Gladiatorio animo ad eum viam affectant:' ut Terentius Phormione locutus: id est, (ut ibi Donatus): 'Animo ad periculum parato: animo ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent.' Seneca Controvers. VI. 'Concitatissima est rabies in desperatione.' Polybius II. Περικακοῦντες, καὶ δυσχρηστούμενοι τοῖς παροῦσιν, οἱ μὲν ἀπὸ θυμοῦ καὶ τῆς ἀλογιστίας εἰς τοὺς πολεμίους προσπίπτοντες, ἑκουσίως ἀπέθνησκον. 'Ardentibus animis,' ut infra l. X. Juvenalis: 'Sed jurgia prima sonare Incipiunt animis ardentibus,' &c. *Idem.*

Lapidibus crebris in eum velitantur] Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. XV. 'Nulla sic sunt domestica rixantibus tela, ut saxa.' Ad rem ipsam Seneca: 'Si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrunt:' de brevit. vitæ cap. 3. et Gregoras l. X. Οἱ περὶ γῆς ὅρων πρὸς ἀλλήλους μαχόμενοι πρῶτα μὲν ταῖς ἀπὸ γλώττης λοιδορίαις περὶ τῆς νίκης διαγωνίζονται· εἶτα βραχίονι καὶ παλάμῃ τὴν ἀπαλλαγὴν ἐπιτρέπουσιν, ὃς ἂν ἐπικρατέστερος καταστὰς, ἢ λίθῳ πατάξῃ τὴν κεφαλὴν, ἢ κονδύλῳ καιρίαν τρώσῃ, ἢ τυχὼν οὑτωσί πως ξίφους, παρὰ πλευρὰν ἐλάσας, ἐναρίθμιον τοῖς ἐν Ἅδου κειμένοις τὸν ἀνταγωνιστὴν τάχιστα ἀποδείξῃ. *Id.*

Multis ante flagitiis similibus exercitatus percussor] Quintilianus I. Declam. 'Et manus homicidium, &c. velut

quoddam genus artis exerceat.' Sic, 'a cædibus exercitatum,' Seneca I. 26. de Clementia. Heliodor. de Piloro latrone l. v. Γενναίῳ, καὶ φόνοις πολλοῖς γεγυμνασμένῳ. *Idem. Flagitiis similibus exercitatus*] Tacitus de Agrippina Claudii: 'Ad omne flagitium exercita:' ubi malim *exercitata* legi: ita, 'ad audaciam exercitatos,' Sallust. Catilina. Petrus II. 2. 14. καρδίαν πλεονεξίαις γεγυμνασμένην. Aristophanes Vespis: Ὦ πονωπόνηρε. ubi Scholia: Ἐν ἀσκήσει καὶ μελέτῃ πεπονημένε. scribendum puto, πονηρίας πεπονημένε. *Idem.*

Per pectus medium transadegit] Æneid. IX. 'Viribus ensis adactus Transadigit costas, et candida pectora rupit.' Supra l. IV. 'Gladium suum, &c. per medium pectus ictu fortissimo transadigit.' *Idem.*

Telum transjectum] Æneid. IX. 'Hunc illa exceptum, &c. Trajicit:' ubi Servius: 'Vis jactus ostenditur.' *Idem.*

Rigore librato] Sive firmo corporis statu retento, quasi in æquilibrio. De Mundo p. 399. Ed. Colv. 'cum directi tamen rigoris statum retineant.' Talis figuræ est 'rigida et obstipa cervix' Suetonio in Tib. c. 68. Adi Frontin. de Agror. Qualitate, et Serv. ad Virg. Æn. IV. 254. notantem, *rigorem* et pro *directione* poni. *Oud. Telum transjectum, atque ex maxima parte pone tergum elapsum, soloque nisus violentia defixum rigore librato suspenderat corpus*] Suidas de Cotta quodam: Οὕτω βίαιαν ἠφίει πληγήν, ὥστε τὸν βληθέντα διά τε τοῦ θώρακος καὶ τῶν πλευρῶν διαπεῖραι, καὶ τῇ γῇ προσηλῶσαι. Hesychius: Προσήλωσαν· προσέπηξαν, ἔτρωσαν. Judic. IV. 21. de Jaële: Ἐνέκρουσε τὸν πάσσαλον ἐν τῷ γνάθῳ αὐτοῦ, καὶ διήλασεν ἐν τῇ γῇ. Sic I. Reg. 18. 11. 'cum pariete configere.' De Cadmo Ovidius: 'Conjectum in guttura ferrum Usque sequens pressit, dum retro quercus eunti Obstitit, et fixa est pariter cum robore cervix.' 'Rigorem libratum' vocat, qui inter terram, erectamque ac naturalem posituram, æquali quasi libramento juvenis corpus suspendebat. Sic, 'animam in confinio mortis ac vitæ librato dolore suspendere,' Declam. VIII. Quintilianus: et, 'caput sub gladio libratum,' Tertullianus. Pro *transjectum*, Florent. et vetustiss. editt. *transvectum:* id est, (ut bene in Glossario vertitur) διακομιζόμενον. *Pric.*

PAG. 204 *Sicario illi*] Quintilianus X. 1. 'Per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocunque commiserint.' *Idem.*

Lapide contorto] Juvenalis XV. 'Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis Incipiunt torquere.' Glossæ: 'Contorquet, immittit, jaculatur, ἐμβάλλει.' Latinus I. Sam. 17. 49. 'Lapidem circumducere' vocat. *Idem.*

Longo jactu petierat: sed impetu casso per extremos digitos transcurrens lapis, &c.] Non aliena Virgilii ista: 'Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus, Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum:' ubi Servius: 'Evacuatus est impetus ipsius spatio longiore.' Oxon. *Longo ictu p.* Idem. *Impetu casso, &c.*] 'Excepere auræ.' Virgil. *Idem.*

Deciderat innoxius] *Innoxius* more Plautino pro eo, qui nihil nocet, ἀβλαβής. ut et pag. seq. 'nec innoxius ei saltem regressus evenit.' *Sciopp. in Symb.* Atqui ibi potius passive sumendum. Vide ad l. VI. p. 119. Sed primo significatu est, qui non nocet, ut passim Appuleio, et Plauto non tantum, sed omnibus. Vide ad Phædr. F. 32. Suet. Calig. c. 3. 'Lenis adeo et innoxius.' *Oud.*

Proventus humanior] Mira locutio, pro casu et eventu mitiore et feliciore, fortunatiore. *Idem. Nonnullam tamen, &c.*] Glossæ: 'Nonnullum, τὸ τυχόν.' *Pric. Sagacissimo juveni*] Ibidem: 'Sagacissimus: ἀγχίνους, φρονιμώτατος.' *Idem.*

Sic crudelissimum juvenem compellat] Malo discriminandi causa scribi, *divitem compellat*: præcessit enim ante versiculum unum vox *juvenis*, de fratre tertio. *Idem.*

Fruere exitio, &c.] Lib. I. ille: 'Fruatur trophæo suo Fortuna,' &c. *Idem.*

Et sanguine trium fratrum insatiabilem tuam crudelitatem pasce] Niobe apud Ovidium Met. VI. 'Pascere crudelis nostra Latona dolore: Pascere, ait: satiaque meo tua pectora luctu.' Apud Justinum l. I. 'Satia te sanguine quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti.' In excerptis Euripidæis: Πίμπρα, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου Πίνων κελαινὸν αἷμα. Jubelius Taurea Campanus ad Fulvium Flaccum: 'Quoniam cupiditate tanta sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere?' *Idem.*

Gloriose triumphatum scias, &c.] Vide, num mea hæc lectura auribus tuis magis tinniat: *gloriosus triumphator cluas*: vel hæc: *gloriose triumphatum eas; licet, privatos suis poss. pau. fines usque proterminaveris, habiturus tamen vicinum aliquem.* Profecto illud *habiturum*, vel quod in Parisiensi et Italica editione est, *habiturum te*, meo judicio mendo non caret. Originem vitiatæ scripturæ alias indicavi, et unde evenerit, ut indifferenter scripserint *us, um; as, am; es, em*; et similia. *Stewech.* Fux. *triumphandum.* Roald. *Triumphandum scias.* Ante, *triumphatum.* Scripta lectio recta, nec alia admittenda. *Colv.* Legendum conjeci: *triumpha, dum scias, licet privato, &c.* S. Salvianus extremo libro quinto de gubernat. Dei: 'quamlibet cuncta occupes, quamlibet cuncta pervadas, vicinum semper invenies.' *Sciopp. in Symb.* Bert. et Rom. *triumphatum scias.* Puteanus Cent. I. Epist. 97. et Scioppius, *triumpha, dum scias.* Elmenh. *Et de prostratis civibus tuis gloriose triumpha*] Ibidem: 'Ut gloriari possis, aliquanto virum fortiorem, quam ipse es, tuo jussu interemptum.' Niobe ubi supra: 'Corque ferum satia, victrixque inimica triumpha.' *Pric.*

Possessionibus] Hæ pauperibus et parvis agris minus congruæ videntur Pricæo; quare legit *possessiunculis*: quia possessio, teste Festo et aliis, dicitur de late patente agro. Sed non id perpetuo observarunt auctores. Quinctil. Declam. XIII. de apibus pauperis cap. 2. 'Non late pauperi casæ circumjecta possessio.' *Oud.*

Habiturum te tamen vicinum] Salvianus de Gubernat. Dei libr. V. 'Quamlibet cuncta occupes, quamlibet cuncta pervadas, vicinum semper invenies.' *Elmenh.* *Dum scias, licet privato suis possessionibus paupere, fines usque et usque proterminaveris, habiturum te tamen aliquem vicinum*] Cyprianus ad Donatum: 'Continuantes saltubus saltus, et de confinio pauperibus exclusis, infinita, ac sine terminis rura latius porrigentes.' Zeno Veronensis Serm. de Avarit. 'Jungunt saltubus saltus, fines oderunt: illicitum putant habere vicinum.' Basilius ejusdem tituli Concione: Εἰ ἐπιθυμεῖς τῆς τοῦ γείτονος οἰκίας, γείτων δέ σοι πάντως οὐ λείψει. Esaias 5. 8. 'Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis: num quid habitabitis vos soli in medio terræ?' Q. d. putatis nullos vicinos vos habituros. Seneca Epist. 89. 'Quam vultis late possidete: sit fundus quod aliquando imperium vocabatur: facite vestrum quicquid potestis, dum plus sit alieni.' Antoninus VIII. 27. de Pompeia et Augusto Cæsare: Πόσα ἐσπάσθησαν οἱ πρόγονοι αὐτῶν ἵνα διάδοχόν τινα καταλίπωσιν! εἶτα ἀνάγκη ἔσχατόν τινα γενέσθαι. Vox *possessionibus* pauperibus minus congrua videtur. Festus Pompeius: 'Possessiones appellantur agri late patentes,'

&c. Sic supra hic VIII. 'Possessionem maximam villicare.' Repono, etsi nullis libris auctoribus, *possessiunculis*. Salvianus l. v. 'Exturbas possessiunculis suis vicinos tuos.' *Pric.*

Fines usque et usque proterminaveris] Horatius: 'Vocat usque suum qua populus adsita certis Limitibus vicina refugit jurgia.' Juvenalis: 'Ergo paratur Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum: Et proferre libet fines,' &c. Bene (in de beneficiis) Seneca VII. 7. 'Multi, &c. fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit.' *Id.*

Nam hæc etiam dextra, quæ tuum prorsus amputasset caput, iniquitate Fati contusa, decidit] De Scævola Valer. Maximus: 'Pertæsus dextram suam, quod ejus ministerio in cæde Regis uti nequisset,' &c. Apud Euripidem ille in Herc. Fur. Ὦ δεξιὰ χεὶρ ὡς ποθεῖς λαβεῖν δόρυ! Ἐν δ' ἀσθενείᾳ τὸν πότμον διώλεσας. Ἐπεί σ' ἔπαυσ' ἄν. 'Alioqui compescuissem te:' quem locum non dubito respexisse Appuleium nostrum. *Idem.* *Iniquitate Fati*] Servius ad Æneid. II. 'Fatis iniquis: voluntate Numinum:' videtur *iniqua voluntate Numinum* scribendum. *Idem.*

Sua miserrimum juvenem manu perempturus invadit] Livius lib. XXXII. 'Juratus se eum sua manu interempturum,' &c. Frontinus IV. 39. de Scipione: 'Pronunciavit manu se sua interfecturum, nisi,' &c. Seneca de Alexandro: 'Qui Clytum, &c. inter epulas transfodit, et manu quidem sua.' Suetonius Caligula: 'Spirantique adhuc, &c. pulvinum jussit injici, atque etiam fauces manu sua oppressit.' Adde quæ pag. 177. ad Apologiam adnotata. *Idem.*

Invadit] Glossæ: 'Invadit, ἐφορμᾷ.' Supra lib. VIII. 'Invadit ac supersistit sicarium:' et VII. 'Invadimus, ac diripuimus omnia.' *Idem.*

Nec tamen sui molliorem provocaverat] Non sunt in Lipsii Ms. nec cod. Oxon. In vetere apud Suidam tamen Epigrammate: Ἐσθλὸς ἐὼν, ἄλλου κρείττονος ἀντέτυχεν. *Idem.*

Insperato] Hesychius: Ἐξ ἀελπτόης (forte ἐξ ἀέλπτου) ἐξ ἀνελπίστου. *Id.*

Arripuit ejus dextram] Supra lib. III. 'Arrepta manu Fotidis.' Gloss. 'Arripit, &c. χειρὸς ἐπιλαμβάνεται.' *Idem.*

Ferro librante] Fux. *librato*. Roald. *F. vibrato*. Iidem, *ferro librante*. Colv. Vulgati libri habent *ferro librante*. Ms. Fulvii, *ferro librato*. Sciopp. in Symb. Bert. *f. librante*. Elmenh. *Vibrato*, quod substituit vulgato *librante* Colvius, eumque seqq. Vulc. Ed. pr. Merc. Wower. &c. merito damnat Pricæus, præferens *librato*: ut exaratur in reliquis Mss. eique adplaudit Wopkens. in Misc. Obs. Nov. v. 1. ad Septim. l. IV. de B. Troj. c. 11. 'Quoad Alexander librato gladio procurrensque, aversum hostem per ut. l. geminato ictu transfigit:' ut locus ille legendus est fide Mstorum Leidd. aliorumque; nisi ibidem, adstipulante Perizon. Cod. a m. pr. amplius malis *liberato*; ut volebat Heinsius, sed obstitit Wopkens. Quidquid sit de eo loco, hic certe præplacet mihi, quod servavit unica Ed. Junt. post. *liberato*, sive erepto de manu inimici per magnam vim. Ipse enim non habuisse videtur gladium, quem sinu suo liberavit. Sic Auctor noster lib. II. in f. 'Gladium liberatum arripio.' Lib. v. p. 101. 'cœcæ tenebræ custodia liberata lucerna.' Vitruv. l. VII. c. 3. 'Purum ferrum e mortario liberetur.' Vulgo vitiose contra Mss. et Edd. Vett. *libretur*. Sic 'expedire jaculum' Horat. l. I. O. 8. Ovid. Met. XI. 158. 'Aures liberat arboribus.' Plura vide in notis Burmanni ad l. VI. Met. 551. et Heins. ad l. I. Fast. 793. 'Auratum vagina liberat ensem.' In Virgilio Æn. IV. 579. pro *vagina eripit ensem* in Ms. e glossa *liberat*. Pith. et Guelf. *ferro vibrato*. Oud. *Ferro vibrato*] Le-

ge cum Fuxensi et aliis, *librato*: sic 'telum librare,' Virgilius. *Pric.*

Multis et crebris ictibus impurum elidit divitis animam] 'Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.' Infra hic, de patre ipso istius juvenis: 'Jugulum sibi multis ictibus contrucidat.' Apud Quintilianum declam. 345. 'Nefarium corpus repetitis ictibus trucidavi.' Sueton. Calig. 'Nec temere in quenquam, nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est.' Idem de Vitellio: 'Apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus.' Lactant. VI. 20. 'Percussos jacentesque repeti jubent, et cadavera ictibus dissipari.' Ammianus lib. XV. 'Densis gladiorum ictibus trucidant.' *Idem.*

Impuram elidit divitis animam] Lucilius: 'Fauces invasse, animamque Ellisisse illi.' Infra hic lib. X. 'Sic elisus, &c. spectatissimus medicus.' Commode autem adeo improbi divitis animam impuram dixit. Seneca Epist. LXXXI. 'Quid ergo? utrum illum pecunia purum effecit, an ipse pecuniam conspurcavit? quæ sic in quosdam homines quomodo denarius in cloacam cadit.' *Idem.*

Gulam sibi prorsus execuit] Non video quid hic faciat illud *prorsus*. Fortasse pro *prorsus execuit*, *præsecuit* legendum. Supra lib. I. 'Impetu teli præsecata gula.' Scholiastes Juvenalis de Seneca: 'Sibi venas præsecans.' Et in vetere Epigrammate: 'Præsecuit tenerum lubrica texta caput.' Scribendum videtur *lubrica testa*: i. e. glacies, in qua puer ludebat. Bene etiam (quod in idem cadit) *prosecuit* legas. Tertullianus Apologetico: 'Et alia vis pronuncietur in eo qui genitalia vel lacertos, alia qui gulam sibi prosecat.' Glossæ: ''Απότμησις, prosectio. 'Αποτομή, abscissio, prosecatio.' Sic supra hic VIII. 'Prosectum dentium:' et ibidem, 'prosectum gladiorum' dixit. Servius ad Æneid. VIII. 'Quæ non prosecantur.' *Idem.*

Nec ullum verbum, &c.] Apud Petronium ille: 'Frigidior hieme Gallica factus, nullum potui verbum emittere.' Alius Declam. II. apud Quintilianum: 'Auferunt nobis vocem quæ fieri non posse credimus: et silentium est admiratio subita miserorum.' Philo de Jacobo: Συγχυθεὶς ὑπὸ τῆς περιπαθήσεως, ἀχανὴς ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἔκειτο, μηδ' ὅσον τὴν κεφαλὴν ἐπᾶραι δυνάμενος, θλιβούσης καὶ ἐκτραχηλιζούσης τῆς συμφορᾶς.

Ne tacitum quidem fletum] Ovidius: 'nec me flere diu, nec potuisse loqui. Et lachrymæ deerant oculis et verba palato.' Achilles Tatius de Clit. et Leucip. amoribus p. 71. Ταῦτα μὲν ἐθρήνουν ἡσύχως, &c. *Elmenh.* Vulgo, *nec t. q.* Sed ut scripsi, ita D'Orv. et Ed. Scriv. Vide ad l. II. p. 35. et alibi. *Oud.* *Ac ne tacitum quidem fletum tot malis circumventus senex quivit emittere*] Nimirum: 'Obstupuit varia confusus imagine rerum.' Ovid. 'Fine carent lacrymæ, nisi cum stupor obstitit illis.' Idem: 'Et pariter vocem lacrymasque introrsus obortas Devorat ipse dolor.' Vide pag. 119. dicta. *Pric.*

Ferro, quo commodum inter epulones suos, &c.] In fragmentis Varronianis: 'Cultro se coquinario trajecit.' Onomasticon vetus: 'Epulones, δαιτυμόνες.' *Idem.*

PAG. 205 *Jugulum sibi multis ictibus contrucidat*] Lib. VIII. 'Multimodis sese commulcat ictibus.' Ovidius de Amphione, ut hic Noster, liberis orbato: 'Ferro per pectus adacto, Finivit pariter moriens cum luce dolorem.' *Idem.*

Cæruleus corruens] Vulgo, *tremulus corruens*. Cæruleus color recte dicatur, morte morientis violenta. *Colv.* Nihili et corrupta lectio. Scribe, *cernuus corruens*. Quod et Josepho Scaligero, heroi incomparabili, placuisse memini. In quibusdam libris, *tremulus corruens*. Wowerius. *Cæruleus.*

Alii libri, *tremulus*. Quid si *cernuus* vel *cornutus?* Sciopp. in Symb. *Cernuus corruens.* Ita Scaliger. Flor. *cernulus c.* Vulgati, *tremulus*. Lipsii codex, *cæruleus* c. Male. Vide Indicem. *Elmenh.* B. *cervulus*. M. *cernulus*. Puteanus. *Cæruleus* est in Pal. Guelf. sec. et Edd. Vulc. pr. Merc. *servulus irruens* D'Orv. *cernulus irruens* Fux. *tremulus* Pith. Oxon. Bert. cum Edd. vulgaribus ante Colv. de quo vide Beroaldum. *cervulus* Guelf. pr. *cernulus* Ed. Junt. post. et Vulc. Ed. sec. Hinc Lipsius margini quoque adlevit *cernuus*, ut edidere Wower. et seqq. Adi etiam Pric. et Comm. ad l. I. p. 14. 'In flumen cernuat corpus.' Mss. tamen omnes abeunt in terminationem τοῦ *lus*. Quare si *cernulus* eodem sensu sustinere se posset, non inde alienus forem. Vide Salmas. Plin. Exerc. p. 149. et Lips. ad Senecæ Ep. 8. ut certe est in Mss. O. 'Non vertit fortuna, sed cernulat et allidit.' At Gronov. ibi *cernulare* et *cernulus* in Glossis, damnat quoque, ut librariorum errorem. Pro *cornutus* Scioppium voluisse credo *cernuatus*. Alterum quid sit, nescio. *Oud.* *Quoad super mensam cernuus corruens, portentosi cruoris maculas novi sanguinis fluvio proluit*] Apud Curtium lib. VIII. 'Alius mensam suam sanguine suo aspersit.' Apud Senecam Agamemnone: 'Sanguinem extremæ dapes Domini videbunt, et cruor Baccho incidet.' Illud *cernuus* (quod et nos rectum putamus) Scaligeri conjectura est: fortasse ex Florentino, in quo scriptum *cernulus:* eo pertinet Lucretii istud: 'Namque omnes plerique cadunt in vulnus,' &c. Oxon. et vett. editt. *tremulus corruens*, quod non male ex Juvenalis loco firmavit Beroaldus. In Ms. Lipsii *cæruleus:* quod utinam inepte approbare satis Colvius habuisset, at, dum illud, et id genus plura, ex libro eo in contextum recepit, egisse quid aliud videri potest, quam ut juvenilem temeritatem proderet, et affanias ab Auctoris instituto ac mente alienissimas obtruderet. Glossæ: 'Τερατώδης, monstruosus, portentuosus.' *Pric.*

Proluit] Edd. Scriv. *protulit*, sive protrusit, ursit, ut defluerent maculæ una cum novo cruoris fluvio. Sed male. L. VIII. p. 158. 'Vulnera illa, quorum sanguinem tuæ lacrimæ proluerunt.' Vide plura ad l. I. p. 10. ad Cæs. l. I. B. Civ. c. 48. *Oud.*

Puncto brevissimo] Lib. X. 'Momento modico, imo puncto exiguo.' *Pric.*

Dilapsæ domus fortunam] Malebam *collapsæ:* non quod id minus Latinum, sed quod hoc Appuleianum magis. Supra lib. V. 'Tam beatam fortunam collapsam indigne.' Infra XI. 'Tu fortunam collapsam adfirma.' *Idem.*

Suosque casus] Nihil muta: *suos casus* legendum satis patet e loci nexu. Huc enim respondent 'vacuæ manus;' sicut 'miserationi fortunæ domus' respondent 'depensæ lacrimæ.' Amici casus non solum, sed et suam adversam fortunam ingemuit. *Ingemescens* Guelf. pr. *Oud.* *Suosque casus graviter ingemiscens*] Quinam sunt isti *casus sui* quos hortulanus ingemiscit? spesne deceptas illas quas de vino, oleo, frumento conceperat? quanto melius suspicari mecum esse locum depravatum, proque futili lectione *suos*, scribendum *scævos?* nimirum scævos collapsæ domus casus: vel, infælicis patrisfamilias illius. Tale Virgilianum illud, 'Multa gemens, casuque animum concussus amici:' et illud supra hic lib. IV. 'Sic affectæ domus triste fatum cuncta civitas congemebat.' Scribendum *scævos* autem, patebit ex sequentibus locis. Lib. XI. 'Tu scævis exantlatis casibus pausam pacemque tribue:' et IV. 'His omnibus, &c. rite dispositis occurrit scævus eventus.' Item III. 'Quod tuum factum scævitas consecuta est:' id est, quis scævus casus, vel eventus. *Pric.*

Depensis pro prandio lacrimis] Ms.

depransis pro prandio l. Colvius. *Deprensis.* Vulgo, *deprensis.* Elmenh. In D'Orv. Fux. Guelf. sec. Flor. Pal. Inc. et Edd. Vulc. sec. Elm. *depransis;* ut nempe ederit pro prandio lacrimas, sive loco prandii. Verum prandium inter hæc sumserat; ut ex præcedentibus conspicuum est. Immo *deprandere lacrimas* non potest dici is, qui lacrimat, sed contra, qui lacrimas suas inhibet, et eas *devorat.* Quomodo dicitur Nostro alibi, aliisque, 'tacitus devorare injuriam, pudorem,' &c. Adhæc nusquam occurrit *depransus.* Guelf. pr. Oxon. *deprehensis,* Ed. Scriv. *deprensis.* Quod non capio. Unice verum est *depensis.* Solvit et dedit lacrimas, ut passim occurrit apud poëtas, quasi mercedem et pretium prandii. In Flor. N. 18. 'Mercedem dependo pro disciplinis.' Vide et Indic. Mart. Cap. p. 38. 'Gubernatori dependit obsequium.' Adde notata ad Cæs. l. I. B. G. c. 44. 'Stipendium dependerint.' In D'Orv. *dep. de prandio,* Guelf. sec. *pro pransis l.* Oud.

Vacuasque manus complodens] Frumento et reliquis quæ superaverat vacuis. 'Complodere manus' dolentium est, aspectuque vel auditione rei gravioris commotorum. Heliodorus: *Βαρύ τι ἀνοιμώξας,* &c. *καὶ τὼ χεῖρε διατρίψας.* In Phædone Platonis: *Στεναγμοῖς καὶ δακρύοις, καὶ τῶν χειρῶν κροτήσει.* Synesius in Epistolis: *Ἐπὶ πᾶσιν, ὦ τοῦ δαίμονος! εἰπὼν ἕκαστος, καὶ τὼ χεῖρε πατάξας, ἀπηλλάττετο.* *Pric.*

Infesso] Legendum est *insesso,* ut sit sensus: Hortulanus insidens dorso meo per eamdem viam, qua venerat, retro rediit. *Beroald.*

Nec innoxius ei saltem regressus evenit] Lib. VII. 'Nec tamen levi periculo tentati discessimus.' *Innoxius* ancipitis significationis est: ut 'formidolosus,' 'suspiciosus,' 'infestus,' et id genus plura: de quibus IX. 12. A. Gellius videndus. *Pric.*

Ut indicabat habitus et habitudo] Vide supra pag. 15. adnotata. *Idem.*

Miles e legione factus nobis obvius, &c. percontatur quorsum vacuum duceret asinum] Servius ad Eclog. IX. Virgilii: 'Hoc dicit, augurio se esse admonitum, ut abstineret ab occursu litigiosi militis.' Miles e legione. i. e. legionarius m. ita capio Glossarii illa, '*Ταγματικὸς,* legionarius:' at ibidem pro *Τάγμα, τὸ στρατιωτικὸν σημεῖον, vexillum,* videtur mihi legendum, *Τάγματος στρατιωτικὸν σημεῖον,* &c. *Idem.*

Mærore permixtus] Supra hic: 'Permixtus lacrymis uberibus:' ubi dicta pag. 191. vide. *Idem.*

Latini sermonis ignarus] Oxon. *Latino sermone i.* cujus locutionis exempla desidero. *Idem.*

Tacitus præteribat] Lib. VI. 'Sed tu, nulla voce deprompta, tacita præterito.' *Idem.*

Familiarem insolentiam] Ob quam Pyrgopolinices apud Plautum, et Thraso apud Terentium eximie vapulant. *Elmenh.* *Nec miles ille familiarem cohibere quivit insolentiam*] Terent. I. 2. Hecyræ: 'Cum milite inhumanissimo:' ubi Donatus: 'Omnis miles inhumanus.'

Conficior] Corrige, *convicio:* id est, probro: tanquam silentium hortulani pro convicio et maledicto fuerit militi: vel potius lege, *ut conjicio,* id est, ut conjectura opinor: ut sit verbum. *Beroald.*

Vitæ, quam tenebat] Ut ut varient libri, scribemus *vite, quam tenebat.* Itidem pagina sequenti 'inversa vite:' nec auscultabimus eos, qui emendare conati *inversa vice.* Miles enim familiari sibi insolentia rusticum in itinere obvium vite (quam centurionis insigne fuisse ad Vegetium docuimus) acriter obtudit. De cetero rescribendum quoque et illud erat, *dorso meo proturbat:* idemque verbi Apuleio reddendum paulo superius eodem scilicet libro: 'nun-

cium remisit uxori, eamque protinus de sua perturbavit domo:' nam contra pertinacem trium librorum consensum non metuo restituere, *proturbavit*. Sic apud Plinium pigras et ignavas 'apes proturbant.' Arnobius lib. II. 'Affectus animis insitos proturbare, pellere.' *Stewech.* Fux. *baculo, quem t.* Sed glossa nequam textum nequissime irrepserat. Vitis insigne fuit centurionum. Tritum id, pervulgatissima plerisque omnibus testimonia. Huic verbo certatim ingerentibus symbolam, etiam ego meam hic adfero, nempe fragmentum illud ex quopiam scriptore, quod Suidas collegit in hunc modum: Κλῆμα κρατήσας ἐγκαλεῖσθαι προσδόκα, ubi pessime interpres, κλῆμα palmitem vertit, non ex ritu Romano. Vitem enim debuit dicere, quam Græci omnes authores quum vertere volunt, κλῆμα nuncupant. Vide Plutarchum Galb. ubi pariter erratum ab interprete docuit nos Rob. Constantinus. *Roald.* Idem, *vici q̊.* Colvius. Centurionem incomitatum in itinere fuisse, vix credibile. Hinc etiam capio de gregario milite, vel minore quodam præfecto Græce quoque loqui gnaro, et ad centurionis imitationem superbe gerente baculum (p. 207.) de vite: quæ et vastiorem nodum (p. 206.) habebat. Μαστίγι, *flagello*, simpliciter ait Lucianus tom. II. p. 611. *vitæ* Edd. pp. Rescribe *viti* auctoritate Codd. Flor. Fux. sive Reg. Guelf. utriusque, Pal. D'Orv. quo etiam faciunt Lips. Oxon. *vici*, ut 'fusti,' 'igni,' &c. Vide Voss. de Anal. lib. II. c. 12. Oxon. *quem.* Guelf. sec. *tenebar*, Pal. *qua tenebar*. Oud. *Indignatus silentio ejus, ut convicio: vite quam tenebat, obtundens eum, &c.*] Apud Juvenalem Sat. III. 'Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem. Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas, Tantundem est, feriunt pariter.' Petronius: 'Arundinem rapuit ab ostio, iterumque nihil respondentem mulcavit.' Tacitus Annal. VI. 'Silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.' *Pric.* *Vite quam tenebat, obtundens eum*] Lib. VII. 'Baculo, quem gerebat, obverberans,' &c. Compositum *obtundens* pro simplici, ut sæpissime in his libris. *Idem.*

Dorso m. proturbat] Vulg. *perturbat.* Etiam supra hoc restituimus, ipso hoc libro. *Colv.* *Perturbat.* Sic libri vulgati et Bertin. Vid. not. ad p. 160. *Sciopp. in Symb.* *Proturbat.* Bertin. *perturbat.* Quod Scioppius defendit. *Elmenh.* Male; licet ostentent D'Orv. et Pith. etiam *pert.* Rectius ceteri *prot.* quod ante Stew. et Colv. jam exhibuit Ed. Junt. post. *Perturbantur*, qui confunduntur corpore vel animo, *proturbantur*, qui dejiciuntur de vel ex loco et humi, aut expelluntur. Adi ad pag. 196. et quos laudo ad Frontin. lib. II. cap. 2. 'Equitum partem proturbantem pedites.' Virg. Æn. IX. 441. 'hinc comminus atque hinc proturbant:' ubi vide Burm. ad Serv. Statius lib. V. Theb. 664. 'Impiger objecta proturbat pectora parma.' *Oud.*

Supplicue respondit] F. *supplice*, pro suppliciter, ἀρχαϊκῶς. Saliari carmine apud Varronem, 'supplice canite.' *Soping.* Sed Noster quoque lib. XI. p. 257. 'supplicue gratiis persolutis.' Dein *ignorantiam* Pith. *Oud.* *Respondit, sermonis ignorantia, se quid ille diceret, scire non posse*] Id est, *nescire*: ad quem modum loquendi advertendum. Lucretius lib. IV. 'Nunc aliis alius cur sit cibus, ut videamus Expediam: quare ut aliis quod triste et amarum est, Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri:' id est, *prædulce videtur*. Apud Cassiodorum Rex ille: 'Alteri subdi non possumus, quia Judices non habemus.' Cyprianus 61. Epist. 'Non potest videri cessasse, qui vicarios substituit.' Sarisberiensis III. 13.

Polycratici: 'Effœminati vitio et corruptela morum, cum tamen Naturæ beneficio feminæ esse non possunt.' Lactantius II. 9. 'Quomodo Deus, &c. ignem et aquam vel accenderit, vel eliquaverit, solus scire potest qui fecit.' De eodem Minucius Fœlix: 'Qui cum possit præscire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat.' Nec de alio ad II. Cor. 16. Sedulius loquens: 'Qui potest in vos vindicare, nisi pœnitentiam agatis.' Servius ad Æneid. II. 'His rebus terret eum qui non potest mortem timere.' i. e. *non timet mortem.* Sic quod Joannis 20. 2. Οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν· illius paraphrastes Nonnus sic extulit: Ἡμέας δ' οὐ σθένος ἐστὶ νοῆσαι ὅπη μιν ἔθηκαν. Augustinus Confess. VI. 14. 'Id otium sic moliti, ut, si quid habere possemus, conferremus in medium.' Et post: 'Cum videremus nobis esse posse decem ferme homines in eadem societate,' &c. Quibus adde quæ supra pag. 41. haud maligne adnotata. *Pric.*

Ubi ducis] Beroaldus, Floridus, aliique, putant *ubi* pro *quo* hic dictum ad denotandam militarem imperitiam. Quod locum fortassis habere posset, si adhuc Latine loqui pergeret miles. Atqui jam hæc *Græce* subjecit; et ποῦ scilicet pro ποῖ dixit. Adi Pricæum, et Flor. Sabin. in Thes. Crit. tom. I. p. 1092. *Oud.* *Ubi ducis? &c.*] Id est, *quo ducis?* sic ποῦ pro ποῖ, Hebr. 11. 8. et ὅπου non *ubi* tantum, sed et *quo* in Glossario vertitur. *Pric.* *Ubi ducis asinum istum*] Attende elocutionem inusitatam, *Ubi ducis:* cum ex grammaticali disciplina et norma dicendum fuerit, *Quo ducis.* Verum Lucius noster, (ut ego opinor,) non minus scite quam festiviter, militem Grammaticæ institutionis ignarum inducit militariter loquentem, prævaricato Grammaticorum decreto, minimeque observantem placita Donatistarum. *Beroald.*

Sed mihi (inquit) operæ ejus opus est, nam de proximo castello, &c.] Militaris διασεισμοῦ species. Vide Luc. 3. 13. Sic, τὸ ἑτέρου ὑποζύγιον εἰς ἑαυτοῦ χρείαν ἀποσπᾷν, Antiquit. VI. 6. apud Josephum. Et nescio quid simile apud Synesium VI. Epist. *Pric.*

Advehere] Quidam, *avehere.* Eamdem in rem Paulus noster lib. IV. de Publican. 'De rebus, quas in usus advehendas sibi mandant præsides, D. Hadrianus præsidibus scripsit,' &c. *Colv.* In quibus libris sit *aveh.* nescio. Sed præstat *adv.* scilicet *ad se.* Vide ad Sueton. Tib. cap. 74. 'Apollinem Temenitem advectum Syracusis.' Ceterum de militari et proconsulari vehiculorum et jumentorum comprehensione, quam *pressing* Belgice dicimus, ad Suetonium, et alibi, multis egerunt viri docti. *Oud.*

Et injecta statim manu, loro me quo ducebar arreptum incipit trahere] Supra lib. VI. 'Et verbum manu injecta secutus, prenso loro retrorsum me circumtorquet.' Oxon. et Palat. *Loro quo me ducebat, arreptum, &c.* Pric.

Rursus precatur] Vulg. *deprecatur.* Colv. Simplex hinc ediderunt seqq. editores, et favent Mss. Reg. D'Orv. Pal. Lips. Nihilominus prætuli scripturam Edd. Vett. *deprecatur*, confirmantibus eam Flor. Oxon. Fux. Pith. Gueif. pr. Bertin. sive valde precatur. Uti enim in multis compositis, sic in hoc quoque verbo præpositio *de* auget significationem, apud optimum quemque, sive sensu averruncationis, sive accipiendi quid. Hirt. B. Afr. cap. 32. 'Qua subplices dominantem deprecati sunt.' Afr. cap. 85. 'deprecante, eis uti parcerent.' Suet. Cæs. cap. 29. 'Senatum litteris deprecatus est.' Septim. de B. Tr. lib. II. cap. 6. 'ut viriliter incommodum ferret, deprecabantur,' et, 'mul-

tis precibus Ulixen deprecatur, uti ad eos acciendos pergeret:' et passim alii. Vide Davis. ad Cæs. lib. I. B. G. cap. 9. Miscell. Obs. A. 1741. p. 69. Ac sic præcipue Noster loquitur. Lib. II. p. 39. 'Exiguum vitæ spatium deprecamur.' Lib. III. p. 52. 'Utque mihi prosperis faveret volatibus, deprecatur.' Lib. IX. p. 192. 'devotiones in eum deprecata.' Mox p. 206. 'deprecatur, periclitanti sibi ferret auxilium.' Lib. XI. init. 'Specimen deæ statui deprecari.' Ac sæpius. *Oud.*

Versari commilitonem] Corrigendum, ni fallor, *versari militonem*, eo quod rustici ista deprecatio est: ut 'miles,' item et 'milito:' ut 'commiles,' itidem et 'commilito,' bonis auctoribus in usu. Infra eodem hoc libro: 'contra militones, ibi nec uspiam illum delitescere adjurantes.' *Stewech.* An et miles hortulanus, et συστρατιώτης? an quia cum illo concertavit? *Wasse.* Mera hæc innovandi prurigo. Nusquam miles vocatur *milito:* loco adjecto Mss. habere *comm.* videbimus. *Oud. Precatur civilius, &c. versari commilitonem*] Servius ad Æn. XII. 'Animo, aut corpore, aut precibus et voce possumus quicquid possumus.' *Pric.*

Nam et hic ipse, &c.] Scribe, *hic iste:* sic supra II. 'Hic iste Chaldæus.' Virgilius: 'Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum.' *Idem.*

Iners asellus] Lib. VII. 'Non modo asinos inertes, sed et equos ferocissimos.' *Idem.*

Morbo detestabili caducus] Ait asinum istum subinde vel titubare, vel in terram cadere: alludens morbum epilepsiæ, quo homines caduci fiunt. Supra hic de eodem: 'Crebris offensaculis et assiduis lapsibus contusis cruribus meis,' &c. Quæ Barthius Advers. VII. 19. et Beroaldus attulerunt, haud ad mentem Appuleii putem. *Idem.*

PAG. 206 *De proximo solet*] Fux. *de proximo hortulo solet.* Roald. Τὸ *de* non est in Bertino. Τὸ *hortulo* delet Palat. *Elmenh. Hortulo* carent Edd. Colvio priores, præter Ed. Junt. post. quacum et Mss. plerisque ille et seqq. eam vocem addiderunt. Sed multo rectius abesse mihi videtur; ne sibi ipse obloquatur hortulanus: qui, ne sciret miles, ipsum ad suos ire hortos, finxerat, se proximam petere civitatem. Inepte ergo nunc meminisset hortuli sui, quem miles iste non debebat scire a sese possideri. Bene itaque Elmenh. et Scriverius uncinulis incluserunt a nasutulis e præcedenti insutam vocem. Absolute *de proximo*, ut alia, sæpe solent efferre Scriptores. Vide ad Cæs. Frontin. &c. Burmann. ad Sueton. Jul. c. 8. Drakenb. ad Liv. lib. III. c. 9. Cort. ad Plin. lib. IX. Ep. 39. Immo ita Appuleius crebro. Lib. II. p. 22. 'Sicunde latratus de proximo ingruerit.' Lib. VI. p. 78. 'gladios de proximo congerunt.' Lib. XI. p. 242. 'de proximo clementer rosis decerptis.' p. 256. 'Adoravi de proximo.' Lib. III. p. 66. 'In proximo.' *Oud. Vix etiam paucos olerum manipulos solet anhelitu languido fatigatus subvehere, nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus*] In Plautina Amphitr. 'Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existimes.' Tacitus Imperator jam senior apud Vopiscum Senatum alloquens: 'En membra quæ jaculari valeant, quæ hastile torquere, quæ clypeis intonare, &c. vix munia Senatus implemus, vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus.' Calvisius Sabinus (homo æger, gracilis,) ad Quadratum se ut luctaretur hortantem: 'Et quomodo possum? vix vivo:' apud Senecam Epist. 27. *Pric. Olerum manipulos*] Glossæ: 'Δεσμὴ λαχάνων, fascis oleraris.' *Id.*

Sed ubi nullis precibus mitigari militem, &c.] Claudianus: 'Postquam precibus mitescere nullis, Non auro

cessisse videt,' &c. Terent. Phorm. III. 2. 'Adeon' ingenio te esse duro atque inexorabili, Ut neque misericordia neque precibus molliri queas?' Virgilius IV. 'Sed nullis ille movetur Fletibus, aut ullas voces tractabilis audit.' *Idem. Ubi nullis precibus, &c.*] Sallustius apud Nonnium: 'At Oppius, postquam orans nihil proficiebat,' &c. *Idem.*

Diffindere] Idem vet. *diffundere.* Colv. Oxon. Guelf. pr. *diffidere,* Guelf. sec. *diffundere.* Intelligit caput ita verberare, ut cerebrum quoque dissecetur, vel ex eo diffundatur. Adi ad lib. IV. p. 72. 'Diffissa crate costarum.' Videri autem posset huc retrahendum verbum *velle,* quod versu sequenti satis otiosum est, et abest a Palatino; sed ibi vide. Et crebro, 'volo,' 'possum,' 'debeo,' &c. per ellipsin solent omitti. Adi Ind. Not. ad Cæsarem. *Oud. De vastiore nodulo, cerebrum suum diffindere*] Juvenalis: 'Nodosam posthæc frangebat vertice vitem.' Vide supra pag. 129. dicta. Male in quibusdam conjunctim, *devastiore:* τὸ *de* abundat, ut sæpe in his libris. *Pric.*

* *Simulans quærere ad c. m. genua ej. velle contingere*] Non totidem sibi vulnera intulere hac conflictatione, seu mavis luctatione tam strenui gladiatores, quot una illius narratione Apuleius retulit. Non quidem ex ludo gladiatorio, sed ex altero illo correctorum, te judicem sumo, clarissime Metelle, ut agonothetam, et tecum Criticos primarios, ut decernatis, rectene et ordine fecerim, qui emendarim *simulansque e re.* De qua formula huic Apuleio et cæteris bonis familiari, præsertim in rebus subitis, perturbatis, supra egimus. Observandus mos deprecantium, videlicet contingendi genua, qui et libro sequenti: 'atque ibi tum fletui, tum precibus, genua etiam decurionum contingens.' Rursus et lib. octavo de Asino: 'Visisque nobis cum fletu maximo singulorum juvenum genua contingens sic adorabat.' Ennius Pancrat. 'Cum de subito me orat mulier, lacrymansque ad genua accidit.' Petronius Arbiter: 'Protendo igitur ad genua vestra supinas manus.' Singulas hominis partes dis singulis tribuebant. Aurem Memoriæ; frontem Genio; dextram Fidei; aliis alias. Cur vero genua Misericordiæ? jam notum. Quod monuit quoque Servius tertio Æneid. Virg. Observatum scio et alium in deprecando morem, nempe osculandi manus. Apuleius libro secundo: 'Hujus diu manus exosculatus et ipsa genua contingens, miserere, ait, sacerdos.' Meminit ejusdem moris iterum idem scriptor libro quarto: 'Tali,' inquit, 'sermone puella deterrita, manuque ejus exosculata, Parce, inquit, parens.' Ovidius: 'dum veniat sperata voluptas, Oscula dat manibus.' Quos quidem mores hoc nostro ævo in usum revocari videmus. Alterum illum in rebus quoque divinis, et ritibus antiquorum fuisse, notavi apud Arnobium libro sexto: ubi stupidam illam paganorum superstitionem ille auctor insectatur, atque perstringit his verbis: 'Ita enim non videtis spirantia hæc signa, quorum plantas et genua contingitis, et contrectatis orantes.' Observatus denique alius ritus, quo utebantur, si Deos adorarent, tamen aras ipsas amplexandi. Apuleius libro sexto: 'Tunc,' (inquit) 'genu nixa, et manibus aram tepentem amplexa, detersis ante lachrymis, sic adprecatur.' Virg. IV. Æneid. 'Talibus orantem dictis, arasque tenentem Audiit omnipotens.' Ex quo ritu clara quoque ratio, cur Varro et Macrobius tradiderint, *aras* dictas primitus fuisse 'ansas.' *Stewech. Simulansque.* Ald. Ven. Ms. *simulans quærere.* Pro *contingere* Ms. *tangere.* Colvius. Bertin. *simulac quærere a. c. m.* Florent. *simulans quærere.* Supplices genua con-

tingebant. Apuleius lib. II. Metam. et lib. VIII. Dionysius Halicarnass. lib. VIII. fol. 111. 514. Victor de persecut. Vandalorum libr. I. fol. 630. Seneca Thyest. Act. 3. Scen. 2. Tacitus lib. VI. Annal. Posidonius de vita Augustini c. 15. Eunapius Ædesio pag. 340. Notata ad Arnobium f. 144. lib. VI. *Elmenh.* *Simulansque* mera est Beroaldi conjectura, quam primus recepit Colineus, et dein sequentes: cum Mss. cuncti, certe Lips. Flor. D'Orv. Pal. Oxon. Par. Guelf. ambo, et Edd. priores aliæque dent, *simulans quærere.* Non se hinc extricare fatetur Pricæus. A Palat. Guelf. et Oxon. abest *τὸ velle.* Quo deleto, vel ad superius revocato, facile *τὸ quærere* possemus retinere pro *conari:* quod certe Apuleianum est. Vide ad lib. III. p. 63. 'quærens eruere,' vel invenire. Levi mutatione posset quoque constitui sensus, *simulansque sese,* ut conjecerunt Ger. Vossius et Salm. Ut verum tamen fatear, maxime arridet mihi Stewechii divinatio, *simulansque e re,* i. e., statim, ex tempore, ut se dabat occasio. Sic crebro 'e re' vel 'e re nata.' Adi ad p. 180. Catull. c. 10. 'E re respondi.' Sic enim verissime correxit Scaliger. Confer Misc. Obs. v. p. 3. Apud Terentium et Nostrum 'e re ipsa.' Observandum tamen, nihil variationis ad *simulansque* enotatum ex Reg. Fux. Fulv. Bemb. Mang. Dein in Regio, Fux. item, ac D'Orv. Pal. Oxon. Guelf. pr. est *tangere.* Quod perinde est. Sed *contingere* in hac re sæpe utitur Auctor, ut vel videre est ex Stewechii nota, et lib. II. p. 39. 'Et ipsa genua contingens.' In Pal. quoque *morendam.* *Oud.* *Currit ad extrema subsidia, simulansque, &c.*] Virgil. 'Ubi se nullo jam cursu evadere pugna Posse, neque instantem reginam avertere cernit; Consilio versare dolos ingressus, et astu, Incipit hæc,' &c. *Pric.* *Simulansque ad commovendum miserationem genua ejus velle contingere, &c.*] Ex more vitæ periclitantium. Homerus Iliad. φ. Ὁ δέ οἱ σχεδὸν ἦλθε τεθηπὼς, Γούνων ἅψασθαι μεμαώς· περὶ δ' ἤθελε θυμῷ Ἐκφεύγειν θάνατόν τε κακὸν, καὶ κῆρα μέλαιναν. De genubus ad commovendam misericordiam tactis, ad Matth. 17. 14. adnotavimus. Oxon. et Lipsii Ms. *velle tangere,* minus bene. Supra lib. II. 'Cujus manus et ipsa genua contingens.' Lectionem vulgarem *simulansque* Beroaldus excogitavit: at in Oxon. cæterisque omnibus Mss. vetustisque editionibus, legitur, *simulans quærere, &c.* quod etsi minus satisfaciat mihi, sequentibus præsertim aliis infinitivis, male intelligere malo quam pejus immutare. 'Multa' (inquit Quintilianus lib. II. cap. ult.) 'in veteribus libris reperta, mutare imperiti solent, et dum librariorum inscitiam insectari volunt, suam confitentur.' Quæ meditans, manum sæpius cohibeo, aliosque has literas tractantes, idem faciant admoneo. *Idem.* *Simulans quærere*] Purior lectio est, si legatur, *Simulansque,* ut sit particula tantum copulativa. *Beroald.*

Sublimem elatum] Male Sopingius sui libri oræ adscripsit *elisum.* Terent. And. v. 3. 19. 'sublimem hunc intro rape.' Optime vero in Ms. D'Orvill. *sublime.* Virgil. lib. I. G. 320. 'Sublime expulsam eruerent.' L. III. Georg. 108. 'Jamque elati sublime videntur.' Valer. Max. lib. VI. in f. 'Quos sublime extulerunt,' ut bene emendavit socer, quem vide, et me ad J. Obseq. c. 101. Sil. Ital. lib. IV. 144. 'Suspendunt cuncti frenis sublime reductos Cornipedes.' Sæpius hoc in Nostro est corruptum. In Flor. N. 23. 'Propassis utrimque pinnis, &c. sublime evectus.' Sic Mss. item de Dogm. Plat. p. 587. 'Verticem etiam sublime posuit.' Utrobique vulgo, *in subl.* Ita *profundum* Colum. lib. III. c. 11. 'Nec profundum radices agunt, sed per summa terræ dis-

pergnnt.' Sic lege e Sangerm. Cod. non *in prof.* nec *summum.* C. 19. 'ne per summa terræ sitiat æstatibus.' *Oud.* *Submissus atque incurvatus, arreptis ejus pedibus utrisque, sublimem elatum terræ graviter applodit*] 'Consumptis precibus violentam transit in iram.' Justinus XIV. 'Cum non obtineret, preces in iram vertit.' Notanda illa, 'submissus et incurvatus.' Sirachides XIX. 24. 'Est qui se nimium submittit a multa humilitate, et, &c. si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.' Huic similem, anilem astutiam supra lib. IV. vide. Tacitus Annal. XII. 'Decidisse simulans, genua Mithridatis invadit, ipsumque prosternit:' et Annal. XV. 'Lateranus, quasi subsidium rei familiaris oraret, deprecabundus, et genubus Principis accidens, incautum prosterneret, premeretque.' 'Applodere terræ' hic, ut VI. 'Incussis in eam, &c. calcibus, protinus terræ applodo.' Glossæ: 'Προσκρούω, offendo, applodo.' Virgilius 'terræ applicare' dixit. 'Impressoque genu nitens, terræ applicat ipsum.' In Adelphis Terentii: 'Sublimen medium primum arriperem, et capite in terram statuerem, Ut cerebro dispergat viam.' *Pric.* *Sublimen elatum*] Hieronymus in Hilarionis vita: 'Amplexus eum post tergum, in sublime levavit.' *Idem.*

Terræ graviter applodit: et statim qua pugnis, qua cubitis, qua morsibus, &c. totam faciem manusque ejus, et latera converberat] In Excerptis Diodori Siculi, de Pleminio: Οἱ χιλίαρχοι τοῦτον δόντες ἐπὶ γῆν, τὰ ὦτα περιέτρωγον αὐτοῦ, καὶ τὴν ῥῖνα· πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τὰ χείλη διέσχεσαν. Sic, 'prostratos verberibus mulcare,' apud Tacitum Ann. I. Oxon. *Tum faciem ejus, manus ejus, et l. c.* Idem. *Qua cubitis*] Hesychius: Κυβιτίζω· τοῖς ἀγκῶσι πλήττω. Vide supra pag. 38. notata. *Idem.*

Si resurrexisset] Vulgo, *si surrexisset.* Elmenh. Auctoritate Mss. Flor. et Pal. ita rescripsit Elmenh. cum Scriver. et Flor. et confirmat Pith. In ceteris Mss. et Edd. *si surr.* L. IV. init. l. V. init. l. VII. p. 145. 'Quoad resurgerem saltem.' L. V. p. 156. 'Mox ipsum resurgentem multo dente laniavit.' Alioquin perinde esset *surgere* ac *resurgere*, ut patet clarissime ex Suet. Vesp. c. 5. et Domit. c. 1. quorum uno loco eadem arbor eversa dicitur surrexisse, altero resurrexisse. *Oud.*

Sese concisurum eum machæra sua frustatim] Ita Noster, ἠθικωτέρως Luciano, qui simpliciter, ἀποκτείνειν. Eunapius in Ædesio: Κρεουργηδὸν, ὥσπερ τι τῶν ἐν ταῖς εὐωχίαις ζῶον, κατακόψαντες. Apud Philonem lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Μαγείρων τρόπον κατὰ μέλη καὶ μέλη κρεουργεῖν. emenda, κατὰ μέρη καὶ μέλη κρεουργεῖν. Hesych. Μεληδὸν, ἐπίῤῥημα· εἰς μικρὰ μέρη καὶ μέλη κοπτόμενον. Sic Judic. 19. 29. at de cadavere: 'In partes ac frusta concidere.' In Menechmo Plautina: 'Dedolabo assulatim viscera.' *Idem.*

Prostratus] Glossæ: 'Prostratus, κατεστρωμένος.' *Idem.*

Ac præventus vulneribus] Pontan. l. II. Anal. c. 15. *præmeniens.* Omnes male, ut liquido ostendit Pricæus. 'Acceptis vulneribus occupatus per suos pro occiso sublatus.' Cæs. l. III. de B. Civ. c. 109. ubi ineptiunt legentes *occupitis*, vel *supinatus.* Ibi vide, et Vell. l. II. c. 50. Wopkens. Misc. Obs. v. VIII. p. 28. Ad rem Cic. pro Sextio c. 37. 'Multis vulneribus acceptis et debilitato corpore contrucidato, se abjecit exanimatus; neque ulla alia re ab se mortem nisi opinione mortis depulit,' &c. In D'Orvill. *et pr.* Oud. *Ac præventus vulneribus*] Expositorum unus, 'cruentus vulneribus:' duo alii, 'pene moriens vulneribus.' Pontanus Analect. II. 15. 'Præmeniens vuln.' Priores licentiose satis, iste tertius illepide. Qui Appuleium sincerum vult, re-

ceptam lectionem tueatur. *Præventum*, 'occupatum' vocat, vel 'impeditum.' Infra lib. x. 'Insita matribus pietate præventa, descivit ab obsequio mariti:' et eodem libro: 'Si vere peremptus, si vere morte præventus est,' &c. Firmicus Mathes. VIII. 26. 'Multarum mulierum amore præventos.' Tam parum noti Appuleio qui apud ipsum tamdiu diversati: id est, qui manibus eum triverunt, Notisque illustrarunt. *Pric.*

Quod solum restabat, simulat se mortuum] Lactantius VI. 20. 'Quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat.' Consule quæ benigne ad Act. XIV. 20. adnotavimus. *Idem. Deprecatur periclitanti sibi ferret auxilium, seque cum suo sibi asino tantisper occultaret*] Apud Plautum Rudente: 'Nunc tibi amplectimur genua, egentes opum, &c. Ut tuo recipias tecto, servesque nos.' Supra hic lib. VI. 'Miserandæ Psyches animæ, &c. subsiste: inter istam spicarum congeriem patere vel pauculos dies delitescam.' *Idem.*

Nec oblitus ille, &c.] De hac loquendi formula vide supra pag. 77. notata. *Idem.*

In superius cœnaculum] Fux. *in cœnaculum attracto* absque *superius*. Verum injuria abesset. Cœnacula Latinis authoribus sunt contignationes et contabulationes, ad quas scalis adscenditur. Vitr. lib. II. cap. 8. 'Ergo,' inquit, 'cum recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coëgit devenire. Itaque pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus cæmenticiis, altitudines extructæ, contignationibus crebris coartatæ, et cœnaculorum summas utilitates perficiunt et despectationes.' Ex hoc loco Vitruvii forte in leg. 5. et interdum, de iis qui dejecere, legendum: *Quod si ex mœniano cœnaculi*, non *ex mœdiano*, ut ubi vulgo scriptum. 'Ergo mœnianis et contignationibus variis alto spatio multiplicatis populus Romanus habet sine impeditione habitationes.' Hæc gravissimus author. Ubi notandum, vocem *mœniani* ad illam superiorem *despectationes* spectare. Alioqui confudisset mœniana cum cœnaculis, quod fortasse (juratus enim id non assevero) verum est: nam pergulæ ipsæ, quas quidem cum mœnianis easdem esse dicunt, cœnacula sunt. Tertull. advers. Valent. elegantissime etiam, 'nostra,' ait, 'omnia cœnacula in ædicularum disposita sunt formam, aliis atque aliis pergulis superstructis, et unicuique Deo per totidem scalas distributis, quot hæreses fuerunt. Meritorum factus est mundus, insulam Felic. credas tanta tabulata cœlorum, nescio ubi; illic etiam Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat.' Ergo *cœnacula*, idem quod *mœniana*, idem quod *pergulæ*, quæ fortasse etiam *Calcidica* appellata Vitruvio lib. v. cap. 1. et Aus. Perioch. in Odyss. quod enim Homerus dixerat ὑπερῷον, vertit ille *Chalcidiam;* et certissimum est, cœnacula et pergulas ita vocari. Glossaria Philoxeni: 'Pergula, ὑπερῷον καὶ ἰκρία.' et alibi: μεσόδμη, ὑπερῷον, ὀροφὴ, στενὸν οἴκημα. et alias: 'cœnaculum, ὑπερῷον καὶ δίαιτα.' Quamquam non me latet alias esse mœniani et pergulæ notiones, quas indicare posset solus Glossarii locus supra citatus. Cœnacula et pergulas varie expressit Juvenalis Sat. III. 'Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur A pluvia, molles ubi ponunt ova columbæ:' et alibi, 'rarus venit in cœnacula miles.' Bibaculus apud Suet. de Val. Catone Grammatico: 'Quem tres coliculi, selibra farris, Racemi duo, tegula sub una, Ad summam prope nutriant senectam.' Itaque in ædificiis Romanis a prima contignatione, quæ plano pede aditur, cæteræ *cœnacula*

appellatæ, ut non immerito hic Noster ad differentiam 'cœnaculum superius' dixerit, quod etiam 'scandulare tectum' pag. 25. videtur nominasse, nimirum quod esset scandulis, ut solet, coartatum, compagiatumque intestino opere. Ex his omnibus apparet, quæ fuerint stabula, qui cœnacularii, quorum frequens lectio in lib. nostris. Cœnaculariorum in l. II. § soluta, de pignerat. act. qui dicuntur cœnaculariam exercere in libro I. § sed et signis, de iis, qui dejec. vel effuder. D. fuere enim, qui cum insulas conduxissent a dominis ædium, cœnacula postea et cellas singulis diversitoribus locarent, et non paucas pensiones corraderent. Itaque *cœnacularius* in Glossis Græco-Latinis interpretatur *σταθμοῦχος, ὁ τὰ ἐνοικεῖα τῆς οἰκίας συνάγων*, ut ex ipso quasi dominus ædium videretur. Ideo aliis Glossis *Domnedius* vocatus. Hinc pendet interpretatio loci illius apud Arbitrum: 'Jam enim faxo sciatis non viduæ hanc insulam esse, sed M. Manucii.' Vidua enim cœnaculariam exercebat in insula M. Manucii. Porro ut id obiter notem, peregrini erant et plebeii, ut plurimum, qui has cellas et cœnacula locabant. Loci, quos ex Juvenal. et Suetonio advocavimus, id aperte ostendunt. Ostendit et Prudentius illo versu lib. I. adversus Symmachum: 'Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus.' *Roald.* Vide etiam Pricæum. In Vitruvii loco e Mss. Voss. Reg. Franek. legendum: *coaxatæ cœnaculorum ad s. utilitates perficiunt disparationes.* Adi Salm. ad Solin. p. 708. Wesseling. l. I. Obs. c. 18. Comm. ad Cæs. lib. VII. B. G. 28. *Oud.* *Meque per scalas, &c. in superius cœnaculum attracto, hortulanus deorsus in ipsa tabernula direpit in quandam cistulam*] 'Superius cœnaculum,' est ὑπερῷον, ἀνώγεον. Jupiter apud Plautum: 'In superiore qui habito cœnaculo.' Vide ad Act. I. 13. notata. Gentilis in Commentario ad Apologiam pag. 290. *detorsus* heic, pro *deorsus* scribit: quod nempe in cistas et talia correpentes, comprimere se soleant, et contorquere: adducitque in eam mentem Horatium, at loco importuno. Nil ego mutandum contendo. 'Deorsus derepere,' ut VIII. 'Deorsus delabi:' taberna etiam (quæ deorsus posita) cœnaculo superiori disertim manifesteque opponitur: quod cum satis cuivis candido, non cavillatori, posse facere videatur, apponam tamen et Donati in Adelph. III. 3. locum, quo minor sit dubitandi occasio: 'Veteres' (inquit) 'ganeum meritoriam tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γᾶς, τουτέστι, τῆς γῆς· quod ipsa sit in terra,' (Appuleius *deorsus* dixisset,) 'non, ut cœnacula, superius.' Pro *direpit* scribendum *derepit*. Vide supra pag. 67. dicta. Plinius VIII. 36. de Ursis: 'In arbores aversi derepunt.' *Pric.*

PAG. 207 *Et supergesto delitescit orificio*] Lectionem istam Mss. nullis jubentibus, non equidem immutabo. Proponere tamen liceat an *superjecto* legendum. Ammianus lib. XXV. 'Obrutus est saxorum multitudine superjecta.' Onomasticon vetus: 'Superjacio, ἐπιβάλλω.' 'Orificium cistæ' hic, ut X. 'Orificium urnæ.' In eodem vet. Onomastico: 'Orificium, στόμα.' *Idem.*

Velut emersus gravi crapula, nutabundus, &c.] Titubans et vacillans, ut solent crapula laborantes. Glossarium: 'Vacillantes, κραιπαλῶντες.' *Idem.* *Nutabundus*] Salvianus lib. VI. 'Ad gressum nutabundi.' Supra hic lib. VI. 'Nutanti capite claudicare.' *Idem.*

Confususque de impotentia deque inertia sua quidquam ad quenquam referre, &c.] Supra hic: 'Non uxori, non ulli familiarium cordolio patefacto.' Longus de Methymnæis juvenibus, ut miles iste, strenue plagis multatis: Ἐκκλησίαν συνήγαγον τῶν πολιτῶν, καὶ ἱκετερίας θέντες, ἱκέτευον

τιμωρίας ἀξιωθῆναι· τῶν μὲν ἀληθῶν λέγοντες οὐδὲ ἓν, μὴ καὶ προσκαταγέλαστοι γένοιντο, τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα ὑπὸ ποιμένων παθόντες. Ubi et consonam fere disparitatem videmus discrimini, quod hoc loco inter hortulanum et militem. *Idem.*

Sed tacitus injuriam devorans] 'Multa gemens ignominiam, plagasque superbi Victoris.' Seneca IV. 37. de benef. 'Injuriam tacitus tulit.' *Idem.*

Istas tunc clades enarrat suas] Melior vett. editt. et Mss. lectio: *Istam t. cladem e. suam.* Lib. IV. 'Miseri parentes tanta clade defessi,' &c. Lib. VIII. 'Nequiens idoneum exitium tantæ cladi reddere:' et X. 'Magnam domus cladem,' &c. *Idem.*

Contubernio] Glossæ: 'Contubernium, συνοικέσιον, συνσκήνιον, σύνσιτον στρατιωτῶν.' *Idem.*

Militaris sacramenti] Ibidem: 'Sacramentum, ὅρκος στρατιωτικός.' *Idem.*

Ob amissam spatham] Vide Lipsium de Milit. Rom. lib. V. *Idem.*

Signis nostris enotatis, investigationi &c. darent operam] Apposite Clemens Alexandrinus Stromat. VI. Ἔστιν ἡ μὲν ζήτησις, ὁρμὴ ἐπὶ τοῦ καταλαβεῖν, διά τινων σημείων ἀνευρίσκουσα τὸ ὑποκείμενον. Heic *signa* malim restrictius *vestigia* significare: quo spectant Hesychii illa: Ἰχνηλατῆσαι· ἐκ τῶν ἰχνῶν ζητῆσαί τινα. Vide l. III. ff. de fugit. Ut ex vestigiis feras hominesque, ita ex signis res ac veritatem deprehendimus. Hinc fit, ut *signa* pro *vestigiis*, et e converso *vestigia* pro *signis* ponantur. Quintilianus V. 9. 'Signum vocant σημεῖον, quanquam id quidam indicium, quidam vestigium nominaverunt.' Et vide heic totum militum contubernium unius, etsi debitas, plagas ulcisci aggressum. Apud Juvenalem, sive de commodis militiæ Scriptorem, post Pagani illa: 'Nec mihi deerit Ultio, si justæ defertur causa querelæ.' sequitur, 'Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli Consensu magno efficient curabilis ut sit Vindicta, et gravior quam injuria: dignum erit ergo Declamatoris Mutinensis corde Vagellî, Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos? Millia clavorum?' Ubi ad oram libri sui qui penes me, (ex ingenio, an ex Ms.?) vir eximius Josias Mercerus: *tot caligas? tot Millia clavorum?* quæ lectio quantum præstet vulgatæ quid opus demonstrare? *Idem.*

Nec defuit vicinus perfidus] Hesiodus: Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. Julianus Epist. 20. Γείτονα μὲν ἔνεστιν ἐχθρὸν ἔχειν. supra lib. I. 'Cauponem vicinum, et ob id æmulum,' &c. *Idem.*

Tum commilitones, accersitis Magistratibus, &c.] En aliam διασεισμοῦ speciem, ipsorum magistratuum aditionem, ut publica auctoritate freti commodius grassarentur. Hanc, inter alias, speciem respicit l. VI. § de offic. Præsid. Τὸν ἄρχοντα ἐπ' οἰκίαν οὗ τις ἀποκρύπτεται ἐπάγειν, habemus VIII. 6. apud Jul. Pollucem. *Idem.*

Vasculum argenteum] Juvenalis: 'Argenti vascula puri.' *Idem.*

Tunc Magistratus, et damno Præsidis nomine cognito, &c.] Lectio nihili, quæ tamen libros omnes impune pervagatur. Scribe, *et damno, et Præsidis nomine cognito.* Idem.

Denunciant hospiti, nos dedere potius quam subiret] Infinitivum Græcum esse monuerat Pricæus, forsan quia in Edd. Scriv. invenit *dederet:* uti olim quoque hic malui. Sed lib. X. p. 240. 'Caussæ patronis denunciat præco, neque principia dicere, neque miserationem commovere.' Adi et ad p. 194. 'Persuasi uxorem secedere.' Sub seq. *subiret* facile subintelligas *ut.* Vide Duker. ad Liv. lib. XXXVII. c. 37. et me ad Cæsar. In Coll. Voss. est *reddere.* Oud. *Veniunt ad diversorii nostri fores, claraque voce denunciant hospiti nostro, nos quos occultaret apud se, &c. dedere*] Similia,

at in re dissimili, Judic. 19. 22. Περικύκλωσαν τὴν οἰκίαν, &c. καὶ εἶπον πρὸς τὸν ἄνδρα τὸν κύριον τῆς οἰκίας, ἐξάγαγε τὸν ἄνδρα τὸν εἰσελθόντα εἰς τὴν οἰκίαν σου, &c. *Dedere* (sic ubique enim, non *dederet* scriptum) ex usu Græco est. *Pric.*

Salutique studens ejus quem in suam receperat fidem] Id est, ' in suam opem et auxilium :' ita ad Andr. IV. 8. Donato exponente. Cornelius Nepos de Eumene : ' Amicum ' (Perdiccam) ' non deseruit, neque salutis quam fidei cupidior fuit.' Et proprie hoc loco *receperat.* Ulpianus lib. I. § 2. de serv. corrupt. ' Recipere, est refugium abscondendi causa alieni præstare, vel in agro suo, vel in alio loco, ædificiove.' *Idem.*

Nec vidisse quidem illum hortulanum contendit] Plutus apud Aristophanem : *Ην μὲν γὰρ εἰς φειδωλὸν εἰσελθὼν τύχω, Εὐθὺς κατώρυξέν με κατὰ τῆς γῆς κάτω. Κἄν τις προσέλθῃ χρηστὸς ἄνθρωπος φίλος, Αἰτῶν λαβεῖν τι μικρὸν ἀργυρίδιον, Ἔξαρνός ἐστι μηδ' ἰδεῖν με πώποτε. Supra heic l. VII. ' Infit dejerans, nullum semet vidisse rectorem,' &c. *Idem.*

Contra, commilitones, ibi nec uspiam illum delitescere, &c. contendebant] Apud Plautum ille in Milite glorioso : ' Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his ædibus.' *idem.*

Scrutinio] Glossæ Græco-Latinæ : ' Ζήτησις, controversia, scrutinium, quæstio.' De hoc scrutandi ritu elegans locus Petronii Arbitri Satyrico, qui longior, quam ut debeat hic adscribi. *Colv.* Vide ad ejus c. 47. P. Pithœi lib. II. Subs. c. 17. *scruptinio* Pal. et D'Orv. *Oud.* *Scrutinio detegere*] In lib. III. ff. de fugit. ' Scrutari cubilia et vestigia occultantium.' *Pric.*

Immissis lictoribus] In persecutione furti Veteres solebant etiam obsignata et minutissima quæque excutere. Petrus Pithœus Adversar. lib. II. c. 19. *Elmenh.*

PAG. 208 *Publicis ministris*] Fux. *ministeriis.* ut infra : ' donec jussu magistratuum ministeria publica.' Ulp. lib. I. de servis fugit. ' in publicum deduci intelliguntur, qui magistratibus municipalibus traditi sunt, vel publicis ministeriis.' *Roald.* *Ministeriis.* Vulg. *ministris.* Colvius. Bert. *ministris.* Elmenh. Minus bene *ministris* in Pith. D'Orv. et Edd. ante Colv. Vide ad lib. III. p. 44. ' Me publica ministeria perducunt.' In Oxon. Guelf. sec. *publice.* Oud.

Utriusque] Legendum est *utrinque secus*, ut sit sensus : contentio crescit violentia ex utraque parte, militum scilicet et hospitis : cum milites asseverarent pro comparato hortulanum et asinum intra ædes delitescere : hospes vero obstinate pertinaciterque denegaret. *Beroald.* *Tunc gliscit violentior, &c.*] Silius Italicus : ' Gliscit Eliseo violentior ira tyranno.' Glossæ : ' Αὐξάνεται, augescit, gliscit, crescit.' *Pric.*

Pro comperto, &c. asseverantium] ' Pro comperto asseverare,' est quod 1 Timoth. I. 7. et Tit. III. 8. διαβεβαιοῦσθαι. *Idem.*

Domini numen] Lego *Deum numen*, pro Deorum : locutio est apud Veteres usitatissima. *Beroald.*

Quidnam sibi vellet tumultus ille] Et hoc ex Græco usu. Act. II. 12. Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι ; vide et Act. XVII. 20. ' Quid iste fert tumultus ?' apud Horatium legas. *Pric.* *Per quandam fenestrulam, &c. prospicere gestio*] Lucianus : Διακύπτω, &c. διὰ τῆς θυρίδος. sic Proverb. VII. 6. in Græco, ἀπὸ θυρίδος παρακύπτειν. *Idem.*

Collineatis oculis ad umbram m.] Sic omnino scribendum, non *collimatis*, auctoritate optimorum et vetustissimorum codicum. Est autem *collineare* jaculum ad scopum aliquem dirigere, non autem, tangere propositum, ut perperam non vulgi tantum putant, sed docti etiam multi, quorum Muretus fuit, scribit : ' nec per-

itissimos quidem jaculatores semper collineare,' sive, ut ipse mavult, *collimare*. Cicero enim hastam aut sagittam *aliquo collineare* dicit. Et Agell. lib. IX. c. 1. 'Si in editiora mittas, et ad percutiendum superne aliquid manus et oculos collinees, quo motus a te datus fuerit, et telum ibit, quo jeceris.' Supra pag. 61. *Sciopp. in Symb. Collimatis oc.* Alii, *collineatis oc.* Recte. *Elmenh.* Pius ad Plaut. Bacch. VII. 11. 12. *Burm.* Quibus in Codd. Sciopp. invenerit *collineatis*, nescio. Mei omnes cum Edd. Vett. et vulgaribus dant *collimatis;* nisi quod in D'Orvill. sit *combinatis*. Quidam a *limis* probare sunt conati auctoritate Glossarum: 'Collimare, στοχάζεσθαι.' 'Collinio, καταστοχῶ.' Sed et illic potius rescribendum *colliniare* seu *collineare*. Sic *delinearet* abiit in *delimaret* in Florid. N. 7. Recte igitur Sciopp. cum Elm. Scriv. Pric. *collineatis* probat. Consule Gronov. ad Gellii locum, ac Vorst. de Latin. mer. susp. c. 23. In Flor. N. 23. 'Collineato pro fronte situ, et connniventibus ad regulam lineis:' ubi eadem confusio. Sed recte Salmas. ad Solin. p. 118. minus bene tamen ibi legens *obliniarerint*. Rectum *oblimaverint*. Oud. *Collimatis oculis*] *Collineatis* excusum volui. In vetere Onomastico: 'Collineo, καταστοχῶ.' Vide Scioppii Notas. *Pric.*

Magnus continuo clamor exortus est] Lib. X. 'Clamor exurgit consona voce cunctorum.' *Idem.*

Emersis] Legi potest *emensis:* utraque lectio probabilis. *Beroald.*

Injecta manu, me velut captivum detrahunt] Vide supra pag. 43. notata. *Pric.*

Oblatum magistratibus] In Cypriani passione, ex cœnobii S. Victoris Ms. 'Cyprianum Galerius Maximus Proconsul, alia die, &c. offerri sibi præcipit.' Vide supra pag. 54. dicta. *Idem.*

In publicum deducunt carcerem] Sic et infra X. loquitur: supra VII. 'publicam custodelam' dixit. Vide ad Act. XV. 18. adnotata. *Idem.*

Unde e. de prospectu et umbra asini n. c. fr. proverbium] Alium de umbra asini, atque de prospectu illius adagionem fuisse, certum est, illumque antiquum fuisse Platonis, Demosthenis, aliorum scripta clamitant. De *prospectu asini*, ex historia, quam Apuleius hic narravit, originem traxisse, testis quoque in narratione eadem Lucianus. (Tom. II. 613.) Quapropter adductus sum, ut putarem scribendum, *de prospectu, ut de umbra asini*. Tu vide, sumne hoc loco inductus. *Stewech.* De hoc proverbio vide reverendissimum et immortalitate dignissimum senem, Andream Scottum, quem virum propter eximiam eruditionem, humanitatem singularem, et studium indefessum de patribus et politioris literaturæ scriptoribus bene merendi, eximie amo. *Elmenh.* Hæc e glossa irrepsisse arbitror. *Scriver.* Ei adsensum præbet Floridus. Ego mallem Stewechii sententiam sequi, vel *et umbra*, tanquam e glossa et veteri proverbio natum, simpliciter delere. Quia diserte Lucianus proverbium ὄνου παρακύψεως hinc ortum scribit. De utroque proverbio, perperam in vulgatis Appuleii exemplaribus nunc commixto, agunt hic late Beroaldus et Floridus. Edd. Junt. Ald. *unde est*. Oud. *De meo prospectu*] Quod scilicet per fenestram prospiciens, me et hortulanum prodidissem. Ex prospectu et umbra Lucianus sic: κἀκτοτε ἐξ ἐμοῦ πρώτου ἦλθεν εἰς ἀνθρώπους ὁ λόγος ῥῦτος, ἐξ ὄνου παρακύψεως: id est, 'tunc primum ex me hic sermo inter homines ortus est ex asini prospectu.' *Beroald. Ex asini prospectu*] Proverbium hoc, *ex prospectu et umbra asini*, significat, ex re insperata sæpe magnas res prodi atque manifestari, adducique in discrimen: sicut ex prospectu asini detectus est et proditus

hortulanus delitescens: interpres Luciani proverbium hoc, ἐξ ὄνου παρακύψεως, parum eleganter interpretatur 'Ex asino conspecto:' cum fuerit dicendum, 'ex asini prospectu:' quod et verba Græca significant, et docet Lucius noster: apud Græcos celebre est id proverbium ἐξ ὄνου παρακύψεως, de his qui ridicule calumniantur. Ferunt enim asinum fregisse vasa fictilia in figuli officina, per fenestram prospicientem: unde asinus in jus vocatus a domino tabernæ, interrogatus cujus criminis insimularetur, dixit ὄνου παρακύψεως, id est, 'de asini prospectu.' Alii tradunt, quod asino conspiciente aves evolarunt, disruperuntque telam: quapropter dominus telæ asinarium in jus vocavit, qui rogatus, Quam ob causam reus fieret? dixit, 'Ex asini prospectu:' unde natum est adagium. Sed attende quæso lector, et nunc mihi totus adesto, quod cum Lucianus tantum dixerit ex prospectu asini natum proverbium, Noster addidit, 'de prospectu et umbra;' scito non hoc simpliciter intelligendum, propter umbram asini, ad quam unus commilitonum oculos direxit, et ex ea deprendit hortulanum delitescentem: sed ut ego sentio, clanculum et dissimulanter alludit ad proverbium alterum Græcum ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς: id est, 'de umbra asini,' quo uti solemus de iis, qui desiderant nosse futilia et frivola, minimeque utilia. Cujus meminit Menander in Enchiridio, et Plato, et alii complusculi. Ductum autem est proverbium ex fabula, qua traditur, juvenem conduxisse mercede asinum, et cum sub umbra asini per meridianum æstum quiescere vellet, exturbatum esse ab asinario, asserente se illi asinum tantum locasse, non umbram. Ex hoc ventum est in judicium ab utroque: quod cum olim in judicio causæ capitalis coram judicibus fastidiosis recitasset Demosthenes, et illi mox expergefacti fabellæ lepiditate, cuperent noscere quis fuisset exitus rei, subjunxit orator oppido quam tempestiviter et scite: ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς ἀκούειν ὦ ἄνδρες ἐπιθυμεῖτε, ἀνθρώπου δὲ κινδυνεύοντος ὑπὲρ ψυχῆς οὐδὲ τῆς φωνῆς ἀνέχεσθε. 'o viri' (inquit) 'cupitis de umbra asini? hominis autem pro anima periclitantis defensionem audire non vultis.' Sunt et illa apud eosdem Græcos de asino quoque celebrata proverbia, ὄνος πρὸς αὐλον, 'asinus ad tibiam:' ὄνος λύρας, 'asinus ad lyram:' ὄνος, εἰς ἄχυρα, 'asinus in paleas.' Dicitur autem hæc parœmia de his qui præter spem incidunt in bona, illisque voluptarie fruuntur. Celebrant et illud, ὄνον κείρεις, 'asinum tondes:' de hominibus inefficacia aggredientibus, asinum enim tondere non possumus. Cui consimile est hoc, ὄνου πόκους ζητεῖς, id est, 'asini vellera quæris.' *Idem.*

METAMORPH. LIB. X.

Hoc decimo libro continetur militis cum asino ad civitatem accessus: facinoris muliebris ob amorem incæstum infandumque luculenta descriptio. Asini duobus fratribus facta venditio, quorum alter pistor erat, alter coquus: mox fratrum, ob asini furtivam rapinam cibariam, dissidium atque contentio. Asini vita genitalis et parasitica sub domino mitiore, ejusdemque cum matrona amorabunda concubitus: fœminæ scelestæ ad bestias damnatio. Judicii Paridis editio: asini fuga ex spectaculo. *Beroald.*

PAG. 209 *Propter eximiam inpotentiam*] Scripsi olim *insolentiam*, ut libro præcedenti supra: 'Nec miles ille familiarem cohibere quivit insolentiam.' Nam sic apud Senecam Epistola XLII. legeram: 'At odit eos qui subita et magna potentia insolenter utuntur.' Sed monuit me liber meus vetus, ibi quoque legendum, 'qui subita et magna potentia impotenter utuntur.' Sic *impotenter* etiam apud Quintilianum Instit. lib. I. 'Ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer:' et ipsum Senecam de Beneficiis lib. IV. 'Qui non ipsis quas impotentissime fecit, speciem aliquam induet recti.' Itaque in Apuleio nihil mutandum: Seneca vero emendandus fuit. *Colv.* In Palat. et Coll. Voss. est *per*. Bene vero Colvius mutavit sententiam. Nec est quod dubitet Beroaldus et cum eo Floridus, an *impotentia* sumi hic debeat pro debilitate. Quo sensu quidam locutum esse volunt Auctorem lib. IX. p. 207. de eodem hoc milite: 'confususque de inpotentia, deque inertia sua.' Nam et illic pro *insolentia*, qua hortulanum vite obtudit, ejus asinum abducere volens, sumi debet, ut infra p. 214. 'ad instar barbaricæ feritatis, et tyrannicæ impotentiæ.' De Phil. Mor. in f. 'Paucorum divitum inpotentiæ se dedentes:' ubi vide Sciopp. et Elmenh. in Ind. Suet. Cæs. c. 77. 'Nec minoris inpotentiæ vocem edidit.' Drakenb. ad Liv. lib. XXX. 16. XXXVIII. 48. *Oud.* *Ob eximiam impotentiam*] Utrum ob invalentiam et imbelliam, an ob immodicam militaremque potentiam ac insolentiam, ambiguum est: constat enim militem vapulasse, cum ob infirmitatem virium (quibus hortulanus præpollebat) tum ob contumaciam impotentiamque tyrannicam, dum militariter cædem hortulano minitatur. *Beroald.* *Propter eximiam impotentiam eximie vapulaverat*] Servius ad Æneid. I. 'Sunt quædam quæ pro locis intelliguntur, ut impotens: quod et satis, et minus, et nihil potens significat.' Glossarium: 'Impotens, &c. ὠμός.' Beroaldus nodum hic in scirpo quæsivit. *Pric.*

Præmicantem] Fulgorem in armis requirunt Impp. ad incutiendum terrorem. Plaut. Milite, Act. I. Scen. 1. 'Curate ut splendor meo sit clypeo clarior, Quam Solis radii esse olim, cum sudum 'st, solent. Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu Oculorum perstringat aciem in acie hostibus.' *Elmenh.* Oxon. Guelf. pr. *promicantem*. Ed. Bas. pr. *permic.* Oud.

Scutum cæteris his longius lucens] Fux. *scutum c. l.* Abest *lucens.* Corrigo, *scutum cetra longiorem.* Cetra autem est breve scutum Hispanicum, cujus mentio infinitis authorum locis, præsertim apud Livium lib. VIII. Decad. 3. Ruffus etiam lib. III. de gestis Alexandri: 'Bactrianorum equitum duo millia fuere armati bipennibus forte brevibus, levibusque scutis; cetræ maxime speciem reddentibus.'

Glossograp. habet, cetram (ita enim legitur col. 399.) esse τὴν ἀσπίδα λησ-τρικήν. Porro Veteres promiscue *scutus* et *scutum* dixerunt, ut 'clypeus' et 'clypeum,' et alia id genus. *Roald.* Ms. *cetera longiorem lucens.* Colv. Πορρωτέρω ἀποστίλβον. Mihi locus est suspectus, maxime quod in Lipsiano codice scriptum ait Colvius: *scutum cetera longiorem lucens.* Forte: *cetera longe relucens,* vel, *ceteris longe prælucens.* Sane simile quippiam latere puto. *Sciopp. in Symb.* Alii notarunt, in antiquis libris legi: *cætera longiorem lucens.* Fortasse: *cæteris longe relucens.* Sed scripserat Apuleius: *cetris his longius relucens. His,* id est, vulgaribus. Nam V. C. *cetra longius lucens.* Wowerius. Fl. 2. et Lipsii liber, *cætera longiorem.* Wower. *cæteris his l. relucens.* Scioppius, *cæteris longe prælucens.* Elmenh. Hæc certo certius sunt corrupta. Sed non recte a viris doctis castigata. Ac primo nulli bono sunt illa *ceteris his.* Si ista valerent, debuit Appuleius simul monstrasse illa scuta cetera. Quare abeat τὸ *his,* quod est in nullo Cod. Valer. Flacc. lib. I. 403. 'tantum hæc aliis excelsior hastis Splendet.' Verum nec convenit τὸ *ceteris.* Nam scutum hic aliud erat nullum, præter unius militis, sicut 'galea' et 'lancea.' In Mss. ad unum omnibus est *cetera.* Quare etiam Modius conjiciebat vel *scutum et cetram longius lucentem,* vel *sc. cetra longiore lucens.* Posterius non intelligo, prius valere nequit. Cui enim bono uni militi *scutum* et *cetra?* Non capio etiam lectionem Ed. Vulc. sec. *cetra his longius lucens.* Appuleium de *cetra,* quæ nihil ad rem facit, hic cogitasse nullus credo. *Cetera* nullum habet sensum. Sed miror, viros doctos non advertisse, deesse verbum, a quo pendeant Accusativi, vel abundare mox pronomen relativum *quæ* vel *quam,* cui nunc jungi debet *composüerat.* Hinc in Interpretatione interpolavit Floridus sic: 'Imposuerat mihi galeam et clypeum, qui longius emicabat reliquis illis.' Scilicet in Palat. Oxon. Par. Guelf. utroque est, *cetera longiorem lucentem,* in Flor. Fux. Reg. D'Orv. Lips. *cetera longiorem lucens.* Hinc suspicor, litteram *m* loco suo excidisse, et hinc natam corruptelam; dum dederat Appuleius aliquod verbum, sive *ceperam,* sc. dorso meo, vel *gerebam.* Frequens enim confusio est τῶν *c et g.* Sic fere lib. VIII. p. 162. &c. 'Gerebamus infantulos,' &c. et similia: quare se eodem libro *gerulum* vocat. Hinc ex *longiore lucens* facillima est emendatio, *longius lucens,* sive *longius relucens,* ut bene ediderunt Elmenhorstius ac sequentes. Nam masculinum genus *lucentem* sine dubio dederunt quidam librarii existimantes, convenire debere cum *longiorem:* licet *scutus* masculine dixerit olim Turpilius in Demiurgo, teste Nonio de Indiscr. Gen. p. 226. Ed. Merc. Æn. VIII. 93. 'fulgentia longe Scuta.' 623. 'longeque refulget.' Si tamen cui placet magis, *cetra longius relucens,* ejiciat omnino pronomen, quod non nihil ob varietatem numeri mihi suspectum est. Nam Mss. Flor. Lips. D'Orv. Reg. Ed. Colv. eumque seqq. habent *quam,* sed Pal. Oxon. Par. Fux. Pith. Guelf. pr. cum Edd. Vett. *quæ,* melius, judice Pricæo. Et sane non *lanceam* modo, verum etiam *galeam* et *scutum,* lanceæ suspensa in tropæi modum, sedulo ad terrendos viatores composuerat. Male enim Vlitius exponit cuspidem super longissimum hastile exaltatam, ad Gratii Cyneg. vs. 118. 'Quam longa exigui spicant hastilia dentes.' *Oud.*

Sarcinis propriis onustum] Apposite in Glossario: 'Σκεύη στρατιωτικά, sarcinæ.' Seneca cap. 12. Consol. ad Helviam: 'Militantes quotam partem rerum suarum secum habent! cum omnem apparatum castrensis

disciplina submoveat.' At hic extra expeditionem agebat. *Idem.* *Longius relucens*] Suidas: Τηλαυγές· λίαν λαμπρὸν, πόῤῥωθεν φαῖνον. *Pric.*

Sic etiam lanc.] Vulg. *sed etiam.* Ms. *hastisti*, pro *hastili.* Colvius. Bert. *sed et l.* Elmenhorst. Nullus cod. consentit Lipsiano, ut edidere Colv. Vulc. et Elmenh. in τῷ *sic*, prave. Fraudi videtur illis fuisse Ellipsis τῶν *non solum* frequentissima. Immo cum Bertin. dant Pal. Pith. Guelf. ambo, Oxon. Par. *sed et.* Optime. Sive *præterea.* Vide me ad Suet. Tib. c. 59. Infra p. 214. 'Tanta indignatione curiam, sed et plebem inflammaverat:' et passim. Neque aliter e Mss. legendus locus Septimii de B. Troj. lib. II. c. 4. 'Ceterum in ea pugna utriusque exercitus interfecti multi mortales, sed et vulnerati pars maxima, prorsus nullo, aut perpaucis cladum' (Mss. *cladem* vel *clade*) 'belli ejus expertibus.' Aliter vulgo. *Lognissimo* in Oxon. *conspicuum* Guelf. pr. *Oud.* *Lanceam longissimo hastili*] Cum Lucianus hunc in Macedonia militem fuisse describat, intelligimus sarissam significari: etenim *sarissa* (ut docet Ælianus in Tacticis) lancea est, qua utitur phalanx Macedonica, longitudine 14. cubitorum: quorum duo manus continent, reliqua 12. prominent: inde *sarissophori* a nostris scriptoribus dicti, qui sarissas gestant. *Beroald.*

Quam scilicet, &c.] Melius Oxon. *Quæ s.* Pric.

Propter terrendos] Guelf. pr. *proter terr.* Male Pricæus cogitavit, *ad proterrendos.* Terrere quidem viatores, sed non simul *fugare* volebat miles. Eam tamen vim inesse verbo *proterrere*, alibi docuimus. Ceterum perperam Beroaldus *lanceam* interpretatur sarissam, aiens, Lucianum, hunc hominem in Macedonia militem fuisse, describere. Minus sane adtente inspexit Lucianum, qui tom. II. p. 611. scribit, eum adpellasse hortulanum τῇ Ἰταλῶν φωνῇ. ut Noster p. 205. Sed p. 613. ait militem, de quo nihil hic amplius, vendidisse famulo viri ditissimi ex Macedoniæ urbe Thessalonice, ejusque conservo fratri; ut refert Noster demum p. 219. pro more alias fabulas interserens. *Oud.* *Propter terrendos, &c.*] Sic etiam Oxon. Ms. Cogitabam *ad proterrendos.* Lib. IV. 'Nam et ursæ facies, &c. ad proterrendos, si qui de familia forte vigilassent, videbatur opportuna.' Virgilius: 'Adverso proterret equo:' supra hic lib. VIII. 'Facibus feras proterrebant.' *Pric.*

Miseros viatores] Lib. VIII. 'Miseros homines, et laboriosos viatores.' *Idem.*

Confecta campestri, &c. via, ad quandam civitatulam pervenimus] Lib. VIII. 'Campestres emensi vias, civitatem quandam populosam, et nobilem, &c. pervenimus.' *Idem.*

Cujusdam decurionis] Gloss. 'Δεκάρχης, decurio.' *Idem.*

Ad præpositum suum qui mille armatorum ducatum sustinebat] Firmicus III. 5. 'Faciet nihilominus armatos, præpositos, tribunos, vel minoris loci duces,' &c. Glossæ: 'Ducatus, ἡγεμονία.' In loco Firmici legendum videtur *armatorum præpositos.* Onomast. vetus: 'Armati, ἔνοπλοι.' De 'mille armatorum ducatus' vide l. 1. ff. de testam. milit. *Idem.*

Designatum facinus] Prave et perperam factum. *Designare* est rem novam facere, in utramque partem, et bonam et malam. Prave et recte facta, *designata* apud Veteres dicebantur: hic in malam partem ponitur. *Designatores* dicti, qui ludis funebribus præsunt: ob eam causam (ut credit Donatus) quod in ipsis ludis multa fiant nova et spectanda. Terentius in Adelphis: 'Modo quid designavit?' *Beroald.*

PAG. 210 *Ad librum profero*] Infra heic: 'Quæ comperi, ad istas literas proferam.' *Pric.*

Juvenem filium probe literatum, atque ob id consequenter pietate ac modestia præcipuum] In Tabula Cebetis: Γράμματα καὶ μαθήματα, ἃ καὶ Πλάτων φησὶ ὡσανεὶ χαλινοῦ τινος δύναμιν ἔχειν τοῖς νέοις. Philo in περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδ. συνοδ. Ὥσπερ ἐν οἰκίαις αὔλειοι πρόκεινται κλισιάδων, ἐν δὲ πόλεσι τὰ προάστεια, δι' ὧν εἴσω βαδίζειν ἔνεστιν· οὕτως καὶ τῆς ἀρετῆς πρόκεινται ἐγκύκλια, ταῦτα γὰρ ὁδός ἐστιν ἐπ' ἐκείνην φέρουσα. Scholiastes ad Equit. Aristoph. Ἡ παιδεία τοὺς ἀτόπους λογισμοὺς ἐκτρέπει. et post: Ὡς τῆς παιδείας ἱκανῶς καθιστώσης, ἀποδιῶξαι καὶ ἀπελάσαι τοὺς πονηροὺς λογισμούς. In versu Græco: Ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ. Demosthenes in Amatorio: Ὅλως μὲν ἅπασα φύσις βελτίων γίγνεται παιδείαν προσλαβοῦσα. Ammianus Marcellinus l. XXIX. 'O præclara informatio doctrinarum, &c. quæ vel vitiosas naturas sæpe excoluisti.' Cominæus l. x. 'Multos novi quos a pravis et illaudatis consiliis eruditio sola retraxit.' Ab his non multum discedit quod de Theramene III. 2. Valer. Maximus: 'A literis ac doctrina virilitatem traxit:' ita enim legendum putem, non, *ad doctrinam*, ut in excusis: τὸ *consequenter* post *ob id* fortasse abundare videatur. Q. Curtius lib. IV. 'Non recto itinere, sed majore, et ob id tutiore, circuitu.' Ibidem: 'Avidum certaminis, atque ob id incautius in se ruentem.' Appuleius ipse lib. I. 'Cauponem vicinum, atque ob id æmulum:' et post, 'Civitatem, &c. in summo montis exasperati vertice sitam, et ob id aquis sterilem:' l. VIII. 'Diurnis potationibus exercitatus, atque ob id factionibus latronum male sociatus:' et IX. 'Imbre nimio madefactus, atque ob id ab itinere directo cohibitus.' At merito locum heic implet, nimirum διακριτικῶς positum. Exculti studiis *consequenter* boni sunt, non autem *necessario*. Apud Cebetem ubi supra: Πότερον δὲ ἀνάγκη ταῦτα (μαθήματα) λαβεῖν, εἰ μέλλοι τις ἥξειν πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδείαν, ἢ οὔ; Ἀνάγκη μὲν οὐδεμία, ἔφη, χρήσιμα μέντοι ἐστί. Multi enim nullis literis adjuti vivendi normam optimam sequuntur: alii eruditionis nomine conspicui haud unquam ad meliorem frugem evadunt: at hæc est virtus literarum, ut bonas indoles citius ad perfectionem ducant: certe pessimas, saltem ad aliquid, refrænent ac cohibeant. *Idem. Pietate ac modestia præcipuum*] Oxon. *Pietate modesta præcipuum:* quo accedit et Lipsianus Ms. *Idem.*

Vel talem] Adposite Ovid. Epist. XX. 227. 'Adpetere talem vel non jurata maritum, Juratæ vel non talis habendus erat.' *Oud. Quem tibi quoque provenisse cuperes, vel talem*] De liberis et parentibus Plautus in Mostellaria: 'Expoliunt, docent literas, jura et leges, Sumptu suo et labore nituntur, ut Alii sibi esse illorum similes expetant.' C. Marius apud Sallustium: 'Si jam ex patribus Albini et Bestiæ quæri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi se liberos quam optimos voluisse?' Hadrianus inter laudes Commodi apud Dionem Cassium: Οἷον οὐδ' ἂν εὔξασθαι παῖδα ἐδυνήθην. Imp. Claudius apud Suetonium de L. Othone: 'Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.' Contra apud Plutarchum in Cimone: Τοιοῦτος οἷον ἀπεύξαιτ' ἄν τις μὴ γενέσθαι ἑαυτῷ παιδίον. Idem in περὶ δεισιδαιμ. Τοῦ Τιμοθέου τὴν Ἄρτεμιν ᾄδοντος ἐν Ἀθήναις, καὶ λέγοντος, θυάδα, φοιβάδα, μαινάδα, λυσσάδα· Κινησίας ὁ μελοποιὸς ἐκ τῶν θεατῶν ἀναστὰς, τοιαύτη (ἔφη) θυγάτηρ γένοιτο. Suetonius de Augusto: 'Deprecanti populo,' (relegationem Juliæ) 'et pertinacius instanti, tales filias, &c. pro concione imprecatus.' Declamationis in Sallustium Auctor: 'Nunc, ut ad te revertar, patremque tuum prætercam: qui si nunquam in vita sua peccavit, tamen majorem injuriam facere Reipublicæ non potuit, quam quod te talem filium genuit.'

Proprie autem in hoc argumento *provenire*. Apud Plautum Trucul. 'Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis Gratulor.' Justinus l. II. 'Artemenem primum quidem Dario, sed privato provenisse.' Idem XXXVI. 'Israëlem felix decem liberorum proventus majoribus suis clariorem fecit.' *Pric.*

Ductaque alia, filium procreaverat alium] Ergo alter, ut loquuntur Græci, erat πρόγονος. *Idem.*

Adæque, &c.] Abest a Bertino, agnoscit Oxon. quin et supra VIII. 'Canem adæque ' dixit. Onomasticon vetus: 'Adæque, ἐπίσης.' *Idem.*

Ætatis annum supergresserat] Sic idem vet. cod. et al. *supergressus erat*. Vulg. *supergesserat*. Unde politissimus Dousa divinabat scribendum, *supercesserat*. Sed quidni *supergresserat*, id est, supergressus erat? An non testis satis locuples Priscianus, qui l. VIII. et *congredior* et *congredio* Veteres dixisse notat? *Colv.* Pal. Bert. Rom. et Flor. *supergesserat*. Dousa *supercesserat*, male. Vide Colvium. *Elmenh.* Colvianam lectionem similibus adserit Falsterus in Supplem. Ling. Lat. Ita Solin. ait c. 30. 'Quadragesimum ævi annum supergreditur.' Silio dicitur l. I. vs. 226. 'Transscendere annos:' et Arnobio l. I. p. 18. 'Diem primæ nativitatis intrare.' At reliqui cum Edd. Vett. retinent *supergesserat*, et in D'Orvill. Guelf. pr. transposite *annum ætatis*. Quid si legas, *annum ætati supergesserat*. Millies littera sequentis vocis adhæsit priori. Ovid. l. IV. Fast. 702. 'Addideratque annos ad duo lustra duos.' E Guelf. nil notatum. *Oud.*

Forma magis quam moribus in domo mariti præpollens] Theocritus XXIV. Τὰν μορφὰν ἀγαθῶ, τὸν δὲ τρόπον οὐκ ἔθ' ὁμοίω. Spartianus de Ælio Vero: 'Hadriano, &c. acceptior forma quam moribus.' E converso, de Susanna, Scriptor de bono Pudicitiæ: 'Uxor, &c. pulcherrima, pulchrior moribus.' *Pric.*

Sed naturaliter impudica, seu fato, &c. impulsa] Donatus ad ea I. 1. Andr. 'Mala mens, malus animus:' 'Argumentum a Natura, et an aliquis sine causa malus, an ab impulsione.' Servius ad Æneid. IX. 'Apud Plotinum Philosophum et alios, quæritur utrum mentis nostræ acies per se ad cupiditates et consilia moveatur, an impulsu alicujus Numinis. Et primo dixerunt mentes humanas moveri sua sponte, deprehenderunt tamen' (melius *tandem*) 'ad omnia honesta impelli nos Genio et Numine quodam familiari, quod nobis nascentibus datur: prava vero nostra mente nos cupere ac desiderare: nec enim fieri posse ut prava Numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum constat placere.' Vide quæ olim ad Apologiam p. 182. et nuper ad Jacobi I. 13. 14. notata. *Idem.* *Seu fato, &c.*] Ovidius: 'Sive fuit fatum, seu fuit ipse Deus.' *Idem.*

Oculos ad privignum adjecit] Servius ad Æneid. VI. 'Amare privignum crimen est, virtus maritum.' *Oculos adjicere* heic, est quod Matth. 5. 28. πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι βλέπειν. ubi notata vide. Pollux II. 4. Ἐποφθαλμεῖν, ἐπιθυμεῖν τινος. Suidas: Ὀφθαλμὸν ἐπιβάλλειν· περιέργως θεάσασθαι. Plautus hoc sensu in Milite, 'adjicere animum.' Narrationem isti persimilem V. 7. habet Valerius Maximus. *Idem.*

A socco ad cothurnum ascendere] Socci enim calcei humiliores: cothurni altiores, ob dignitatem personarum Tragicarum repræsentandam majorem. Hinc histriones Tragici, 'Alti incedere,' dicti Senecæ: sed correctione eget locus ejus Epistol. LXXVI. 'Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est: non magis quam ex illis, quibus sceptrum et chlamydem fabulæ assignant, cum præsente populo elati incesserunt et cothurnati; simul exierunt, excalceantur, et ad

staturam suam redeunt.' Quod ut suspicer, facit liber meus vetus, qui habet, *lati incesserunt;* invertamque litteras, *alti incess.* Subjicit enim, *et ad staturam suam redeunt.* Sic idem Epistola CXV. 'Omnium illorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.' Lucianus etiam ita Menippo: Καὶ καταβὰς ἀπὸ τῶν ἐμβατῶν, πένης καὶ ταπεινὸς περιέρχεται· qui locus fere ejusdem sententiæ cum hoc Senecæ. Sed et Anacharside: Εἶδον, ὦ Σόλων, οὓς φῂς, τοὺς τραγῳδοὺς καὶ κωμῳδοὺς, εἴγε ἐκεῖνοί εἰσιν, ὑποδήματα μὲν βαρέα, καὶ ὑψηλὰ ὑποδεδεμένοι, χρυσαῖς δὲ ταινίαις τὴν ἐσθῆτα πεποικιλμένοι, &c. *Colv.* Oxon. Guelf. pr. et sec. in marg. *ad cuternum.* Oud.

Primis elementis] Forte scribendum, *alimentis.* Colv. Colvius, *alimentis.* Bene. *Elmenh.* Ego *elementis* retineam, ut mox (p. 214. Ed. Pric.) 'ne de parvis indignationis elementis.' *Brant.* Miror, summum Casaubonum quoque prætulisse *alimentis,* probatum item a Passeratio ad Propert. l. III. El. 21. p. 528. 'Ipse alimenta sibi maxima præbet Amor.' Sed bene sit Brantio et Pricæo, qui *elementis* defenderunt. Immo quamvis alterum esset in nonnullis Codicibus, sicut in Ms. Voss. de Mundo passim *ælementum* pro *elem.* exaratur, tamen *elementis* ut doctius et exquisitius retinerem. Nam *elementum* originis suæ vi est *alimentum,* quo omnia subolent et crescunt, ut docet J. G. Vossius in Etym. Adi etiam Barth. ad Claudianum l. I. in Rufin. vs. 6. Sil. Ital. l. III. 77. 'Irarum elementa mearum.' Juven. Sat. XIV. 125. 'Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos Inbuit.' Crebro junguntur *prima elementa.* Vide ad l. II. p. 28. In Oxon. *primis cultis.* Conferantur schedæ ineditæ inter Perizoniana Bibl. pub. ad Quinctil. Decl. XI. *Oud.* *Quamdiu primis elementis Cupido parvulus nutriebatur*] Ex his, ut puto, Virgilii l. VII. 'Ac dum prima lues udo sublapsa veneno Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem: Nec dum animus toto percepit pectore flammam, Mollius, et solito matrum de more locuta est.' Casaubonus ad oram libri sui alleverat *alimentis,* quæ etiam Colvii conjectura fuit probata Elmenhorstio. At rectum illud *elementis,* si quid uspiam his in libris sincerum. Quintilianus Declam. XIV. 'Ut adolescentis ardoris impetus in parvis exstinguatur elementis.' Sic infra hoc ipso libro, 'indignationis parva elementa,' Noster. *Pric.*

Ruborem ten. deprimens] Nisi *ruborem* capiamus pro ardore, per sanguinem ferventi, et effectu pro caussa per notam Metonymiam, hic legendum est vel *vaporem,* ut conjecit Wasseus, vel *ardorem,* ut doctus juvenis, Lennepius, in Animadvers. Colutho junctis p. 147. Verecundia enim vix locum habere posse videtur. *Oud.*

Facile ruborem tenuem deprimens silentio, resistebat] Lucianus in de Dea Syria, in re non dissimili: Ἡ δὲ τὰ μὲν πρῶτα ἐσωφρόνει, καὶ τὴν νοῦσον ἔκρυπτε. *Pric.*

Bacchatus amor] Ms. (Fulv.) *debacchatus.* Sciopp. in Symb. Non male eam lectionem amplexus est Scriverius. Passim enim, et præsertim apud Nostrum, præpositio *de* significationem verbi intendit; atque in hac ipsa voce apud Terentium et Horatium. *Oud.*

At ubi completis igne vesano totis præcordiis, &c.] Maximian. 'At postquam teneram rupit verecundia frontem, Nec valuit penitus flamma recepta tegi.' Lucianus ubi supra: Ὡς δέ οἱ τὸ κακὸν μεῖζον ἡσυχίης ἐγένετο, κλαίεσκέ τε δι' ἡμέρης, καὶ Κόμβαβον ἀνεκαλέετο, καί οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν. *Pric.* *Completis igne v. totis præcordiis*] De Phædra, itidem noverca, Seneca in Hippolito: 'Labitur totas furor in medullas, Igne furtivo populante venas.' Virgilius: 'Vulnus alit venis, et cœco carpitur igni.' *Idem.* *Bac-*

chatus amor, &c.] Lib. II. 'Bacchamur in Venerem.' *Idem.*

Sævienti Deo jam succubuit] Servius ad Eclog. X. 'Cuivis facilius quam amori repugnatur:' præcipue in concesso (qualis hic,) amori. Idem ad IV. Æneid. 'Contra dignitatem amor susceptus gravior esse solet.' *Idem. Sævienti Deo jam s.*] Concinnius forsan, *S. jam Deo succubuit.* Idem.

Ac languore simulato, &c.] Apud Petronium: 'Quod solum igitur salvo pudore poteram confingere, languorem simulare cœpi.' Vide II. Samuel. 15. 3. Contra apud Philonem, Νοσῶν ὑγιαίνοντα καθυποκρίνεται. *Idem.*

Mentitur in corporis valetudine] Emenda, *mentitur corporis invaletudine.* Vox *invaletudo* ter apud Ciceronem, item apud Tertullianum et alios. *Stewech.* Vulgatam Tmesis figura tueri potest, ut jam ante aliquoties. *Brant.* Probare debuerat Floridus, *mentiri* alibi vel ab Appuleio usquam sumi pro 'celare,' 'dissimulare,' et ficta fraude abscondere. Nam contra usus verbi habet vim simulandi, et rem personamve fictam induendi. Adi Tennul. ad Front. lib. III. c. 10. § 7. 'Fugam mentiti.' Drakenb. ad Sil. Ital. l. II. 637. 'fratrem mentite Lycorma.' Hinc perperam Burmannus vulgatam Lucani lectionem *dominis* l. v. mutavit in *dominos* vs. 386. 'Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto, Mentimur dominis, hæc primum reperit ætas:' et exposuit, falsis nominibus vocamus eos *Consules*, qui revera sunt reges et domini. At certe *Consulis* vox tunc non primum reperta. Dein Imperator potest dici 'mentiri Consulem,' sive sub specie consulatus esse dominus; alter vero alterum non potest *mentiri dominum.* Unice vera est lectio *dominis.* Intelligit Lucanus falsos verborum honores, fictosque titulos, per quos Romani Imperatoribus et Dominis adulabantur: ut bene Scholiastes et Hortensius cepere. Sic *mentiri* cum Dativo apud Sil. l. VII. 160. 'numquam tellus mentita colono.' Claud. Cons. Prob. et Olyb. vs. 108. 'geminisque fidem mentita tyrannis.' Et sic Græce ψεύδεσθαί τινι. Sed ad Appuleium revertamur. Difficultas hæc nequaquam tollitur emendatione Stewechii, quam de suo quoque protulit Piccart. Per. Crit. c. 13. et expressit Scriverius. Nam nugas Brantii omitto. Pricæi conjecturam probavit Doct. Abreschius in Lect. Aristæn. p. 70. Sed minore mutatione tum legas *in corpore valetudinem*, sive amorem suum simulat esse morbum. Is enim potius dicitur *valetudo*, quam *invaletudo*, quæ admodum suspecta mihi vox est, certe ab Appuleio nusquam adhibita. Quid, si scripserit Auctor: *Ac languore mentito dissimulat vulnus animi in c. val.?* Solet enim Noster sæpe passive uti participio *mentitus.* Respice ad l. VIII. p. 160. 'mentita tarditate.' *Oud.* *Vulnus animi mentitur in corporis valetudine*] Quod est in usu Latinitatis *mentiri quid*, quam *simulare?* cujuslibet rei speciem præ se ferre? at hoc non agit mulier ista ut mentis suæ vulnus appareat, quin e diverso, utitur quanta potest solertia, ut corporis, non animi ægritudine decumbere videatur. Ergo loci mutanda lectio videtur, et ad hanc formam concinnanda: *Vulnus animi mentitur corporis invalitudinem.* Mutatio quidem levicula, quæ e tenebris tamen sensum obrutum extraxit. Juvenalis, non ista quidem sententia, at verbis isti argumento concinnis: 'Corpore sano Advocat Archigenen, onerosaque pallia jactat.' *Pric.* *Mentitur in corporis valetudine*] Simulat se languore corporis affectam, cum animi ægritudine tabescat: sic olim Antiochus amore novercæ Stratonices captus, cum cupidini sævienti succubuisset, nec ullum remedium tanto malo reperiret, simulans se corporis morbo conflictari, in lecto decubuit: qui mox opera et astu Erasistrati medici

revaluit factus voti compos. *Beroald.*

Jam cætera salutis vultusque detrimenta, &c.] Virgilius simili argumento: 'Horrida vultum Deformat macies.' Ovidius in fabula Biblidis: 'Esse quidem læsi poterat tibi pectoris index, et color, et macies, et vultus.' Metam. VIII. Nazarius, at in re alia, in Panægyrico: 'Male clausi signa mœroris per vultus indices exierunt.' Maximianus: 'Prodere non ausus, carpebar vulnere cæco: Sed stupor et macies vocis habebat opus.' *Pric.*

Nemo est, qui nesciat. Pallor deformis, &c.] Non displicet scriptura vetus, *pallore deformis.* Colv. Ms. *deforis.* Quod scires esse Apuleianum. *Sciopp. in Symb.* Lipsii liber et Bert. *pallore d.* Alii, *p. deforis.* Scholiastes vetus Horatii ad Epod. II. 'Ex amoris impatientia nascitur tristitia, ex qua languor, ex languore pallor, silentium et suspiria; ex quibus ut adjunctis signis certo cognoscitur amor.' Ovid. lib. IV. Metamorph. fab. 4. 'palles: facit hunc amor ipse colorem.' Propertius: 'Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni.' Plautus, Persa, scena, Qui amans egens ingressus: 'SA. Satin usque valuisti? To. Haud probe. SA. Ergo ædepol palles. To. Saucius factus in Veneris prælio. Sagitta Cupido cor meum transfixit. SA. jam servi hic amant.' Lucianus de Syria Dea p. 414. Ἔρωτος δὲ ἀφανέος πολλὰ σημεῖα, ὀφθαλμοί τε ἀσθενέες καὶ φωνὴ καὶ χροιὴ καὶ δάκρυα. Docte Aristænetus Ep. 13. libr. I. p. 53. et seq. Et Avicenna libr. III. Tract. 4. fol. 206. *Elmenh.* Primo tacite addidit Colvius verbum *est,* quo carent priores Edd. cum Mss. Pal. Fux. Pith. Guelf. Oxon. D'Orv. in quibus, uti et Flor. Bert. Par. et Ed. Vicent. est *pallore.* Ut jungantur *nesciat pallore deformis,* quomodo alibi loquitur Auctor. Verum non solum Amantes hoc sciunt, sed etiam, qui non amant. Ac sequentes Nominativi satis docent, Amoris hoc signum *pallor deformis* esse retinendum. Vocula *est* transposita, et per *e* expressa, adhæsit voci *pallor;* qui ipse recte dici potest *deformis,* ut Martiali lib. II. Ep. 74. *vitium deforme.* Fulv. Cod. lectio *deforis* nihili est. *Oud.*

Pallor deformis] Supra lib. V. 'Si rite conjecto, &c. de nimio pallore corporis, &c. amore nimio laboras.' Pollux IV. 19. Ὠχριᾷ, ὡς νοσοῦντα ἢ ἐρῶντα δηλοῦν. Catullus Argonaut. 'Quantos illa tulit languenti corde dolores! Quantum sæpe magis fulgere expalluit auri!' De Scylla amore perculsa Virgilius Ciri: 'Nullus in ore rubor; ubi enim rubor, obstat amori.' Vide quæ plura Beroaldus et Elmenhorstius. Male heic ex Mss. Scioppius *pallor deforis:* supra lib. VIII. 'Pallore deformem faciem.' *Pric.*

Marcentes oculi] Appuleius eodem libri V. loco: 'De istis marcentibus oculis tuis,' &c. (sic scribendum monuimus,) 'amore laboras.' *Idem.*

Lassa genua] Legebam, *lapsa genua.* Poëta primus: 'Genua labant.' *Colv.* Quidam libri, *lapsa genua.* Non omnino male. *Wower.* In Scriverii Ed. Amst. jam editum est *lapsa.* Quo facit vehementer locus lib. V. p. 105. 'Verum si recte conjecto, &c. ab isto titubante et sæpius vacillante vestigio, deque nimio pallore corporis, et assiduo suspiritu, immo et ipsis mœrentibus oculis tuis; amore nimio laboras.' Adde Heliodorum lib. IV. Æthiop. p. 172. Ed. Paris. Verum illic, ceterisque in locis, per Pricæum excitatis, agitur de muliere incedente vel stante, cui labi possunt genua; hic vero de muliere lecto adfixa et decumbente: ut bene ipse Pricæus advertit, et hinc ad conjecturam descendit, legitque, *lapsæ genæ:* quod nuper quasi ex suo ingenio repetivit Cl. Jac. de Rhœr in Fer. Dav. p. 227. de quibus multa vide in Comm. ad Sueton. Aug. c. 99. 'Ac malas labentes corrigi præcipit:' uti et Burm.

conjecit in Virg. Æn. XII. 222. 'Tabentesque genæ.' Et sane mulieris genua sub pallio latentia videri non poterant a medico. Non igitur ex illis, sed ex genarum flaccitate, uti ex ceteris faciei, et somni, suspiritusque indiciis debebat colligere mulieris amorem. Quare ab ea correctione nequaquam sum alienus. Si tamen vel sic *genua* quis retinere mavult, omnino is *lassa* retineat quoque, sive *languida*. Omnia enim, quæ languent et flaccescunt, *lassa* dicuntur. Vixque ulla superest ejus vocis, hoc sensu sumtæ, memoria, in qua non quidam librarii *lapsus* reposuerunt. Sic 'lassa salus,' 'lassus furor,' de quibus dixi ad lib. v. p. 102. Arcus, cujus nervus præ diutina intensione languet, 'venatibus lassatus' dicitur Claudiano Cos. Prob. et Olybr. vs. 187. 'Lassa terra' et 'lassa natura' utrique Plinio lib. XVII. N. H. c. 15. et lib. VI. Ep. 21. ubi vide Buchnerum. Immo 'lassum collum' Virg. Æn. IX. 436. et 'viscera lassa' apud Lucan. lib. II. 340. quibus locis eadem confusio, et videndi Comment. *Oud.*

Lassa genua] Sic, 'genubus succiduis lassum,' Germanicus in Aratæis. Oxon. *Lapsa g.* quod et Colvius conjecit. De Phædra amatrice et noverca Seneca Hippolito: 'Soluto labitur moriens gradu.' Ibidem de Eadem: 'Populatur artus cura, jam gressus tremunt.' Appuleius ubi supra: 'Ab isto titubante et sæpius vacillante vestigio, &c. amore laboras.' Virgilius v. Ecloga: 'Incumbens, &c. oliva:' ubi Servius: 'Propter amorem se non sustinens.' Apud Plautum in amoris, etsi simulati, argumento: 'Tene me obsecro. Cur? Ne cadam. Quid ita? Quia hic adstare Nequeo: ita animus per oculos meos defit.' Sic Hebr. 12. 12. (at sensu alio) παραλελυμένα γόνατα. et supra heic lib. VIII. 'Lurore pene collapsa membra.' Cum autem de vultus detrimentis res heic, et hæc mulier lecto decumbat, (quo loci *genuum lapsorum* videtur minus tempestiva mentio) fortasse rectius prædictis, *lapsæ genæ* scripserimus. *Lapsas* intelligo insuccas, arescentes. Claudianus: 'Interius fugere genæ.' Quintilianus XII. Declam. 'Genas destitutas' dixit. Juvenalis, 'pendentes genas.' *Pric.*

Quis turbida] Philostratus I. 23. Πηδήσεται ἡ καρδία θαμὰ ἐκθρώσκοντος τοῦ ὕπνου, ὃ δὴ μάλιστα περὶ τοὺς ἐρῶντας φασὶ γενέσθαι. *Idem.*

Et suspiritus cruciatus tarditate vehementior] 'Attractus ab imo Spiritus, interdum gemitu gravis.' Ovidius, ubi de Biblide: 'Nec causa suspiria mota patenti.' Scholiastes vetus Horatii, in amoris argumento: 'Ex tristitia languor, ex languore pallor, silentium, et suspiria:' et Anacreon, simili materia, ὑπὸ καύματος ἀναστενάζειν. *Idem.*

Vapore febrium] Flor. *vaporibus.* Elmenh. Pluralem recte reposuerunt Elm. Scriv. Pric. Flor. e Mss. Medic. Oxon. quibus adde Pal. Lips. Fux. Par. D'Orv. Guelf. et Ed. Junt. post. Sic supra lib. VI. p. 131. 'Solis ardentis vaporibus tradere.' De Mundo p. 734. Ed. Flor. 'æstivos vapores revolventes horæ.' Eamque vocem existimo ibid. p. 736. 'Brumalis austeritas vapores terræ, ac tostorum viscerum venas remittit.' In Edd. enim Vett. est, *austros favonius ac terræ, terrestr. &c.* Vulgo, *aust. terrestrium viscerum v. r.* Alia de hoc plurali vide ad Lucan. lib. IX. vs. 587. 'monstrat tolerare vapores.' Quod quidam prave damnant. *Oud.* *Vapore febrium*] Melius Florent. et Oxon. Mss. *Vaporibus.* *Pric.*

Nisi quod et flebat] Ovidius ubi supra: 'Et humida sæpe Lumina.' Horatius: 'Humor et in genas Furtim labitur, arguens Quam lentis penitus macerer ignibus.' *Idem.*

Caloris intemperantia] Ms. *coloris*

int. Colv. Sic etiam Pal. Pith. Oxon, Guelf. pr. ut referatur ad *mobilem faciem*, de qua supra, et intelligatur nimius nunc faciei rubor, nunc pallor. Nihil tamen mutandum censeo. Aliam tunc vocem quam *intemperantium* adhibuisset Auctor. 'Innuit vesanum Amoris ignem totis præcordiis inmodice exæstuantem,' ut ait paullo superius, cuique infra p. seq. opponit 'corporis calorem,' sine quo tamen flagrabat. *Oud.*

Fatigatus anhelitus] Infra XI. 'Fatigatos anhelitus trahens:' et IX. 'Anhelitu languido fatigatus.' Ad sententiam loci Declam. VIII. Quintilianus: 'Abditos profundosque morbos, aut citatior, &c. sanguinis cursus, aut crebrior anhelitus laborantis animæ indicat.' Julianus Misopogone: Ὡς ἦλθεν, (ἡ ποθουμένη,) ἐδίδου τὰ συνθήματα τοῦ πάθους ὁ νεανίας, ἆσθμα τῶν θλιβομένων ἠφίει· ἐπέχειν γὰρ αὐτὸ κινούμενον, καίπερ σφόδρα ἐθέλων, οὐχ οἷός τε ἦν, καὶ ταραχὴ ἦν τοῦ πνεύματος. De Daphnide amore Chloës vulnerato Longus Sophista: Τὸ πνεῦμα, ποτὲ μὲν λάβρον ἐξέπνει, καθάπερ τινὸς διώκοντος αὐτόν· ποτὲ δὲ ἐπέλιπε, καθάπερ ἐκδαπανηθὲν ἐν ταῖς προτέραις ἐπιδρομαῖς. *Pric.*

Et utrinque secus jactatæ crebriter laterum mutuæ vicissitudines] Heliodorus lib. VII. Παννύχιος ἔκειτο, πυκνὰ πρὸς ἑκατέραν πλευρὰν τὸ σῶμα διαστρέφουσα, &c. Seneca, ubi de Phædra: 'Semper impatiens sui Mutatur habitus.' Ibidem: 'Artusque varie jactat incertus dolor.' *Idem.*

Quam facilis, licet non artifici medico, &c. Venereæ cupidinis comprehensio] 'Quis enim celaverit ignem, Lumine qui semper proditur ipse suo?' Quintilianus ubi supra: 'Medicus qui per hæc non potest invenire languorem, non invenit nec remedium.' Juvenalis Sat. IX. 'Deprendas animi tormenta latentis in ægro Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque Inde habitum facies.' Anacreon: Ἐγὼ δὲ τοὺς ἐρῶντας ἰδών, ἐπίσταμ' εὐθύς· Ἔχουσι γὰρ λεπτὸν ψυχῆς ἔξω χάραγμα. *Idem.*

PAG. 211 *Impatientia furoris altius agitata*] Ita bene Beroaldus: sic supra IX. 'Commota et exasperata altius.' Firmatur etiam emendatio ejus ab Oxon. et Fuxensi Ms. *Idem.* *Alterius agitata*] Lego, *altius* vel *alternis agitata*. Beroald.

Dirupit silentium] Sic et idem Oxon. codex. *Pric.*

Vocari præcipit filium] Confer Senecam Hippolyto, Val. Maximum libr. V. cap. 7. et Plutarchum in 'Demetrio.' *Elmenh.* D'Orv. *præcepit*. Sed eo tempore non opus est. Vide ad lib. II. p. 37. 'Introrupit et recognoscit.' p. 213. 'perduxit et procumbit.' *Oud.* *Et ad se vocari præcipit filium*] Apud Achillem Tatium illa lib. IV. Νενίκημαι, πεπλήρωμαι βελῶν· κάλεσον ταχὺ τὸν ἰώμενον, ἐπείγει τὸ τραῦμα. *Pric.*

Ne ruboris admoneretur] Fux. *sed ne rub.* Roald. *Scilicet ne rub. adm.* Sic emendavi. Vulgo, *sed ne rub. adm.* Scriptum olim *ſʒ*: quod *sed*, quod etiam *scilicet* est. Sic lectum male Floridor. IV. 'Cui sed multo tanto præstat illa altera mercis, quam Thalem memorant suasisse:' cum scribendum esset, *scilicet multo tanto, &c.* ut cudi jussimus. *Colv.* Bene Colvius vocem *scilicet*, qua carent Beroaldinæ Edd. et cui Mss. plerique et Edd. Vett. substituerunt *set*, vel *sed*, restituit, ut modo jam dixi. In D'Orvill. est *admoneret*, Coll. Voss. *admoneretur*. Oud. *Quod nomen in eo ipso, scilicet ne ruboris admoneretur, libenter eraderet*] Ovidius de Biblide fratrem inconcesse amante: 'Jam nomina sanguinis odit: Biblida jam mavult, quam se vocet ille sororem.' Oxon. et Florent. *in eos ipsos:* latet aliquid quod haud properans produco. *Pric.*

Striatam gerens frontem] Ms. *strictam.* Sicut Petron. 'Quid me spectatis constricta fronte Catones?'

Sciopp. in Symb. Al. *strictam f.* male. Vide Indicem. *Elmenh.* Oxon. Guelf. pr. et Par. *stratam.* Fulviano Codici accedit Pithœanus, *strictam* dans: quod amplexus itidem est cum aliis Salmasius ad Tertull. Pall. p. 61. ac 334. et ad J. Capitolini Maximum et Pupienum c. 6. Verum multo elegantius reliqui Codd. servant *striatam*, seu rugis distinctam, locutione ducta vel a columnis per *strias* incisis, quas nos vocamus *gerilt*, de quibus consule Beroaldum, et Burm. ad Serv. Æn. VIII. 660. sive a *striis aratoris*, quibus frontis rugas, uti et *sulcis*, passim comparant Ovidius, aliique poëtæ. Creber in hac voce est Auctor. Adi me ad Suetonii Aug. c. 70. Adde l. XI. p. 246. 'Aspis squameæ cervicis striato tumore sublimis:' ubi de more eadem varietas. *Oud.* *Senili tristitie striatam gerens frontem*] 'Ante annos animumque gerens frontemque severam.' Statius de Melioris puero: 'Et castigatæ collecta modestia frontis.' Phædra de Hippolito: 'Quam grata est facies torva viriliter! Et pondus veteris triste supercilî!' Plinius lib. II. Epist. 7. de Coctio Spurinæ filio: 'Tanta ei gravitas, &c. ut posset senes provocare virtute, quibus nunc honore adæquatus est:' et v. 16. de filia Fundani: 'Nondum annos quatuordecim expleverat, et jam illi senilis prudentia, matronalis gravitas erat.' Ex quo, ut videtur, Noster Florid. II. 'Senilis in juvene prudentia.' Menander: Οὐχ' αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν, 'Αλλ' ὁ τρόπος ἔνεστι τῇ φύσει γέρων. *Pric.* *Senili tristitia striatam gerens frontem*] Euripides Bacchis: 'Ως δύσκολον τὸ γῆρας ἀνθρώποις ἔφυ, Ἔν τ' ὄμμασι σκυθρωπόν! Seneca Hippol. 'Frons decet tristis senem.' *Idem.* *Striatam fron.*] Rugosam, contractam, subductam, qualis ex tristitia esse solet, quæ et *caperata* frons dicitur: et decenter dixit Plaut. 'quid huic homini frons caperat severitudine?' *Striæ* sunt canaliculæ in columnis, et cava: unde 'columnæ striatæ' dictæ. Talibus fulciuntur ædes Bentivolorum magnificentissimæ. Quidam strias non ipsos canaliculos dici interpretantur, sed prominentias et extuberationes inter cava et canaliculas columnarum. Vitruvius in IV. 'Columnas' (inquit) 'striari viginti striis oportet.' Idem *striaturam* appellat descriptionem striatarum columnarum. Igitur translatione venustissima 'striatam frontem' posuit Lucius noster, pro tristissima et caperata, in qua rugæ aspiciantur instar striarum, quas in columnis efficimus. Rugarum enim et striarum reciproca translatio est. Idem Vitruvius: 'Trunco,' inquit, 'toto strias, uti stolarum rugas matronali more demiserunt.' Crassitudines striarum eodem auctore faciendæ sunt, quantum adjectio in media columna ex descriptione invenietur. *Strigæ* vero aliud longe significant: nam (ut Grammatici docent) appellantur ordines rerum inter se junctim collocatarum, a stringendo dictæ. Columella in II. de fœno loquens, sic refert: 'Tunc demum convertemus, et utrunque siccatum coartabimus in strigam, atque in manipulos vinciemus.' *Beroald.*

Utcunque] Nitidior lectio est, *utrunque.* Idem.

Ut in quodam vado dubitationis hærens] Servius ad Æneid. IX. 'Omnis cogitatio in dubitatione est ante sententiam.' *Pric.*

Omne verbum quod præsenti sermoni putabat aptissimum, rursum improbans] Idem ad Æneid. XI. 'Naturale est, ut quoties simul multa cogitamus, vix aliquod comprobemus.' *Idem.*

Nutante etiam tunc pudore] Theophylactus Simocatta in Epistolis: 'Ερωτικὸν διηγήσασθαι πάθος τὸ γυναικεῖον φῦλον αἰσχύνεται. Ovidius Metamorphos. X. 'Virgo Cinyreia carpitur igne Pervigil indomito, furiosa-

que vota retractat. Et modo desperat, modo vult tentare: pudetque, Et cupit, et quod agat non invenit: atque securi Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat, Quo cadat in dubio est, omnique a parte timetur; Sic animus vario labefactus vulnere, nutat Huc levis atque illuc, momentaque sumit utroque.' *Idem.*

Unde potissimum caperet exordium decontatur] 'Nescit quæ prima exordia sumat.' Ovid. Metamorph. x. de Myrrha: 'Conataque sæpe fateri, Sæpe tenet vocem.' Æditanus vetus Poëta apud Gellium xix. 9. 'Dicere cum conor curam tibi, Pamphile, cordis, Quid mi abs te quæram, verba labris abeunt.' Phædra ad Hippolitum: 'Sed ora cœptis transitum verbis negant, Vis magna vocem emittit, at major tenet.' *Idem.*

Rogat, &c. causas præsentis ægritudinis] Supra lib. iv. 'Aniculæ instantissime causas, &c. mœroris requirenti.' *Idem.*

Nacta solitudinis, &c. occasionem] Vide supra pag. 153. dicta. 'Solitudinis occasionem' dixit et Tacitus Annal. xv. *Idem.*

Prorumpit in audaciam] Lib. ix. 'Occulta libidine prorupit in rum quendam.' *Idem.*

Ubertim allacrymans] Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: 'Ubertim fluentes lacrymas.' Sic, 'ubertim manantes lacrymas,' iv. 23. Sidonius. Supra heic lib. vi. 'Uberi fletu rigans Deæ vestigia:' et v. 'Flens ubertim, decessit ad somnum.' *Idem.*

Lacinia] Præ pudore cooperuit faciem, ut liberius amorem impudicum, scelestumque profiteretur. Apud Platonem Socrates operit pallio caput orationem quandam parum pudicam habiturus. Apud Gellium Julianus rhetor capite convelato canit versus poëticos, amasios ac venerios. *Beroald.*

Laciniaque contegens faciem] Apud Gellium ille xix. 9. 'Permittite mihi quæso operire pallio caput, quod in parum pudica oratione Socratem fecisse aiunt.' Propertius i. 4. 'Et quæ Gaudia sub tacita dicere veste libet.' De Myrrha patrem cupiente Ovidius Metam. x. 'Pudibundaque vestibus ora Texit, et o dixit felicem conjuge matrem.' *Pric.*

Voce trepida sic eum breviter affatur] Servius ad Æneid. iv. de Didone: 'Suspense et pedetentim, amore resistente incipit.' *Idem.* *Causa omnis et origo, &c.*] Juvenalis xiv. 'Mentis causa malæ tamen est, et origo penes te.' In Apologia Noster: 'Causa, et ratio, et origo initialis.' *Idem.*

Etiam medela ipsa, &c. tute ipse es] Vide supra pag. 26. notata. *Idem.*

Isti tui oculi per meos oculos] Quintilianus Declamatione secunda: 'Oculi tota nostra luxuria. Hi nos in omnia vitia cotidie præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt.' Firmicus Astronomicῶν libro quinto cap. 1. 'Amorum illecebras oculorum passivis cupiditatibus incurrent.' Et, 'cum ad Venereos coitus collecta per oculos desideria semper compellent.' Achil. Tatius libro i. pag. 7. Κάλλος γὰρ ὀξύτερον τιτρώσκει βέλους, καὶ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν εἰς τὴν ψυχὴν καταῤῥεῖ. Ὀφθαλμὸς γὰρ ὁδὸς ἐρωτικῷ τραύματι. πάντα δέ με εἶχον ὁμοῦ, ἔπαινος, ἔκπληξις, τρόμος, αἰδὼς, ἀναίδεια· ἐπῄνουν τὸ μέγεθος, ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος, ἔτρεμον τὴν καρδίαν, ἔβλεπον ἀναιδῶς, ᾐδούμην ἁλῶναι. Alia vide apud And. Schottum in Proverbiis p. 276. et Bernardum Martinum Variar. Lect. 3. c. 24. *Elmenh.* *Isti enim tui oculi per meos oculos, &c.*] Philostratus i. 21. Τὸ ἐπιθυμητικὸν διὰ τῶν ὀφθαλμῶν εἰσάγεται. Achilles Tatius lib. vi. Εἰς τὰ ὄμματα τῶν καλῶν τὸ κάλλος κάθηται, ῥέον δὲ ἐκεῖθεν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ὁρώντων ἵσταται. Aristænetus ii. 18. Δεξάμενος τοῦ κάλλους τὴν ἀποῤῥοὴν διὰ τῶν ὀμμάτων, ἐρωτικῶς διεθερμάνθη. Anacreon: Οὐχ ἵππος ὤλεσέν με, Οὐ πεζὸς, οὐχὶ νῆες· Στρατὸς δὲ

κωνδὶς ἄλλος Ἀπ' ὀμμάτων βαλών με. Hinc illud quasi insolitum in Simocattæ Epistolis: Βέβλημαι τὴν ψυχὴν, μηδὲν ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἀδικούμενος. Vide in ὀμμάτειος πόθος Hesychium. Plutarchum Sympos. III. 6. Philostrati epistolam, Πόθεν μου, &c. Ovid. Amor. III. 'Perque tuos oculos qui rapuere meos.' *Pric.*

Ad intima delapsi præcordia] Supra lib. II. 'Ubi primam sagittam sævi Cupidinis, in ima præcordia mea delapsam, excepi.' Virgilius: 'Inque sinum præcordia ad ultima subdit:' ubi Servius: 'In loca cordi vicina, ubi sensus percipitur.' In Epistolis Ovidii: 'Non mea sunt summa leviter districta sagitta Pectora, descendit vulnus ad ossa meum.' Orientius Illiberitanus: 'Amor, ut lacrymæ, quas fundi injuria cogit, Ex oculis surgit, pectoris ima petit.' Musæus: Ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει. Paulus Silentiarius: Οἶστρος ὀλισθήεσσαν ἔχει φύσιν, ἣν τις ὀϊστοῦ Ἄκρον ἕλῃ φλογέου, δύεται ἐντὸς ὅλος. Maximus Tyrius Dissert. IX. Ἀρχὴ αὐτοῦ (amoris) ἄνθος σώματος, ἐρχόμενον εἰς ὀφθαλμοὺς, καὶ δι' αὐτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ῥέον. Moschus de Cupidine: Ἐπὶ σπλάγχνοις δὲ κάθηται. *Idem.*

Meis medullis acerrimum commovent incendium] Scriptor de bono Pudicitiæ, in Cypriani operibus: 'In medullis versata cæca incendia,' &c. Zeno Veronensis: 'Cum medullitus amoris insani flagraret incendio.' Statius Achilleidos I. 'Fax vibrata medullis.' Infra heic, at in re alia: 'Perniciem, &c. medullæ penitus adtraxerant.' Sirachides IX. 9. Ἐκ ταύτης (formositate) φιλία ὡς πῦρ ἀνακαίεται. Adde quæ supra pag. 26. adnotata. *Idem.*

Miserere tuæ caræ parentis] Ante vulgo, *tua caussa pereuntis.* Colvius. Flor. Pal. et Rom. *tua causa pereuntis,* recte. *Elmenh.* Bene Horat. 'Me tuo longas pereunte noctes.' *Wass.* Vere ratiocinatur Floridus. Adi quoque Pricæum, et Burm. ad Quintil. Decl. XV. c. 3. Immo neque in Ms. invenit Colvius, *tuæ caræ parentis,* sed vitiose *tua causa parentis:* sicuti exaratur item in Reg. Fux. ac D'Orvill. Adhæc in Pithœano est *miserrime,* Fux. *misi;* unde effingi posset, *miserere mei.* Oud. *Miserere tuæ caræ parentis*] Supra II. argumento non dissimili: 'Miserere, et subveni maturius.' Lectionem positam debemus Lipsii Ms. aut potius Colvii incogitantiæ: qua sine, in latebris jacuisset suis, nec secutas quasdam editiones deformasset: inter eas, quam adornavit Wowerius, ad quam nostræ magnam partem contextus formatus. Complures alii Mss. (quos et veteres omnes editiones secutæ) legunt, *M. tua causa pereuntis:* quam iterum suis sedibus scripturam reponamus. Supra ad Fotidem suam Noster II. Miles. 'Pereo, imo jamdudum perii, nisi tu propitiaris.' Virgilius Eclog. VIII. 'Ut vidi! ut perii!' In reliquiis veterum Poëtarum: 'Sæva non cernis quod ego langueo?' scribe, *Sæva ah, non cernis quantum ego langueo? Sic me destituis jam semimortuum?* id (ut hic noverca) 'jam tui causa pereuntem.' *Pric.*

Nec te religio patris omnino deterreat] *Religionem* heic *verecundiam* vocat, sive, religiosum respectum. Glossæ: 'Εὐλάβεια, Reverentia, verecundia, religio.' Glossæ aliæ: 'Religio, θρησκεία, &c. διάθεσις, καὶ αἰδώ.' *Patris,* est 'erga patrem:' ut Sirachidis III. 15. 'Eleemosyna patris:' pro, 'patri eleemosyna præstita:' et, 'juramenta patrum,' id est, patribus facta: Sapient. XVIII. 22. apud Latinum Interpretem. *Idem.*

Cui morituram prorsus servabis uxorem] Confer quæ supra pag. 49. adnotata. *Idem.*

Illius recognoscens imaginem in tua facie, merito te diligo] Virgilius de Didone: 'Gremio Ascanium, genito-

ris imagine capta, Detinet.' Apud Senecam Phædra ad privignum: 'Genitor in te totus.' Andromache apud eundem: 'Testor immites Deos, Non aliud Hector in meo nato mihi Placere quam te: vivat, ut possit tuos Referre vultus.' *Idem.* *Illius recognoscens imaginem in tua facie*] Lib. v. Psyche ad Cupidinem: 'Sic in hoc saltem parvulo recognoscam faciem tuam.' Cicero de filio suo: 'Imago corporis et animi mei.' *Idem.*

Habere] Corrige, *habes.* Beroald.

Necessarii facinoris] Pith. *necessarium.* Pricæus hujus epitheti rationem se non adsequi fatetur. Intelligit Beroaldus facinus, quod cum persona *necessaria,* sive necessitudinis vinculo copula committitur; inepte, ob eandem rationem, ob quam vidimus paullo ante *parentis* non valere. Verissime interpretatus est Floridus 'facinus meæ saluti necessarium:' quia *morituram* alioquin sic *servabis.* Malim vero invertere hoc pacto: *Cui morituram prorsus servabis uxorem. J. e. r. i. i. t. f. m. t. d. Habes capax necessarii facinoris otium. Habes solitudinis plenam fiduciam. Nam, &c.* Ratio in promtu est. Sic enim rectius cohærent singula singulis argumentis. *Oud.* *Necessarii facinoris*] 'Facinus necessarium' vocat, quod cum necessaria persona committitur, et necessitudinis vinculo copulata: qualis est inter novercam privignumque conjunctio. *Beroald.* *Habes solitudinis plenam fiduciam*] De Potipharis uxore Zeno Veronensis: 'Captat solitudinem, &c. a quali etiam non irritata adolescentia invitis feminis sæpe violenta esse consuevit:' vide 23. 25. et 26. Sirachidem. In eodem argumento Cyprianus, sive de bono Pudicitiæ Scriptor: 'Latebrarum tuta quibusdam videtur occasio,' &c. Apud Achillem Tatium lib. II. ille: Πολλὰ ἦν τὰ ὀπλίζοντά με θαῤῥεῖν· οἶνος, ἔρως, ἐλπὶς, ἐρημία. et illa apud Petronium: 'Sume ergo amplexus, si placet, neque est quod curiosum aliquem extimescas: longe ab hoc loco frater est.' In narratione de Susanna senes libidinosi: Ἰδοὺ, αἱ θύραι κέκλεινται τοῦ παραδείσου, καὶ οὐδεὶς θεωρεῖ ἡμᾶς. Juven. 'Tam facile et pronum est Superos contemnere testes, Si mortalis idem nemo sciat.' Plin. Epist. 'Tantumque licentiæ pravis ingeniis adjicit illa fiducia, Quis enim sciet?' *Pric.* *Necessarii facinoris*] Rationem epitheti istius non assequor: fortasse locus corruptus: quæ Beroaldus attulit, non satisfaciunt. *Idem.*

Nam quod nemo novit, pæne non fit] Fux. *penitus non fit.* Roaldus. Ms. *Namque nemo novit, pæne non infit.* Colvius. Ms. *penitus non fit.* Sciopp. in Symbola. Palat. *namque infit, q. n. n. p. n. f.* O stulta! licet homines non novere facta tua mala, novit tamen ea ille, qui supra nos negotium curat, Deus, quem nemo fallit judicem. Unde et non profane homo profanus Offic. lib. III. dicit: 'si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.' Notata ad Minutium fol. 61. et Eusebius de præparat. Euang. lib. XIII. c. 11. *Elmenh.* Ms. *p. non infit:* unde fortasse, *pæne infit,* id est, non fit, aut *nævum fit.* Brant. Ms. *penitus pæne non fit.* Sic forte leg. *Wass.* *Penitus* habent quoque Oxon. et Guelf. pr. D'Orv. *pæne non infit* Palat. Guelf. sec. cum Lips. Nam erravit Elmenhorstius, a quo deceptus Scriverius edidit, ut ille scripsit in Cod. eo haberi. Ineptiit suo more Brant. Nihil muto cum Pricæo. *Namque n.* Palat. Guelf. sec. *Namque quod n.* Oxon. et Guelf. pr. *Oud.* *Quod nemo novit, pene non fit*] Seneca I. 13. de Ira: 'Innocentem quisque se dicit, respiciens testem, non conscientiam.' Solomo Proverb. 30. 19. 20. 'Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, &c. talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, et

tergens os suum, dicit, Non sum operata malum.' Ovidius III. Amor. 'Non peccat quæcunque potest peccasse negare, Solaque deformem culpa professa facit.' Simplicius in cap. 47. Epicteti: Ἕως ἂν ἐλεγχθῶμεν, οἰόμεθα λανθάνειν, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ ἡμαρτηκέναι δοκεῖν. Salvianus lib. VII. 'Solet flagitiosa res, quando agitur occulte, fidem facinoris non mereri.' Oxoniensis, et duo alii Mss. non male, *penitus non fit*: communem lectionem retineo tamen, ob hæc Zenonis Veronensis: 'Pene pro infecto habetur, quod non diffamatur.' (Serm. IV. de Esaia.) et ista Senecæ II. 29. de Ira: 'Qui dicere tibi nisi clam non vult, pene non dicit.' *Pric.*

Quanquam tale facinus protinus exhorruisset, &c.] Lib. IX. 'Exhorruit Myrmex inauditum facinus.' *Idem.*

Non tamen negationis intempestiva severitate putavit exasperandam] Provide hoc, præcipue eam erga, quæ parentis locum implebat. Gellius II. 7. ubi de liberorum officio in parentum imperia: 'Sententia media optima et tutissima est, quædam parendum esse, quædam non obsequendum: sed ea tamen quæ obsequi non oportet, leniter, at verecunde, ac sine detestatione nimia, sine opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim, et relinquenda, non respuenda esse.' Vide quæ Acrotatus in Plutarchi apophthegm. Pro *intempestiva*, melius *intempestivæ* scribas, ut respondeat sequenti membro. 'Intempestivæ severitatis negationem' opponit 'cautæ promissionis dilationi.' *Idem.* *Negationis intempestiva severitate*] Id est, (ut infra argumento alio,) 'intempestiva repulsa.' *Idem.*

PAG. 212 *Exasperandum, sed leniendum*] Vulgo, *exasperandam*, et paulo post *leniendam*. Colv. Al. *exasperandam*. Bert. *leniendam*. Elmenh. Omnes tacite Colvium secuti sunt, excepto Florido. Et sane Mss. quos quorumve excerpta adhibui, neutrum genus servant. Quia scil. librarii putarunt referendum esse ad *facinus* proxime præcedens. Quamquam ego malim tunc *malum* subintelligere, multum tamen cum Edd. Colvio prioribus et Florido præfero genus femininum, et capio de *Noverca*, quam, (non vero *facinus* aut *malum*,) hortatus est, 'ut bonum caperet animum.' Passim *exasperari* dicitur non tantum res aut bestia, sed etiam homo, qui iratus redditur. Sic l. IX. p. 197. 'Mulier altius conmota atque exasperata:' p. 204. 'Sermone exasperatus latro.' Solin. c. 53. e Mss. 'offendit asperavitque Cæsarem.' Ita etiam 'lenire aliquam' l. v. p. 104. 'Clementer ad se vocatam permulcet verbis lenientibus.' L. VI. init. 'Iratum uxoriis blanditiis lenire.' Et sic alii passim. *Oud.* *Sed cautæ promissionis dilatione leniendam*] Impudici et importuni petitores non raro tali astu elusi: vel vide Nostrum VIII. de Charite et Thrasyllo. Chariclia lib. v. apud Heliodorum: Ὁρῶν τὸν Φοίνικα μὴ ἀνιέντα, ἀλλ' εἰς ὑπερβολήν τε πρὸς τὸ βούλημα θερμαινόμενον, καὶ ἡμέραν οὐδεμίαν τοῦ διοχλεῖν περὶ τῶν αὐτῶν ἀπολειπόμενον, ἔγνων τὸ παρὸν ὑπερθέσθαι χρησταῖς ἐπαγγελίαις. Eadem VII. ad Theagenem suum, quem ardenter Arsace appetebat: Εἰ ἄτοπον δοκιμάζεις τὸ αἰτούμενον, ἀλλὰ σύ γε πλάττου τὸ συγκατατίθεσθαι, καὶ τρέφων ἐπαγγελίαις τῆς βαρβάρου τὴν ὄρεξιν, ὑπερθέσει ὑπότεμνε τὸ πρὸς ὀξύ τι καθ' ἡμῶν βουλεύσασθαι, ἐφηδύνων ἐλπίδι, καὶ καταμαλάττων ὑποσχέσει τοῦ θυμοῦ τὸ φλεγμαῖνον. *Pric.*

Ergo prolixe pollicetur] 'Ægram Multa bonum simulans vana spe ludit amantem.' Infra hic lib. XI. 'Meam differens instantiam, spei melioris solatiis alioquin anxium mihi permulcebat animum.'

Bonum caperet animum, &c. suadet] Lib. III. 'Bono animo es, quod ad hujus rei curam pertinet.' Lib. VII. 'Bono animo et Charite dulcissima:'

et in Floridis: 'Ægrum jubet uti sit bono animo.' Apud Heliodorum lib. I. Ἐπηγγέλλετο, καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγαθὸν προὔτρεπε. *Idem.*

Se saluti redderet] Fux. *reduceret.* Roaldus. Cum D'Orvill. Cave, quid mutes. Sic alibi, 'reddi quieti,' 'pœnæ,' 'viæ,' 'Lari,' in Nostro. Vide Indicem. Abest vero verbum *suadet* a Pithœano. Forsan offendit librarium tempus præsens pro præterito; quia subjunctivi modi tempus est imperfectum. Sed adi notata ad Cæs. l. I. B. G. c. 8. l. I. B. Civ. c. 18. 'Petit, ut mitteretur.' Suet. Cæs. c. 56. 'Si vellet, commutet.' Virg. Æn. VI. 534. 'Fortuna fatigat, Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires.' *Oud.* *Refectionique se ac saluti redderet*] Bene hoc, ex *refectione* enim salus. Act. 27. 34. Παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς, τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας. *Pric.*

Donec patris aliqua profectione liberum voluptati concederetur spatium] Simulatio, ad eorum morem composita, qui amores furtivos sectantur. Proverb. VII. 19. 'Fruamur cupitis amplexibus, &c. non est enim vir in domo: abiit via longissima.' Achilles Tatius lib. VIII. Τοῦ ἀνδρὸς στειλαμένου τινὰ μακρὰν ἀποδημίαν, καιρὸν τοῦτον νενόμικεν εὔκαιρον μοιχείας. Sic uxor Barbari hic lib. IX. marito peregre profecto. *Idem.*

A noxio conspectu novercæ] Lib. II. 'Perinde in ejus' (Pamphilæ magæ) 'faciem oculos meos, ac si in Avernum lacum, &c. dejeceram.' *Idem.*

Consilio pleniore] Haud spernenda est Bertiniani Cod. lectio, Appuleianum sat stylum sapiens. Vide ad l. IX. p. 197. 'Altius commota:' et l. X. p. 211. Quia tamen reliqui Mss. et Ed. Junt. post. conspirant in lectione, a Colvio restituta, *consilio pleniore*, eaque Latinissima est, facile in illa acquiesco. Sic 'plena gaudia' Cic. Tusc. V. 67. 'plena fides' Ovid. Ep. XII. in f. ac 'plenior aura' Ep. XX. 242. Claud. in Ruf. 12. 'Plena promissa' Front. l. III. 3. 1. 'plena gratia' Vell. l. II. c. 16. Immo Nostro p. 214. 'filii plenis operabatur affectibus.' p. 220. 'fiducia latendi pleniore capta.' p. 227. 'plena cum sanctimonia disposita.' Forsan et sic rescribendum in Floro l. III. c. 17. 'ad plenæ spem civitatis:' ut eidem l. IV. c. 4. 'plena dignitas.' Mox transponit verba *senem educatorem* Meurs. ad Lycophr. vs. 241. *Oud.* *Et magnam domus cladem ratus indigere consilio pleniore, ad quendam compertæ gravitatis educatorem senem protinus refert*] Apud Senecam: 'Secede mecum potius, ut rerum statum Dubium ac minacem juncta consilia explicent.' In Florent. *Etiam magnam domus cladem, &c.* unde facile germanam scripturam eruo, *Et tam m. d. c.* Pric.

Sed impatiens vel exiguæ dilationis mulier] Augustinus Confess. VI. 15. 'At ego, &c. dilationis impatiens,' &c. Merito autem hujusmodi mulierem *impatientem* vocat. Seneca Hippol. 'Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.' Jul. Firmicus in de errore prof. relig. 'Nullo genere, &c. muliebris impatientiæ tormenta curantur.' Idem VI. 30. Mathes. 'Eritque, &c. ista mulier circa omnem libidinem vitio prostituti pudoris impatiens.' Virgilius VI. 'His Phædram Procrinque locis,' &c. ubi Servius: 'Fœminarum tantum ponit exempla, non quod desint viri, sed elegit sexum impatientem ad amandum.' Confer et quæ supra pag. 31. notata. *Idem.* *Exiguæ dilationis*] Scriptor de excid. Hierosolym. IV. 4. 'Dilationem tam exiguam nequaquam impedimento futuram.' *Idem.*

Ficta qualibet caussa] Malim, *quamlibet.* Vide Suet. Vespas. c. 5. 'Quamlibet magnum.' N. Heins. ad Ovid. Ep. VI. 140. 'Quamlibet iratis justa dat arma dolor.' *Oud.*

Modo istud, modo illud causæ faciens] Hoc VII. Heliodori in re simili, ἀλ-

λοτε ἄλλαις προφάσεσιν ὑπερτίθεσθαι. et VIII. ποικίλας, καὶ ἄλλοτε ἄλλας προφάσεις ἀναπλάττειν. Virgilius Eclog. IX. 'Causando nostros in longum ducis amores:' ubi Servius: 'Causas nectendo differs desideria nostra.' Sic, 'trahere omnia, et alias, deinde alias moræ causas facere,' apud Sallustium in Jugurthino. *Pric.*

Ad l. d. transtulisset odium] Ms. *transtulit*. Colv. Solent libidinosæ mulieres, quorum amores ipsæ ultro appetiverunt, si ab iis contemni ac repudiari se videant, illico illos calumniari, et pessimis habere modis. Exempla aliqua commemorat M. Ant. Muret. var. lect. lib. I. cap. 12. *Transtulit*. Al. *transtulisset*. Elmenh. *Transtulit* cum Cod. Lips. habent Pal. D'Orv. Bert. Guelf. sec. Edd. Junt. Ald. Wow. Scriv. Pric. debito sensu. Quia tamen in Mss. Flor. Oxon. Guelf. pr. Par. Pith. aliisque, et ceteris Edd. scribitur alterum, et in Pithœano non comparet *ad*, vide, num legendum, *l. d. transtulit ad odium*. Oud. *Quoad illa, &c. pollicitationem sibi denegatam manifesto perspiciens, mobilitate lubrica nefarium amorem ad longe deterius odium transtulit*] In vetere Mimo: 'Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.' Juvenalis: 'Mulier sævissima tunc est, Cum stimulos odio pudor admovet:' quod ipsum hac in facti specie impletum. Heliodorus lib. VII. Φιλόνεοι γυναῖκες, ἀμείλικτοι γίνονται καὶ βαρυμήνιδες ἀποτυγχάνουσι, καὶ τοὺς ὑπερόπτας ὡς ὑβριστὰς ἀμύνονται. Idem VIII. Ἀπελπισθεὶς ὁ ἔρως οὐδεμίαν ἔχει φειδὼ τοῦ ἐρωμένου, τρέπειν καὶ φιλεῖ τὴν ἀποτυχίαν εἰς τιμωρίαν. Quintilianus VI. Declam. 'Est quædam ultima amorum rabies, et novissime in furorem vota ipsa vertuntur.' *Pric.* *Nunciorum varietate*] Contra in Glossario: 'Sine ulla varietate, ἄνευ ποικιλίας τινος, ἢ ἀμφισβητήσεως. Lipsius, *mendaciorum varietate*: infeliciter. *Idem.* *Mobilitate lubrica, &c.*] Lib. II. 'Lubricis gestibus mobilem spinam quatiens.' *Idem.* *Mobilitate lubrica nefarium amorem ad longe deterius odium transtulit*] Ad odium, vitæ juvenis perniciosum. Servius ad Æneid. I. 'Amantibus nec levius aliquid, nec mutabilius invenitur: ut in ipsa probatur Didone: nam de ejus interitu cogitat, cujus paulo ante amore deperibat.' Theophrastus apud Plutarchum in Catonis M. vita: Κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, αἴτιον τοῦ μισεῖν πολλάκις γίνεσθαι. *Idem.*

Adsumpto statim nequissimo, &c.] Sic Act. 17. 5. in malo, προσλάμβανέσθαι. Tacitus Annal. III. 'Secretis colloquiis ferocissimo quoque adsumpto.' *Idem.*

Et ad omne facinus emancipato, &c. servulo] Talis apud eundem Annal. XV. 'libertus cuicunque flagitio promptus:' tales et Annal. XI. 'pecunia, &c. in omne flagitium obstricti.' Seneca Herc. Fur. 'Ad omne clarum facinus audaces manus.' *Idem.*

Dotali servulo] Pal. *de tali*. Inepte. Vide Beroald. et JCtos. Non autem est Casus Dativus sed Ablat. absolutus. In verbis 'consilia communicat' rursus subintelligenda sunt *cum eo*. Adi ad Cæs. l. III. B. Civ. c. 18. et Drak. ad Liv. l. VI. c. 4. 'Cum plebeiis magistratibus consilia communicare.' *Oud.* *Dotali servo*] 'Dotales servi' (ut ex verbo ipso notissimum est) dicuntur, quos uxor cum dote ad maritum attulit. Plaut. in Asinario: 'Dotalem servum Sauream uxor tua adduxit, cui plus in manum sit quam tibi.' De servis dotalibus et ancillis mentio fit apud jurisconsultos: et ait Paulus titulo de donationibus: 'Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut in alimenta, non conservatur marito, quia ipse ministeriis eorum utitur: quemadmodum si a prædonibus redemisset servos dotales:' 'recepticium' vero 'servum' appellant proprium uxoris, quem sibi recipit ac retinet, neque doti dat.

De quo A. Gellius, de quo et M. Cic. loquitur, sic scribens : ‘ ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitari virum jubet.’ *Beroald.*

Præsentaneum comparat] Sic hoc loco et p. 216. ‘ Furcifer iste venenum præsentaneum comparare sollicitus :’ ut videtur esse in Oxon. et Par. Ac solent alii hanc vocem de φαρμάκῳ δηλητηρίῳ et *præsenti* (ut sæpissime Latini) efferre. Ita Suet. Ner. c. 33. ‘ Venenum velocissimum ac præsentaneum coquere.’ Quinct. Decl. xvii. 11. Verum *præsentarium* dant ceteri Codd. et Edd. eaque terminatio videtur magis Appuleiana, ut *extrarius*, de quo alibi. L. ii. p. 37. ‘ Nostri vim præsentariam.’ Ita et Gellio l. vi. c. 4. ‘ Venenum dedisse non præsentarium.’ Sic enim Mss. Quamquam Beroald. ad Suet. et hic Pricæus *neum* citent. Testatur vero postremus, in Oxon. Cod. legi *peremptorium* e glossa, ut patet ex Paræano et Guelf. pr. qui habent *peremptorium præsentaneum*, ex pag. 217. ‘ Venenum peremptorium comparare.’ Ceterum male D'Orvill. præbet *præparat*, quod sequitur. *Oud.* *Venenum præsentaneum comparat*] Apud Quintilianum ille xvii. Declam. ‘ Virus præsentaneum paro, quod statim, quod subito corripiat.’ Sic Gellii vi. 4. ‘ venenum præsentaneum.’ Oxon. *peremptorium*, ut infra heic hac in narratione vocatur. Onomasticon vetus : ‘ Peremptorius, ἀναιρετικός.’ scripserim, *Peremptorium*, ἀναιρετικόν intelligens ‘ venenum.’ *Pric.*

Insontis privigni] Quint. Declam. i. et ii. lib. i. Antholog. i. c. 50. *Elmenh.* *Idque vino diligenter dilutum, insontis privigni præparat exitio*] ‘ Decet hæc dare dona novercam.’ ‘ Coctumque venenum, Privignoque datum.’ Juvenal. vi. *Pric.*

Dum de oblationis opportunitate secum noxii homines deliberant] Lib. vi. ‘ Dum secum mitissimi homines altercant de mea nece,’ &c. *Idem.*

Proprius p. f. filius] *Proprius* est *suus*, qui in oppositionem alterius filii sibi erat proprius. Vide Borrich. in Vind. Latin. p. 192. Tib. i. 6. 69. ubi forsan leg. ‘ Vive diu. tibi, dulcis anus, proprios ego vitæ, Sit modo fas, annos contribuisse velim.’ Vulgo, *mihi*, et *tecum*. Cum exciderat *vi*, fecerunt *tecum*, &c. Sil. Ital. l. xii. vs. 717. ‘ ut sævis Gradivus in armis Inplerit dictum proprio de nomine campum.’ Cic. vi. ad Fam. 1. ‘ ullo proprio periculo :’ ut infra p. 214. ‘ metu periculi proprii.’ Immo explicari potest *naturalis* in oppositionem *privigni*. Sic p. 236. ‘ capellæ canitiem propriam luteo colore mutant.’ *Oud.* *Post matutinum laborem studiorum, &c.*] Ita in lib. i. Cod. de adsess. et domest. &c. ‘ studiorum labor :’ apud Nostrum in de Platonis dogm. ‘ studendi labor :’ in Apologia, ‘ labor literatus :’ et Capellam lib. i. ‘ Philologiæ laborata’ (i. e. *laboriosa*) ‘ pervigilia.’ Bene et *matutinum laborem*. Seneca de patribus loquens : ‘ Excitari jubent liberos ad studia maturo obeunda.’ *Pric.* *Studiorum*] Glossæ : ‘ Studiorum, ἀσκήσεων.’ *Idem.*

Pag. 213 *Nescius fraudis occultæ*] ‘ Ignarus, et juveniliter hauriens :’ ut in re tali, de Druso Tacitus. Casum similem apud Lucianum habemus in Zenophantis et Callidemidæ Dialogo. *Idem.*

Haustum] Leviter id mutandum credo, et scribendum, *continuo perduxit haustu.* ‘ Educere,’ ‘ perducere,’ antiquis illis et Romane loquentibus, non aliud sonabant, quam nobis ‘ ebibere.’ Plautus Amphitruone : ‘ Hirneam, ut matre fuerat natum, vim eduxi meri.’ Apuleius hoc eodem libro : ‘ Grandissimum calicem uno haustu perhausi.’ Versus antiquissimi Poëtæ, ex quinto lib. Arnobii (p. 175.) huc accersere visum est : ‘ Inde manu poclum sumit, risuque sequenti Perducit totum Cycconis læta liquorem.’ *Stewech.*

Exanimis terræ procumbit] Seneca Hippol. ‘Repente terræ corpus exanimum cadit.’ *Pric.*

Malitiæ novercalis exemplar unicum] Virgilius: ‘Miscueruntque herbas, et non innoxia verba:’ ubi Servius: ‘Exprimit augmenta malitiæ novercarum,’ &c. Lactantius in de opific. Dei, de Cicerone: ‘Eloquentiæ ipsius exemplar unicum.’ De ‘novercalibus odiis’ vide Marcellum Donatum ad initium Taciti Annalium. *Idem.*

Clade familiæ vindictæ compendium traxit] Palat. *cladem f.* Elmenh. Loci hujus sensus satis est clarus, sive mulier illa ex strage familiæ, suique filii morte traxit, sive cepit sibi, breviorem viam ultionis, et ad vindictam de privigno sumendam. Atque sic habent Mss. Flor. Pith. Oxon. primusque edidit Vulcan. Ed. sec. Wower. Elmenh. Pric. Flor. Verum Mss. et Edd. reliqui exhibent *cladem* per adpositionem: sed tum mallem cum viro docto (Modium puto) legere: *Cladem f. in vind. comp. traxit.* ‘Compendium vindictæ,’ ut Silio l. x. 476. ‘leti compendia.’ Vitiose in Palat. *transit*, Guelf. sec. *tranxit.* Oud.

Missoque prot. cursore, qui vianti] Fux. *misitque prot. cursorem, qui pervianti.* Roald. *Misitque prot. cursorem.* Iidem (vulgares libri) *missoque prot. cursore.* De servis Cursoribus hic Beroaldus. Est et locus Senecæ Epistol. CXXIII. ‘Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.’ *Colv.* *Missoque prot. cursore.* Vulgo, *misitque p. cursorem.* Adi Beroaldum. *Elmenh.* De cursoribus servis ad satietatem egerunt viri docti, de servis scribentes. Nostro similis est ‘Phaontis cursor, cui codicillos præripuit Nero, apud Sueton. c. 49. Vide et c. 29. et in Tito c. 9. ‘cursores suos misit.’ Murat. Inscr. p. 2046. 7. fuitque in Palatina domo ‘Cursorum præpositus’ Grutero Inscr. p. 600. 15. Ceterum minus bene Elmenhorstius revocavit lectionem Edd. Vett. *missoque cursore,* licet ei adstipulentur Mss. Flor. Pith. Bert. Tunc enim dubium nimis evadit, quo pertineat *eodem,* utrum ad *cursorem,* an ad *maritum,* qui ibi necessario intelligendus. Quare placet et mihi, ut Wowerio, Pric. Flor. cum Mss. Lips. Fux. Reg. Oxon. Pal. D'Orv. Par. *misitque cursorem.* Suspicor tamen ab Appuleii manu fuisse, *missusque p. cursor,* cui cum lector vel librarius adposuisset *e*, id est, *est,* abiit in *cursore:* unde alii *misso cursore,* alii *misit cursorem* fabricarunt. Quid autem sibi voluerit Scriverius, edens, *missoque cursorem,* nescio. Dein in Reg. Fux. non est *qui pervianti,* sed exsulat *qui.* L. VI. p. 127. ‘Quis viantium.’ *Oud.* *Misitque protinus cursorem, qui vianti marito domus expugnationem nunciaret*] Cyprianus LV. Epist. ‘Semper scelera festinant, quasi contra innocentiam festinatione prævaleant.’ De *cursoribus* vide Pignorium in de Servis pag. 147. et seqq. Suetonius de Nerone: ‘Perlatos a cursore, &c. codicillos præripuit.’ Plinius lib. VII. epist. 12. ‘Cursore dimisso.’ Onomasticon vetus: ‘Cursor, δρομεύς.’ Glossæ: ‘Ταχυδρόμος, cursor.’ Glossæ aliæ: ‘Exercipes, ταχυδρόμος, δρομεὺς, καὶ κούρσωρ.’ *Pric.* *Misso cursore*] Inter mancipia sunt et cursores: quod ex lectione jurisconsultorum sat cognitum est: scribit enim Paulus volumine de legatis 3. ‘quod si alii vernæ, alii cursores legati sint, si quidam cursores et vernæ sint, cursoribus cedent: semper enim species generi derogat.’ Antiquitas celebrat *cursores,* quos *hemerodromos* vocant, qui die uno ingens spatium cursu emetiebantur. Inter quos clarissimus fuit Philonides, Alexandri magni cursor, ex Livio, Plin. Probo Æmilio, et cæteris. *Beroald.*

P. Nimia temeritate] Forte scri-

bendum, *personata mima temeritate.* Notarunt viri docti, hanc dictionem sæpius ab imperitis librariis, in veteribus scriptoribus loco motam. Sic recte emendat doctissimus, mihique amicissimus vir, Th. Canterus apud Arnob. lib. v. 'Et Acdestis blandus adulto comes, et qua solum poterat, mimus, tectis assentationibus,' &c. *Colv.* Sic *mimo* abiit in *nimio* apud Sueton. Cal. c. 45. ubi vide. Sed præterquam quod vis mimicæ actionis expressa jam sit participio *personata*, probare debuerat Colvius, ita *mimus* adjective usurpari pro *mimicus*. Rectius divinavit Pricæus *mira*, ut l. VIII. 'Astu miro personata :' et alibi. At bene idem quid mutandum esse non præstat. *Nimius* enim passim Nostro est maximus, mirus, et fere incredibilis. Vide ad l. v. p. 102. 'nimio splendore.' L. IX. p. 189. 'Novitate nimia candentes aureos.' *Oud. Personata nimia temeritate*] Colvius *mima t.* satis inficete. Si quid mutandum, (quod non præsto) scriberem *mira t.* supra lib. VIII. 'Astu miro personata.' Vide quæ ad eundem librum p. 173. adnotata. *Pric.*

Insimulat privigni veneno, &c.] Ex amatrice accusatrix facta. Scriptor de bono Pudicitiæ in Cypriani operibus, de Ægyptii uxore : 'Ad crimen impudicitiæ adjicere non dubitavit calumniam.' Seneca de noverca Phædra : 'Quid sinat inausum fœminæ præceps furor ? Nefanda juveni crimina insonti apparat.' Donatus ad II. 3. Phorm. 'Insimulare, est, crimen ingerere.' Festus Pompeius : 'Insimulare, crimen in aliquem confingere.' *Idem.*

Et hic q. n. a. mentiebatur] Ms. *Et haec q.* Colvius. Flor. *Et hoc quidem.* Elmenh. *Hoc*, quod etiam servarunt Pith. Bert. Oxon. Guelf. sec. receperunt Elm. Scriv. Florid. Verum *hic* præstant reliqui Codd. et Edd. Nec mutari oportuerat *hic* pro *hac in re.* Est enim locutio satis frequens Apuleio ; ut jam Beroaldus observavit, nulla tamen afferens exempla, quæ postulabat Pricæus. Ecce igitur l. I. p. 4. 'Ego tibi solus hic pro isto credam.' L. v. p. 100. 'At hic jam tua est existimatio.' Quibus tamen locis quoque variant Mss. et Edd. Apol. p. 415. 'Hic etiam illud reprehendi animadvertisti.' *Oud. Et hic quidem, &c.*] Locutionem Appuleianam Beroaldus vocat, nulla tamen exempla adducit. Lipsii Ms. *et hæc.* Florent. et Oxon. *et hoc q.* Pric. *Et hic*] In hoc, in hac re : Appuleiana eloquutio. *Beroald.*

Probrosæ] Scelus inauditum finxerat scelestissima noverca, videlicet quod privignus seipsam libidine infanda incestare voluisset : quæ haud dubie probrosissima est. Consimile quiddam fecit Phædra, quæ insimulavit Hippolytum apud Theseum, quod se comprimere tentasset. Quidam ita exponunt, ut intelligant insimulatum esse privignum fratricidii, ex eo quod fratrem incestare libidine mascula tentaverit, atque præpostera, et quod ille recusaverit : est enim amphibolon illud *Se*, utrum ad novercam an ad fratrem referatur. *Idem.*

Qua se comprimere tentaverat] Beroaldus docet, alios quoque τὸ *se* ad juniorem fratrem retulisse. Sed male omnino. Mulier illa accusabat privignum, quod is occidisset fratrem, suum filium, in vindictam repulsæ, et quod noluerat ille sibi incestus morem gerere. Id non tantum ex verbis per Floridum allatis patet, sed etiam clarius multo ex pag. 215. 'Quod se vocasset indignatus fastidio novercæ juvenis ; quod ulciscens injuriam filii ejus mandaverit necem,' &c. In Oxon. a m. pr. *comprimu*, Guelf. pr. *comprimeni.* Dein *noluisse* Pith. *Oud. Qua se comprimere tentaverat*] Id est, juniorem fratrem, non novercam : ita exponendum ex sequentibus, 'sibi' (h. e. novercæ) 'quoque ob detectum flagitium,' &c. quod non considerans

Beroaldus, verbosius heic quam oportebat egit. *Pric.*

Nec tam immanibus contenta mendaciis] Vide supra p. 2. notata. *Idem.*

Sibi, &c. eumdem illum gladio comminari] Ms. *gladium comminari.* Colvius. Accusativum receperunt Wowerius et Pricæus, adstipulantibus Mss. Palat. Fux. Oxon. D'Orv. Guelf. sec. Passim enim *comminari* cum Dativo personæ et Accusativo rei jungere, non secus atque alii, amat Auctor; ut docet Pricæus; et hinc mox, 'in comminata novercæ nece.' Adi et me ad lib. IX. p. 202. 'Frustra eum tyrannicam superbiam comminari.' At sicut illic vidimus, rectius in aliis legi *tyrannica superbia;* ita et hic ob præcedentes Accusativos *eumdem illum,* (sc. privignum,) malo retinere ceterorum Codd. et Edd. scripturam, *gladio.* Sæpissime enim *minari alicui* cum compositis absolute occurrit, subintellectu *mali cujusvis* vel *mortis,* pro Substantivo modi vel instrumenti addito. Confer notas ad Sallust. Catil. cap. 49. 'Cæsari gladio minitarentur.' Eadem est confusio apud Cic. XI. Catil. cap. 1. 'huic urbi ferro flammaque minitantem:' quod præfero ex Mss. aliquot. Vulgo, *ferrum flammamque.* Oud. *Eundem illum gladium comminari*] Ita recte (ex Lipsii ut videtur Ms.) editio Woweriana: in cæteris minus sincere, *gladio.* Supra lib. III. 'Soli tenebras et caliginem comminari:' lib. IX. 'Dira Myrmeci comminatur supplicia.' Ibidem: 'Mortem denique violentam et famem comminatus:' et infra heic, 'Quod recusanti mortem sit comminatus.' *Pric.*

Duplici filiorum morte percussus] Lib. IV. 'Orbitatis duplici plaga petiti.' *Idem.*

Magnis ærumnarum procellis æstuat] Videntur ex Poëta quopiam adumbrata, qui fortasse sic scripsit, *Magnis ærumnarumque procellis Æstuat.* Glossæ: 'Æstuat, ἐκζαλοῦται, ἐκλύεται, ῥιπτάζεται, κυματίζεται.' Virgilius: 'Magno curarum fluctuat æstu.' Prudentius: 'Mens æstuans procellis.' Arnobius μιμητικῶς lib. II. 'Cur non immunis agitis tot discriminibus et procellis, quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicesque fortunæ.' *Idem.*

Ad hoc] Melius, *ad hæc* scribas. Glossæ: 'Ad hæc, &c. πρὸς τούτοις.' Glossæ aliæ: ''Επὶ τούτοις, adhæc, insuper,' &c. *Idem.*

Ad extremum subolis inpellebatur odium] Fux. *implebatur odiis,* et Ald. haud male. *Roald.* Vet. Cod. *implebatur.* Colv. Alter Ms. legit, *implebatur odiis.* Sciopp. in Symbola. Flor. *implebatur,* minus recte. *Elmenh.* *Inplebatur* legas etiam in Palat. Guelf. utroque, D'Orvill. ac placuit Grutero lib. VIII. Suspic. cap. 3. et adhiberi solet in omnibus animi nimiis adfectionibus, de quo vide Trilleri Obs. lib. III. cap. 2. Verum *implebatur ad extremum odium* Latine dici nequit. Quare vel excidisse debuisset vox *ira* aut similis, vel cum Codd. Fux. Urs. Petrarchæ admittendum *odiis,* aut potius *odii:* ut iste Genitivus turbarum caussa fuerit, (adi ad lib. II. p. 39.) et *ad extremum* ponatur pro *postremo, tandem.* Vide ad lib. VIII. p. 172. Verum cum iste eorum verborum sensus minus conveniat, et optimi Codd. servent *odium,* immo *impellebatur* vindicent quoque Pith. et Oxon. cum Par. omnino retinendum videtur vulgatum, Appuleiano stylo consonum. Sic lib. II. p. 39. 'facti verisimilitudine ad criminis credulitatem inpelli.' Lib. VIII. pag. 154. 'Ad hoc ipsum inpellitur.' Lib. IX. p. 197. 'Offensum mariti flectere, atque in amorem inpellere conatur animum.' *Oud.* *Uxoris dilectæ nimium mentitis lamentationibus ad extremum subolis impellebatur odium*] Citatus modo Scriptor de bono Pudicitiæ: 'Maritalis' (Putipharis) 'ardor rerum inscius, et uxoris accusatione

graviter inflammatus incenditur.' Ambrosius Hexaëm. VI. 'Mutato concubitu patres depravantur,' &c. Apud Sulymannum Roxana in Mustapham quid valuerit, probe omnes noverunt. *Pric.*

Pompæ funebres] Vide supra p. 38. dicta. *Idem.*

PAG. 214. *Ab ipso ejus rogo*] Atqui puer hic non est crematus, sed totum ejus corpus sepulcro conditum et humatum: unde et mox post longum de eo habitum judicium repertus est non mortem occubuisse, sed arto sommo devinctus fuisse p. 218. 'Pater, cooperculo capuli remoto, surgentem deprehendit filium, eumque producit ad populum, ut erat adhuc feralibus amiculis obstrictus:' ubi male per *sepulcrum* et *capulum* intelligit Floridus feretrum, quo inclusus delatus fuerat ad rogum, his scil. verbis deceptus. *Capulus* non est ibi feretrum, sed arca, in qua reconduntur humandi, non sepeliendi: ut clare lib. IV. p. 75. 'Monumentum conspicamur procul a via, &c. Ibi capulos carie et vetustate semitectos, quis inhabitabant pulverei et jam cinerosi mortui,' &c. Atque alibi pro conditorio seu sarcophago occurrit. Adi omnino Comm. ad lib. VIII. p. 162. 'Capulum Tlepolemi propter adsistens.' Numquam enim omnes omnino Græci et Romani suorum cadavera comburebant; sed multi ea humabant; quod sepulturæ genus præsertim rursus invaluit post Christianismum toto Romano orbe receptum; donec tandem combustio est abolita. Humatio patet ex innumeris repertis sarcophagis, veterumque auctorum locis. Vide Cic. lib. II. de LL. cap. 12. Plin. lib. II. 63. VII. 16. 54. Castal. lib. IV. L. cap. 8. Fabr. Inscript. cap. 1. Gorium ad Columb. lib. Liviæ p. 38. &c. Macrob. lib. VII. Sat. cap. 7. Comm. ad lib. VI. Cod. Theod. de sepulcro violato. Nisi ergo locus sit corruptus, quod non puto, rogus hic abusive ponitur pro sepulcro et arca, ut passim *sepulcrum* pro *rogo*. Mox Fux. *infelix senex*.

Foro se festinus immittit] Hoc sensu in Apologia: 'Turbabat in medio foro bacchabundus.' *Pric.*

Trahensque cinere sordentem caniciem] Vide supra p. 151. dicta. *Idem.*

Tum fletu, tum precibus, genua etiam Decurionum contingens] Lib. VIII. 'Cum fletu, &c. singulorum genua contingens.' *Idem.*

In exitium reliqui filii plenis operabatur affectibus] 'Funesta pater Pejor noverca.' In voce *plenis* metaphora est a velificatione desumpta. Ammianus Marcellinus lib. XVIII. 'Non contis, et remulco, ut aiunt, &c. sed tota velificatione in Rempublicam ferebatur.' *Idem.*

Et incomminata novercæ nece sicarium] Imo et parricidam: nam etsi in 'lege Pompeia de parricidiis' novercæ sit omissa persona, sententia tamen legis continetur. lib. III. ff. eod. *Incomminari* heic, ut in Floridis, *inconcupiscere*, et alia in Appuleio nostro. *Idem.*

Tanta denique miseratione, tantaque indignatione Curiam, sed et plebem mærens inflammaverat, ut, &c. cuncti conclamaverint, lapidibus, &c.] Credentes nempe non ita patrem ejus facturum, nisi penitus rei veritate perspecta. Non male his conveniunt quæ in historia Susannæ: 'Credidit eis multitudo, quasi senibus, &c. et condemnaverunt eam ad mortem.' Quintilianus Declam. XI. 'Fallitur, quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat: persuadentium vires sunt quicquid civitas facit, et secundum quod exasperatur irascitur.' Valerius Maximus de Zenone, a Phalari tormentis vexato: 'Increpitans Agrigentinis ignaviam ac timiditatem, effecit ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent.' Vide supra pag. 8. et 39. adnotata. *Idem.*

Responsionis meditatis ambagibus] Fux. *mediatis*. Margini adlevit Sopingius, *ineditis*, sive non redditis. Prave. Nam *meditatas responsionis* (Ed. Bas. pr. *responsionibus*) *ambages* opponit Auctor 'manifestis accusationis probationibus,' et sub utrisque ἀπὸ κοινοῦ intelligit *remotis*. Oud.

Magistratus interim, metu periculi proprii, ne de parvis indignationis elementis ad exitium disciplinæ civitatisque seditio procederet, &c.] Tacitus Histor. II. 'In civitate discordi, &c. parvæ quoque res magnis motibus agebantur.' Trebellius Pollio in 30. Tyrannis: 'Hoc familiare est populo Ægyptiorum, ut velut furiosi ac dementes, de levibus quibusque ad summa Reipublicæ pericula perducantur.' In voce *elementis* translatio est ab *incendiis* sumpta, ad quam, ut et ad sensum loci istius, Plutarchus perapposite: "Ωσπερ ἐμπρησμὸς οὐ πολλάκις ἐκ τόπων ἱερῶν ἄρχεται, καὶ δημοσίων, ἀλλὰ λύχνος τις ἐν οἰκίᾳ παραμεληθεὶς, ἢ συρφετὸς διακαεὶς, ἀνῆκε φλόγα πολλὴν, καὶ δημοσίαν φθορὰν ἀπεργάζεται· οὕτως καὶ οὐκ ἀεὶ στάσιν πόλεως αἱ περὶ τὰ κοινὰ φιλονεικίαι διακαίουσιν, ἀλλὰ πολλάκις ἐκ πραγμάτων, καὶ προσκρουσμάτων ἰδίων εἰς δημόσιον αἱ διαφοραὶ προελθοῦσαι, τὴν πόλιν ἅπασαν συνετάραξαν. οὐδενὸς ἧττον τῷ πολιτικῷ προσῆκε ταῦτα ἰᾶσθαι, καὶ προκαταλαμβάνειν ὅπως τὰ μὲν οὐδὲ ὅλως ἔσται, τὰ δὲ παύσηται ταχέως, τὰ δὲ οὐ λήψηται μέγεθος, οὐδὲ ἅψηται τῶν δημοσίων, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς μένῃ τοῖς διαφερομένοις· αὐτόν τε προσέχοντα καὶ φράζοντά τε ἄλλοις, ὡς ἴδια μικρὰ κοινῶν μεγάλων αἴτια καθίσταται παροφθέντα, καὶ μὴ τυχόντα θεραπείας ἐν ἀρχῇ, μηδὲ παρηγορίας. Quæ extant in præceptis ejus de Republ. administranda. *Disciplina* heic, est quam supra III. 'publicam disciplinam' vocat. *Pric.* *Metu periculi, &c.*] Lib. VIII. 'Metu prædicti periculi,' &c. *Idem.*

Partim Decuriones deprecari, partim populares compescere, ut, &c.] Bonum factum Act. 19. comm. 36. 38. 39. et 40. cum hoc loco conferre: quod hic *compescere*, ibi καταστέλλειν: quod hic, *metu periculi proprii*, ibi ἐγκαλεῖσθαι, κινδυνεύομεν. *Idem.*

Ut rite, &c. judicio reddito, &c.] Hesiodus: Διακρινώμεθα νεῖκος Ἰθείῃσι δίκαις. Confer narrationis de Susanna com. 48. In vetere Onomastico: 'Rite, κατὰ κόσμον.' *Idem.*

Et utrinque secus allegationibus examinatis, &c.] Vide ad Act. 23. 35. et 25. 16. annotata. *Idem.*

Civiliter sententia promeretur] Donatus ad IV. 6. Eunuchi: 'Violento civiliter resisti solet.' Glossæ: 'Civiliter, εὐτάκτως, χρηματικῶς,' (an σχηματικῶς, i. e. *decenter* scribendum?) 'πολιτικῶς.' *Idem.*

Damnaretur a. inauditus] Divorum Severi et Antonini rescriptum, Ne quis absens puniatur l. I. D. de Requir. reis. Quo respicit Tertullianus Apologetico: 'Respondendi altercandi facultas patet: quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari.' *Colv.* Neque enim inaudita causa quemquam damnari æquitatis ratio patitur, ut ait Martianus I. C. l. I. Digest. de Pœnis: ubi vide, quæ docte notat Dionys. Gothofredus J. C. præstantissimus. *Elmenh.* *Nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus*] Maximus Tyrius VI. Dissert. Ἀλλ' εἰ μὲν δίκην ἐφεύγομεν, ἠχθόμεθα ἂν τῷ δικαστῇ μὴ παρέχοντι ἑκατέρῳ ἐκ τῆς ἴσης τὴν ἀπολογίαν, ἀλλ' ἐοικότι τυράννῳ μᾶλλον ἢ δικαστῇ. Philo de Flacco: Μηδὲ λόγου μεταδοὺς, ἀλλ' ἀκρίτως καταδικάζων· οὗ τί εἴη τυραννίδος μεῖζον ἐπάγγελμα. Bene autem barbaricam feritatem tyrannicæ impotentiæ junxit. Apud Euripidem in Heraclidis: Οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω. Nota et *tyrannicum* hic *civili* oppositum. Tertullianus Apologetico: 'Civilis, non tyrannica dominatio est.' *Pric.* *Barbaricæ feritatis*] Scriptor de excid. Hierosolymit. V. 24. 'Et feritas barbaricæ pro-

pior immanitati.' *Idem.*

Nec in pace placida, &c.] 'Re placida atque otiosa:' ut Plautus Truculento locutus. In ejusdem Menechmo: 'O facinus indignum et malum Epidamnii cives, herum Meum heic in pacato oppido Luci deripier!' &c. *Idem.*

Tam dirum seculo proderetur exemplum] Paterculus lib. II. 'Volumnius, &c. diri auctor exempli.' *Idem.*

Placuit salubre consilium] Supra lib. III. 'His dictis applauditur:' et VII. 'Talibus dictis universi omnes adsensere.' Πᾶσιν εὖ λέγειν ἔδοξεν, Heliodorus dixit. Adde quæ ad Act. 5. 40. adnotata. *Idem.*

Præconis vocatu] Idem, *pr. p'catu.* Colv. Forte *procalatu.* Festus: 'Procalato, provocato.' Et, 'Calatores dicebantur ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare; quia semper vocari possent, ob necessitatem servitutis.' 'Præconis boatu' dixit supra lib. III. (p. 44. Ed. Pric.) Vide et Macrob. Satur. lib. I. capite 15. 'Rauca voce præconis' Sidon. Apol. lib. I. Epistola 3. *Brant.* B. *præconis boatu.* Putean. *Vocatu* exsulat a Palatino et Guelf. sec. *Precatu* etiam D'Orv. Fux. Hinc Sopingius faciebat *provocatu.* Sed unice verum est *boatu*, pro quo vitiose de more erat scriptum *voatu*, ut bene monuit Pricæus. L. V. p. 107. 'A foribus quam maxime boans.' L. IX. p. 190. 'fidem deum boantem.' Ovid. l. III. Art. 450. 'toto voce boante foro.' Auson. de Musarum inventis vs. 2. 'tragico proclamat mœsta boatu.' Martian. Cap. l. II. p. 24. 'Virginis interea trepidas perlabitur aures Fama, Jovis magno dum complet tecta boatu.' Sic Mss. magno numero. Vulgo, *ad trepidas.* Ut autem hic *boatus* in *vocatus*, sic *boantia* in *ovantia*, et hinc in deterius abiit in Silio Italico l. VIII. 266. 'Fabiumque moræ increpitare professus, Ad vulgum in patres reboantia verba ferebat.' Vulgo, *et ovantia.* Heins. corrigebat *petulantia.* Adi itidem de hoc verbo Cel. T. Hemsterh. ad Lucianum t. I. Dial. Mort. n. X. *Oud.* *Præconis vocatu*] Ita editi, et Cod. Oxon. In antiquioribus Mss. puto *vocatu* (i. e. *boatu*) scriptum, et inde in recentiores τὸ *vocatu* manasse. Supra lib. III. 'Præconis amplo boatu:' quo sensu lib. VIII. 'Præco diruptis faucibus, et rauca voce saucius.' Florid. I. 'Præco cum Proconsule, et ipse tribunal ascendit, &c. et quidem perdiu' (lege *perdius*) 'stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat.' Ibidem III. de Tragœdis: 'Boando ravim purgant.' *Pric.*

Primus accusator intendit] Minus recte vulgo, *accusator incedit.* Judicii et accusationis verbum *intendere.* Plautus Milite: 'Pergin' sceleste intendere, atque hanc arguere?' *Colv.* Antiqua scriptura *incedit.* Wowerius. *Intendit.* Hæc sunt a Colvio, pruriente nimium Critico. In omnibus libris est *incedit.* Nihil adhuc intendisse accusatorem ea, quæ sequuntur, docent. *Sciopp. in Symb.* Manuscripti omnes *incedit*, quod non rejiciendum. *Elmenh.* Immo suffragantur Colvio Mss. D'Orv. et Reg. Fux. Pith. et Guelf. uterque, nec non Flor. dans *incendit.* Pessime vero Vulcanius eam corruptelam secutus est. Nam, ut bene monet Sciopp. quem et vide Susp. L. I. cap. 18. e sequentibus patet, eo nondum perventum esse, sed adhuc modo intro vocatum progredi accusatorem, et mox reum. Frustra Sopingius sui libri oræ adlevit *prius.* Constructio enim est *primus incedit.* Oud. *Primus accusator incedit*] Merito notatur Colvius, qui *intendit* reponebat. Infra heic: 'Incedit puella vultu honesta.' *Pric.*

Clamatus inducitur et reus] Vulg. *introducitur.* Colvius. Al. *introducitur.* Elmenhorstius. 'Nec enim reus prohibendus, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari possit,' ut est apud Cornel.

Tacit. II. Annal. Forte *calatus*. Brant. Ineptit Brantius, antiquata verba olens. *Clamatus* est vocatus, citatus. Vide Salm. ad Solin. p. 891. *Inducitur* vero formant Mss. O. Adi ad l. III. p. 48. 'Reus capitis inducor:' et Plin. l. II. Ep. 11. 'Marcianus inductus est, absente Prisco:' ubi idem olim vitium exprimebatur. *Oud.*

Exemplo legis Atticæ] Vide Meursium Atticar. lection. lib. v. c. 4. Carolum Sigonium de Republica Atheniensum lib. II. cap. 5. *Elmenh.* Adi Pric. *Oud.*

Neque principia dicere] Ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν. *Elmenh.* Quod apud Areopagitas vetitum quoque fuisse, testatur Julius Pollux l. VIII. *Brant.* *Exemplo legis Atticæ Martiique judicii causæ patronis denunciat præco, neque principia dicere, neque miserationem commovere*] Quintilianus VI. 1. 'Athenis affectus movere per præconem etiam prohibetur Orator:' et II. 17. 'Athenis quoque, ubi actor movere commiserationem vetabatur.' Themistius XVI. Orat. Τάχα οὖν οὐδέ μοι ἐπιτρέψεσθε ἐπὶ πλέον προοιμιάζεσθαι· οὐδὲ γὰρ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ὁ νόμος ἐδίδου. ubi προοιμιάζεσθαι, est quod hic 'principia dicere.' Hesychius: Ἀναβάλλεται· προοιμιάζεται. sic enim legendum videtur. Virgilius: 'Per ambages et longa exorsa tenebo:' ubi Servius: 'Procemia longe repetita.' Gellius IX. 15. 'Incipit mira celeritate in eandem hanc controversiam principia nescio quæ dicere,' &c. Hujusmodi quædam extant hodieque sub Demosthenis nomine. Pomponius l. I. ff. de Orig. jur. *præfationes* dixit. Habebant et *principia* sua citharœdi, ut ex Suetonio ad Taciti Annal. XVI. J. Lipsius notavit: adde in v. οἴμη Hesychium: 'Miserationem commovere,' est παθαίνεσθαι. Plutarchus in de mor. virt. Τοὺς ῥήτορας ἐν ταῖς ἀριστοκρατίαις οὐχ ἐῶσι παθαίνεσθαι. Vide Lucianum de Gymnasiis. *Pric.* *Exemplo Martii judicii*] Quidam exponunt *Martium judicium* pro *Romano*, propterea quod Romani a Marte sunt oriundi; quem patrem Romuli fuisse perhibent, urbis Romæ conditorem: sed id parum congruit. Ego *Martii judicii* nomine intelligo Areopagitas, qui judices senatoresque Atheniensium fuerunt: quo consilio (ut inquit M. Tul.) leges Atheniensium et majorum instituta servantur. Solon primus constituit Areopagitas, hoc est, senatum consiliumque Atticorum. Quidam autumant, ante Solonem fuisse senatum Areopagitarum Athenis constitutum. Sed M. Tull. Plutarch. Divus Augustin. id Soloni attribuunt. Areopagitæ silentes judicabant, ut docet Macrob. in VII. Saturnalium. Hinc illud satyrici poëtæ: 'Commissumve teges ut curia Martis Athenis.' Areopagus interpretatur curia sive pagus Martis. causa nominis ex judicio est, quo Mars (qui Græce *Ares* dicitur) cum homicidii reus fieret, judicantibus duodecim diis in eo pago (ut refert Augustinus in 18.) sex sententiis absolutus est: ubi enim pares sunt sententiæ, absolutio damnationi præponitur. Auctor est Plinius in VII. judicium capitis in Areopago primum actum esse. Olim Dolabella proconsul Aisæ causam veneficii ancipitem et scrupulosam ad Areopagitas, ut ad judices graviores exercitatioresque, rejecit: sicut Valerius Maximus Gelliusque notificant. Julius Pollux tradit, in Areopago judicia cædis et veneficiorum exerceri solita. Significat igitur, exemplo Atticorum, judiciis Areopagitarum, hanc veneficii causam actitatam esse, ut neque præmiaretur orator, neque moveret affectus. Hoc autem apud Athenienses fieri solitum, testis est Quintil. qui in secundo scribit, Lacedæmoniorum civitate expulsam eloquentiam, et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, velut

recisam orandi potestatem. Idem in sexto sic inquit: 'Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus movere etiam per præconem prohibebatur orator.' *Beroald.*

PAG. 215 *Compluribus mutuo sermocinantibus cognovi*] Sic edi debuit: nescio an operarum incuria duæ voces omissæ. *Pric.*

Accusator vexaverit] Proba haud dubie aliorum correctio, *accusator invexerit.* In causam invehi Ciceronianis notum est. Præterea ex ipso Apuleio id constat, hujus causæ patronis per præconem denuntiatum fuisse; neque principio uterentur, neque commovendis affectibus operam darent. Quod ipsum caussa est, quapropter reponendum quoque putem, *quibus rationibus diluerit reus.* Stewechius. Fux. *orreserit.* Forte *egerit.* Roald. *Accus. egerit.* Vulg. *accus. invexerit*, vel *vexerit.* Colvius. Manusc. *accusator orserit*, hoc est, orsus fuerit, ut putat Fulvius. Quod mihi non satis placet. An *urserit?* Amplio. *Sciopp. in Symb.* Flor. *a. reum urserit.* Pal. *a. reum* . Rom. *ac. r. vexerit.* Aldus *a. r. invexerit.* Bert. *a. vexerat.* Elmenh. In D'Orv. est *sermocinator* pro *accus.* Vitiosam primarum Editionum lectionem *vexerit* Beroaldus et Basileenses inmutarunt in *vexaverit.* Sed ipse Beroald. probante Piccarto Per. Crit. c. 13. aliisque, conjecerat *invexerit*, pro *invectus sit*; eamque conjecturam expressere Juntæ, Ald. et Colin. *Egerit*, Roaldi commentum, secuti sunt Colv. et Vulcanius. *Orsus sit* placebat Grutero. Perperam omnes. Ex corrupta Mss. lectione *vixerit*, ut in Pith. *orreserit* vel *oreserit*, ut in Lips. Guelf. sec. D'Orv. Pal. Reg. Fux. *orserit*, ut in Fulv. Oxon. Guelf. pr. satis patet, verissimam esse lectionem membranarum Medicearum *urserit*, bene arreptam ab Elmenh. Scriv. et seqq. Cic. l. II. de Orat. c. 74. 'Orat reus: urgent advocati.' Pro Ligario c. 3. 'Nimis urgeo: commoveri videtur adolescens:' et passim: ut et *premere.* Vide ad Sueton. Ner. c. 7. Crus. Prob. Crit. p. 92. Sed hinc patet simul, minus bene a Scriverio exhibitam esse ipsam Flor. Cod. lectionem, *reum urs.* Ea enim vox, in aliis libris non comparens, e glossemate irrepsit. Opponuntur *urserit* et *diluerit* sine casu. *Oud.* *Quibus autem verbis accusator egerit, quibus rebus diluerit reus, &c.*] Seneca Controvers. VI. 5. 'Omnia legitime peracta sunt: accusator suo loco dixit, reus suo respondit.' In vetustiss. editt. *accusator venerit*, unde *invexerit*, non male Beroaldus. Noster in de Mundo: 'Reus purgandi se necessitate, insectandi' (i. e. *invehendi*) 'studio accusator venit.' Præfero autem Florentini Cod. lectionem, *urserit.* Glossæ: 'Urguet, ἐπείγει, &c. ἐπίκειται:' hoc Luc. 11. 53. δεινῶς ἐνέχειν. Lectionem illam tantum non exhibent duo alii Mss. in quibus *orserit* exaratum. *Pric.* *Vexaverit*] Lego *invexerit*, pro *invectus sit.* Quidam corrigunt, *vexaverit.* Ber.

Ac prorsus orationes altercationesque] Tertullianus Apologetico: 'Respondendi altercandique facultas patet.' Glossarium: 'Altercatur, ἀνταποκρίνεται. Altercatio, &c. ἀντίῤῥησις, ἀμοιβαῖοι λόγοι.' Jure autem post orationes *altercationes* posuit: post *orationes* enim habitas utrinque secus, solebant *altercationes* in judiciis sequi. Vide VI. 5. Quintilianum. *Pric.*

Neque absens ipse apud præsepium scire potui, &c.] In Terentii Phormione; 'Sed me censen' potuisse omnia Intelligere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi egerint?' Apud Suidam quis in ἐπαγγέλλει, de Justino: Οὔτε τοῖς πραττομένοις ξυνεπίστασθαι οἷός τε ἦν τῷ σπηλαίῳ καθειργμένος. Seneca Controvers. I. 1. 'Quid inclusa feceris, nec quærere debemus, nec scire possumus.' *Idem.*

Veritatem criminum] Sic, τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ἀλήθειαν, lib. III. Hero-

dianus. Supra hic lib. III. 'Quod plane verum crimen non diffitebor.' *Idem.*

Suspicationibus] Fux. *suspicionibus.* Vide legem, nec absentem. § sed neque de suspicionibus D. de pœnis, l. ultimam Cod. de probat. *Roald.* Bertin. *suspicationibus.* Sciopp. in Symb. *Suspicionibus.* Alii, *suspicationibus.* Modius, *suspectionibus.* Elmenh. Quippe 'indignum facinus esse, sine testibus conjecturam et suspicionem firmamenti satis habere,' scribit auctor ad Heren. lib. II. *Brant.* *Suspicationibus* Appuleio non indignam esse vocem, putat Sciopp. in Susp. l. I. c. 18. sed sine auctore, et Mss. ullis, præter Bertin. *suspicionibus*, quod tacite edidit Colvius, habent Mss. reliqui, et jam Ed. Junt. post. Alioquin non alienus essem a *suspectationibus*: quæ vox occurrit in Ms. Erfurt. Ciceronis l. I. de Inv. c. 16. ac Mss. aliquot Frontini l. I. c. 8. § 5. Verboque *suspectare* crebro utitur Auctor; unde 'suspectatis odiis' l. IV. pag. 86. De Modiano *suspectationibus* vide Burm. ad Quinctil. Decl. I. 2. in f. me ad Cæs. l. VI. B. Civ. c. 7. *Oud.*

Cruciarius] Monstrum vocabuli in Ms. *emaciatius.* Et audi, quæ ad marginem: 'Emaciatus ab emo, id est, vitiatus non est.' Hæc mihi folia Sibyllæ. Vulgaris lectio proba. Isidorus Origin. lib. X. 'Cruciarius, eo quod sit cruce dignus.' Petronius: 'Itaque cruciarii illius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem.' Ex scripta lectione conjeci aliquando *mastigiarius.* Sed desisto. *Colv.* Adscripsit Lindenbrogius, *emaciatus.* V. C. *Scal.* Ed. Vic. *cruciaritus.* Vide ad Petronii cap. 112. *Oud.*

Fortuna tam magni judicii] Forte, *vel forma.* M. Tul. pro Milone: 'novi judicii nova forma terret oculos.' Ipse judicis et fori conspectus quandam majestatem præ se fert, ut non eodem modo rei illum ferant, quo alium locum et consessum, quod judicat idem M. Tul. orat. pro Cœlio. Vulgatam tamen lectionem non damno. Quinctil. Declam. 371. 'At enim dubia est judicii fortuna; sed nobis non timenda.' *Brant.* Bene se revocavit Brantius. Aleam judicii incertam intelligit Auctor. *Forma* sequitur sub verbis 'in conspectu curiæ.' *Oud.* *Fortuna t. m. judicii*] 'Fortunam judicii' dixit et Instit. X. 1. et Declam. 371. Quintilianus. *Pric.*

Confertæ conspectu curiæ] Glossæ: 'Conferti, μεμεστωμένοι.' Glossæ aliæ: 'Μεμεστωμένος, fartus, confertus.' Florid. III. 'Inter confertos homines:' et supra hic lib. IX. 'Inter confertæ multitudinis stragem.' Bene et *curiæ conspectu*: sic, Ὄψις πόλεως, in Glossis 'conciliabulum' redditur. *Idem.*

Vel certe noxia conscientia sua deterritus] Lib. III. 'At ego tunc temporis nihil amplius quam flere poteram, non tam mehercules truculentam accusationem intuens, quam meam miseram conscientiam.' *Idem.*

Quæ ipse finxerat, &c.] apud Senecam: 'Quæque ipsa demens pectore insano hauseram, Mentita finxi.' Apud Nostrum in Apologetico: 'Non insimulet Crassus servum suum, ipse hæc potius, &c. mentitus est.' Hieronymus ad Furiam: 'Rumores turpissimos serunt: et quod ab ipsis egressum est, id ab aliis audisse se simulant.' *Idem.*

Quod promisisset grande silentii pretium, quod recusanti mortem sit comminatus] Vide supra pag. 135. adnotata. *Idem.*

Hæc, &c. ad veritatis imaginem verberone illo simulata trepidatione perferente, finitum est judicium] Valer. Maximus VI. 8. 'Quia verisimile videbatur, habita est voci fides.' 'Ad imaginem veritatis perferre,' est, Ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὅμοια. 'Fictiones sub imagine veritatis expromere,' Arnobius V. dixit. Firmi-

cus v. 12. Mathes. 'Faciet effractores, fures: et qui mendacia sua umbra quadam veritatis soleant ornare.' Additur, *simulata trepidatione:* quo nil potuit moralius dici. Virgilius de Sinone: 'Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur:' ubi Servius: 'Quasi pavitans.' Idem ad Æneid. XI. 'Sceleratorum est formidinem simulare.' Dio Cassius de Narcisso Claudii liberto: *Ἔπλασσεν ὡς σφαττόμενον τὸν Κλαύδιον ὑπὸ τοῦ Σιλανοῦ αὐτοχειρίᾳ ἰδὼν,* (in somno nimirum,) *καὶ αὐτός τε εὐθὺς ὑπὸ τὴν ἕω ἐν τῇ εὐνῇ οἱ ἔτι ὄντι ὑπότρομος διηγήσατο. Idem.* *Ad imaginem veritatis*] Cyprianus Epist. LXXV. 'Ubi omnia, quamvis ad imaginem veritatis, tamen per Dæmonem gesta sunt:' et alibi: 'Expressa ad imaginem veritatis actione.' *Idem.*

Tam æquius] Lege, *tam æquus:* id est, tam benevolus. *Berould.*

Insui culleo] Modestinus Leg. II. Digest. ad leg. Pompeiam de parricidiis: 'Pœna parricidis more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, et vipera, et simia: deinde in mare profundum culleus jactetur; hoc ita, si mare proximum sit; alioquin bestiis objiciatur secundum D. Hadriani constitutionem.' Theophilus de publicis judiciis libro quarto Institut. tit. 18. *Ἔστι καὶ ὁ Πομπήϊος νόμος,* &c. *Elmenh.* Oxon. *aculeo,* D'Orv. et Edd. qdd. *culeo,* ut passim apud alios scriptores. De ea pœna vide et Pricæum, de ejusque origine inspice, quæ monet Dukerus ad Ep. Livii LVIII. 'Publicius Malleolus, matre occisa, primus insutus culeo, in mare præcipitatus est.' *Oud.* *Insui culleo, &c.*] Solennis pœna parricidii, quod crimen huic insonti juveni objectum. Juvenalis: 'Et deducendum corio bovis in mare:' ubi vetus Scholiastes: 'Culleo enim inseri' (*id. insui*) 'consueverant, qui hæc scelera tentarent.' Idem ad ea, 'Cujus supplicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culleus unus. Hoc ideo, quia parricidis in culleo clausis ad pœnam simia et serpentes jungi solebant.' In sententiis Hadriani Imperatoris cum Glossariis a Vulcanio editis: *Ἐγένετο νόμος τις,* &c. col. 305. locus longior enim quam ut exscribi necesse. Glossæ: 'Culleus, *ὁ ταύρειος ἀσκός.*' Glossæ aliæ: '*Ἀσκὸς ταύρειος,* culleum.' Vide et lib. IX. ff. ad leg. Pomp. de parricid. *Pric.*

Sententiæ pares] Sive æquales, ejusdem tenoris. Vide Burm. ad Phædr. lib. II. F. 2. Sic *par* pro eodem, et *par idemque* Silio lib. XIV. 127. XV. 400. Aliis *par similisque* jungitur. *Oud.* *Cum jam sententiæ pares, &c.*] Nimirum, damnatoriæ omnes. Ovidius Metam. XV. 'Lata est sententia tristis, et omnis Calculus immitem dimittitur ater in urnam.' Pollux VIII. 4. ubi de Judicibus consentientibus: *Ἴσας τὰς ψήφους ἔθεντο, ἴσαι αἱ ψῆφοι ἠνέχθησαν. Pric.*

In urnam æneam] Vulg. *urnam æream.* Colv. *Æream.* Al. *æneam.* Virg. VI. Æneid. 'Quæsitor Minos urnam movet.' *Elmenh.* Perpetua est confusio in scriptura *æreus* et *æneus.* Vide Comm. ad Liv. lib. VI. cap. 1. Markl. ad Stat. Silv. l. I. 1. 51. Quare cum Flor. Pith. D'Orv. servent *æream,* quod erat ante Colvium, id reposui. Lib. XI. pag. 240. 'æreum crepitaculum.' *Oud.*

Quo semel conditis calculis, jam cum rei fortuna transacto, nihil postea commutari licebat, &c.] Vide Florid. I. sub ipsum finem. Josephus humanum hunc morem alludens, Antiquit. l. IX. Τὸ θεῖον κατ' αὐτῶν ψῆφον ἤνεγκεν, ἣν οὐκ ἱκεσίαις ἄν τις ἄκυρον ποιήσειεν. *Pric.*

PAG. 216 *Mancipabatur potestas capitis in manum carnificis*] Tacitus Annal. III. 'Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat.' Onomast.

vetus: 'Mancipo, ἐξανδραποδίζω.' Hesychius: 'Ἐξανδραποδίζεται, αἰχμαλωτίζεται. *Idem.*

Unus e curia senior, præ cæteris compertæ fidei, atque auctoritatis præcipuæ medicus] Gellius x. 17. de Democrito: 'Præter alios venerandum, auctoritateque antiqua præditum.' Sallustius apud Servium Æn. ix. de Philippo: 'Ætate et consilio cæteros anteibat.' De 'fidis,' vel 'compertæ fidei medicis,' vide supra p. 13. notata. *Id.* *Atque auctoritatis præcipuæ*] Merito ei *auctoritatem* tribuit, quem *seniorem* vocaverat. Cicero in Catone M. 'Apex senectutis est auctoritas.' Ibidem: 'Habet senectus, honorata præsertim, tantam auctoritatem, ut,' &c. Zeno Veronensis Serm. de Pudicitia: 'Creditur ætati, creditur auctoritati.' Virgilius xi. 'Tum senior,' &c. ubi Servius: 'Cui ab ætate præstabatur auctoritas.' Hinc 'auctoritatem longævam' lib. xxviii. Ammianus Marcellinus. *Idem.*

Orificium urnæ] Id est, ut infra hic in re alia, 'cooperculum:' sic supra lib. ix. 'cistulæ orificium.' Græcis hoc 'urnæ orificium' κημὸς dictum. Vide Hesychium, Scholiastem ad Vespas Aristophanis, et viii. 5. Pollucem. *Idem.*

Hæc ad ordinem pertulit] Nunciavit. Virgilius: 'Gnato manes perferre sub imos:' ubi Servius: 'Ut filii Turno nuncietur interitus.' Supra heic, 'Hæc ad veritatis imaginem verberone illo perferente.' Male ergo *protulit* in Fulvii Ms. 'Ad ordinem:' ad concilium. Glossæ: 'Βουλευτήριον, curia, ordo.' *Idem.*

Quod ætatis sum vobis adprobatus, me vixisse gaudeo] Ms. *approbatum me dixisse.* Colvius. Flor. et Rom. *approbatum m. dixisse.* Male. Vide Callistratum lege 3. Digest. de testibus. *Elmenh.* Nequaquam videtur excidisse *ad hoc.* Potest vulgata lectio exponi hoc pacto: quod a vobis per grandiorem ætatem meam sum adprobatus, ac propter eam majorem auctoritatem apud vos habeo. Nam, ut ait Cicero in Topicis c. 19. 'Ætatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant.' Genitivus *ætatis* elliptice positus est, subintellecto *gratia, ergo, &c.* de quo vide præter alia ad lib. viii. init. 'morum inprobatus.' Verum tamen tunc videtur scripturus fuisse *vivere,* ac Mss. aliam suppeditant lectionem. In D'Orvill. est *quot.* Ac præter Lips. et Florent. ac Rom. Ed. *approbatum* præbent quoque Pith. Fux. Palat. Guelf. sec. Oxon. Par. D'Orv. Iidemque et Guelf. pr. atque Ed. Vicent. *dixisse,* quod Beroaldus in *vixisse* jussit mutari. Scilicet certum mihi sedet, distinctione mala laborare hunc locum, et reponendum e Mss. *Quod ætatis sum, vobis adprobatum me dixisse* vel *vixisse gaudeo,* i. e. lætor, me semper per tantum tempus, quantum vixi, *dixisse* sententiam vobis adprobatam, vel potius, *vixisse* vobis probatum, et, per compertam meam fidem, apud vos auctoritate valere. *Quod ætatis sum* significat 'quantæ ætatis sum,' ut dicitur 'hoc ætatis est' pro hac ætate. Cic. iv. Verr. cap. 24. 'Ita viximus, et id jam ætatis sumus.' Sic corrigendum in Solino p. 17. 'coloris' (vel potius *velleris* e Ms. Leid. sec.) 'quod canduerit.' Vulgo sine sensu, *induerit,* Salm. *candidi erit,* frigide, cui opponuntur 'vellerum quæ denique fusca sint.' Sic enim Mss. non *sunt.* Mstam idcirco lectionem ex parte restitui. Lipsius delebat insuper *me.* In Fux. exaratur, *me dixisse semper scilicet g.* Oud. *Quod ætatis sum vobis approbatus, &c.*] Chilo apud A. Gellium i. 3. 'Dicta factaque mea in ætate longa pleraque omnia non fuisse pœnitenda, forsitan vos sciatis etiam.' Glossæ: 'Εὐδόκιμος πάνυ, probatus.' Pro *quod ætatis,* malim, *quod adhuc ætatis* scribi: vide elegantissimum Hadriani Cardinalis de Sermone Latino libellum. Apud

Suetonium Domitianus ad Senatum: 'Usque adhuc certe animum meum probastis, et vultum.' *Pric.* *Dixisse gaudeo*] Legendum est, *vixisse*: ut tersior sit puriorque intellectus. Sic enim inquit senior decurio: Gaudeo me diu vixisse, cum ex ætate longiore mores meos probaveritis, simque apud vos boni nominis et æstimationis, ut nunc possim auxilio esse juveni insonti periclitanti. *Beroald.*

Nec patiar falsis criminibus petito reo, &c.] Infra hic: 'Non patiar, &c. non patiar contra fas de innocente isto vos juvene supplicium sumere.' Auctor Dialogi de Oratoribus: 'Non inauditum et indefensum seculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnare.' Apud Senecam Controvers. VII. 1. 'Ignosce si diligentior sum, cum videam hominem tam facile damnari.' *Pric.*

Qui jurejurando adstricti judicatis] Signate. Judices enim antequam judicarent, in leges jurare consueverunt, unde Cicero 'juratos homines' eos vocat, Orat. II. in Verrem, ut notat Asconius Pedianus. Salvianus Epist. IV. 'Latam sententiam judices, qui nihil se nisi ex veritatis officio pronuntiaturos esse juraverant, excludere tamen misericordiam nec post sacramenta potuerunt.' *Elmenh.* Quis ejus moris est nescius? *Oud.* *Nec vos, qui jurejurando adstricti judicatis, &c.*] De hoc more jam alii. Apud Lucianum in Stoæ defensione Judices alloquentis: Ὑμεῖς γε τοῦ ὅρκου μνημονεύσαντες, ψηφίσασθε τὰ εὔορκα. *Pric.*

Calcata numinum religione] Sic in tribus postremis LL. Codd. *Calcata legum auth.* sæpius legitur. *Elmenh.* Adscripserat hæc Lindenbrog. *Oud.* *Ipse non possum, calcata Numinum religione, &c.*] Sacerdos apud Quintilianum Declam. 323. 'Nec religionis meæ dissimulare quæ acciderunt, me sinit ratio.' *Pric.*

Ut res est, de me cognoscite] Terent. II. 1. Adelph. 'Id quod res est:' ubi Donatus: 'Id quod verum est.' Supra lib. IV. 'Res denique ipsa sermoni meo fidem dabit.' *Idem.*

Aureos solidos] Putabat Groslotius, alterutram vocem abundare, ac delebat *solidos*. Male omnino. Addidit *solidos*, quæ vox frequenter de aureo adhibetur etiam substantive, ne quis intelligeret de aureo *semisse*. Quales eo tempore erant nummi, dein etiam tremisses. Adi Casaubonum et Salm. ad Lamprid. in Alex. Sev. c. 39. Errant enim illi, ut vel ex hoc loco patet, qui *semisses aureos* etiam demum Alexandro Severo tribuunt; in quibus videtur esse summus Gronov. de Pec. Vet. lib. IV. c. 15. *Solidi* igitur *aurei* sunt toti, integri: ut 'solidum stipendium' est integrum et annuum Livio lib. V. c. 4. in oppositionem 'semenstris stipendii.' Veget. lib. II. c. 7. 'Torques aureus solidus, virtutis præmium:' ubi male Stewech. præfert *solidæ*, ut monui in Misc. Obs. v. VII. p. 355. Virg. Æn. II. 793. 'Crateres auro solidi.' *Oud.*

Me non olim convenerat] Fux. *mecum olim convenerat.* Roald. *Mecum olim.* Vulgo, *me non olim.* Colvius. Flor. *me non olim.* Male. *Elmenh.* Pricæus etiam male ait in Edd. et Mss. esse nonnullis, *non olim.* Erraront nihilominus ipsi viri illi docti, explicantes, 'mecum ille olim pepigerat.' Namque Latinum non est *ille convenit mecum* pro pactus est. Sed 'res convenit inter nos,' vel 'convenit mecum illi.' Quin etiam Mss. plurimi, ut Flor. Pith. Pal. Guelf. D'Orv. cum Edd. Colvio prioribus habent *non olim*, Oxon. *nunc olim.* *Me non olim convenerat* optime explicuerat Beroaldus non ita pridem, non diu, modo ad me venerat, et collocutus erat. Sic l. hoc p. 229. 'Medicum convenit quemdam notæ perfidiæ:' et huic contrarium lib. XI. p. 253. 'summis precibus sacerdotem

convenerам.' Neque enim magnum temporis spatium inter emtionem veneni et hoc judicium effluxerat, sive intercesserat. Et sic plane lib. XI. p. 249. 'Cujus non olim sacramento rogabaris:' quod etiam corruperunt editores. *Oud.* *Mecum olim convenerat*] In Mss. et editis nonnullis male, *Me non olim c.* supra lib. II. 'Mecum jamdudum grandi præmio pepigit,' &c. *Pric.*

Morbi inextricabilis veterno implicatus] Scriptus codex, *morbo.* Colv. Non enim est vita vivere, sed valere. Unde et Æschylus: Κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ πάσας ἡμέρας κακῶς παθεῖν. Et Ambrosius de Officiis lib. III. cap. 14. 'Erant leprosi quatuor ad portam, quibus vita erat supplicium, et mori lucrum.' *Elmenh.* Oxon. *inetricabili veneno*, Palat. *inexecrabili.* Sed vide ad lib. II. p. 21. Pro *implicatus* in Fux. Pal. D'Orv. Guelf. sec. est *implicitus*, quod prætuli cum Edd. Junt. post. Wow. et Pric. Adi Pric. et Drakenb. ad Liv. lib. V. c. 31. 'Consulibus morbo implicitis.' *Oud.* *Quod ægroto cuidam dicebat necessarium, qui morbi inextricabilis veterno vehementer implicitus, &c.*] Plinius II. 63. de veneno loquens: 'Ita miserita' (Natura) 'genuit id, cujus facillimo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine exstingueremur, nullo labore, sitientibus similes.' Proprie autem *morbo implicitus.* Vide pag. 81. ad Apologiam notata. *Pric.*

Vitæ se cruciatui subtrahere gestiret] Hippocrates in *Præceptionibus, &c.* Οἱ νοσέοντες διὰ τὴν ἀλγεινὴν διάθεσιν ἀπαυδάοντες, ἑαυτοὺς τῆς ζωῆς μεταλλάσσουσι. Supra lib. VIII. 'Ærumnabili se vitæ subtrahere, &c. decrevit.' Et unde scimus an et ita isto loco scribendum? *ærumnabilis* (inquam) *vitæ, &c.* dilutior certe vulgata lectio quam pro Appuleii consuetudine. *Idem.*

At ego perspiciens malum istum verberonem blaterantem] Scriptor vetus apud Fulgentium: 'Ni ego te blaterantem aspicerem,' &c. Hesychius: Ἀλληλίζειν· ἄλλως καὶ ἄλλως λέγειν. Themist. Orat. III. de *Calumnia* loquens: Ὄψει ἰλιγγιῶσαν καὶ λυγιζομένην, καὶ βατταρίζουσαν. *Idem.*

Causificantem, certusque aliquod moliri flagitium] Servius ad Æneid. IV. de Didone: 'An perplexe locuta est, ut solent mali aliquid molientes?' Onomasticon vetus: 'Causificor, αἰτιολογοῦμαι.' *Idem.*

Certusque aliquod moliri flagitium] Lib. VIII. 'Procul dubio nescio quod scelus gestiens.' *Idem.*

Ne forte aliquis istorum, &c. aureorum nequam vel adulter reperiatur, &c.] Tertullianus in de Pœnitentia: 'Qui venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, ne rasus, neve adulter,' &c. Hinc 'minæ perperæ,' Plauto in Trucul. vide I. 20. Arriani in Epictetum. *Idem.*

I. h. i. sacculo conditos eos, annulo tuo prænota] Ms. *condito eos.* Mos vetus, pecuniam in sacculo conditam annulis obsignare. Scævola lib. VIII. de lege commiss. 'Die statuto emptor testatus est se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse exsolvere, et sacculum cum pecunia signatorum signis obsignavit.' Pertinet huc locus Jul. Cæsaris ad Pisonem: 'Locellum tibi signatum remisi.' Qui laudatur Charisio Iustit. Grammatic. lib. I. *Colv.* *In hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo prænota*] Sic in l. I. § 3. ff. de usur. et fruct. 'Pecuniam obsignatam deponere:' et, ἐν ταῖς σφραγῖσι θυλάκια IX. 5. apud Tobiæ Scriptorem. Glossæ: Βαλλάντιον, sacculum, sacculus.' Asconius in Verr. II. 'Pro censu privato, loculos, et arcam, et saccellum dicimus.' Hesychius: Σάκελλα, ὅπου τὸ χρυσίον τίθεται. Aristophanes Thesmophor. Σακκίον ἐν ᾧ ἀργύριον ταμιεύεται. *Pric.*

Nummulario præs. comprobentur] Mos, qui adhuc hodie durat. Donatus in Eunuch. Terentii scribit, hos Spectatores pecuniæ, id est, proba-

torçs dictos. Huc facit etiam locus Menandri: 'Αλλ' ἐπὶ τράπεζαν μὲν φέρειν τὴν προῖχ', ἵνα Εἴτ' ἀργύριον καλόν ἐστι δοκιμαστὴς ἴδῃ· ubi δοκιμαστὴς, Nummularius, sive Spectator pecuniæ. *Colv.* Solebant enim obsignatas pecunias nummulariis probandas dare. Africanus leg. 39. Digest. de Solut. 'Si soluturus pecuniam tibi jussu tuo signatam eam apud nummularium quoad probaretur deposuerim, tui periculi eam fore, Mela lib. x. scribit.' Hieron. in Epist. Pauli ad Ephes. lib. III. c. 4. fol. 184. 'Omni studio legendæ nobis scripturæ sunt, et in lege Domini meditandum die ac nocte, ut probati trapezitæ sciamus, quis nummus probus sit, quis adulter.' *Elmenh.* Vide Herald. Digr. 132. Pric. In D'Orv. *adprobetur.* Oud.

Donec nummulario præsente comprobentur] Glossarium: 'Τραπεζίτης, nummularius.' Donatus ad I. 2. Phorm. 'Prius qualitas, deinde numerus pecuniæ spectari solet.' Basilius Homil. in Avarit. Τοῦ νομίσματος ἐπιγινώσκεις τὸ χάραγμα, καὶ τοῦ δοκίμου διακρίνεις τὸ κίβδηλον. In Colloquiis Græcis veteribus: Δοκίμασον. 'Εδοκίμασα. Καθὼς ἔλαβες, δόκιμον ἀπόδος. *Pric.*

Jussi de meis aliquem curriculo taberna promtum adferre] In Apologia: 'Jussi curriculo iret aliquis, et ex hospitio meo Mercuriolum afferret:' ad quem locum vide olim notata. Servo apud Plautum Mostel. herus: 'Curriculo abi.' Onomasticon vetus: 'Curriculo, δρομαίως.' Hesychius: 'Επιδρομάδην· παρέργως, (lege, aut περιέργως, aut μὴ παρέργως,) κατὰ σπουδήν. Helladius apud Photium de servis loquens: 'Εκάλουν (αὐτοὺς) καὶ ἀπὸ τρόπου, Παρμένωνα, καὶ Πιστὸν, καὶ Δρόμωνα. *Idem.*

Prolatam coram exhibeo] Scribend. *prolatam incoram.* Sed de hac phrasi satis jam superque. Nam et eadem hac pagina iterum restituendam suadeo. *Stewech.* In Palat. est *prolatum;* ut referatur ad sacculum, e sinu depromptum. In D'Orv. Reg. Fux. Guelf. pr. est *perlatam,* scil. domo ad me. Idque præfero. Nam *coram exhibeo* idem est, ac *profero,* sive palam ostendo. Mutandi vero prurigo transversum egit Stewechium: quasi vero *coram* non millies adverbialiter poneretur ab optimis quibusvis. *Oud.*

Recognoscat] Reg. Fux. *cognoscat,* ut apud Sallust. B. Cat. c. 47. Cic. III. Cat. c. 5. et passim. Sed Appuleius JCtorum more amavit decompositum hic, ut in Apol. p. 98. Ed. Pric. 'signa, quæ impressa sunt, recognoscat.' Adde Pric. *Idem.*

Videat, et suum sigillum recognoscat] Ulpianus lib. IV. quemadm. testam. aper. 'Prætoris id officium est, ut cogat signatores convenire, et sigilla sua recognoscere:' adde l. I. § 2. eod. l. III. § 9. de tabul. exhib. et quæ olim ad Apologiam pag. 192. adnotata. *Pric.*

PAG. 217 *Frater*] Corrigo, *alter:* non potest, inquit, alter accusari de veneno, quod servus comparaverit: ipse enim noxius est, non alius. Vel dic, frater illius defuncti insimulandus non est veneni per servum comparati, sed ipse servus. *Beroald.*

Comparaverit] Interrogative legendum. *Idem.*

Ingens exinde verberonem corripit trepidatio, et in vicem humani coloris succedit pallor, &c.] Apud Quintilianum ille Declam. XVII. etiam in veneni argumento: 'Facinus, me tacente, non pallor, non est confessa trepidatio,' &c. Seneca XCVII. Epist. 'Proprium est nocentium, trepidare.' Prudentius: 'Et depressa tremit languens manus, et color albus.' *Pric.*

Et in vicem humani coloris succedit pallor infernus] 'Heu, quam difficile est crimen non prodere vultu!' 'Infernus pallor,' ut in illis, 'Totosque per artus It Stygius color.' Maximianus: 'Inficit ora Pallor, et exanguis funereusque color:' quo et spectat apud Sidonium, 'facies veluti umbris mœstificata larvalibus.' *Idem.* *In*

vicem humani coloris succedit pallor] Apud Quintilianum in Declamationibus: 'Et in vicem legis ira succedit.' *Idem.*

Perque universa membra frigidus sudor emanabat] Vide supra pag. 10. notata. *Idem.*

Tunc pedes incertis alternationibus commovere] Seneca Epist. xcv. 'Incerti labantium pedes.' Pollux. III. 13. Περιβάδην, ἐστὶ, τὸ ὑπαλλάξαι τοὺς πόδας. ubi malim ἐπαλλάξαι scribi: sic, μηρῶν ἀπρεπὴς ἐπάλλαξις, apud Plutarchum in de audiendo. *Idem.*

Modo hanc, modo illam partem scalpere capitis] Sisenna apud Sosipatrum: 'Quid nunc os tuum scalpis? quid tergiversaris?' &c. *Idem.*

Et ore semiclauso balbutiens, nescio quas affanias effutire] Sidonius IV. 12. 'Quanquam esset trepidus et sternax, et præ reatu balbutiret.' In l. x. § 5. de quæstion. 'Ex sermone et ex eo qua quis constantia, qua trepidatione quid dicat, &c. quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt.' Petronius: 'Obstupuerat supplicii metu, nec quid in re manifestissima diceret inveniebat.' Tacitus Annal. xv. 'Non vox adversum ea Fenio, non silentium: sed verba sua præpediens, et pavoris manifestus,' &c. Huc spectant ea Glossarii: 'Trepidat, titubat, σφάλλεται, πταίει, βαμβαίνει:' et Hesychii: Ἑλίσσων, πλέκων, ψευδόμενος. οὐκ ἐπ' εὐθείας λέγων, &c. Sic, 'varia præ timore loqui,' lib. XVIII. apud Ammianum Marcellinum: et Herodotum lib. II. πλανᾶσθαι ἐν λόγῳ, καὶ μὴ τὴν ἀληθηΐην λέγειν. Ait, 'ore semiclauso,' &c. sic, 'ore semiclauso loqui,' Interpres Ecclesiæ Smyrnensis Epistolæ ad Polycarpum: et, 'semiclausam huc et illuc voluntatem jactare,' Confess. VIII. 8. D. Augustinus. *Idem.*

Ut eum nemo prorsus a culpa vacuum merito existimaret] Prudentius: 'Pallor in ore Conscius audacis facti, dat signa reatus.' Horatius: 'Ora pallor albus inficit:' ubi Scholiastes: 'Velut qui conscientiam peccati monstraret.' Infra hic: 'Antequam trepidatione aliqua, &c. daret malæ conscientiæ suspicionem,' &c. Cicero in Partit. Orat. 'Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur: ut, telum, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor,' &c. Idem III. Catilinaria: 'Ac mihi quidem, cum illa certissima visa sunt argumenta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio: tum multo certiora illa, color, oculi, vultus, taciturnitas,' &c. et in pro Cluentio: 'Timor ejus, perturbatio, suspensus incertusque vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea suspiciosa, hæc aperta ac manifesta faciebant.' Themistius de civitate turbata et suspensa: Ἔπαλλε μὲν αὐτῆς ἡ καρδία, ἐβάμβανε δὲ ἡ φωνή· κρύπτειν δὲ ἐπιχειροῦσα τὸ δέος, ἐξελέγχετο ὅμως ὑπὸ τοῦ πάθους, ἀλλοχροοῦσά τε, καὶ ἀδημονοῦσα, καὶ ἀπορίᾳ συνεχομένη. 'A culpa vacuum' heic, ut apud Gellium II. 23. 'a dignitate et gratia vacuum;' Accium in Chrysippo, 'A telis vacuus;' Ciceronem ipsum Verr. VI. 'Ab his rebus, &c. vacua atque nuda.' *Idem.*

Sed revalescente rursus astutia, &c.] 'Ad mores natura recurrit Damnatos, fixa, et mutari nescia.' Auctor ad Herennium IV. 'Conturbatur sane, sed tamen a vitio naturæ non recedit.' *Idem.*

Constantissime negare] Juvenalis: 'Quin aspice quanta Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.' Tertullianus in Apologetico: 'Malefici deprehensi trepidant, accusati negant.' Quintilianus Declam. 321. 'Faciendi scelera consilium non unam viam intuetur, ut ad summam cogitati inchoatique perveniat: sed illam alteram, vel magis necessariam, ut quod commisit neget:' et Declam. 328. 'Cauta sunt scelera, et circumspec-

ta: nec enim quisquam est, &c. tam inutilis sibi, ut non ista committat proposito negandi.' Apposite ad verberonem istum Donatus ad Terentium: 'Primus metus adimit consilium, sed recognitio reddit confidentiam.' Eun. v. 2. *Idem.*

Mendacii arcessere] Id est, accusare de mendacio: *arcessere* accusare est, ut docet Diomedes in primo, quod verbum ab *arceo* nascitur: etenim alium accusare, a maleficiis arcere est: cum genitivo conjungitur: ut apud M. Tullium, 'Majestatis arcessitur.' *Berould,*

Contundit] Melius est legere *Contendit*, pro eo quod est instat, urget, conatur. *Idem.*

Ministeria publica] Sic vocantur etiam in l. I. ff. de serv. fugit. Noster lib. IX. 'publicos ministros' dixit, et lib. III. 'magistratuum ministros.' *Pric.*

Annulum ferreum] Eo enim utebantur servi, ut Lipsius ex Isidoro lib. II. Elect. c. 8. docet. Muginatur jam diu doctissimus noster Kirchmannus integrum de annulis tractatum, quem brevi rei literariæ bono (ita spero et opto) provulgabit. *Elmenh.* Vide Kirchm. c. 15. *Oud.* *Nec rota vel eculeus, more Græcorum tormentis ejus apparata, jam deerant*] Non tempero mihi, quin, quod alibi, et heic faciam, id est, linguæ proprietates illustrem: quas inter, ad vocem *apparari*, ubi de suppliciis agitur, adverti velim. Ovidius Met. III. 'Instrumenta necis, ferrumque ignesque parantur.' Ammianus Marcellinus lib. XIV. 'Intendebantur equulei, uncosque parabat carnifex et tormenta.' Quintilianus IX. Declam. 'Fremebant omnia apparatu mortis.' Cyprianus in de duplici martyrio: 'Candentes laminas, ferrum et ignem, reliquumque carnificinæ apparatum.' Sic, 'mortis apparatum' Scriptor de excidio Hierosolym. v. 53. quem vulgo Hegesippum vocant. Seneca Controvers. II. 5. 'Explicantur tyrannicæ crudelitatis adversus infelicem feminam apparatus.' Habet et emphasim suam, 'tormentis apparata ejus.' Donatus ad Andr. IV. 1. 'Apparari cum dativo casu, semper cladem et perniciem significat:' et ibidem ad IV. 2. 'Apparari, ad horrorem et timorem refertur: et casui dativo subjunctum, cladem ac perniciem significat.' Virgilius: 'Cui fata parent:' ubi Servius: 'Cui mortem præparent.' *Pric.*

Sed obfirmatus mira præsumptione, &c.] Stabilivimus jam supra pag. 173. lectionem istam, contra summæ eruditionis Virum Nicolaum Fabrum, qui, et heic, et lib. VIII. contendebat *myrrhæ* legendum. 'Præsumptione obfirmari' heic, est quod Ulpianus in l. XXVII. § 5. ff. ad leg. Jul. de adult. *obdurari* vocat. Plutarchus in Apophthegm. ἐμμόνως βασάνους ὑπομένειν. Ælianus Var. II. 4. ἐγκαρτερεῖν καὶ ἐναθλεῖν ταῖς βασάνοις. sic, 'patientiam, sive duritiam tormentorum,' in l. I. ff. de quæstion. idem Ulpianus dixit. Apud Quintilianum ille Declam. 11. 'Levat omnes cruciatus, omnem dolorem, præparata mentem composuisse patientia: fallitur quisquis humana tormenta sola nominum atrocitate metitur: nulla pœna est, nisi invito, non habemus ullum nisi ab impatientia dolorem.' *Idem.*

Nullis verberibus, &c. succubuit] Glossarium: 'Καρτερικὸς ἐν πληγαῖς, triverbero.' *Idem.* *Nullis verberibus, ac ne ipso quidem succubuit igni*] Tacitus Annal. XV. de Epichari quadam: 'Illam non verbera, non ignes, &c. pervicere, quin objecta denegaret.' Calanus de Gymnosophistis suis, apud Philonem, lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Πῦρ, μεγίστους τοῖς ζῶσι σώμασι πόνους καὶ φθορὰν ἐργάζεται, τούτου ὑπεράνω ἡμεῖς γινόμεθα. Idem apud Clementem Alexandrinum Stromat. IV. Πῦρ ἀνθρώποις μέγιστον κολαστήριον, τούτου ἡμεῖς καταφρονοῦμεν. Lactant. v. 12. de Christianis: 'Pueri et mulierculæ

tortores suos taciti vincunt: et exprimere illis gemitum nec ignis potest.' *Idem.*

Circa fas] Legendum est, *contra fas.* Beroald.

Pœnam noxii facinoris evadere] Supra lib. IX. 'Quasi possent tanti facinoris supplicium evadere.' *Pric.*

Dabo enim rei præsentis evidens, &c.] Lib. II. 'Dabo vobis intemeratæ veritatis documenta perlucida.' *Idem.*

Nec meæ sectæ cred. convenire] Hoc dicit ex decreto Hippocratis, conditoris professionis medicæ, qui juramento constrinxit suos discipulos, ne unquam scilicet pretio vel precibus adducti pharmacum calamitosum propinarent cuiquam. 'Non enim nocendi, sed sanandi scientia est medicina,' ut scite ait Celsus Epistol. ad Callistum fol. 86. Hippocratis verba sunt: *Διαιτήμασί τε χρήσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν, ἐπὶ δηλήσει δὲ καὶ ἀδικίᾳ εἴρξειν. Οὐ δώσω δὲ οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον, οὐδὲ ὑφηγήσομαι ξυμβουλίην τοιήνδε.* Condigne igitur hic medicus recusavit tam diri reatus conscientiæ professionem suam maculare. *Elmenh.*

Nec meæ sectæ crederem convenire, &c.] Lib. VI. 'Nec sectæ collegii, &c. ac ne meæ quidem modestiæ congruit,' &c. *Pric.*

Nec exitio, sed saluti hominum medicinam quæsitam esse] Tale Plautinum illud, 'Jusjurandum rei servandæ, non perdundæ conditum est.' *Idem.*

Sed saluti hominum medicinam quæsitam esse] Julianus XXVI. Epist. *Τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν, τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ.* Hippocrates de Medico loquens, in *Præceptionibus*: *Σώζων, οὐκ ἀλλοιῶν φύσιν.* ubi putem *ἀπολλύων* scribendum. Lex I. ff. de extraord. cognit. 'Medicorum quoque eadem causa est quæ professorum, nisi quod justior: cum hi salutis hominum, illi studiorum curam gerant.' Marcellus, ubi de medicamentorum compositione: 'Ne fallare vide, ne quæ sunt parta saluti, Vertat in exitium non solers cura medentis.' Cicero in de Aruspic. respons. de P. Clodio: 'Quales hunc carnifices habere putamus, qui etiam medicis non ad salutem, sed necem utatur?' *Idem.*

Verens ne, &c.] Ita *veteres* corruptam lectionem recte Beroaldus emendavit. Justinus XII. 'Verens ne hæc opinio,' &c. supra hic l. VII. 'Verentes cibariis suis.' *Idem.* *Veteres*] Corrige, *verens:* id est, timens. *Beroald.*

PAG. 218 *Dedi non venenum, sed somniferum*] Mss. Florent. Pal. Fux. D'Orv. Guelf. ambo, Oxon. a m. pr. carent particula *non.* Elegantissime mehercules. Mandragora enim *venenum* quidem est, sed somniferum, non mortiferum. Ita medicus Antiæ dat apud Xenoph. Ephes. l. III. p. 46. *φάρμακον, θανάσιμον οὐχ, ὑπνωτικὸν δέ.* Quare expunxi *τὸ non.* Hanc elegantiam advertit quoque Pricæus. Vide etiam notam seq. *Oud.*

Somniferum mandragoræ illud] Vulg. *mandragoram illum.* Unde legebam, *mandragoræ succum.* Sed jam scripta lectio magis placet, quæ etiam habet post, *morte simillimi soporis efficax;* cum vulgo legeretur, *morte simil. sop. efficacem.* Colvius. Ms. *mandragoram.* Sciopp. in Symb. Eustathius in Basilii M. Homiliam v. Hexaëmer. 'Ex mandragora somnifera medicamina componuntur, gravissimis membrorum doloribus profutura.' Vide Athenæum p. 504. Pollucem lib. v. c. 27. Flor. *mandragoram illum efficacem.* Elmenh. Qui Lindenbrogii scrinia rursus compilavit. Flor. Cod. lectioni succinit Bert. et Edd. omnes ante Colvium, excepta Junt. post. cum Colvio faciente. Scriverius revocavit illam. Cuncti, ni fallor, male. In Ms. Pith. et Ed. Bas. pr. legas, *mandragoræ illum efficacem.* Corrupte. Ceteri Mss. ut Urs. Reg. Fux. Pal. Oxon. Guelf. Par. D'Orv. *mandragoram illud, &c. efficax.* Quare omnino mihi per-

suadeo, Appuleium scripsisse, *dedi venenum, sed soporiferum illud* (*istud* est in Guelf. Pal. Oxon. D'Orv.) *et, &c. efficax*: deleta voce *mandragoram*, vel *mandragoræ*; quæ diversis illis casibus margini a variis fuit adlita, et hinc textui inlapsa. Sic 'soporiferum venenum' l. VII. et VIII. vocat, non addito nomine *mandrogoræ*, de qua præter Beroald. et Pricæum adi Cel. Hemsterh. ad Lucianum t. I. p. 96. *Oud.* *Somniferum mandragoræ*] Duo sunt genera mandragoræ, mas et fœmina, candidus mas, nigra fœmina existimatur. Ferunt mala avellanarum nucum magnitudine, et effossuri cavent contrarium ventum, et tribus circulis ante gladio conscribunt. Succus fit et ex malis, et ex caule deciso cacumine, et radice: odor ei gravis, sed radicis et mali gravior: mala maturata in umbra siccantur, succus ex his Sole densatur: vis mandragoræ somnifica est pro viribus bibentium: media potio cyathi unius, potu largiore etiam moriuntur. Bibitur ante sectiones ustionesque, ne sentiantur. Quidam solo odore et olfactu somnum quærunt. Scribit Avicenna in Simplicibus, mandragora somnum conciliari, et subetiam fieri, esseque medicamentum contra vigilias, quæ et ipsæ inter morborum genera numerantur. Apud Græcos celebre est, ὑπὲρ μανδραγόραν καθεύδεις: id est, ultra mandragoram dormis. Mandragoræ, ut inquit Suidas, ὑπνωτικὸς καρπὸς καὶ λήθης ποιητικός: id est, fructus est somnificus, et oblivionis effector. Columella, in libro de cultu hortorum, semihominem mandragoram scite appellat, propterea quod radix ejus simillima est homini, ut docet Avicenna, et vulgo proditur. Cæterum quamvis jurisconsulti interdicant, ne pigmentarius mandragoram, cicutam, aconitum, aliaque venenata temere det: tamen hic medicus pro veneno succum illum mandragoræ, habentem vim somnificam dedit, cujus etsi noxiæ sunt vires, non tamen mortiferæ, ut ita obviam iret improbitati servi, gestientis comparare mortiferum venenum. Non ab re est hoc in loco commemorare exemplum proditum a Frontino, in libris Strategematicon. Hannibal missus a Carthaginiensibus adversus Afros rebellantes, cum sciret gentem avidam esse vini, magnum ejus modum mandragora permiscuit, cujus inter venenum et soporem media vis est: tunc prælio levi commisso, ex industria cessit: nocte deinde intempesta relicto intra castra vino infecto, fugam simulavit, cumque barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum merum avide hausissent, et in modum defunctorum strati jacerent, reversus cepit eos, ac trucidavit. *Beroald.* *Dedi, non venenum, sed somniferum mandragoræ illud*] 'Cujus inter venenum ac soporem vis media est.' Frontinus II. 5. Seneca in de Benef. III. 24. de Domitii servo: 'Promisit,' (venenum Domino) 'et medicamentum innoxium ei dedit: quo cum sopitus esset,' &c. Onomast. vetus: 'Somnifer, ὑπνοφόρος.' Oxoniensis codex, vulgatis elegantius multo, particulam negativam expungit. Q. d. medicus iste: dedi *venenum* quidem, at *soporiferum*, non *mortiferum*: quale hic furcifer exspectavit. sic supra VII. et VIII. 'venenum soporiferum' habuimus. *Venenum* esse ἐκ τῶν μέσων quid opus indicare? τὸ *illud* abundat, ut infra statim, et centies in Appuleio. *Pric.*

Gravedinis compertæ] Infra: 'gravedine somnolenta jam demersus.' *Elmenh.* *Gravedinis compertæ famosum*] Hesychius: 'Ὑπνωτικόν· ὁ μανδραγόρας. Pollux II. 4. ubi de capitis affectibus: Καρηβαρία, καὶ καρηβαρικὸν ποτὸν, ἢ βρῶμα. *Pric.*

Et morti simillimi soporis efficax] Philostratus II. 14. Ἔστι δὲ καὶ φάρμακα ὕπνον μεμηχανευμένα τοῖς ἀνθρώποις, ὧν πιόντες τε καὶ ἀλειψάμενοι (melius ἢ καὶ ἀλειψάμενοι) καθεύδουσιν, ἐκτείνοντες

ἑαυτοὺς ὥσπερ ἀποθνήσκοντες. *Idem.*

Certum extremæ pœnæ, quæ more majorum in eum competit, &c.] Suetonius de Nerone: 'Perlatos a cursore Phaonti' (sic legendum, non *Phaontis*) 'codicillos præripuit, legitque se hostem a Senatu judicatum: et quæri, ut puniretur more majorum: interrogavitque quale esset id genus pœnæ: et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit,' &c. Apud Nostrum autem eventus rei satis evidenter monstrat, 'extremæ pœnæ' nomine 'pœnam crucis' intelligi: cui tamen, ex moribus Romanorum, fortasse *flagellatio* prævia. *Id.*

Puer meus temperatum manibus] Lego, *meis:* ut sit meis manibus temperatam. *Beroald.*

Si vere peremptus est, si vere morte præventus est] Fux. *sive peremptus est, sive morte præventus.* Vulgata lectio rectior. *Roald.* Τὸ *vere* (ante *mortem*) non est in Flor. *Elmenh.* Magis placeat legi, *præversus est.* Brant. Fuxensi accedunt Palat. Guelf. ambo, et D'Orvill. nisi quod in Palat. et Guelf. secundo loco sit *si.* Primum *est* abest a Reg. Fux. Prius τὸ *vere* non agnoscit Ed. Junt. post. Ultimum uncis inclusere Scriverius et Elmenh. Mihi videntur omnia ista *si vere peremptus est*, partim e Glossa, partim e Supplemento in textum esse intrusa. Ceterum Pricæus recte ab intempestiva Brantii conjectura vindicavit participium *præventus.* Confer etiam notata ad l. IX. p. 206. 'prostratus ac præventus vulneribus.' *Oud.* *Si vere morte præventus est*] Mutavit qui non intellexit, in *præversus est:* supra lib. IX. 'Præventus vulneribus:' ad quem locum p. 206. notata vide. *Pric.*

Seniore adorante, placuit, et itur] Fux. Guelf. pr. *iter.* Oxon. *ire,* D'Orv. *eunt.* Fuit, cum conjicerem, *placuit, iretur.* Quia alioquin primo intuitu non adparet, quid placuerit. Sed nihil nunc muto. Ipse 'senior adorans placuit.' Græcissat enim, ut sæpe, Auctor, Ablativum cum participio ponens pro nominativo. Quasi legeretur: *Quando sic adorabat senior, placuit.* Adi me ad Sueton. Tib. c. 31. 'Iterum censente obtinere non potuit.' Infra l. XI. p. 257. 'Sic ad instar solis exornato, et invicem simulacri constituto, in adspectum populi errabam:' sed qui locus non est sanus. Aliquoties ita loqui solet Septimius de B. Tr. ut recte adstruit Th. Wopkensius in Misc. Nov. Obs. t. II. p. 26. Quare miror, eum ibid. p. 30. velle mutare contra Mss. locum IV. c. 20. 'Ibi cæsa vis multa hostium, quum festinantibus inter se, et singulis evadere inter primos cupientibus multitudine sua detinerentur.' Posset et per hanc figuram Græcam defendi Mstorum lectio in Vegetio l. III. c. 22. 'Nihil enim periculosius existimant, quam si inconsulte insequentibus, ab his, qui, &c. observentur.' Verum tamen durius illic foret pro *insequentes,* quod substituit Stewech. Quare malim cum uno Cod. transponere: *N. en. per. existimant inconsulte insequentibus, quam si, &c.* Oud. *Ad istum modum seniore adorante placuit, et itur confestim, &c. ad illud sepulchrum, &c.*] Heliodorus II. Ἐπῃνέθη ταῦτα, καὶ ἐδόκει γίγνεσθαι, καὶ ὁρμήσαντες ἐπὶ τὸ στομίον τοῦ σπηλαίου, &c. *Pric.* *Sepulchrum in quo corpus pueri depositum jacebat*] Florid. IV. 'Jacenti homini, ac prope deposito vitam attulit.' Artemidorus II. 24. Ὁ ἀποθανὼν, εἰς τὴν γῆν κατατίθεται. Hinc explica Hesychium: Κειμήλια, τὰ ἀπόθετα χρήματα, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι· καὶ τὰ ἐν παραθέσει. (i. e. deposita.) μεταφορικῶς δὲ ἐπὶ σώματι τίθεται. ubi σῶμα intellige πτῶμα, quod in capulo, vel in terra deponitur. *Idem.*

Nemo de curia] Eorum qui curiales erant, qui et decuriones dicti: quia scilicet civilia munera procurabant et exsequebantur. Isidorus Orig. IX. 4. *Idem.*

De optimatibus nemo] Glossarium: 'Optimates, πρωτοπολῖται.' *Idem.*

Cooperculo capuli] 'Capulus, quod corpus capiat:' inquit Servius ad Æneid. XI. Eundem verbis præcedentibus emenda: 'Pheretrum locus ubi mortui feruntur, et est Græcum nomen, &c. nam Latine capulus dicitur:' scribe, *Pheretrum, loculus est ubi mortui feruntur.* Idem.

Eumque complexus, &c. prod.] Oxon. *compressus*, Pith. *complexum*, passive, ut 'amplexus,' 'implexus,' &c. apud optimos quosque et Nostrum. Vide Lexica, et Heins. ad Ovid. Ep. IV. 141. Sil. l. XVII. 312. 'Complexum ingentibus ulnis Mersisti fundo, luctantem vana, tribunum.' Immo et verbo activo *complectere* usus est Vitruvius l. X. c. 6. ubi vide Philand. Sed vide Heins. lib. II. Advers. p. 86. *Oud.* *Eumque complexus artissime*] Supra lib. II. 'Et conversum amplexus osculatur artissime.' *Pric.*

Verbis impar præsenti gaudio] Pacatus Panægyrico: 'Animos nostros subitis affectibus impares, perinde lætitia ac dolor, si deprehendat, externat.' Putabam *viribus* in Appuleio scribendum, ob hæc Alcimi Aviti: 'Par est decrescat facultas virium, crescente materia gaudiorum:' maturius re perpensa, nil muto. In fragmentis Floridorum: 'Lætitia facundiæ obstrepit.' Philo lib. Quis rerum divin. hæres. Ἐπιστομίζουσιν ὡς αἱ σφόδραι λῦπαι, καὶ ὑπερβάλλουσαι χαραί. Infra heic XI. 'Hærebam tacitus, animo meo tam repentinum tamque magnum non capiente gaudium.' *Idem.*

Feralibus amiculis obstrictus, &c.] Vulg. *instrictus atque obd.* Placuit Paronomasia, quæ in veteri Codice. *Colv.* Bert. *f. a.* *instructus.* S. Johannes in histor. Lazari resuscitati cap. 11. vs. 44. καὶ ἐξῆλθεν δὲ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας χειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο. Arnobius Libr. I. adversus gentes fol. 16. 'Unus fuit e nobis, qui redire jam dudum in corpore animas præcipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos, et post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri.' *Elmenh.* De feralibus amiculis vide Comm. ad Joh. locum, et Cuper. Obs. l. II. c. 9. Ceterum Pricæus prætulit, quod ante Colvium vulgabatur, et servatur etiam a Pithœano, *instrictus.* Quod bene Latinum nec ego damnarem, si, ut putat Pricæus, confirmaretur a plurimis Mss. Verum in Guelf. pr. est *obstinctus*, D'Orv. *astrictus*; in ceteris omnibus, quantum scio, et Edd. Vulc. Wow. *obstrictus*, sive devinctus et obligatus. Plaut. Curc. V. 3. 15. et 29. 'Collum obstringe homini.' Amph. III. 2. 72. 'collo hinc obstricto traham.' Horat. l. I. O. 3. 4. 'Ventorumque regat pater Obstrictis aliis præter Iapyga.' Valer. Flacc. l. VII. 602. 'Utque dedit vinclis, validoque obstrixit aratro.' Colum. l. IV. c. 29. § 10. 'Vinculi genus ad insitionem non unum est. Alii viminibus obstringunt.' *Oud.* *Feralibus amiculis obstrictus*] De Lazaro Nonnus: Ἐκ ποδὸς ἄχρι καρηνοῦ Σφιγγόμενον πληκτῆρσιν ὅλον δέμας εἶχε κεραίαις. ubi σφίγγεσθαι, est quod heic *obstringi.* De infante in matris utero (apud Photium) Nilus: Τοῖς παρὰ τῆς φύσεως σπαργάνοις ἐνειλημένος, προσέοικε νεκρῷ δεδεμένῳ. Pro *obstrictus* (quod inter tot alia debemus Colvii incogitantiæ) legendum cum Mss. et vett. editt. *instrictus*: sic, 'corpus strictum linteis,' (feralibus nempe), Auctor de cardinal. Christi operibus, cum Cypriano excusus. *Instringi* autem, ut 'incogi,' 'incognoscere,' 'inconcupiscere,' et similia in Appuleio plura. 'Amicula feralia' heic, quæ Luc. 24. 12. Joh. 20. 6. ὀθόνια. *Pric.*

Nuda veritas] Martialis: 'Nudis rustica veritas capillis.' *Elmenh.* *Procedit in medium nuda veritas*] In Apo-

logia: 'Detectum mendacium est, &c. veritas olim interversa, nunc se effert,' &c. ad quem locum confer olim notata. *Pric.*

Servus vero patibulo suffigitur] Servius ad Æneid. III. 'Servos patibulis suffixerunt:' hinc Philip. 2. 7. post, μορφὴν δούλου λαβὼν, sequitur, ὑπήκοος μεχρὶ θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. Appianus Alexandrinus Civil. 2. Ὅσοι θεράποντες ἦσαν, ἐκρεμάσθησαν. *Idem.*

Et omnium consensu, &c.] In Apologia: 'Ut omnium adsensus declaravit.' Ibidem: 'De omnium consensu rus diu ablegatus.' Gellius XVIII. 3. 'Consensu petituque omnium.' *Idem.*

Opportuni somni pretium] Ms. *optimi somni p.* Sciopp. in Symb. Hinc conjecit Ill. N. Heinsius ad Ovid. Ep. XII. 170. *opimi*, sive pinguis. Sic 'obesus somnus' Sulpiciæ Sat. 56. Et hinc 'somno opimus glis,' Auson. in Technop. p. m. 489. Non tamen hic placet. Vulgata multo efficacior est. Somnus enim ille tam opportuno tempore caussa fuit, qua detectum est mulieris et servi scelus. Frequenter *opportunus* et *optimus* confunduntur in Mss. Adi Drak. ad Liv. lib. XXXVII. cap. 7. § 10. Perperam etiam *somnii*, quod dant Guelf. arripuerunt Elmenh. Scriv. Florid. Non somnium, sed altus somnus et morti similis sopor fuerat. *Oud.* *Illius quidem senis famosa atque fabulosa fortuna*] In Oxon. et Lipsii Ms. *famosa atque favosa fortuna:* unde miro acumine quidam, *favosa et fellosa fortuna.* Vulgatum bene retinet et explicat Beroaldus. Παρήχησις isti non aliena illa Gellii XV. 16. 'Milo, &c. exitum vitæ habuit miserandum et mirandum.' *Pric.*

PAG. 219 *Momento modico, imo puncto exiguo*] Plinius Panægyrico: 'Quod momentum, imo quod temporis punctum,' &c. *Idem.*

Post orbitatis periculum] In Notis Valer. Probi: ORB. PAR. *orbati parentes.* Idem.

Talibus fatorum fluctibus volutabar] Catullus: 'Accipe queis merser Fortunæ fluctibus ipse.' Nicetas Choniates in Alexio Comneno: Κακὸν ἐπὶ κακῷ προσβάλλει, καὶ κῦμα (ὅ φασιν) ἐπὶ κύματι ἐπικυλίνδεται. Sic, βίου τρικυμίας, Libanius in de Vita sua: εἱμαρμένης ῥεύματα, Synesius in Epistolis: et τύχης κύμασι χειμάζεσθαι, lib. VI. Nicephoras Gregoras. *Idem.*

Debitum sustinens obsequium] Pricæi scrinia suo more compilavit Parisinus Editor; nisi quod amplius Pricæus vulgatam lectionem pronunciet ineptam. Sed malo judicio. Illic p. 211. recte juvenis 'sistit obsequium,' sive præbet; quia vocatus sistit se, et obsequens vocationi præsto adest. Hic miles erat apud tribunum, ut patet Libri initio, et ab eo jussus, litteras ferre ad Imperatorem, 'sustinet obsequium,' sive in se suscipit exsequendum mandatum opus; ut dicimus 'sustinere munus,' 'caussam,' &c. Græce ὑπέχειν. Ad Cl. Burm. ad Phædr. lib. I. F. 3. 'tristem sustinuit notam.' Adde ad l. III. F. 8. et alibi. Sic de Mundo p. 739. Ed. Flor. 'Tutelam pervigili custodia sustinebant.' Sic enim legendum ex optimis Mss. Alio sensu, et pro exspectare dicitur l. XI. p. 254. 'sustinere præceptum.' Pal. Cod. *substinens.* Oud. *Tribuni sui præcepto debitum sustinens obsequium*] Apud Quintilianum III. Declam. 'Æquum est Tribuno militem parere.' Ibidem: 'Tribunus fuit, et hic miles fuit: hoc dicit: cui parere caligatum lex jubet,' &c. Pollux I. 10. Onomastici: Στρατιώτου δὲ ἔπαινος, εὐπειθὴς, πειθαρχικὸς, πειθήνιος, κατήκοος, ὑπήκοος. Pro *sustinens*, (inepta lectione,) ad Matth. 8. 9. monui *sistens* scribendum. Supra hoc ipso libro: 'Utcunque debitum sistens obsequium.' *Pric.*

Literas ad magnum scriptas Principem Romam versus perlaturus, &c.]

Ovidius: 'Militis officium longa est via,' Amor. I. 'Magnum Principem' etiam Ammianus XXII. Imperatorem Romanum vocat, fortasse Appuleium imitatus. Julianus Misopogone: Κέκτημαι οὐδὲν, καὶ ταῦτα, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἀκούων ΜΕΓΑΣ. *Idem.*

Duobus servis fratribus] Et fratribus et sociis, ut ex sequentibus et Luciano apparet. Duplici ergo ratione fratres: cum et societas in se jus quodammodo fraternitatis habeat. l. LXIII. ff. 'pro socio.' *Idem.*

Undecim denariis] Pith. *XII. d.* Lucianus ait t. II. p. 613. πέντε καὶ εἴκοσιν Ἀττικῶν, sc. δραχμῶν. *Oud.*

Pistor dulciarius] Isidorus Origin. lib. XX. cap. 11. 'Dulcia sunt genera pistorii operis a sapore dicta, melle enim adsperso sumuntur.' Ergo nihil mutandum in Nostro supra lib. IV. 'Dulciolis ventrem saginare.' Glossæ Veteres: 'Γλυκεροτράτης, Dulciarius,' et: 'Πλακουντάριος, Placentarius, Dulciarius.' *Colv.* Male ad vocem *intrimentis* Stewechius vocem *pistor* pro glossemate habet: ut patebit inspicienti Beroaldi et Pricæi notas. Addas et Petron. cap. 38. 'Opera pistoria,' &c. cum Comment. Lucianus: ἄρτους πέττειν καὶ μελίπηκτα κιρνᾷν ἐπιστάμενος. *Oud.* *Pistor dulciarius*] Firmicus Mathes. 8. 11. 'Pistores dulciarios:' vide Colvium et Beroaldum. *Pric.* *Pistor dulciarius*] Lucianus: εἶχε ἀδελφὸν καὶ σύνδουλον, ἄρτους πέττειν, καὶ μελίπηκτα κιρνᾷν ἐπιστάμενον: id est, Habebat hic fratrem conservum qui panes conficere et cibaria ex melle concinnare sciebat. Pistor dulciarius is dicitur, qui dulcia conficit, et mellita cibaria, quæ Græce dicuntur μελίπηκτα, qualia sunt et bellaria, de quibus M. Varro, Gellius, et Macrobius sic scripsere: Ea maxime sunt mellita, quæ mellita non sunt; dulcibus enim cum pepsi societas infida. Quibus verbis inest hic intellectus: ea maxime mellita, id est, jucunda haberi, quæ non sint mellita, id est, melle concinnata: quoniam dulcia, et ex melle composita, non faciunt ad pepsim, id est, concoctionem: sicut autem dulciarius a dulcibus eduliis dicitur, sic et lactarius, qui ex lacte facit lacticinia, quæ etiam lactaria vocantur. Lampridius Heliogabalum scribit habuisse dulciarios et lactarios, qui omnia coquorum edulia exhiberent ex dulcibus et lactariis, ubi lactaria significantur lacticinia, ut vulgus appellat, quæ Corn. Celsus lactantia vocat, sic scribens: 'Alvum movent mel crudum, lac, lactantia omnia.' Pistores vero dicuntur, qui panem faciunt. Antiquitus hoc vocabulo nominabantur, qui far pinsebant. Pistores non fuisse Romæ ad Persicum usque bellum testis est Plinius scribens, ipsos Quirites panem fecisse, idque mulierum opus fuisse. Libro tertio Digestorum scriptum legimus, fuisse Romæ collegium pistorum: Græce ἀρτοποιὸς dicitur pistor. *Beroald.*

Qui panes et mellita concinnabat edulia] De tali Martialis: 'Mille tibi dulces operum manus ista figuras Exstruit: huic uni parca laborat apis.' Celsus lib. II. de opere pistoris: 'Ex frumento, adipe, melle, caseo constat.' *Pric.*

Alter coquus] Τὰ ὄψα τῷ δεσπότῃ ἐσκεύαζε: id est, obsonia domino concinnabat. Veteres Romani coquos non habuerunt in servitiis, eosque ex macello conducebant: quod ex Plautina lectione sat notum est. Mox coquos inter servos habere cœperunt, quos singulos pluris quam equos emebant: idque in conquestione luxus, auctores graves censoria oratione castigabant, a quibus proditur, coquum illum plurimi solitum æstimari, qui peritissime censum domini mersisset. Coquum et pistorem apud Antiquos eundem fuisse accipimus. Græce dicitur ὀψοποιός. De coquo Livius hæc: 'Tunc coquus, vilissimum antiquis mancipium, et æsti-

matione et usu in precio esse: et quod ministerium fuerit, ars haberi cœpta.' Plato, in Gorgia, coquinariam vocat adulationem medicinæ. *Beroald.*

Sapidissimis nutrimentis succuum] Tam mihi certum est scripsisse Auctorem *intrimentis*, quam meridie lucere. Sed et paucis insertis, verba præcedentia ita habebant: *ac illorum alter pistor dulciarius:* ubi τὸ *pistor* glossema putavi, et quidem purum putum. 'Piscatores,' 'aucupes,' 'dulciarios,' 'linteones,' &c. longe a castris pellendos censuit Vegetius lib. I. cap. 7. Quo loco videndus noster Commentarius, et Festus, in 'Coquum.' Quod ad intrimenta illa; *interendi* verbum nemini non cognitum. Sed supersunt tamen multa in hoc scriptore ejus generis, non omnibus perspecta. Sic enim illo libro undecimo format 'antecantamenta,' 'velamenta,' 'scitamenta,' 'moramenta,' 'opinamenta.' Itidem alia quædam, quæ non procul ab hoc paradigmate recedunt, ut 'coronamen,' 'ornamen,' alia sexcenta. Eruo ex eodem fonte, seu potius eluo, quod adhuc in omnibus Apuleii editionibus maculosum est de Isidis forma, dicto libro XI. 'Cujus media quidem super frontem planam rotunditas in modum speculi, vel imo argumentum Lunæ candidum lumen emicabat.' Scribo *arcuamentum Lunæ.* Arcuandi verbum Plinio, aliisque usitatum est. Si libet, vide Nonium in 'arquatus,' in 'arcus.' Ovidii versus de Isidis pompa ex Metamor. adscribendi sunt: . . . 'inerant lunaria fronti Cornua, cum spicis nitido fulgentibus auro.' Eodem pertinet hoc Fulgentii ex primo Mythologiarum; ubi ait: 'Diadema carbunculis corniculata sinuatio deprimebat.' *Stewech.* Ald. *n. succum.* Quod ego accipio pro *succorum*, et noto accentu circumflexo. *Roald. Sap. intrimentis.* Mendose ante Vulg. *sap. nutrimentis.* Bas. 1. al. *intriventis.* Testatur etiam Beroaldus, quosdam suo ævo legisse *intrimentis:* et locum ex Terentii Phormione cum Donato recte adducit. Sic *Intritum* etiam infra lib. XI. (p. 250. Ed. Pric.) 'Insuper fluctus libant intritum lacte confectum.' Hinc etiam protrimenta. Supra lib. VIII. 'Femurque ejus ad similitudinem perditi detractum, et accuratius in protrimentis sapidissime decoctum, appone domino, cervini vice.' Retrimenta paullo aliter. Glossæ antiquæ: 'Ἀπόῤῥιμμα, Retrimentum:' et: 'Ἀπόσμηγμα, Retrimentum.' Varro Prometheo: 'Retrimenta cibi, quæ exierunt per posticum, vallem fecerunt.' *Colv.* Al. *nutrimentis.* Elmenh. Ante Stewech. et Colv. verissime *intrimentis* edidit Junt. post. ut est in Mss. Beroaldi, meisque tantum non omnibus. *Istrimentis* Palat. Guelf. sec. Consule etiam quos citat Cl. Burmannus ad Phædr. F. 26. 'Intrito cibo Plenam lagenam posuit.' Dein *succûm* quoque Ed. Junt. post. per syncopen pro *succorum.* Edd. pp. Beroald. *sucuum.* Vere. Adi ad l. IX. p. 199. 'Cœnosi sucus cariem.' *Oud. Succuum*] Pro succorum; multa enim apud priscos reperiuntur secundi et quarti ordinis indifferenter usurpata: ut 'senati' et 'senatus,' 'ornati' et 'ornatus,' 'lecti' et 'lectus,' sic 'succi' et 'succus:' unde pluraliter *succuum* pro *succorum.* Græci εὔχυλα vocant, καὶ κακόχυλα, cibaria boni succi, et mali succi. Cornelius Celsus inter res euchylas numerat triticum, siliginem omnem, venationem, vinum dulce vel lene: inter cacochylas vero, legumina ponit, et salsamenta et veterem caseum. Hic 'nutrimenta succorum' accipi videntur pro embammate et intinctu: nam Græco vocabulo *embammata*, Latino *intinctus* vocant, liquores sapidissimos, quibus pulmenta condiuntur, quibus buccellæ panis et obsonia intinguntur: vulgus sapores appellat, gulæ prorsus

irritamenta, quorum Columella, Plinius et cæteri meminere. Quidam legunt *intrimentis*, ab eo verbo de quo est illud proverbiale: 'Quod intristi, tibi exedendum est:' hinc *intrita* Catonis: et (ut inquit Donatus) *intrita* dicitur cibus in mortario factus. *Berould.* *Qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita, vapore mollibat*] De Sophista quodam Dissert. VII. Maximus Tyrius: Τὰ ὄψα καὶ τὰ σιτία ἡδυσμάτων συμμετρίαις, καὶ κράσεσι, καὶ ποικιλίαις, καὶ τῇ διὰ πυρὸς ὁμιλίᾳ, αὐτὰ ἑαυτῶν προσφορώτατα (melius προσφορώτερα) εἶναι παρεσκεύαζε. *Pric.*

Vitam sustinebant] Terentius III. 4. Adelph. 'Familiam sustentat:' ubi Donatus: 'Hoc verbo tenuis victus ostenditur.' *Idem.*

Complura] Palat. et Florentinus, *compluria*. Elmenhorstius. Fux. *complurima*. Sed Pith. quoque, et Guelf. pr. cum Edd. ante Colvium, qui tacite mutavit, item Scriveriana habet *compluria*, rectissime. Terent. Phorm. A. IV. S. 3. 6. 'Multa advenienti, ut fit, nova hic compluria:' ubi omnino vide Donatum; et Grammaticos, quos ibi laudat Lindenbrogius. Hinc *pluries* et *compluries*; de quibus vide ad Cæs. lib. I. de B. Civ. cap. 79. 'pluriesque subsistebant,' vel *pluresque*, sc. cohortes, *sustinebant*, lege, ut est quoque in Ed. Ven. A. 1471. *Oud.* *Meque ad vasa illa compluria gestanda, &c.*] Sallustius Jugurth. 'Conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris, eoque imponit vasa cujusquemodi.' *Pric.*

Domini reg. pl. pererrantis v. usibus] Fux. *dominis pererrantibus*. Roald. *Dominis reg. pl. pererrantibus*. Vulg. *domini reg. pl. pererrantis*. Colvius. Bert. et Flor. *domini r. p. pererrantis*. Elmenh. Male Colvius Lips. et Fux. Codd. quibus consentiunt quidem Pal. Guelf. D'Orv. Oxon. (in quo *dominus*. Par. *dicimus*) lectionem contextui intrusit, existimans, intelligi servos, Asini Lucii dominos, quos mox etiam Auctor 'suos dominos' vocat. Sed si eos innuisset hic, omnino dicere debuerat *sibi*, ne viderentur alii, quam qui *præstinarant*. Quare ego revocavi ceterorum Mstorum, in quibus etiam est Pithœanus, et Edd. Vett. scripturam, *domini pererrantis*. Duo enim isti fratres habebant 'unum eumdemque dominum divitem:' ut supra ait cum Luciano. In Reg. Fux. *plusc. reg.* Oud. *Quæ Dominis regiones plusculas pererrantibus, &c.*] Ut solet illa hominum natio. Lib. I. negotiator ille: 'Rhegiensis sum, &c. melle, vel caseo, et hujuscemodi cauponarum mercibus Thessaliam, Ætoliam, Bœotiam ultro citro discurrens:' ad quæ verba vide pag. 4. notata. Hesychius: συνέμποροι· σύνοδοι. *Pric.*

Post opiparas cœnas, earumque splendidissimos apparatus] Ἓν διὰ δυοῖν. *Idem.*

Reportare] Ms. rēpare. Colvius. Flor. *deportare*. Elmenh. Non male *dep.* rescripsere Elm. Scriv. Flor. Ante cœnam obsonia non erant in servorum cellula, solito eorum habitaculo, (vide Suet. Calig. cap. 57. et passim,) sed vel in cella penuaria, vel in culina. Verum *reportare* sæpe idem significat, quod portare, deportare. Unde non raro occurrit 'reportare victoriam.' Confer Duk. ad Flor. lib. III. cap. 11. Menken. in Nov. Misc. Lips. V. t. III. p. 320. Immo Nostro *reportare* crebro idem est, quod ferre, portare, deportare. Sic lib. VI. p. 118. 'Furatrina facili auri mollitie congestum gremium Veneri reportat.' p. 123. 'Veneri munus reportat Proserpinæ.' Et sic 'meritum,' 'præmium reportare,' pro accipere et auferre, lib. VIII. p. 173. XI. p. 248. Nihil itaque mutari satius est. Lipsiano Cod. accedit Guelf. sec. *Oud.*

Largissimas reliquias] Cujusmodi l. II. 'honestas reliquias' vocat. Supra lib. VII. 'Largissimæ cœnæ reliquiis rapinisque.' *Pric.*

Panes, crustula] Flor. *panis crustula*, non male. *Elmenh.* Qui cum Scriverio sic edidit. Verum æque reliquias panium ordinariorum, ac frusta panis melliti, quæ sunt *crustula*, in cellam deportarunt, amantque scriptores neutro genere, sine addita *panis* voce, adhibere. Consule hic Pricæum, et Lips. ad Senec. Epist. 56. 'Crustularium.' In Oxon. Guelf. pr. male *crustulas*, D'Orv. *crustella*, haud inepte. *Oud.* *Crustula*] Horatius: 'Ut pueris olim dant crustula blandi Doctores.' Scholiastes Juvenalis: 'Crustula, species operis pistorii.' Ψωμοπώλας talium venditores vocat Balsamo ad Canon 7. 6. Syn. in Trullo. Oxon. male, *crustulas*. Vide quæ ex Servio supra p. 199. notata. *Pric.*

Jucunculos] Fux. *lucunculos;* et ita olim emendabat divinus Scaliger ad Festum, ut locus glossæ D. Benedicti τηγανίτης. *Roald.* *Lucunculos.* Ita scriptus liber, ut et emendavit maximus Turneb. Adversar. l. XVIII. c. 20. Glossæ: 'Lucunculus, τηγανίτης.' Afranius Fratriis: 'Pistori nubat cur non scriblitario? Ut mittat fratris filio lucunculos?' Vide Nonium in 'Luculus,' et ibi veteres. *Colv.* *Lucunculos* a Florentino est. Sicut etiam olim conjecit Doctiss. Turnebus Adversar. lib. XVIII. cap. 20. Aldus et Rom. *jucunculos* legunt. *Elmenh.* Ex lectione Edd. Vett. et Mss. aliquot *jucunculos, vijunculos, Vicunculos* conjiciebat etiam vir doctus *icunculas*, sive imagunculas, factas ex opere triticeo et dulciario: de qua voce vide ad Sueton. Ner. cap. 56. *junculos* volebat Beroaldus. Sed recte emendarunt ceteri confirmatum quoque a Ms. D'Orvill. et aliis. *Oud.* *Lucunculos*] Ita Scaliger et Turnebus, quos ad Festum et Advers. XVIII. 20. consule: nec non ad Nonnium Marcellum Dionys. Gothofredum. In vett. editt. *jucunculos.* Vide Beroaldum. *Pric.* *Jucunculos*] Cibus signatur ex opere dulciario, qui ad similitudinem juncorum (ut opinor) figuratur, inde nomen mutuatur; quales hodieque in opere pistorio venales conspiciuntur: proinde *junculos* legendum est. Vel intellige opus jactarium, sive lac coagulatum instar metæ formatum, juncis inclusum, quæ 'meta lacta' dicitur Epigrammatistæ: vulgo *juncata* a juncis nominatur. *Beroald.*

Hamos, lacertulos] Malim, *laterculos.* Plautus Pœnulo: (I. 2. 112.) 'Nihil, nisi laterculos, sesamum, papaverem, triticum, et frictas nuces.' *Colv.* Probarunt Colvii conjecturam Soping. Vulc. Ed. sec. Elmenh. Scriv. qui tres tacite in contextum receperunt; varietatis quid e Florentino Cod. notatum est, quasi in eo *laterculos* scriberetur. Verum ceteri Mss. omnes servant *lacertulos.* Nec multum juvat Plauti locus. Nam quum ibi 'intrimenta sucorum' memorantur, potius referendi essent *laterculi* ad coquum, quam ad pistorem. Cato tamen cap. 109. *laterculos* fieri vult e vino, farina et sapa, de quibus agit Turnebus lib. XXIX. cap. 6. non citans Appuleium, ut quasi ex illo lib. VIII. Advers. c. 8. legunt in Fabri Thesauro. Sed ibi de eo nihil; et *lacertulos* citat l. XVIII. c. 14. et 20. Restitui igitur antiquam lectionem hanc, intelligens panes dulciarios in formam *lacertorum* vel *lacertarum*, forsan ad *hamos* (*amos* Pith.) pendentium factos. Vide etiam Beroaldum. Lindenbrogius in marg. provocat ad Martyrologium. *Oud.*

Hamos] Lacertulos. Nomina sunt operis pistorii, a similitudine nuncupata. Apud nos ex saccaro et ovis et farina purissima fiunt hujuscemodi hami figura incurva et orbiculata, quorum opificinæ proprie peculiariter sunt sanctimoniales. Lacerti sunt pisces, quorum mentio apud Plinium et reliquos frequens: ad quorum effigiem dulciarii panes formati appellantur lacerti, et diminutive lacertuli. Nil prohibet hoc nomen deduci

posse a lacertis rurestribus, qui omnibus noti sunt, de quibus et Poëta: 'Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.' Nam sicut illi inter eundum sinuantur atque flectuntur, ita et mellita panificia tortuosa finguntur, quæ vulgus a similitudine incurvi brachii brachialia nominitant: unde et lacertulos, a lacerti nostri similitudine, nominatos esse crediderim. Hæc tantum arbitraria sint, et pro cujuslibet animo accipiantur. *Beroald.*

Et complura scitamenta] Vulgati solummodo, *plura*. Plerique, *sitamenta*. Plautus Menæch. (I. 3. 26.) 'Aut aliquid scitamentorum obsonarier.' Restituerim libens Milite: (XI. 1. 28.) 'Occœpit ejus matri subpalparier, Vino, scitamentis, opiparisque obsoniis:' ubi passim impressum, *vino, ornamentis, &c.* Pariter, ut apud Senecam Epistol. XCV. 'Multorum ferculorum ornamenta coëant et cohæreant:' ubi etiam legere malim: *Mult. ferc. scitamenta co. et coh.* Sic Paullinus Epist. ad Aprum: 'Varia electarum dapum scitamenta.' *Colv.* Male *et* deerat ante Colvium, quod agnoscunt Mss. O. Non vero *complura*, sed *plura*, ut rescripsi e Flor. Pith. Fux. D'Orv. Pal. Bert. Oxon. Nil not. e Guelf. *Sitamenta* vitiose editur modo in Edd. Colin. et Bas. sec. Adi Beroaldum, et Turneb. lib. XVIII. Advers. cap. 14. Ita Mattius apud Gellium lib. XX. cap. 19. 'Nequamve scitamenta pipulo poscit.' Symmach. lib. I. Ep. 17. 'Mensas secundas et scitamenta exiguæ lancis:' ubi vide Juretum. Gell. lib. XVIII. c. 7. 'ceteraque scitamenta verborum.' In Plauto et Seneca cave quid mutes. *Oud.* *Scitamenta mellita*] Edulia sunt, ex eo dicta, quod sciti saporis sint; hoc est, egregii et præcellentis. Macrobius in ultimo Saturnalium: 'Apud propinatores' (inquit) 'pleraque scitamentorum cernimus proposita ampliora specie quam corpore:' ubi *scitamenta* significantur jucundiora pulmenta, et sic mendose legitur in codicibus Macrobii hæc dictio: apud Aul. Gel. per translationem posita legis *scitamenta*, decenter, pro exornationibus et venustatibus orationis: quæ in collocandis verbis, si immodice usurpentur, non carent veneno reprensionis. *Beroald.*

Nec enim tam stultus eram, tamque vere asinus, &c.] Supra lib. IV. 'Apud mea non usquequaque ferina præcordia.' *Pric.*

Ut dulcissimis illis relictis cibis cœnarem asperrimum fœnum] Aut, cum mure Horatiano, 'Essem ut ador, loliumque dapis meliora relinquens.' In Milite Plautino: 'Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.' In parœmiis Græcis: Οὐδεὶς κρέως παρόντος ἐσθίει θύμον. Plutarchus in περὶ Εὐθυμίας· Οἰκέτης τις ἐρωτηθεὶς ὑφ' ἑτέρου τί ποιοῦντα τὸν δεσπότην καταλέλοιπεν, ἀγαθῶν (ἔφη) παρόντων, κακὸν ζητοῦντα, καὶ γὰρ οἱ πολλοὶ τὰ χρηστὰ καὶ πότιμα τῶν ἡδέων ὑπερβαίνοντες, ἐπὶ τὰ δυσχερῆ καὶ μοχθηρὰ τρέχουσιν. *Idem.*

Asperrimum fœnum] Apud Plautum Capt. I. 'Asper meus victus sane est:' et ibidem 3. 'Ad cœnam asperam.' *Idem.*

PAG. 220 *Partes opimas q. devorabam*] Arnobius VII. 'Pinguibusque se dapibus, atque opimis interficiunt cibis:' ubi forsan *infarciunt* scribendum. *Idem.*

Rancidiora seligens, abligurribam dulcia] Vulg. *jucundiora eligens, abligurriebam dulcia:* sensu nullo. Illa, quæ mucida, inquit, rancidaque seligebam, seponebam: dulcia dumtaxat abligurribam. Scripsi *abligurribam.* Nam ligurrire etiam scribi in vett. libb. semper, testis eruditissimus P. Victorius ad Varron. de Re Rust. lib. III. c. 16. *Colv.* Rom. et Flor. *jucundiora eligens.* Elmenh. *Rancidiora* solus habet Lipsii codex, quod sequentes Colvium editores receperunt. Sed mihi haud secus ac Wasseo non pla-

cent illa *rancidiora* in divite domo: nec tamen *jucundiora dulcia*, quod servant ceteri Mss. junctim stare posse videntur, ut etiam Pricæo est visum. *Eligens* item in omnibus est Mss. nisi forte Florent. excipias. Quare malim legere: *jucundiora eligens, abl. dulciter.* Sic lib. II. p. 31. 'Meque respiciens sorbillat dulciter.' Infra p. 235. 'tibiæ dulciter consonant.' Usus etiam est Cicero, aliique. Si quis vero præferat *seligens*, per me licet; modo capiat pro eligens, mihique excerpens. Dein *obligurribam* Bert. *abligurabam* Par. *abliguribam* Pal. Male Floridus reposuit contra Mss. O. præter Pith. lectionem Editionum Colvio priorum *abliguriebam*. Amari ab Auctore terminationem quartæ Conjug. antiquam *ibam*, sæpe vidimus. Adi ad p. præc. 'mollibat,' ac duo *rr* in hoc verbo passim exhibent Mss. optimi, et Edd. accuratiores. *Oud.* *Et rancidiora seligens, abligurribam dulcia*] Apud Terentium ille IV. 2. Adelph. 'Unumquodque quod quidem erit bellissimum Carpam.' Donatus ad Ejusdem Eunuchum: 'Ligurrire dicitur, qui, &c. multo fastidio suaviora quæque degustat.' De *ape* Homil. 22. ad Antiochenos Chrysostomus: Οὐ πάντα ἐκλέγει, ἀλλὰ τὰ χρήσιμα λαβοῦσα, τὰ λοιπὰ ἀφίησι. Oxon. Ms. et vett. editt. omnes, *jucundiora eligens*: quæ, si τὸ *dulcia* permiserimus, parum commoda lectio. Jam nec altera illa, non nisi unius Lipsiani codicis (quod sciam) auctoritate fulcitur. *Pric.*

Fratrem] Lege, *fratrum*. Beroald.

Custodiebam] Corrige, *custodelam*: id est, custodiam, ut supra. *Idem.*

Tandem denique rupta verecundia, &c.] Lib. IV. 'Tandem denique asinali verecundia ductus,' &c. et II. 'Tandem denique devorato pudore:' i. e. ut hóc loco, 'verecundia rupta.' *Pric.*

Ac ne humanum fidem minuere quidem quotidie ac partes, &c.] Hæc ita lego, nam mire luxata sunt: *Ac istud j. n. æ. ac ne h. quidem fidem minuere ac partes e. s.* Τὰ *fidem minuere* absunt a Ms. *Roald.* Ms. *quidem minuere.* Colv. *Fidem minuere.* Hæc recte inducit Florent. et Bert. *Elmenh.* Addere debuerat Elmenhorst. pro *ac* in Flor. exarari *te*, unde hæc exoritur lectio, quam, τοῖς *fidem minuere* per uncinulos inclusis, sed audacter per Floridum tacite ejectis, exhibuere Elmenh. et Scriver. *ac ne humanum quidem, quotidie te partes, &c.* Olim etiam Pricæus hæc verba *fidem minuere*, quæ sane absunt quoque ab Oxon. Guelf. Par. Bert. D'Orv. delenda censuit, sed in Add. sententiam mutavit. Τὸ *fidem* exsulat etiam a Palat. et Petrarch. in quibus, ut in Lips. *ac ne humanum quidem minuere quotidie.* Hinc patet *fidem* abiisse in *quidem*, atque ideo ab aliis (ut in Pith. sine verbo *minuere*) utrumque admissum, ab aliis contra verbum etiam deletum, *te* pro *ac* supposito: cum scripserit Appuleius: *ac ne humanum fidem min. quotidie, ac p.* Fraudi librariis, virisque doctis, fuit *ne* simpliciter positum pro *ne quidem.* Vide omnino ad lib. I. p. 17. 'Nulla sessibula, ac ne sufficientem supellectilem comparare nobis licet.' Ita *fidem* abiit in *quidem p.* 229. Optime Cicero, 'Nefarium est fidem frangere et socium fallere, qui se in negotio conjunxit,' pro Rosc. Com. cap. 6. *Minuere* vero *fidem*, seu violare, temerare, dicitur, ut Nepoti in v. Ages. c. 4. 'non gravioribus pœnis adfici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.' *Oud.* *At istud jam neque æquum, ac ne humanum, &c.*] Arnobius lib. VII. 'Humanum est istud et rectum? aut æquitatis alicujus in æstimatione ponendum?' &c. Noster in Apologia: 'Hoccine verum' (i. e. justum) 'fuit? hoc, non dico, pium, sed saltem humanum?' &c. *Pric.* *Ad istud*] Lego, *At istud*: est enim particula hæc inceptiva, et (ut inquit Donatus) principium increpa-

tioni aptum: proinde frater fratrem furti criminaturus, scite exorditur a particula objurgatoria, et increpationi accommodata. *Beroald.* *Fidem minuere*] Delenda censeo, quæ nec Oxon. nec duo alii Mss. agnoscunt. Incidi autem jam locum Ciceronis qui retinenda clamat: 'Æque perfidiosum et nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, et socium fallere qui se in negotio conjunxit.' *Pric.* *Partes electiores*] Petronius, ubi et convivium describit: 'Et res electibiles, &c. aggredimur.' *Idem.*

De reliquis æquam vindicare divisionem] In Adelph. Terentii: 'Curemus æquam uterque partem:' ubi Donatus: 'Æquam quasi fratris particeps.' *Idem.*

Possumus, omnia quidem cætera, fratres manere] Suidas: Τἄλλα καὶ φιλώμεθα, λεγόμενόν τι, οἷον· Τἄλλα καὶ φίλοι ὦμεν. *Idem.*

Ab isto tamen nexu communionis discedere] Glossarium: 'Κοινωνίαν διαλύω, dissocio.' In alio Glossario: 'Socius, κοινωνὸς, ἐμπορία.' lege, κοινωνὸς ἐμπορίας. *Idem.*

Nam video in immensum damni procedentem querelam] Apud Petronium ille: 'Ascylte, intelligo convenire nobis non posse: itaque communes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram privatis quæstibus tentemus expellere.' *Idem.*

Subjicit alius, laudo istam tuam mehercules, &c. constantiam] *Alium* pro 'altero,' et *constantiam* pro 'audacia' vel 'impudentia:' ut multoties hoc in Scripto ponit. *Idem.*

Querimoniam, quam diutissime sustinens, tacitus ingemiscebam] Hoc est quod Jacobi 5. 9. στενάζειν κατά τινος. ubi notata qui voluerit videat. *Idem.*

Sed bene, quod utrinque secus sermone prolato, &c.] Ita aliud par fratrum in Quintiliani CCCXXI. Declam. 'Hoc primum velut mentium animique tentati veneno sumus, sed Dii melius: neque longum istud fuit, neque quidquam ex eo secutum quod emendari non possit.' Sirachides XX. 1. Ὡς καλὸν ἐλέγξαι, ἢ θυμοῦσθαι κρυπτῶν! vide et 9. 17. Levitici. In Hecyra Terentiana ille: 'Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc, Celare te iras: si quid peccatum a nobis, profer: Aut ea refellendo aut purgando vobis corrigemus.' Alexander apud Q. Curtium lib. VII. 'Nisi quæ delata essent excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset: sed satius est purgatos esse quam suspectos: cogitate neminem absolvi posse, nisi qui causam dixerit.' *Idem.*

Jactere medium quæritur] Ego sic emendo, *Jacturæ remedium quæritur:* alioqui nullus sensus, nulla Latinitatis elegantia. *Beroald.*

Nec] Lego, *ne:* istæ interdum minutiæ remorantur lectores atque perturbant, quo minus verum sincerumque intellectum assequantur. Proinde hæc nostra etiam in minimis curiositas minime videri debet reprehensibilis, cum non solum eruditulis et ingeniosis, sed etiam hebetioribus et brutis ista scribantur, quorum titubantia adminiculis omnibus est erigenda, fulciendaque. *Idem.*

Ne silentio procedens simultas, &c.] Ovid. 'Sed nunquam dederis spatiosum tempus in ira, Sæpe simultates ira morata facit.' Tacitus Histor. III. 'Inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat.' Cicero Verr. VII. 'Tacitæ magis et occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quam indictæ et apertæ.' Chrysostomus Homil. XV. in Epist. ad Ephes. Εἰ δὲ καὶ χωρὶς κραυγῆς αὐτὰ (ἀμυνομένου ἔργα nempe) ποιεῖς, καὶ ἔνδον τρέφεις τὴν πυρὰν καὶ τοὺς ἄνθρακας, τί τὸ ὄφελος τῆς σιγῆς; ἢ οὐκ οἶδας ὅτι αἱ πυρκαϊαὶ μάλιστά εἰσι χαλεπώταται, αἵπερ ἂν ἔνδον τρεφόμεναι μὴ φαίνωνται τοῖς περιεστη-

κόσιν ἑκάστοις; καὶ τραύματα, ἅπερ ἂν μὴ εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθήσῃ; καὶ πυρετοὶ ὅσοι τὰ ἐντόσθια καίοντες, &c. Philo de Josephi fratribus: Τὸ μῖσος οὐκ ἐξελάλουν, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς ἐταμίευον· ὅθεν εἰκότως ἀργαλεώτερον ἐφύετο. *Pric.*

Dejerant uterque, &c.] 'Dejerare, valde jurare.' Donat. ad II. 3. Eunuchi et v. 1. Hecyræ. Scioppius ex Ms. *uterque*, male: supra I. de duobus: 'Utrique comites.' *Idem.*

Dispendii latronem] Debuit dicere *auctorem*, vel *compendii latr.* Non enim *latro* erat *dispendii*, seu damni, sed quæstus eorum communis; et sic auctor utriusque jacturæ. Nisi ergo locus corruptus est, quod non puto, per breviloquium commiscuit Auctor duas ideas in unam; sive duo loquendi permiscuit genera, ut ait Pricæus. Sic lib. II. de Phil. Mor. p. 615. 'Ne nihil profutura curatio doloribus spatia promulget:' ubi Cl. Wass. ad Sall. B. Jug. c. 29. conjecit *promicet* e Nonio pro *extendat*. Sed innuit Auctor simul, a medico sic ægro annunciari, longius illi dolendum esse. Tale etiam est illud Velleii l. II. c. 25. 'Post victoriam, qua concurrerat, immo post pugnam, qua vicerat.' Consule Cl. Wopkensium Misc. Obs. v. VIII. p. 38. In D'Orv. Ms. et Edd. Junt. pr. et Aldi est *dispendiis*. Hinc fingi posset, *communem dispendiis l.* Sed ἐπέχω. *Oud.* *Debere cunctis artibus communis dispendii latronem inquiri*] Claudianus: 'Animosque ligant commercia damni.' In Oxon. melius, *inquirere*. In verbis 'communis disp. latronem,' loquendi duo genera (ut et alibi) permiscuit. *Pric.*

PAG. 221 *Pastus electiles*] Fux. *partes el.* Recte. Partes sunt reliquiæ cœnarum: quomodo semper vocavit supra. *Roald.* *Partes electibiles.* Vulg. *pastus electiles.* Colvius. Ms. et vulgati, *electibiles*. Plautine. *Sciopp. in Symb.* *Partes electiles.* Flor. *pastis e.* Bertin. *pastus electiles.* Alii, *partes electibiles*. Infra vocat 'partes opimas.' *Elmenh.* Licet etiam in Pithœano sit *pastus*, recte putem viros doctos correxisse *partes*, quod dant reliqui libri. *Pastus*, quod hinc alienum est, ortum ex corr. *pastis* pro *partis*. De cibis ita loquitur Auctor non solum in hac narratione, sed et lib. II. p. 58. VII. 140. l. XI. p. 252. 'Partes illas de Thessalia mihi missas:' et crebro Petronius, aliique. Quod hauserunt a Græcis, qui ita μοίρας in hisce dixerunt, ut recte e Palat. Cod. emendavit T. Fab. Apollod. l. I. c. 9. § 2. ἐνέτυχε λύκοις προβάτων μοίρας νεμομένοις. Sic enim quoque D'Orvill. et alii. Vulgo μηρούς. Dein *electibiles* dant quoque Oxon. D'Orvill. Pith. Guelf. pr. et Edd. Colv. Wower. ac seqq. Sed *electiles* servant cum Flor. Bert. Fux. Guelf. sec. Palatinus, et Edd. reliquæ. Plaut. Mostell. III. 2. 41. 'vino et victu electili Vitam colitis.' Quod Noster sine dubio imitatus est: *electibilis* non legitur in Plauto. Hinc suspicor, operarum esse erratum in nota Scioppii, atque Ursini Cod. etiam præbere *electiles*. Supra ad *partes electiores* male Pricæus e Petronio c. 36. citat *res electibiles* pro *electissimas*. Alterum barbariei adsignat Burmann. *Oud.*

Liberalibus cœnis inescatus, &c. corpus obesa pinguitie compleveram] Vide 23. 20. Ezechielis. Apud Petronium ille: 'Quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram.' *Pric.*

Arvina succulenta] Cyprianus: 'Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit.' Prudentius: 'Luxus vorandi carnis arvinam fovet.' Glossæ: 'Arvina, λίπος ἄνευ σαρκός.' In Glossis Isidori dictis: 'Arvinulis: adipibus:' vide et Beroaldum. *Idem.*

Sed iste corporis mei decor pudori meo peperit grande dedecus] Hieronymus Epist. ad Salvinam: 'Quos suspectos

faciebat aut cultus immoderatior, aut crassi corporis nitor.' *Idem.*

Tergoris vastitate] Lib. VIII. de lupis: 'Vastis corporibus sarcinosos.' Vide pag. 42. adnotata. *Idem.*

Dirigunt animos] Seneca VI. 16. de Benef. 'Si nunquam in me direxit animum.' *Idem.*

Hora consueta velut balneas petituri] Gell. Noct. Attic. lib. XVIII. cap. 13. 'lavandi tempus.' Sed quæ illa hora? quod illud tempus? Plinius de Spurinna loquens: (L. III. Ep. 1.) 'Ubi hora balnei nuntiata est (est autem hieme nona, æstate octava) in Sole ambulat nudus. Lotus accubat.' Martialis (l. x. Ep. 48.) 'Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ. Temperat hæc thermas: nimios prior hora vapores Halat.' Tertullianus de Jejuniis advers. Psychicos: (c. 169.) 'Apud quasdam vero colonias præterea, annuo ritu, saccis veluti et cinere conspersi, idolis suis invidiam supplicem objiciunt. Balnea et tabernacula in nonam usque cluduntur,' &c. Ergo balnei hora octava, hora nona: hæc hieme, illa æstate. *Colv.* Adde Cic. l. XIII. ad Att. Ep. 52. 'post horam octavam in balneum.' Mart. l. IV. Ep. 8. Pro *vult* in Pal. est *valde*. Pith. et Edd. ante Colv. si Junt. posteriorem excipias, *balnea*; sed contra Auctoris morem, *balneas* dicere amantis. *Oud.*

Expositis epulis inhærentem] Vide supra pag. 84. dicta. *Pric.*

Infandam memoratu, &c.] Virgilius: 'Infandum Regina jubes memorare dolorem.' *Idem.*

Ac tam liber cachinnus] Vulg. *liberalis cachinnus.* Colvius. Flor. et Bert. *liberalis cac.* Elmenhorstius. Oxon. *atque.* A Pith. abest *tam*, qui habet item *liberalis cach.* ut ediderunt omnes, præter Colv. Vulc. Wow. Pric. qui conjecit etiam *jocularis* vel *jocundus*, perperam et nimis a Mss. abiens. In Palat. est *liber jocis c.* Reg. Fux. Guelf. utroque, *liberi joci c.* Oxon. D'Orv. Coll. Voss. *liber joci cach.* Quæ lectiones omnes possent admitti. Vocem *joci* certe ego nequaquam excluderem. 'Liberales jocos et cavillum' habuimus l. II. p. 33. Apud Plin. in Paneg. c. 49. 'Benigna invitatio et liberales joci.' Illi tamen hic minus videntur convenire. Placet mihi maxime *liber joci c.* pro effuso in jocos cachinno, sive per jocos libere vaganti. Qui Genitivus non intellectus corruptioni caussam præbuit. Plin. Paneg. c. 36. 'liberum discriminis.' Ovid. Ep. I. 81. 'revertendi liber.' Sil. Ital. l. II. 44. 'It liber campi pastor.' Quibus locis consulite doctissimos Interpretes. Nostro rursus in Florid. N. 14. 'Liber omnium.' Hanc jocosi cachinni libertatem expressit l. II. p. 34. 'Sic inter hæc convivium totum in licentiosos cachinnos effunditur:' quomodo eum locum esse legendum vidimus. *Oud.* *Ac tam liber cachinnus cunctos invaserat, &c.*] 'Cachinnus liber,' est qualem supra lib. II. 'cachinnum licentiosum' dixit. In quibusdam hic *liberalis c.* Oxon. *joci cachinnus:* ex quo sive *jocundus*, sive *jocularis* legeris, satisfaciet neutrum. *Invaserat*, κατειλήφει, ut apposite in Glossario vertitur. *Pric.*

Sciscitatus denique, &c.] Idem Codex, *sciscitans.* Idem.

Per idem prospiciens foramen, delectatur] Lib. IX. 'Inoptabilis officina disciplinam cum quadam delectatione arbitrabar.' *Idem.*

Ac dein risu ipse quoque latissimo adusque intestinorum dolorem redactus] Lucianus in Eunucho: Πάντας ὁ γέλως κατεῖχε, καὶ οὐδεὶς ὅστις οὐ τὴν γαστέρα ἤλγει, βρασσόμενος ὑπ' αὐτοῦ, 'Latissimus risus' Græcanicum est. Vide, in πλατὺν γέλωτα, Suidam et Phrynichum: supra hic lib. VI. 'Latissimum cachinnum extollit.' *Idem.*

Securus esitabam] Lib. VII. 'Præsepio securus incumbens:' ubi dicta p. 151. vide. *Idem.*

PAG. 222 *Omne genus edulium solidorum et illibata fercula*] Ms. *et libata fercula.* Sidonius Epistol. VII. 'Omnia censuræ tuæ salva, illibata, solida servantur.' Arnob. l. VII. 'Si illibata, si solida concremari animantium viscera.' Quod apud Virgilium Æneid. VI. 'Et solida imponit taurorum viscera flammis.' B. Ambrosius Institut. Virg. cap. 16. 'Perfectorum autem est solida esca.' Paulum interpretans ad Hebr. v. τελείων ἐστὶν ἡ στερεὰ τροφή. 'Solida, illibata edulia, fercula,' id est, integra, quibusque nihil detractum, tota: ut 'solida sella' apud Verrium, frustra Pompeio eum reprehendente. Contra Favorinus apud Gellium lib. XV. cap. 8. 'Quid relinquitur, nisi ut delibari sibi cœnas jubeant, ne edendo defatigentur?' De visceribus solidis alias commodius. *Colv.* Vide et Beroald. Jungit hæc Auctor et l. II. p. 36. 'Illibata labia, mentum solidum.' *Solidus* pro toto, illibato sexcenties occurrit. Vide et Burm. ad Petron. c. 43. 'Solida centum.' *Oud.* *Illibata*] Signat neque semesa edulia, neque reliquias ciborum sibi apposita fuisse: sed fercula integra, intacta, ingustata, qualia scilicet ipsi domino apponuntur. *Beroald.*

Quidquid p. abhorreret asinus] Vulg. *quid potiss.* Colvius. Bert. *quod p.* Flor. *asino.* Elmenh. F. *asino* cum Flor. *Wass.* Pal. Pith. Oxon. Guelf. et Edd. ante Colvium, *quid.* Dein *asino* est quoque in Reg. Fux. Guelf. sec. Oxon. ac Palat. cum Ed. Junt. post. Verum mihi Latinum non esse videtur *illa res abhorreret ei*, vel *eo;* pro alienus est ab illa re, vel illa res non convenit ei: cum significet ea constructione *differt:* sed homo dicitur *abhorrere* non tantum *re* et *a re*, verum etiam *rem*, quam vitat, apud optimos quosque. Vide Wopkens. Misc. Nov. Obs. t. II. p. 31. ad Septim. de B. Troj. l. II. c. 25. 'Exemplum admissi abhorrentem:' ut exaratur in Ms. Periz. et jam editum ab S. Artopæo Argentor. A. 1691. Ex scriptura *asin9* natum videtur *asino.* Oud. *Quicquid potissimum abhorreret asinus excogitantes, &c. id offerunt mihi*] E converso in Hermagora Noster, apud Priscianum lib. X. 'Cibatum quem jucundum esse nobis animadverterant, eum apposiverunt.' *Pric.*

Ad explorandum mans. id offerunt] Vulg. *ad explorandum mansuetudinem id offerebant.* Colvius. Bert. et Flor. *ad explorandum mansuetudinem offerebant.* Elmenh. Abest *ad* ab Oxon. Cod. In Bertino, non in Florent. est *explorandum*, sed etiam in Pithœano, et Edd. ante Colv. De quo gerundio cum feminini generis substantivo juncto vide ad Suet. Claud. c. 26. Heins. ad Vellei. l. II. c. 59. Cort. ad Sall. B. Jug. c. 15. In Flor. N. 2. Cod. Medic. præbet, 'ad examinandum homines.' Septim. de B. Troj. lib. II. cap. 18. 'Ad conciliandum hostium animos:' in Ms. Periz. et Ed. Merceri. Lib. V. cap. 13. 'ob coacervandum auri atque argenti materiem,' vulgo: sed Mss. Voss. Periz. *coacervandam.* Mox *offerebant* etiam reposui. *Oud.*

Carnes lasere infectas] Vid. Beroald. *Pric.* *Lasere infectas*] Precioso succo conditas: *laserpitium* virgultum est clarissimum, quod Græci *silphion* vocant, in Cyrenaica provincia repertum: hinc Catullus 'Cyrenas laserpiciferas' cognominat: hujus succum vocant *laser* magnificum, in usu ciborum, medicamentisque, et ad pondus argenti denarii pensum; de quo multa Plinius noster volumine undevigesimo. Apud auctores Græciæ evidentissimos invenitur, Cæsarem dictatorem initio belli civilis inter aurum argentumque protulisse ex ærario laserpitii pondo CX. Est radice multa, crassaque, caule ferulaceo, quo homines vescebantur decocto, asso, elixoque. Laser, hoc est succus, duobus modis capiebatur, radice et caule.

Unde indita nomina rhizias atque caulias. Laseris in condituris meminit frequenter Apicius: a quo pullus laseratus dicitur, lasere perfusus: idem laseratum absolute appellat obsonii genus, quo laser Cyrenaicum, cum aceto et liquamine dissolvendum esse præcipit. Inde 'laserpitiatum acetum' dictum, quo quidam lentem respergunt causa diuturnitatis. Palladius in tertio laser appellat opon cyrenaicum, quasi succum laserpitii, a Cyrenaica provincia dictum: et ita sane Græci vocant: noster Plinius in XXII. dixit laser esse inter eximia naturæ dona numeratum, quod pluribus compositionibus inseritur. Concoctioni plurimum conferre senibus fœminis traditur, hyeme quam æstate utilius, ab ægritudine recreationi efficax in cibo. Laserpitii meminit et Plautus in Pseudolo, his verbis: 'Eo laserpitii libram pondo diluunt.' De lasere mentio quoque est apud Columellam, qui id a Græcis *silphion* vocari tradit. *Beroald.*

Altilia] Glossarium Isidori: 'Altilis, pasta, ab alendo.' Vide ad Apologiam pag. 83. notata. Excerpta veteris Glossarii: 'Altiliarius, ὀρνεοτρόφος.' *Pric.*

Exotico jure perfusos] Sic, 'jure perfundi,' Seneca XCV. Epistola. *Id.*

Interim convivium summo risu personabat] Supra lib. II. 'Inter hæc, per convivium totum licentiosus cachinnus effunditur.' i. e. per totum locum in quo convivium. Vide XVIII. 7. A. Gellium. Hesychius: Συμπόσιον. τόπος εὐωχίας καὶ πόσεως. Tertullianus cap. 14. de Idololatria: 'Convivia constrepunt.' *Idem.* *Summo risu personabat*] Petronius: 'Omnia nimio risu exsonuerant.' *Idem.*

Surrula] Vide Vulcanium col. 62. ad veteres Glossographos. *Idem.*

Date (inquit) huic quidpiam meri] De Philemone Valer. Maximus: 'Paratas ei ficus, &c. asello consumente, puerum ut illum abigeret, inclamavit: qui cum jam comestis omnibus supervenisset, quoniam (inquit) tam tardus fuisti, da nunc merum asello.' Eandem rem narrat et Lucianus Macrobiis. *Idem.* *Sodali huic*] Festus Pompeius: 'Sodales quidam dictos putant, quod una sedeant, edantque.' Onomasticon vetus: 'Sodalis, σύσσιτος.' *Idem.*

Quod dictum Dominus secutus] I. e. adsensu secutus. *Idem.*

Poculum q. mulsi] Fux. *paululum q. m.* Roaldus. Idem, *paululum q. mulsi.* Colvius. Ms. *paululum q. m.* Sciopp. in Symb. Oxon. Guelf. pr. *paulum.* Sed Palat. etiam et D'Orv. *paululum.* Quod τῷ *poculum* hic multum præplacet, ut jocosius; nisi malimus *pauculum:* quod facile abire potuit ob soni *au* et *o* vicinitatem, de qua latius alibi, in *poculum.* Crebro voce Adjectiva *pauculus* utitur Auctor. L. XI. p. 261. 'post pauculum tempus.' Sic *paucus* pro *parvo* Horat. Art. Poët. 203. 'foramine pauco.' Vitruv. l. I. c. 1. 'Pauca manu.' Immo apud Hirt. de B. Afric. c. 67. 'Pauco tritici.' Quod nunc nequaquam damno. Adi etiam Heins. ad Ovid. l. VIII. Met. 647. III. F. 66. Mox vitiosissime Edd. Scriv. *adpetebat.* Oud. *Poculum quoque mulsi*] Ms. Oxon. *paulum:* tres alii *paululum.* Pric.

Hemus] Lego, *heus:* ut fiat sensus illustrior, sitque adverbium vocandi. *Beroald.*

Mulso contempera et offer p.] Sic hunc locum lego cum Pal. Bert. et Flor. Vulgati, *mulso et multo c. et affer p.* Elmenh. Lego *ex multo.* Brant. Si Appuleiana sunt verba *et multo,* poterunt significare *et quidem multo,* ut solet certe cum aliis loqui Noster. Confer notata ad l. VII. p. 134. 'Bestiam ad quadrupedem.' Perperam Sopingius conjecit *et mero,* Pontanus ad Macrob. l. VII. S. c. 12. *et musto;* cum *mulsum* sit vinum melle mixtum, et pejus Brantius *ex multo.* Verum cum nullus Codex hic Lipsiano suffra-

getur, eas voces, ut e glossa natas, et a Colvio, Vulc. Wower. Scriv. receptas, rursus ejicere malui cum Elmenh. Pric. et Florido. Guelf. pr. *conta mulso*. In Oxon. *tempera*. Pith. *offeres*. In solis Edd. Ber. Bas. Colv. Vulc. vitiose editur *affer*. Pro *meo* in Oxon. *modo*. Oud. *Illum aureum cantharum mulso et multo contempera*] Redeant ad sedes suas illa *et multo*, a Colvio ex Lipsii Ms. importunissime inferta, nec aliorum codicum, aut cæterarum editionum assensu munita. Oxon. *æreum crateram*. Virgil. II. 'Crateresque auro solidi:' quod etsi in idem ferme recidat, malim *cantharum* tamen: nam et supra IX. 'aureum cantharum' habuimus, et VII. 'vinum cantharis immistum.' Pontanus ad Macrobii VII. 12. hæc citans, legit, *mulso et musto contempera*. Quid voluit vir doctissimus cum id scriberet? si *mulsi* ex melle et vino confectio est, quid *musti* additamento opus. *Pric.*

Epulonum] Onomast. vetus: 'Epulones, δαιτυμόνες.' *Idem.*

Otiose] Ἠρέμα. secure. *Idem.*

Uno haustu perhausi] Vide de la Cerdam ad Virgil. I. Æneid. *Elmenh.* Conjicit quidam *perduxi*. Sed elegantius est vulgatum, ut 'voce vocare,' 'clamore clamare,' 'amore amare,' 'audacia audere,' et innumera similia. *Oud.* *Uno haustu perhausi*] 'Impiger hausit Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.' Suidas: Σπασάμενος ἀκράτου· οἴνου ἐκπιών. Eundem vide et in ἀμυστὶ πίνειν. Pollux VI. 3. Ἀμυστὶ πίνειν, ἀμυστίζειν, χανδὸν πίνειν. *Pric.*

Clamor exurgit, &c. cunctorum] Hieronymus in Hilarionis vita: 'Clamor ortus ab omnibus.' Gellius XV. 22. 'Clamor factus, et orta admiratio est.' *Idem.*

Salute me prosequentium] Non agnoscit hæc Ms. noster. *Colv.* Hæc male absunt a Palat. Nam in fine prandii vel cœnæ Antiqui solebant dicere *prosit*, ut observat Fulvius Ursinus in appendice de Triclinio p. 187. *Elmenh.* Desunt quoque Oxon. Par. Guelf. utrique, immo etiam præced. a *clamor* usque ad Fux. Nec leguntur in Luciano. Sed solebant potori magni poculi salutem adprecari convivæ. Elegantissimus est Xiphilini ex Dione locus in Commodo lib. LXXII. p. 825. Ἔπιεν κύλικι ῥοπαλωτῇ παρὰ γυναικὸς γλυκὺν οἶνον ἐψυγμένον λαβὼν, ἀμυστί. ἐφ' ᾧ καὶ ὁ δῆμος καὶ ἡμεῖς παραχρῆμα πάντες τοῦτο δὴ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι ἐξεβοήσαμεν, Ζήσειας. *Salutem* in Pith. *Oud.* *Salute me prosequentium*] Hæc absunt ab Oxon. Palat. et Lipsii Ms. *Pric.*

Magno denique delibutus gaudio Dominus] Vicent. edit. et Oxon. cod. *Magnoque delibutus g. D.* Idem.

Vocatis servis emptoribus meis] Iidem, *V. servis suis, e. meis.* Idem.

Quadruplum restitui pretium] Τετράπλουν ἀποδέδοσθαι Luc. 19. 8. *Idem.*

Cuidam acceptissimo liberto suo] Gloss. 'Acceptus, προσφιλής,' &c. Sic, 'acceptissimus servus,' in Plautinis Capteivis: et Luc. 7. 2. δοῦλος ἔντιμος, ad quem locum σὺν θεῷ plura annotabimus. *Idem.*

Et satis peculiato] Glossæ: 'Πεκούλιον· οὐσία ὑπεξουσίου, ἢ δούλου, peculium.' Glossæ aliæ: 'Peculiatus, κτήσιος, πολυούσιος.' In vetere Onomastico: 'Peculio, as, ἀργυρίου τιμῶ.' ita enim, non τιμῶν scribendum. *Idem.*

Magna præfatus diligentia] Intellige servandum vel curandum me, elliptica locutione, ut censet Pricæus. Si tamen Mss. addicerent, mallem cum Groslotio, *magnam præf. diligentiam;* sive monens, antequam me traderet ei, ut adhiberet mihi magnam diligentiam; ut in prologo, 'præfamur veniam.' Lib. XI. p. 251. 'fausta vota præfatus:' et alibi. Nisi *magna diligentia* sit ipsius domini, qui diligenter valde præfatus est liberto, quid fieri me velit. *Oud.* *Magna præfatus diligentia tradidit*] *Præfatus* servandum vel curandum intellige: ora-

tio enim est elleiptica. Supra lib. VII. 'Evocato armentario equisone, magna cum praefatione deducendus assignor.' *Pric.*

Voluptates ejus, &c. instruebat] Supra lib. IV. 'Voluptates publicas instruebat.' *Idem.*

PAG. 223 *Suffixo cubito*] Lib. II. 'Suffultus in cubitum:' ubi pag. 34. adnotata consule. *Idem.*

Et insultare] Vulg. *et etiam saltare.* Ms. *et insaltare.* Colvius. Pal. et Florent. *adluctari etiam saltare.* Lucianus p. 253. Καὶ πρῶτον μὲν κατακλίνεσθαί με ἐπὶ κλίνης ὥσπερ ἄνθρωπον ἐπ' ἀγκῶνος ἐποίησεν. *Elmenh.* Oxon. Bert. Pith. Guelf. pr. Fux. dant quoque, *et etiam saltare*, Pal. Guelf. sec. *et insaltare*, D'Orv. *et etiam salutare:* unde male Colv. Vulc. Wower. Pric. edidere, *et insultare*, quod vim vel vituperium significat. Vett. Edd. et plurimorum Mss. lectionem repetierunt Elmenh. et Florid. *et saltare etiam* exhibet Scriverius. Mihi videtur scribendum, *adluctari ei, et jam saltare*, ex Luciano t. II. p. 616. Εἶτα καὶ προσπαλαίειν αὐτῷ καὶ μὴν καὶ ὀρχεῖσθαι, ἐπὶ τοὺς δύο (πόδας) ἐπανιστάμενον ὀρθόν. Hinc sequitur 'conviva,' 'luctans,' 'saltans' asinus, ut ibid. οἰνοπότης, παλαίων, ὀρχούμενος. Saltantes elephantos videte etiam apud Ælian. lib. II. Anim. c. 11. Alioquin praefero multum *insaltare*, quomodo Mss. optimi praebent infra lib. XI. p. 235. 'Terror et metus nudis insaltantes gladiis.' Τὸ *sublatis* non agnoscunt Guelf. et Palat. *Oud. Dein adluctari, et insultare, &c. perdocuit*] Plutarchus in περὶ Τύχης, de elephanto: 'Ορχήσεις μανθάνει, καὶ χωρείας, καὶ προσκυνήσεις. *Pric.*

Verbis nutum commodare] Quintilianus XI. 3. 'Non manus solum, sed nutus etiam declarant voluntatem nostram, et in mutis pro sermone sunt.' *Idem.*

Commodare, ut quod nollem relato, quod vellem rejecto capite monstrarem] Scriptura vet. lib. *commodarem, ut, quod vellem relato, quod nollem rejecto c. monst.* Quae certe melior videtur. *Colv.* Emenda: *ut, quod vellem relato, quod nollem, rejecto cap.* vel potius ex Bertin. *dejecto capite.* Wowerius. Bertin. *dejecto.* Et placet. Nam capite dejecto velut signo voluntatis et assensus uti omnes solemus. *Sciopp. in Symb. Ut, quod vellem relato, quod nollem, dejecto.* Sic Flor. Bert. et Pal. Vulgo, *ut, q. nollem relato, quod vellem, rejecto.* Elmenh. Turpiter se dat Elmenhorst. ita cum Scriv. et Flor. legens contra sensum communem. *Relatum* enim *caput* et *rejectum* nihil differunt; neque ita, ut ait, fere habent Mss. illi. Cum Colvio faciunt Gruter. ad lib. II. p. 21. Vulcanius, Pricaeus. Sed in illorum lectione, ut et Taubmanni ad Plaut. in Mil. Glor. II. 2. 52. *Quod nollem rejecto, quod vellem, relato c.* idem est vitium. *Referre* enim et *rejicere caput*, non diversi sunt nutus, sed unus renuentis gestus. Verum unice viderunt Wower. et Scioppius, qui adeatur etiam lib. I. c. 18. Susp. Scribendum enim: *Ut quod nollem, relato, quod vellem, dejecto cap. monstrarem.* Sic enim diserte exhibent Mss. Flor. Bert. Pith. Fux. Pal. Oxon. Par. D'Orvill. Guelf. uterque, immo et in mea Coll. Ms. Lips. sive capitis declinati, et proni, vel *projecti:* ut in notis bene explicat Beroaldus, adnutu. Adi me ad Suet. Caes. c. 9. et Vesp. c. 8. In Palat. Guelf. sec. est bis *vellem.* Millies *re* et *de* in Mss. confunduntur, ut aliquoties in Appuleio etiam vidimus. Ex. gr. p. 219. sic pro vulgato 'capistro, me prehensum reclinat,' p. 225. legendum patebit *declinat.* Oud. *Ut, quod vellem, relato: quod nollem, rejecto capite monstrarem*] Gellius X. 4. 'Cum adnuimus vel abnuimus, motus ille capitis a natura rei non abhorret,' &c. Hesychius: 'Ανενεύει, (fortasse ἀνανεύει legendum,) ἀρνεῖται· ἀπὸ τοῦ ἄνω νεύειν,

ἢ ἀπαρνεῖται. Homerus: Τὸν δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν. Quæ citans I. Epist. 7. Plinius junior, subjungit, 'Ego quoque simili nutu ac renutu respondere tuo voto possum.' Vide Artemidorum v. § 72. 73. De *manibus* Quintilianus. 'Annuendi quoque et rennendi ratione demittuntur aut allevantur.' 'Ανανεύει autem in Hesychio legendum probabile est ex ejusdem hisce, 'Ανανεύων· παραιτούμενος. *Pric.* *Relato*] Quando aliquid renuimus et nolumus, id *relato*, hoc est, retro lato, et in diversa reducto capite significamus: quando vero quippiam annuimus et volumus, id capite in anteriorem partem projecto ostendimus. Hæc cum ab asino fierent, mira videbantur, cum asinus naturaliter sit brutus et tardus: unde proverbium inolevit ὄνος λύρας, id est, asinus ad lyram. *Beroald.* *Rejecto capite*] Supra lib. II. 'In rubore suffusus, rejecto capite restiti.' Oxon. et alius Ms. *dejecto c.* Pric.

Sitiensque pocillatore respecto, &c.] Juvenalis: 'Tu Getulum Ganymedem Respice, cum sitias.' *Idem.*

Ciliis alterna connivens, &c.] 'Οφρύσι νεύειν Homero Iliad. X. Hesychius: 'Οφρυάζει· ταῖς ὀφρύσι νεύει. quod Nonnus ad Joannis XIII. λάλον σιωπὴν vocat. Simile in Plautino Milite, 'oculis signum dare.' *Idem.*

Bibere flagitarem] Cicero Verr. III. 'Poscunt majoribus poculis:' ubi Asconius, 'A pincerna: id est, petunt, ut subaudiatur, bibere.' *Idem.*

Atque hæc o. obediebam] 'Αρχαϊκῶς. *Wower.* Notis suis præfixit Pricæus *obaudiebam*, nihil præterea monens, nisi Wowerium (Stewechium) legere *obibam*. De *obaudire* vide ad lib. III. p. 53 Non displicet mihi *obibam*, quod Sopingius etiam suo exemplaris margini adlevit, et crebro abiit in *obedire*. Respice, quæ notavi ad lib. IV. p. 74. 'Munus obeundum.' Idem mendum obsedit quasdam Edd. de Deo Socratis p. 677. Ed. Flor. 'Quæ omnia mediæ quædam potestates obeunt.' In Fux. Reg. est *at hæc*, fors. pro *ad hæc*, ut construatur, *obediebam ad hæc omnia.* Floridus ideo fortasse edidit *adque*, invitis Gratiis. *Oud.* *Atque hæc omnia perfacile obaudiebam*] Wowerius, *obibam*. Pric.

Me obtruncatum, vulturibus opimum pabulum redderent] Lib. VII. 'Heus tu puer, obtruncato protinus isto, intestina quidem canibus nostris jacta,' &c. *Idem.*

Jamque rumor publice crebuerat, &c.] Supra lib. I. 'Publicitus indignatio percrebuit.' *Idem.*

Quo conspectum, &c. effeceram Dominum] Id est, *conspicuum*, περίβλεπτον. sic, 'in armis conspectum,' Virgilius et Avienus dixere. *Idem.*

Voces humanas intelligentem, sensum nutibus exprimentem] Auctior hic Ms. *saltantem asinum, jocantem, v. h. i. s. n. exprim. asinum.* Sciopp. in Symb. Rescribe ex Manuscriptis, *jocantem asinum, v. h. i. asinum, s. n. e. asinum.* Elmenh. Qui sic cum Scriverio et Florido e Codd. scil. Florentinis et Ursini rescripsit, eisque suffragatur Cod. D'Orvill. præbens *jacentem asinum.* Non habet tamen Lucianus, qui contra alia addit ludicra, hic omissa. *Asinum* dein repetitur quoque semel post *intelligentem* in D'Orv. Ms. uti in Ursini post *exprimentem.* Sed, ut dixi, in totum quinquies scribitur in Flor. Edd. Elm. Scriv. Flor. Nec refragor. Negligentissime vero pro *exprimentem* Floridus edidit *exhibentem.* Eleganter dicitur asinus 'exprimere sensus nutibus,' quod scil. homines faciunt voce, et oratione, quam *expromunt;* ut legendum in Arnob. l. VII. p. 217. Aliud enim est *exprimere vocem*, sive alteri extorquere (vide ad Vell. l. II. c. 19. Phædr. v. 5.) sive imitatione fingere, et sic declarare, ut *sensus* hic. Lucan. l. IX. 1040. 'Gemitusque expressit pectore læto.' Cic. I. de Orat. cap. 34. 'Exprimere

verba imitando.' Senec. Ep. 56. 'Tenuem et stridulam vocem, quo sit notabilior, subinde exprimentem.' Ovid. XI. Met. 635. 'Morphea. Non illo jussos sollertior alter Exprimit incessus, vultumque, sonumque loquendi.' Solin. p. 37. 'Addiscit vocamen, quod exprimere possit imitatione vocis humanæ.' *Oud.*

Vel unum] Corrige, *vel unde*. Ber.

Thyasus] Hic nomen proprium est, cum alias *thyasus* saltationem tripudiumque significet. Quod ex Virgiliano carmine satis notum est: 'Daphnis thyasos inducere Baccho.' Thyasos, ut Græci tradunt, et docet Suidas, est ἱερὸς χόρος, id est, sacer chorus, ἀπὸ τοῦ θεῖν, ὅ ἐστι τρέχειν, quod significat currere. θιασῶται dicuntur saltatores, et proprie in sacris Bacchi: dicitur et *thyasus* multitudo congregata. *Idem.*

Hoc enim nomine meus nuncupabatur Dominus] Lib. VIII. 'Hoc enim nomine censebatur jam meus Dominus.' *Pric.*

Gradatim permensis honoribus] Lib. IV. § 5. de Muner. et honor. 'Neque prius majorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest.' Hinc, 'gradatim honores deferre,' in l. XI. § 1. d. tit. et, 'honores ordinatim petere,' apud Marcum Sulpicium (in Epist. Cicer. Famil. IV. 5.) Vide quæst. politic. Part. I. qu. 10. Melch. Junium. Glossæ: 'Gradatim, βαθμηδὸν, κατὰ βαθμόν.' *Idem.*

Quinquennali magistratui] Intelligit ædiles quinquennales. *Brant.* Immo vero 'Duumviros quinquennales.' Æediles erant annui in municipiis et coloniis, qualem descripsit Auctor l. I. p. 18. Sed ex iis creabantur gradatim 'duumviri quinquennales.' Vide Indices Gruteri et Muratorii, Otton. de Ædil. cap. 7. pag. 185. Erant et 'sexviri Augustales quinquennales;' sed duumviris honore minores. *Oud.*

Latius munificentiam suam porrigebat] Hoc sensu capienda Glossarii ea, 'Munificentia, δωρεὰ, φιλοτιμία.' item, 'Φιλοτιμία, munificentia, &c. munus.' Extenditur vox hæc et ad opera publica. Glossarium, Isidori dictum: 'Munificentia, opus publicum.' *Pric.*

Nobilissimas feras] Quales 'primæ formæ feras' lib. cur bon. viris, &c. Seneca vocavit. *Idem.*

Et famosos gladiatores] Vide supra pag. 72. notata. *Idem.*

Ex arbitrio coëmptis, &c.] E converso, 'ex sententia' (quod hic *ex arbitrio*) 'vendere,' in Plautina Mercatore. *Idem.*

PAG. 224 *Spretis luculentis illis vehiculis suis*] Basilius homil. εἰς τ. πλουτοῦντας, de luxu divitum: 'Οχήματά ἐστι μύρια, τὰ μὲν σκευαγωγοῦντα, τὰ δὲ αὐτοὺς περιφέροντα, &c. Oxon. *Enim spretis, &c.* Idem.

Prædarum carpentis] Locus corruptissimus, si quis alius, neque ulla spes auxilii a Ms. Tentabam ego aliquando, *cædarum*. Sed φεῦ τῆς ἀκυρολογίας. *Roald.* Modius, *rhedarum carpentis.* Sciopp. in Symbola. *Rhedarum.* Sic Modius legit. Vulgo, *prædarum.* Elmenh. Pricæus scilicet secutus est Wowerii editionem, qui ita tacite ante Elmenh. exhibuit Modianam vel Schikeradi conjecturam, quam puto incidisse etiam Roaldo: (quid enim velit istud *cædarum*, nescio:) et probavit etiam Sciopp. in Susp. L. I. Ep. 18. Sed mihi videtur esse absurdissima. Quid enim quæso est *carpentum rhedæ?* Aliud est *carpentum*, alia *rheda:* licet utrumque sit currus. *Præclarum* videtur esse typothetarum ἁμάρτημα. Constans omnium Mss. lectio mihi videtur sana, seseque recte habere. *Carpenta prædarum* sunt currus, qui trahebantur a *prædis*, i. e. feris nobilissimis, quæ ipsæ a Poëtis aliisque sæpe *prædæ* vocantur, ut Virgilio, aliisque. Adi Cl. Burmann. ad Phædr. F. 1. lib. II. 'Prædator intervenit.' Hinc Virg. Georg. I.

130. 'prædarique lupos:' ubi male dubitat Servius, quo sensu sit capiendum. Hominum venationem in lupos a Virgilio intelligi, clarissime patet e seqq. et vs. 139. 140. Solin. c. 53. 'Nec plebeias agunt prædas. Tigres et elephanti requiruntur.' Estque similis locutio 'currus equorum' Ovidio l. v. Met. 360. Front. l. I. XI. 10. Gell. l. XIX. c. 8. Sueton. Calig. c. 19. 'Curriculum famosorum equorum.' Xenoph. l. VI. Cyrop. p. 169. Apollod. l. I. c. 6. Atque ita forsan legendum e Ms. Vossiano in Statio l. VII. Theb. 120. 'tumultum Auget, et arma virum currusque imitatur equorum:' ubi vulgo *cursus*, vel *pulsus*. Pariter Apollod. ait l. I. c. 65. ἅρμα πτηνῶν δρακόντων. Sueton. Claud. c. 11. 'currum elephantorum.' *Oud.*

Quæ partim contecta, &c.] Pollux X. 12. Καὶ τὰ μὲν τῶν ὀχημάτων σκευοφόρα ἂν εἴη, &c. τὰ δὲ κατάστεγα, καὶ στεγαστά. Curtius lib. IX. de Alexandro: 'Vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent: tabernaculum in modum ornari' (præcepit) 'alia candidis velis, alia veste pretiosa.' *Pric.*

Consequiis] Appendicibus, et quasi sequelis: sic supra: 'Penduli comitatus extrema consequia:' a *consequendo* enim *consequiæ* dicuntur, ut ab 'exequendo' 'exequiæ.' *Beroald.*

Equis Thessalicis] Lactantius ad lib. IV. Statii pag. 120. 'Optimæ naturæ equi Thessalici per orbem feruntur.' Oppianus Cyneget. lib. I. vs. 170. et seq. *Elmenh. Eq. et Thess.* Guelf. sec. Passim 'Thessalici equi' laudantur: unde appetebant eos ad curule certamen. Vide Sophocl. Elect. vs. 705. *Oud.*

Aliis jumentis gallicanis] Mirum, Apuleium hic laudare jumenta Gallicana, quæ alias vilis æstimii: Unde et natum proverbium, 'vilior Gallico cantherio.' Sed videtur etiam Ovidius probare 'canes Gallicos' lib. I. Metamorph. *Elmenh.* Ad verbum hæc descripsit Elmenhorst. ex marginali Lindenbrogii nota. Vide et Beroald. quem compilavit Floridus. Sed vehementer errant viri docti. Non hic equos intelligit Auctor, sed per 'alia jumenta' innuit mulos sive mulas, quas carpentis, rhedis, aliisque curribus trahendis usurpatas passim fuisse, docent Comm. ad Suet. Cæs. c. 31. Varron. l. III. de R. Rust. c. 17. § 7. Adde Epigramma Claudiani de 'Mulabus Gallicis.' Plutarch. in divitum pompa περὶ φιλοπλουτίας pag. 524. t. II. Ed. Par. nominat ἡμιόνους Γαλατικὰς καὶ ἵππους ζυγοφόρους. Alioquin Ælianus l. XV. c. 24. velocissimos equos facit quoque Γετικούς. *Oud.* *Jumentis Gallicanis*] Plautus in Aulularia, damnans equos Gallicos, inquit: 'Viliores fient Gallicis canteriis.' Hic vero laudantur a sobolis generositate. Hodie quoque ex Gallia generosi equi bonitate probantur. *Beroald.*

Equis etiam, &c. quibus generosa soboles pretiosam perhibet dignitatem] Basilius ubi supra: Ἵπποι παμπληθεῖς, καὶ οὗτοι γενεαλογούμενοι ἀπὸ εὐγενείας πατέρων, ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι. *Pric.*

Purpureis tapetis] Modius faciebat *purpureis capistris:* nam in Bertin. est, *capitis:* pro quo forte rectius legatur, *capitiis.* Ut enim in Varronem monet Scaliger, *capitia* sunt pectori tegendo, non capiti, quod capiant pectus, ut ait Var. *Sciopp. in Symb. et Susp.* I. 18. *Elmenh.* *Capitiis* etiam legebat Pontan. lib. I. Anal. c. 12. probante Putschio. Vide simul de 'Tapetibus' et 'Capitiis' Non. Marcell. de Gen. Vestim. p. 542. Ed. Par. Juvat hanc lectionem, quod *Tapetia* vel *Tapeta* (utrumque enim dici jam Lexica notarunt) non multum differre videantur ab *Ephippiis:* cum utraque sint dorsi, non capitis aut pectoris tegimenta. Sed nihil contra reliquos Mss. est mutandum. Ob oculos Auctor habuit Virgil. lib. VII. Æn. 277.

'Instratos ostro alipedes pictisque tapetis,' &c. quem recte citavit Priceus, quem vide, et Silium Italic. lib. XVII. vs. 64. 'nullo decorare tapete Compedem.' In D'Orvill. est *purpuris*. Oud.

Frænis arg. et pictilibus b. &c.] Lucianus Lucio: καὶ σκεύη μοι ἦν πολυτελῆ, καὶ στρώματα πορφυρᾶ ἐπιβάλλομαι, καὶ χαλινοὺς εἰσεδεχόμην ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένους, καὶ κώδωνες ἐξήπτοντό μου μέλος μουσικώτατον ἐκφωνοῦντες. *Elmenh.* Oxon. *pithilibus*. Oud.

Tintinnabulis perargutis] Fux. *peracutis*. Roald. Phædrus lib. II. Fab. 38. 'Clarumque collo jactans tintinnabulum.' Vide Lucianum p. 253. (t. II. pag. 617.) *Elmenh.* In Regio etiam est *peracutis*. Quomodo passim chordis, lituis, item cymbalis et tympanis, &c. tribuitur 'tinnitus acutus.' Vide Burm. ad Val. Flacc. VI. 107. Drak. ad Sil. XII. 182. Horat. I. S. 8. 41. Art. Poët. 348. lib. I. O. 16. 8. 'Non acuta æra.' Ovid. IV. F. 189. 'sonus æris acuti.' Infr. p. 234. 'Permiscens bombis gravibus tinnitus acutos.' In Flor. N. 3. 'acuto tinnitu, et gravi bombo concentum musicum miscuit:' ut leg. est e Mss. Sed vel sic mera est glossa, vulgatæ vocis *perargutis*; quæ elegantissime canorum quid et sonorum ac garrulum significat. Vide Serv. ad Æn. VII. 14. et Pric. ad lib. II. pag. 26. 'arguti pectinis dente:' ubi tamen acuta acie præditum possis intelligere, ut lib. I. p. 1. 'arguta Nilotici calami.' At lib. XI. p. 240. 'æreum crepitaculum, cujus virgulæ reddebant argutum sonorem.' p. 245. 'æreis sistris argutum tinnitum constrepentes.' Sil. Ital. l. XVII. 18. 'Circum arguta cavis tinnitibus æra.' Idem eodem sensu dixit, 'argutis dulce sonat calamis,' lib. XIII. vs. 436. Servius quoque et alii in Virg. I. G. 296. 'argutum pectinem exponunt stridulum et sonorum:' ac crebro similia aliis. *Oud.* *Me phaleris aureis, et fucatis ephippiis, et purpureis tapetis, et frenis argenteis, et pictilibus balteis, &c. exornatum*] In de Deo Socratis: 'Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, et baltei polimina inspicimus, et ornatissimæ cervicis divitias contemplamur: si ex argento et auro monilia variæ gazæ dependent, si plena artis ornamenta capiti et collo circumjacent: si fræna cœlata, si ephippia fucata, cingula aurata sint: sed,' &c. Gellius V. 5. de Antiocho R. 'Inducebat etiam, &c. equitatum, frænis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem.' Philostratus I. 20. Φαλάροις (ἵππον) κοσμήσας, ὥσπερ εἰς πομπήν. Apud Achillem Tatium ille lib. I. Ἐκαλλώπιζον τὸ πονηρὸν θηρίον (πονηρὸν, quia Dominum suum occiderat) προστερνιδίοις, προμετωπιδίοις, φαλάροις ἀργυροῖς, χρυσαῖς ἡνίαις, &c. Vide Chrysostomi Homil. 10. ad cap. 3. Philipp. Male Modius autem, *purpureis capistris*: pejus Scioppius *capitiis* reponebat. Virgilius: 'Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.' Basilius ubi supra: Χαλινοὶ, καὶ ζῶναι, καὶ περιδέῤῥαια· πάντα ἀργυρὰ, πάντα χρυσόπαστα, ΤΑΠΗΤΕΣ ἁλουργοὶ, κοσμοῦντες ἵππους ὥσπερ νυμφίους. sic II. Maccab. 3. 25. ἵππος καλλίστῃ σάγῃ κεκοσμημένος. *Pric.* *Exornatum*] Ita, 'jumentum itineris causa ornatum ducere,' in lib. XXXVIII. § 11. de ædil. edicto. *Idem.*

Quod haberet in me simul et convivam et vectorem] Lib. VIII. 'Ut duplici scilicet pondere gravatus, et horreum simul, et templum incederem.' *Idem.*

Partim terrestri, partim maritimo itinere] Plinius X. Ep. 15. 'Destino partim orariis navibus, partim vehiculis Provinciam petere.' Sic, κατὰ θάλασσαν καὶ πεζῇ, in Platonis Politico: vide et Act. 20. 13. Supra lib. II. 'Maris et viæ iter:' ubi dicta p. 29. vide. *Idem.*

Non tantum thiasi dantes honori, quam, &c.] Ms. *honorem*. Colvius. Palat. *di-*

vitis d. honorem. Elmenh. Vitiose Edd. Wower. et Pric. *tamen.* In Ms. D'Orv. Ed. Floridi, probante Wasseo, *tam.* Sed male. Sæpe τῷ *non tantum* respondet *quam* pro *quantum.* Consule Drakenb. ad Liv. l. XXXVII. c. 51. 'Non tantum gaudium ab recenti metu adtulerunt, quam averterunt famam.' Vide et supra ad l. II. p. 58. Dein *honorem* dant Florent. Fux. Par. Guelf. sec. D'Orvill. ac *divites*, non *divitis*, Palat. Inde tamen Scriverius edidit, *Th. divitiis dantes: honorem.* Nihil erat mutandum. Non intellexerunt librarii elegantiam locutionis 'dare tantum honori:' hinc corruperunt. Sensus est: Confluxerunt homines, non adeo quia id faciebant honoris caussa, meo domino præstandi, quam cupidine mei conspectus. Vide omnino J. F. Gronov. lib. II. Obs. c. 15. Burmann. ad Lucan. lib. IV. 688. 'Iræ bella dabat.' Cort. ad Cicer. lib. IV. ad Fam. Ep. 5. 'Da hoc illi mortuæ.' *Oud.*

Ut non mediocri quæstui præposito meo fuerim] Ἐργασίαν αὐτῷ πολλὴν παρεῖχον, ut Act. 16. 16. illa. *Pric.* *Proposito modo*] Lege, *præposito meo:* hoc est, illi qui præpositus præfectusque erat meæ custodiæ. Græce dicitur ἐπιστάτης, epistates: qua dictione usi sunt et nostri scriptores. M. Cato 'villicam epistatam' appellat, quasi villæ præpositam atque præfectam. *Beroald.*

Pollens et] Hæc etiam non sunt in eodem vet. cod. *Colv.* *Et opulens.* Hæc Pal. recte delet. *Elmenh.* Atqui ὁ πάνυ Gruterus in exemplari a me excerpto notaverat, in Palat. deesse *pollens et;* sicut etiam desunt Oxon. et Guelf. utrique, qui Codd. sæpissime consentiunt. Cave vero, quidquam deleas. *Pollens* erat dignitate, *opulens* divitiis. Lib. VIII. pag. 163. 'castellum frequens et opulens.' Atque sic Sallust. Nepos, Livius, Ausonius, alii. Eadem vox restituenda lib. de Deo Socratis p. 671. Ed. Flor. 'Fortunæ munere opulenti elatus.' Sic bene e Mss. Mercerus, ac suffragantur Codd. Voss. Harlem. Male vulgo *opulentia.* p. 699. 'Omnia affluentia, omnia opulentia, omnia ornata.' Sic enim malo cum aliquot Mss. et Edd. Al. *opulenta.* Oud. *Matrona quædam pollens et opulens*] Oxon. et Lipsii Ms. *Matrona q. opulens.* Palat. *M. q. pollens,* sequentibus deletis. *Pollens* intellige splendens, honore ac dignitate lucens. Glossæ: 'Pollens, φανεὶς, λάμψας.' *Pric.*

In admirabilem mei cupidinem] Similis historia accidit Parisiis Anno Christi MDCI. mense Octobri. Inventa enim mulier, quæ cum cane rem habuerat. Facinus abominandum. Ideoque leges citavere, ut vindicarentur, exque communi sententia Senatus mulier adultera canisque maritus vivicomburio periere. Hæc me monuit amicissimus Frider. Lindenbrogius. *Elmenh.* Adscripsit præterea Lindenbr. 'Sic Herodot. scribit lib. II. pag. 121. hircum cum muliere nuptias fecisse. Ἐγένετο δ' ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ, κ. τ. λ. Hinc asseritur id, quod Ælianus de Animal. lib. VII. c. 19.' Levior, quam pro re, videtur vox *admirabilis.* Malim *inextricabilem*, vel simile. Vide ad lib. II. p. 21. lib. VIII. pag. 154. In Pith. est *ammirab.* Forsan *inamabilem*, i. e. diram, exsecrandam: de quo epitheto vide Gell. lib. II. c. 6. citatum a Pricæo ad lib. V. pag. 107. 'Nugo, corruptor, et inamabilis.' Passim utitur cum Virgilio Ovidius; 'cui inamabilis feritas' lib. I. Ex P. 6. 5. Adde Heins. ad Æn. VI. 438. 'tristique palus inamabilis unda.' Ex præcedenti *admiratione* et ignorantia potestatis compositi verbi *incidere*, accusativum vi additæ præpositionis adsciscentis, librariorum nata videtur mutatio. Nam licet nonnumquam repetat eam Appuleius, ut lib. I. p. 5. 'In has ærumnas incidi.' Lib. V. p. 103. 'in amoris incidit amorem:' sæpius ta-

men eam repetere negligit. Lib. II. pag. 29. 'Fortunam scævam incidit.' p. 30. 'Ulixeam peregrinationem incidant.' Lib. VI. p. 115. 'meas potissimum manus incidisti.' pag. 118. 'proximam convallem incidebant.' Lib. IX. p. 192. 'familiarem incidi.' Atque restituendum hoc lib. I. De Dogm. Plat. p. 581. 'Nostræ super earum cursibus opiniones disputationesque possunt errorem intellectus incidere.' Sic enim Cod. Cantabr. Multi, *in errorem i. incidere.* Vulgo, *in err. intellectum inducere.* Nec secus solent alii. Consule Salm. ad Solin. pag. 15. ut illic habent Mss. quoque Voss. et Leidd. Item pag. 22. 'vela incidant coturnices:' pro *in vela*, vel *velis incidant*, ut habent Mss. Plinii Leidd. quoque. Prave Hard. citat ibi *in vela.* Drakenb. ad Liv. lib. II. cap. 30. Comment. ad Nepot. Att. c. 5. 'Ne quod periculum incideret.' Burm. ad Suet. Cæs. c. 40. in Add. Mart. Cap. lib. V. pag. 171. 'In vitium cadis, quale incidit Cicero.' Ita Mss. plurimi, quos contuli; non, ut vulgo, *in quale.* Oud. *Per admirationem assiduam paulatim in admirabilem mei cupidinem incidit*] Heliodorus lib. VII. Τὸ θαῦμα λανθάνον εἰς ἐρωτικὸν πάθος κατέφερε. Nec mirum hoc accidisse mulieri opulentia diffluenti. Ovidius: 'Divitiis alitur luxuriosus amor.' *Pric.*

Ad instar asinariæ Pasiphaës complexus meos ardenter appetebat] 'Sapiunt videntque magnam Matronæ quoque mentulam libenter.' Juvenalis de hujusmodi matrona: 'Jubet sumpto juvenem properare cucullo: Si nihil est, servis incurritur: abstuleris spem Servorum, veniet conductus aquarius: hic si Quæritur, et desunt homines, mora nulla per ipsam Quo minus imposito clunem submittat asello.' Ita equi coitum a Semiramide expetitum ex Juba VIII. 42. Plinius narrat. Τὸ *expetebat* Beroaldinum est, non Appuleianum. Mss. vetustæque editiones, uno agmine, *exspectabat* legunt: quæ vox alterius illius virtutem et efficaciam possidet, plerumque enim quæ exspectamus, ea expetimus desideramusque. Sic sæpius in novo fœdere, ἐκδέχεσθαι et προσδέχεσθαι. ut Joh. 5. 3. Jacob. 5. 7. Marc. 15. 43. Tit. 2. 13. et alibi. *Idem. Expectabat*] Lego, *expetebat*: hoc est, cupiebat, desiderabat. Lucianus: εἰς ἐπιθυμίαν συνουσίας προελθοῦσα: id est, 'in desiderium concubitus provoluta.' *Beroald.*

Grandi præmio, &c. depacta est unius noctis concubitum] In Apologetico: 'Cum ipso de uxoris noctibus paciscuntur.' Onomasticon vetus: 'Depeciscor, συντίθεμαι.' et nota, 'grandi præmio depacta.' Supra lib. II. 'Qui mecum jamdudum grandi præmio pepigit,' &c. *Pric.*

Nequaquam] Potest legi *nequam*: id est, improbus et veterator: potest et *nequaquam* ex Luciano, qui ait: κἀκεῖνος οὐδὲν φροντίσας, εἴτε καὶ ἀνύσει τι ἐκείνη ἐξ ἐμοῦ, εἴτε καὶ μὴ, λαμβάνει τὸν μισθόν: id est, 'et ille nihil curans, sive ex me aliquid utile expediret, sive non, capit mercedem.' *Beroald.*

PAG. 225 *Lucro suo tantum contentus annuit*] Ms. *tm̄ consensum.* Forte, *tandem contentus.* Colv. Pal. *consensu annuit.* Lego, *tandem contentus.* Wow. Ms. *tantum consensum.* Sciopp. in Symb. Locus est corruptissimus, quem a voce *at* usque ad *annuit*, non habet Pithœanus. *Nequaquam* est quoque in Edd. ante Beroaldum, qui dubitavit, utrum præstaret. *Ut* non agnoscit Florent. *Tantum* habent Mss. O. et Edd. præter Wow. Pric. Flor. qui male *tandem* reposuere. Pro *contentus* Pricæus mallet *intentus* ex lib. I. p. 16. 'ærugini intentus;' sed Mss. etiam Reg. Fux. D'Orv. Oxon. Guelf. ambo, Par. dant *consensum*; Lucianus t. II. pag. 618. ait. Κἀκεῖνος οὐδὲν φροντίσας, εἴτε καὶ ἀνύσει τι ἐκείνη ἐξ ἐμοῦ, εἴτε καὶ μὴ, λαμβάνει τὸν μισθόν. 'Et ille nihil cu-

rans, sive illa quid a me inpetraret, sive non, capit mercedem.' Hinc videtur primo legendum esse: *At ille nequaquam curans, possetne de me suave provenire.* scil. mulier illa. Nam apud Plautum, quem imitari solet, aliquoties ipse homo dicitur 'bene' vel 'male provenire,' cui res suscepta pulchre succedat, vel secus cadat. Vide Taubmann. ad Trucul. A. II. S. 4. 33. 'Cumque bene provenisti salva, gaudeo.' Quamquam et posset construi *annuit, ut* (nempe illa) posset de me suave provenire. Prius tamen malo. De ipso liberto, qui hic nihil aggreditur ipse, minus bene capi possunt. Dein lego, *lucro suo intentus:* vel, si ita vis, *tantum intentus, consensum adnuit.* Crebro enim *adnuere* cum quarto casu construitur. Cicer. I. in Verr. cap. 61. 'Quos iste annuerat.' Virg. Æn. I. 25. 'cœlique adnuis arcem,' IX. 104. 'Idque ratum adnuit.' Valer. Flacc. II. 95. 'Hinc reduci superas postquam pater adnuit arces:' vs. 578. 'Plura adnuit.' Lib. V. 259. 'Adnuitur virgo thalamis.' Tib. II. 2. 9. 'Adnuet et quodcumque rogabis.' Mart. Capell. lib. VI. p. 191. 'Lucifero adnuerat lumina tota suo.' Haud absimile est lib. IV. p. 75. 'Consensum tribuit.' In Pal. *lucto.* Oud. *Lucro suo tandem contentus annuit*] Pausanias Messeniacis: Ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει καὶ ἄλλων ἐνόντων ἐφ' οἷς βιαζόμεθα ἄδικοι γίνεσθαι, τὰ κέρδη μεγίστην ἀνάγκην ἔχουσι. Supra VII. de latronibus: 'Nihil lucro suo anteferre debere.' Τὸ *tandem* a Wowerio est, cum antea *tantum* legeretur: τὸ *contentus* a Colvio, pro quo malim *intentus* scribi: sic supra IV. 'ærugini intentus,' Oxoniensis autem, et duo alii Mss. *L. s. tantum consensum annuit.* Pric.

Dii boni! qualis ille, quamque præclarus apparatus] Petronius: 'Qualis nox fuit illa, Dii Deæque! Quam mollis torus!' *Idem.*

Eunuchi] Eunuchos in comitatu suo habebant matronæ delicatiores, molliores que, scilicet ad furtivam, securam, et longam libidinem. Hieronymus in vita Hilarionis: 'Procurator calamistratus et in longam et securam libidinem factus spado.' Martial. lib. VI. Epigr. 67. 'Cur tantum Eunuchos habeat tua Gellia, quæris, Panice? vult futui Gellia, nec parere.' Juvenal. Sat. VI. v. 364. 'Sunt, quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent, et desperatio barbæ. Et quod abortivo non est opus.' *Elmenh. Quatuor Eunuchi confestim pulvillis compluribus ventose tumentibus pluma delicata, &c.*] Zeno Veronensis Serm. de spiritu et corpore; 'Delicate tumentis ac reflabilis tori plumeo sepulchro superba.' Plutarchus in περὶ ἀοργησίας· Στρωμνὴ ὥσπερ θάλασσα οἰδοῦσα. Chrysostomus Homil. in saltat. Herodiadis: Μαλακὰ χηνοπλούματα, ἐκλύοντα καὶ χαυνοῦντα τῶν ἀνδρογύνων τὰ σώματα. Philo in de Somniis: Μαλακῶς σφόδρα κατακλίνονται, τῶν γυναικῶν τρυφὴν ἐκμιμούμενοι. Eunuchorum autem, ut qui cubicularii essent, officium fuit lectum sternere. Glossæ: 'Cubicularius, εὐνοῦχος.' sic, θαλαμηπόλοι Eunuchi apud Nicetam Choniatem in Alexio Duca. De Eunuchorum apud primates fœminas ministerio, ad Act. 8. 27. diximus. *Pric.*

Terrestre n. cubitum] Vulg. *terrestrem n. cub.* Terrestre cubitum, ut *peditum* apud Catullum: 'Subtile ac leve peditum Libonis.' Glossæ: 'Peditum, πορδή.' *Colv. Terrestre.* Sic Bert. *Sciopp. in Symb.* Non Bert. sed Fulv. habet *terrestre* cum Flor. D'Orv. *Terrestrem* dant Mss. reliqui, et Edd. ante Colv. quod ego præfero. Quamquam nec *cubitus* nec *cubitum*, pro loco, in quo cubamus, usquam a me sit inventum. In Glossis: 'Cubatus, κοίτη.' Eleganter vero lectum humi stratum vocat *terrestrem.* Adposite Ælian. de Elephantis, iisque structo toro lib. II. Anim. cap. 11. χαμαιζή-

λαμπῶς στιβάδες ἐν τῇ ψάμμῳ τοῦ θεάτρου τεθεῖσαι ἐδέξαντο πολεῖα, καὶ στρώμνην ποικίλην, &c. Lucianus hic ait χαμεύνιον. *Oud.*

Præruunt] Scribe ex Bertino *præsternunt*. Wower. In Bertino *præsternunt*. Sciopp. in Symb. et Susp. F. 18. *Præsternunt*. Ita Bert. et Pal. Vulgo *præstruunt*. Elmenh. Eadem variatio in Mss. apud Plin. lib. v. Ep. 8. in f. Omnes secuti sunt Wowerium in *præsternunt*. Verum ceteri Codices servant *præstruunt*, quod nollem adeo temere mutatum. *Præstrui* dicuntur illa, quibus mox alia superponuntur, ut hic 'cubitum,' quem dein aliis vestibus 'consternunt' et 'superstruunt:' nisi ultimo loco cum Bertiniano etiam Codice et Edd. Scriv. ac Flor. *supersternunt* legamus; ut Auctor suo more idem adhibuerit verbum, ludens modo in variis præpositionibus. Vide Indicem notarum. *Strui* hic recte de cubili dicitur, uti sæpe de nido avium, cui mox 'insternunt' seu 'superstruunt' molles plumas, aliave. Ovid. de Phœnice lib. xv. Met. vs. 397. 'nidum sibi construit ore; Quo simul ac casias et nardi lenis aristas, Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha, Se super imponit.' Nec secus Lactantius de eodem vs. 77. 89. Lucan. lib. ix. 841. 'Nam neque congestæ struxere cubilia frondes, Nec molles crevere tori.' *Oud.* *Terrestre nobis cubitum præsternunt*] Nec enim lectus asino inscensu facilis. Oxon. et Vicent. editio, *terrestrem*, et, *præstruunt*. Pric.

Sed et stragula veste, auro ac murice Tyrio depicta probe consternunt] Eubulus Comicus apud Pollucem vi. 1. Ταῖς ξυστίσι ταῖς χρυσοπλάσταις στρώννυται. In Gnomologico Solomonis cap. 7. 16. ex meretricis persona: Κειρίαις τέτακα τὴν κλίνην μου, ἀμφιτάποις διέστρωσα τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου. Ovidius de Pygmalione suæ manus fabricam adamante: 'Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis, Appellatque tori sociam, inclinataque colla Mollibus in plumis tanquam sensura reponit.' *Idem.*

Probe consternunt] Infra hic, argum. non dissimili: 'Dum magister meus lectulo probe coaptando, &c. inservit.' *Idem.*

Brevibus admodum, sed satis copiosis pulvillis, aliis nimis modicis, queis maxillas et cervices delicatæ mulieres suffulcire consueverunt] Pollux ubi supra: Καὶ πτερωτὰ καὶ πιλωτὰ προσκεφάλαια ὀνομάζουσι. De talibus (in de adulat. et amici discrimine) Plutarchus: Προσκεφάλαια, ἃ δοκοῦντα ταῖς κεφαλαῖς ἀντερείδειν καὶ ἀντέχειν, ἐνδίδωσι καὶ ὑπείκει μᾶλλον. In verbis Auctoris nostri (quæ, ut eduntur, nullam sententiam continent) post vocem *pulvillis* distinctionem tolle, et, pro *aliis*, lege *illis*. Sic v. 'Mirisque illis et beatis eduliis,' &c. et sæpissime in his libris. Tentarunt alii locum hunc, sed infœliciter. Ad vocem *suffulcire* pertinent Hesychii ista: Ἐπηρέσιον· τὸ προκεφάλαιον. *Idem.*

Nec Dominæ voluptates diutina sua præsentia morati] In Declamatione Porcii Latronis dicta: 'Cur voluptates nostras diutius remoraris?' Supra heic lib. ii. 'Nec voluptas nostra ulterius differetur.' *Idem.* *Diutina sua præsentia morati*] In Terentiana Hecyra iv. 2. 'Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre, Ne mea præsentia obstet.' *Idem.*

Facessit] Legendum est, *facessunt*: hoc est, abeunt, absceduntque mancipia, post instratum matronæ accubitum. Lucianus: εἶτα οἱ μὲν τῆς γυναικὸς θεράποντες αὐτοῦ πού πλησίον πρὸ τοῦ δωματίου ἐκάθευδον: id est, servi matronæ eunt dormitum, non procul a cubiculo matronali. *Beroald.*

Tenebras inalbabant] Oxon. Guelf. pr. Codd. *inalbebant*, probante Priceo. Sed perperam. *Inalbere*, ut *albere*, est Neutrum. Vide ad lib. vii. init. 'Ut primum tenebris abjectis

inalbebat dies.' Sed *inalbare*, ut *albare* apud Priscian. lib. VIII. p. 800. et in Glossis, est Activum. Errat enim Eutyches p. 2188. ejusdem potestatis faciens *albo, as*, et *albeo, es*. Noster lib. IX. p. 193. 'Quæ lacinias circumdatas candido fumo sulphuris inalbabat.' *Oud.* *Cerei præclara micantes luce, nocturnas nobis tenebras inalbabant*] Lib. IV. 'Tædis, lucernis, cereis, &c. nocturni luminis instrumentis, clarescunt tenebræ.' Pro, *præclara micantes luce*, malim *clara præmicantes luce* reponi: supra lib. V. 'Lucernam claro lumine præmicantem:' et XI. 'Candore nimio Lunæ præmicantem orbem:' sic ibidem: 'veste nivea prænitere.' Lucianus hoc ipso loco, Λύχνοι μέγα τῷ πυρὶ λαμπόμενοι. quod quid aliud quam *præmicare* innuit? *Pric.* *Nocturnas nobis tenebras inalbabant*] Melius in Oxon. *inalbebant*. Supra lib. VII. 'Tenebris abjectis dies inalbebat:' id est, τῷ *in* (ut alibi monuimus) solenni ejus consuetudine adjecto. *Idem.*

Cuncto prorsus spoliata tegmine] Lib. II. non dissimili scæna: 'Laciniis cunctis suis renudata.' *Idem.* *Tænia quoque qua decoras papillas devinxerat*] Scholiastes ad Aristophanis Plutum: Ταινία, στενόν τι καὶ ἐπίμηκες ὕφασμα· κοινότερον δὲ εἰπεῖν, φασκία. Martialis: 'Fascia crescentes Dominæ compesce papillas.' Pollux VII. 14. Τὸ τῶν μαστῶν τῶν γυναικείων ζῶσμα ταινίαν ὠνόμαζον, καὶ ταινίδιον. adde quæ supra pag. 25. adnotata. *Idem.* *Tænia quoque, qua decoras, &c.*] Strophium designat, id est, fasciam pectoralem. Strophium enim (ut auctores tradunt) fascia est, qua virginales papillæ cohibentur. Catull. 'Non tereti strophio lactantes vincta papillas.' *Beroald.*

De stagneo vasculo] Bertin. *stanneo v.* Elmenh. *Stanneo.* Ms. Par. *stagneo.* Ita passim in Mss. Vid. in Scribonium Rhodius, et Colum. lib. XII. 41. 'Cacabo figuli novo, vel stagneo.' Ita Mss. Arundel. et Sunderland. et Sangerm. et Codex Pallad. Maii VII. 1. Nec enim ibi est novandum. Sic et Pandect. Flor. sic et Plin. XXXIX. 2. ubi Harduini Ed. *stannea*, Ms. Baliol. *stagnea*: uti et XXX. 5. 7. Sic denique Plinium secuti recentiores medici. *Wass.* Mos est librariorum perpetuus *stagnum* scribendi pro *stanno*. Adi ad Sueton. Vitell. c. 5. ut hic est in Mss. tantum non omnibus, itemque Edd. si excipias Wower. Vulc. Scriv. Pric. Flor. At in *stanneo* seu κασσιτερίνῳ vasculo balsamum odoriferum primatem feminam habuisse, vix credibile. Lucianus etiam id fuisse ait ἐξ ἀλαβάστρου. *Stagneum* est, qui exponat περιπεταλούμενον, stagnatum et incrustatum. Quid? si simpliciter exponas *splendens*, ut fuerit ἐξ ἀλαβάστρου, sive γανούμενον, quod adscripsit Sopingius, citans p. 195. Advers. quæ sunt inedita. Glossæ: 'Γανώτης, stagnator, a γανόω, splendeo.' Unde in Epigramm. γανῶσαι. Mox in Florent. *basculo*. *Sese, &c. multo* exsulant a Pith. *Oud.* *De stanneo vasculo*] Lucianus hic, ἔκ τινος ἀλαβάστρου. Vide ad Matth. 26. 7. dicta. *Pric.*

Sed multo tanta impensius etiam nares perf.] Colvii vel Lipsii emendationem recepere Vulcan. Ed. sec. Elmenh. Scriv. Flor. ita ut *que* interponendo ediderint, *m. tanto i. crura etiam natesque perf.* Certe *tanto* est in Lips. et Palat. *nates* etiam in Bert. Oxon. Flor. Urs. Guelf. et aliis. At de solis *naribus* loquitur Lucianus, scribens, ἔνθα μάλιστα τὴν ῥῖνα μου μύρῳ ἐνέπλησεν. Nec video, cui bono Asini *crura* et *nates* oleo perfuderit. Osculi caussa ejus nares suave olere voluit. Sic quum capram oscularetur Crathis, nares et os ἀπέφανε εὐῶδες τῇ αἰγί, apud Ælian. l. VI. Anim. c. 42. Immo forsan *crura* et *nates* originem habent ex fragmento illo, quod servarunt codices Florentini, spurcissimo quidem, sed Appuleianum genium satis

spirante, mihi tamen valde suspecto: sicut et in Luciano nullum ejus exstat vestigium. Quare malim legere, *multo tanto inpensiore cura et nares p. m.* cum Acidalio ad Plauti Stichum c. 5. ubi multis agit de *multo tanto;* quod plane Appuleianum est. Vide ad lib. VII. p. 142. 'multo tanto pluribus.' *Oud. Nates perf. m.*] In Flor. Mstis duobus sequens fragmentum inseritur: *Et Hercule Orcium pigam* [1] *per teretem hyaci fragrantis et Chiæ rosaceæ* [2] *lotionibus expurgavit* (alter *expiavit*). *At* (al. *ac*) *dein digitis ypate licanos mese permese* (al. *paramese*) *et nete* [3] *hastam mei inguinis nivei spurciei pluscule excorias emendavit.*[4] *Et cum ad inguinis cephalum* [5] *formosa mulier concitim* (al. *conatim* vel *connatim*) *veniebat, ab orcibus ganniens, ego et* [6] *dentes ad Jovem elevans Priapo frequenti frictura porrixabam,*[7] *ipsoque pando et repando ventrem sæpiuscule tractabam* (al. *tactabam*). *Ipsa quoque respiciens, quod genius* [8] *inter anth. teneras excreverat, modicum illud* (al. *id*) *morulæ, qua lustrum sterni* [9] *mandaverat, anni sibi revolutionem autumabat.* Quod purum putum Apuleianum esse, dubium non est, ejectum autem ab illo, qui nefariam turpitudinem in his verborum involucris non tulit. Etiam nos pudor et pietas prohibet, tali luto manus inquinare, aut iis emaculandis operam pessime abuti. *Elmenh.* Tam castus si fuit Elmenhorstius, cur non potius silentio involvit hoc fragmentum, quod Floridus etiam inter reliqua Appuleii Priapeia separatim suæ Editioni inseruit; ut scil. Galliæ Delphinus uno oculi conjectu cuncta turpia simul contemplaretur. Idem in parenthesi pro *hyaci* conjecit *Lyæi;* pro *Anth.* legit *manus* cum Cortio. A ceteris manum abstinuit, sine dubio, quia non intellexit. Breviter quædam monebimus. [1] *Orcium pigam*] Sic Mss. Cum vero Græci partem corporis, quæ sutelæ similis sub pene per medium scrotum transit, vocarint ὄῤῥον, junctamque illam partem cum πυγῇ, qua desinit, appellarint ὀῤῥοπύγιον, patet satis de hac parte agi, adeoque legendum esse: *Orrum in pygam pert.* aut simile quid. Adi Polluc. l. II. § 173. 182. Hesych. Suidam, alios. Citat Salm. ad Solin. p. 232. *Orchium bigam perteretem.* An *orchium bigam* sunt testiculi, sic vocati ab herba geminorum figuram referente? Vide Salm. in Plin. p. 190. vel ab *Orchi* oliva testiculari, de qua vide ad Colum. l. v. c. 8. [2] *Hyaci fragr. et Chiæ rosaceæ*] Hæc nihili sunt. Salmas. ad Solin. p. 232. 237. conjecit *musci* ex Arnobio, Hieronymo, Glossis, 'Muscus, εὐωδία.' Lego potius, *Lyæi fr. et oleæ rosaceæ.* Intelligit οἶνον ἀνθοσμίαν καὶ εὐώδη, cujus passim meminerunt Veteres, et ῥόδιον ἔλαιον, quod et *rosaceum* simpliciter vocarunt. Vide Polluc. lib. VI. § 105. Plin. lib. XX. 3. XXI. 29. ut *oleam* sive fructum pro ejus liquore sumserit. Certe *Chia*, quæ ficus est, locum hic habere nequit. [3] *Ypate licanos mese, permese, et nete*] Lege, *Hypate, Lichano, Mese, Paramese;* et *Nete.* Ac sunt nomina quinque digitorum, et hinc Modorum, seu Tonorum, qui per illos fiebant in chordis Musicis citharæ, cujus instar hic fingit sua a muliere tractari pudenda. Vide Polluc. lib. II. § 145. Fest. in v. 'Nænia,' Plut. de Mus. tom. II. p. 1136. &c. Cl. Ptolemæi Harmoniam passim, et p. 228. Vitruvium l. v. c. 4. Thomam Mag. v. Νήτη e Mss. Verum vel sic locus nondum sanus videtur, ac quædam deesse. Neque enim τῷ *digitis* satis convenit femininum modulorum genus, et clarius debuerat illam inguinis tractationem et lusum exprimere verbo 'percurrens,' 'tangens,' 'feriens,' 'stringens,' similive. [4] *Nivei spurciei p. excorias emendavit*] Lego, *nivea spurcitie p. excorians emundavit.* Ultimum certe est in Ms. Florent. primo, ac restituendum quoque Columellæ lib. XII. c. 3. e Cod. Sangerm. 'bubilia

nec minus præsepia emundanda curare.' Adde lib. II. c. 15. 'bubilia et ovilia debent emundari:' et alibi. [5] *Cephalum*] Hoc nec Græcum, nec Latinum est. Κεφαλὴ et κεφάλιον dicitur Græcis cujusvis rei summitas quoque, ut *caput* et *capitulum* Latinis. *Cephalus*, κεφαλὸς nomen viri vel piscis est. Scribendum igitur erat *cephalen*, vel *cephalium*. Nisi *inguinis capulum* dederit Auctor, de quo vide ad Plaut. Cas. v. 2. 30. Sciopp. ad Priap. cap. 24. 'Ad pubem capulumque coleorum.' [6] *Ab orcibus ganniens, ego et d.*] Puto legendum esse, *mordicibus*, vel *a mordicibus ganniens ego, et d.* Lucius enim *ganniens* intelligitur, non mulier. De *mordicibus*, quos ipse recte *dentes* explicat, adi lib. III. pag. 60. [7] *Priapo porrixabam*] Immo vero *Priapon*, i. e. penem. Vide Diodor. Sic. l. IV. c. 6. p. 251. Ed. Wessel. Beger. Th. Brand. t. III. p. 261. Juv. S. II. 95. 'vitreo bibit ille Priapo.' *Porrixabam* est iterum iterumque porrigebam. Amari vero ab Auctore Frequentativa, sæpius est monitum. Et sic statim leg. ex uno Florent. *tactabam*, pro quo alii *taxare* dixerunt. Suum enim ventrem innuit Lucius. 'Pandus' et 'repandus Priapus' elegantissime dicitur 'pando' et 'repando apri rostro' similis. Vide Ovid. Met. l. X. vs. 713. Phædr. l. I. F. 29. Pacuv. apud Quinctil. lib. I. c. 5. p. 70. Ed. Burm. [8] *Genius*] Sive *Genitale*. Quod Noster aliique *Naturam* solent vocare. Non vero *respiciens*, sed *inspiciens* est in Lindenbr. Coll. Florentina. Dein pro *anth. teneras* non opinor scribendum *manus*, sed *artus teneros*. [9] *Lustrum sterni*] Elegantissime cubile hoc, quo secum femina illa concumberet, *lustrum* vocat. Est enim proprie cubile apri vel feræ in silva, ut docent Festus, Nonius, Servius, aliique. Ac passim de lupanari usurpari, nemo nescit. Dein pro *autumabat* in excerptis Florent. utriusque meis est *putabat*. Oud.

Sed multo tanta impensius cura etiam nares perfundit meas] Colvius: *S. m. tanto impensius cura, etiam nates p. m. Nates* habet et Oxon. et Fulvii Ms. lectionem priorem autem poscunt Luciani ista: Ἔνθα μάλιστα τὴν ῥῖνα μου μύρῳ ἐνέπλησε. *Pric.*

Non qualia in lupanari solent basiola jactari] Ovid. Amor. II. 5. 'Qualia non fratri tulerit germana severo, Sed tulerit cupido mollis amica viro. Qualia credendum est non Phœbum ferre Dianæ, Sed Venerem Marti sæpe tulisse suo.' *Idem. Meretricum poscinummia, vel adventorum negotinummia*] 'Poscinummia,' negotio nullo: 'negotinummia,' nullo studio intelligimus: quæ enim Beroaldus, difflatu perfacilia. Florentinus Codex, *regatinummia*, corrupte quidem, non longe autem ab incorrupta lectione, *negantinummia*, quam servavit nobis Oxon. Ms. Poscunt meretrices nummos, adventores negant. d'Orleans ad Tacitum Ann. XI. et hic Scioppius, *advocatorum* reponunt: rectior vulgata lectio, ut ex I. lib. Beroaldus indicavit. 'Poscere' vox propria meretricibus. Gellius I. 8. de Laide: 'Neque admittebatur, nisi qui dabat quod poposcerat: poscebat autem nimiam quantitatem.' Apud Plautum Asinar. illa: 'Lingua poscit, corpus quærit.' Catullus: 'An illa puella defututa Tota millia me decem poposcit?' *Pric. Advectorium*] Legi potest *Adventorum*: ut supra in primo volumine. Adventores pristinos raucus appellat, horum basia scite graphiceque confecto vocabulo *negocinummia* nominantur: quoniam scilicet nummos negociantur, et illæ illecebræ atque osculationes negotiatorum nummos quærunt. *Beroald.*

Sed puta atque sincera] Sic, γνήσια καὶ ἀψευδῆ φιλήματα, Aristænetus: et, χείλεσι γνησίοις ἀσπάζεσθαι (at sensu alio) Basilius Seleuciensis. Nota et lupanarium basiis *sincera* opponi. Donatus ad I. 2. Eunuchi: 'Sincerum,

purum, &c. ut mel sine cera: et bene, ut mel blandimentum meretricis dulce fatetur, negat autem sincerum esse.' Non multum hinc abeunt Sidonii IX. 6. illa: 'Plurimum differt ille honestissimus et uxorius amor a figmentis illecebrisque concubinalibus.' *Pric.*

Blandissimos adfatus instruit] Asconius ad Verr. II. 'Fœminis, ac maxime meretricibus' (talis matrona ista) 'blanditiæ conveniunt.' Donatus ad v. 4. Hecyræ: 'Blandimentum, meretricium est.' *Idem.* *Blandissimos affatus*] Sic supra hoc ipso libro, 'sermones comissimi.' Spartianus in Didio Juliano: 'Affatus blandissime est.' *Idem.*

Sine te jam vivere nequeo] Illustremus loquendi formulam adhuc aliis intactam. Seneca Controvers. II. 2. 'Assiduæ certationes erant: ego magis amo, imo ego. Sine te vivere non possum: imo, ego sine te:' et in Themate VI. 4. 'Rogavit illa' (uxor) 'ut partem' (veneni) 'sibi daret: et dixit se nolle sine illo vivere.' Zeno Veronensis Serm. de Pudicitia: 'Tu (inquam) non es quæ nunc cælum ipsum ululatibus rumpens, post talem maritum puncto temporis vivere te non posse clamabat?' Apud Quintilianum VI. Declam. 'Quæ misera desiderio tui dies noctesque fletibus jungit: quæ vivere sine te non potest.' Terentius III. 2. Adelph. 'Qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem.' Apud eundem I. 4. Phorm. 'Si eo meæ fortunæ redeunt, &c. abs te ut distrahar, Nulla 'st mihi vita expetenda.' Plinius XXI. 3. ex Cleopatræ persona: 'Adeo mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest.' Apud Petronium ille: 'Quid? donas mihi eum sine quo vivere non potes?' Plautus Milite: 'Vivere sine illo scio me non posse.' Ovidius: 'Qua sine non posse est vivere, posse mori est.' Clitophon apud Achillem Tatium l. III. Οὐδὲ γὰρ ζῆν ἔτι δύναμαι, &c. Λευκίππης οὕτως ἀνῃρημένης. Apud Heliodorum lib. V. Οὐκ ἔστιν ὅπως βιώσωμαι, τούτων χωριζομένων. Longus ποιμεν. β. Δάφνις τὸν Πάνα ὤμοσεν μὴ ζήσεσθαι μόνος ἄνευ Χλόης μηδεμιᾶς χρόνον ἡμέρας· ἡ δὲ Χλόη Δάφνιδι τὰς Νύμφας, τὸν αὐτὸν ἕξειν θάνατον καὶ βίον. Augustinus Confess. IV. 5. de Pylade et Oreste: 'Qui vellent pro invicem, vel simul' (lege, *vel potius, simul*) 'mori: quia morte pejus erat eis non simul vivere.' Seneca (hunc morem respiciens) XCI. Epist. 'Hujus' (de Virtute loquitur) 'quadam superstitione teneantur: hanc amant, cum hac vivere velint, sine hac nolint.' *Idem.* *Et cætera queis mulieres, &c.*] Illa *cætera*, sunt quæ Amor. III. Ovidius vocat 'publica verba:' 'Et mihi blanditias dixit, Dominamque vocavit: Et quæ præterea publica verba juvant:' et II. 20. Aristænetus, τὰ συνήθη· Ὁ ἱκετεύων ἔφασκε ταῦτα δὴ τὰ μυριόλεκτα καὶ συνήθη, &c. τοῖς ἐρῶσιν. *Idem.*

Reclinat] Pricæus ait, hanc vocem hic commodam esse, exemplis τοῦ *inclinare* allatis, quibus et *adclinare* possis jungere, ex Ovid. X. Met. 268. At minus bene. *Reclinantur* illa, quæ in tergum supinantur; cui contrarium plane est τὸ *inclinari*. Lib. IV. in f. 'gremio leniter delapsam reclinat.' Vide plura apud Dausq. et Drakenb. ad Sil. Ital. l. v. 470. Locum igitur hic nequaquam habet. Optime vero in D'Orvill. Cod. exaratur *declinat*. Ipsa scilicet, quæ videtur toro se jam composuisse, ad se inclinat, et capistro detrahit pronum asinum, ut se iniret. Stando enim mulier rem peragi non vult; ut patet ex priori adparatu, et Luciano, ἐπὶ τὸ χαμεύνιον εἷλκε, ut et e verbis 'more, quo didiceram.' Sic 'declinare oculos somno,' vel *in somnum* Propertio, Virgilio (Vide ad l. IV. Æn. 184. &c. Ausonio, &c. *genas* Statio l. VIII. Th. 653. *aquam* pro *demittere* Mel. l. III. c. 5. 'Declinis in occasum Sol' Plin. l. VIII. 50. ut ex antiquissimis membranis est

legendum. Eamdem vim et differentiam supra vidimus in 'rejicere' et 'dejicere caput,' aliisque. *Oud.* *Capistroque me prehensum, &c. reclinat*] Apud Petronium ille: 'Implicitumque me brachiis pluma mollioribus, in terram deduxit.' *Reclinare* heic vox commoda supra lib. IX. 'Inclinatam dolio uxorem fabri, &c. dolabat:' ad quem locum p. 181. adnotata vide. *Pric.*

Vino pulcherrimo memet madefeceram] Viaticum itineri secuturo non incommodum. Vide supra p. 27. adnotata. *Idem.*

PAG. 226 *Ung. fragrantissimo*] Mirrhino. Sutrius, 'Mirrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occursem fortiuscula.' *Brant.* *Et unguento fragrantissimo, &c.*] Unguento, quale illud de quo Catullus: 'Quod tu cum olfacies, Deos rogabis Totum ut te faciant Fabulle nasum.' Notemus autem *vini* et *unguenti* conjunctionem. Seneca Thyeste: 'Nitet fluente madidus unguento comam, Gravisque vino.' Seneca alter CXXII. Epist. 'Licet in vino unguentoque tenebras suas exigant:' et Epist. 109. 'Inde in omnem vitam unguento abstinemus,' &c. inde vino caret stomachus,' &c. Scriptor Sapientiæ μιμητικῶς II. 7. 'Vino pretioso et unguentis impleamus nos.' Quintilianus Declam. CCXCVIII. 'Flagrantem mero vidi, redolentem unguenta.' *Pric.*

Proluvium libidinis] Ms. *ad proludium.* Colv. Sic vitiose editur in Ed. Colvii. Is scripserat *al. prol.* indicare volens, sic haberi in margine Codicis Lipsiani, uti est in Mss. Reg. Fux. *profluvium* D'Orv. Lips. Guelf. sec. Palat. *perfluv.* Oxon. Guelf. pr. Unice verum est *prolubium,* προθυμίαν, quod subodoratus videtur Beroaldus. Cæcilius, 'Quod prolubium, quæ voluptas, quæ te lactat largitas,' apud Nonium v. 'Lactare' pag. 16. Ed. Merc. Laberius Compit. 'Quo quidem me a matronali pudore prolubium meretricis progredi coëgit:' eidem v. 'Prolubium' p. 64. ubi in Mss. Vossiano ubique *v* etiam pro *b.* Male ergo idem secutus est pravos Terentii Codices Adelph. v. 9. 28. 'Quod proluvium? Quæ istæc subito est largitas?' p. 373. ubi Faërnus, Bentl. aliique e Mss. et Donato docuerunt leg. *prolubium.* Gell. lib. XVI. c. 19. 'Prolubium audiendi:' ut idcirco et hic rescripsi. *Oud.* *Proluvium libidinis suscitaram*] Onomasticon vetus: 'Proluvium, πρόεσις.' Vide hic Beroaldum. In Oxon. male, *perfluvium.* Pric. *Proluvium libidinis*] Cupiditatem, desiderium, promptitudinem coëundi: *proluvium* enim dici videtur quasi *prolubium* a 'lubendo.' *Beroald.*

Angebar plane non exili metu] In Apologia: 'Ea sollicitudo non mediocriter animum angebat.' *Pric.*

Tanquam] Scribo *tamque,* ut sint duæ particulæ. *Beroald.* *Quemadmodum tantis tamque magnis cruribus possem delicatam matronam inscendere*] Thomas Morus: 'Ergo puella, viri quis te neget esse capacem, Cum tua tam magnum circundent crura caballum?' *Inscendere* proprie dixit. Pollux v. 15. Τὸ μίγνυσθαι, ἐπὶ τῶν ἀλόγων, βαίνειν, ἐπιβαίνειν, &c. Suidas: Ἐπεβάτευον, συνουσίαζον, &c. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ζώων, ἃ ἐπιβαίνοντα συνουσιάζει. 'Matrona delicata,' ut apud Cyprianum in de Moralitate. Interpres vetus de Susanna: 'Erat delicata, ac pulchra specie.' Supra heic lib. IX. 'delicias matronarum' habuimus. *Pric.*

Tenera, et lacte ac melle c. membra] Pith. *cenam.* An *cerea?* sive mollia, et tactu cedentia; ut Horatio l. I. O. 13. 2. 'Cerea Telephi brachia.' Vide Cuningh. Anim. in Bentl. c. 14. Nil tamen temere mutatum velim. De lacteis membris, præter Bentlei. illic, et hic Pric. vide Heins. et Drak. ad Sil. l. XII. 245. 'violataque cervix Marmoreum in jugulum collo

labente recumbit.' Quo loco tamen nihil mutari velim. *Violata* significat spoliata insignibus. *Oud.* *Lacte ac melle confecta membra*] In fragmentis Petronii: 'Mellea purpureum depromunt ora ruborem, Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis:' adde supra p. 52. notata. *Pric.*

Duris ungulis complecti] Infra heic: 'Privatus humana manu, privatus digitis, ungula rotunda atque mutila gladium stringere nequaquam poteram.' *Idem.*

Labiasque modicas, &c.] Charisius tamen, 'Labra modica, labia immodica: et inde Labeones.' *Idem.*

Ambrosio rore purp.] Ms. idem, *ab roseo ore.* Forte, *ac roseo rore.* Sic Paulus Silentiarius: χείλει σῷ ῥοδέων ἁβροτέρῳ καλύκων. *Colv.* Forte *colore*, ut p. 191. Ed. Colv. 'gratia coloris ambrosei.' *Soping.* Guelf. pr. *ambroseo.* In Fux. quoque et Palat. est *abroseo.* Ac Pricæus p. 322. conjecit quoque rescribendum h. l. 233. 'coloris rosei.' At profecto nihil est mutandum. Per *ambrosium* Auctor intelligit, quidquid in suo genere pulcherrimum præstantissimumque et quasi divinum est, ex Virgilio I. Æn. 403. 'rosea cervice refulsit, Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem spiravere.' L. VIII. p. 159. 'Odor cinnameus ambrosii corporis.' L. XI. p. 241. 'Pedes ambrosios tegebant soleæ.' Ac *rore* firmatur Lactantii loco de Phœn. vs. 111. 'Ambrosii cœlesti nectare rores.' Sil. Ital. l. VII. 210. 'Ambrosiis Ariusia pocula sucis.' Plura vide ad l. v. p. 98. 'balnearum vapore, et roseis vel ambrosiis fontibus.' *Oud.*

Amplo ore] Vide supra p. 121. notata. *Pric.*

Saxeis dentibus] Infra lib. XI. 'Dentes saxei redeunt ad humanam minutiem.' *Idem.*

Quanquam ex unguiculis perpruriscens] 'Quanquam voluntate cupienti præditus:' ut eod. lib. XI. locutus. Virgilius: 'Neque tendere contra Ille quidem hoc cupiens, potis est.' Æn. IX. In Pseudolo Plautina: 'Hoc febrim tibi esse, quia non licet, &c. injicere ungulas.' *Idem.*

Tam vastum genitale] De asino signatissime. Lampridius de Commodo: 'Habuit et hominem pene prominente ultra modum animalium, quem ὄνον appellabat.' Et Græcis 'ὄνος virilitas,' si Phavorino fides. *Idem.*

Dirupta, &c.] Vide supra p. 147. dicta. *Idem.*

Munus mei domini] Spectaculum, quod dominus populo fuerat pollicitus. *Ber.*

Molles interdum voculas, &c.] Juvenalis: 'Cujus non excitat inguen Vox blanda et nequam?' *Pric.*

Commorsicantibus oculis] Si vera lectio ista, 'morsicantes oculos' vocat, quales 'udos ac tremulos, et libidine marcidos' supra lib. II. appellavit: etsi de vocis ratione mihi parum satisfacio. Putabam, nec ab re fortasse, *osculis* scribendum: mordentium osculorum mentio haud rara apud veteres Poëtas. *Idem.*

In summa] Onomasticon vetus: 'In summa, ὅλως.' *Idem.*

Teneo te, inquit] Petronius: 'Et teneo te, inquit, qualem speraveram; tu desiderium, tu voluptas mea. Numquam finies hunc ignem, nisi sanguine exstinxeris.' *Colv.* *Teneo te, inquit*] Nota vocis proprietatem. Lib. v. Psyche cum Cupidine volutans: 'Teneo te meum lumen.' Apud Petronium ille: 'Teneo te inquit, &c. tu desiderium meum.' In Epistolis Ovidianis: 'Lumina demitto, cum te tenet arctius ille.' Ibidem: 'Totis indignus noctibus ille Te tenet, amplexu perfruiturque tuo.' *Pric.*

Meum palumbulum] Lib. VIII. cinædi illi: 'Sed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias.' Servius ad Æn. I. 'Blandimentum gaudet diminutione.' In vetere Ono-

mastico: 'Palumbula, φαττίον.' *Idem.*

Vanas fuisse cogitationes meas, ineptumque monstrat metum] Ovidius: 'Crede mihi, vanos res habet ista metus.' *Idem.*

Complexa me prorsus, sed totum recipit] Catullus: 'O Memmi, bene me ac diu supinum Tota ista trabe lentus irrumasti.' In fragmentis Petronii: 'Totamque hanc sine fraude, quantacunque est, Tormento citharave tensiorem, Ad costam tibi septimam recondam.' Translatio est a lethaliter vulneratis, h. e. totum inimici ferrum recipientibus. Virgilius x. 'Exigit ensem Per medium Æneas juvenem, totumque recondit:' et xii. 'Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit:' quo alludens Claudianus: 'Altius haud unquam toto descendimus ense In jugulum Scythiæ.' Pacatus Panægyrico: 'Ferro incumbere, et corpore vulnus onerare: et recipere statim totum, quam supplicium dividere.' Oxon. heic, et alii Mss. *Complexa totum me prorsus, sed totum recipit:* unde quidam, *complexatum me prorsus, &c.* Idem.

Nisu rabido] Edd. Ber. Junt. pr. Ald. Colin. *nixu.* Mss. Fux. Pal. D'Orv. Oxon. Guelf. etiam, *rapido.* Sed male. *Rabies* eleganter de nimio Venereo adpetitu sumitur. Horat. Ep. xii. 'Indomitam properat rabiem sedare.' Ter. Eun. ii. 3. 9. 'prænt hujus rabies quæ dabit:' ubi vide præter alios Donatum, item Plin. l. viii. c. 32. x. 63. in f. Solin. c. 19. 'rabie libidinis efferati:' ubi deleatur vox ultima, auctoribus Mss. 5. melioribus. Plin. l. viii. c. 18. 'Rabiem' (sc. coëundi) 'et ipsæ sentiunt:' ut leg. cum Salm. Arnob. l. iii. p. 105. 'Cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones.' Nemes. Ecl. ii. 28. 'Interea tamquam nostri solamen amoris Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores:' ubi eadem, ut sæpe, varietas. Adde Broukhus. ad Propert. l. iii. 17. 10. 'Et rabidæ stimulos frangere nequitiæ.' Eodem sensu Græce λύσσα Theocr. Eid. iii. 47. Ælian. Anim. i. 12. *Oud.*

Appliciore nexu] Putavit rescribendum Beroaldus, *applicatiore nexu.* Sed bene vulgatum et scriptum, *appliciore n.* tamquam diceretur *Applex, applicis:* ut 'Complex, complicis.' Et Complices, ut nos dicimus, Complicem: Quæ posterioris ævi scriptoribus dumtaxat usitata vocabula. Sidonius Apollin. Epistol. lib. viii. ad Lupum: 'Sed protinus facto, qui fuerat ipsius factionis fomes, incentor, antesignanus, ceterisque complicibus oppressis.' *Colv.* Pricæus quoque *applicatiore*, tamquam Beroaldi conjecturam, amplectitur. Verum non est Beroaldi, sed Ed. Basil. pr. Beroaldus simpliciter explicuit 'magis ad corpus adplicito et agglutinato.' Nec tamen placet mihi istud fictum Adjectivum *adplex*, licet ejusdem formæ possit esse, ac 'simplex,' 'supplex,' &c. In Oxon. est *ampliciore*, in D'Orv. *appliore.* Scilicet duas ille librarius omisit syllabas; cum alii unam tantum ob soni vicinitatem. Dedisse enim Auctorem puto, *adplicitiore.* Simili errore sæpe occurrit 'coërcio' pro 'coërcitio,' 'tristia' pro 'tristitia,' et alia. Vide Drakenb. ad Liv. lib. xxvi. c. 36. in f. Pro *inhærebat* vitiose D'Orv. *inherbat.* Oud. *Appliciore nexu*] Vide Colvium: conjicio ego tamen, ut et Beroaldus, *applicatiore* scribendum. *Pric.*

Ut hercules etiam deesse mihi aliquid ad supplendam ejus libidinem crederem] Scholiastes ad Sat. vi. Juvenalis: 'Una uncia libidinis est in masculis, et undecim in fœminis.'

Operosa et pervigili nocte transacta] Venus de milite Pœno apud Silium Italicum: 'Aut nostro vigiles ducat sub Numine noctes.' Longus ποιμεν. δ. Περιέβαλον ἀλλήλους, καὶ κατεφίλουν, ἀγρυπνήσαντες τῆς νυκτὸς, ὅσον οὐδὲ

γλαῦκες. Vide quæ supra p. 32. notata. *Operosa*, ut supra IX. 'Colluctationibus Venereis operari.' *Idem.*

Vitata lucis conscientia facessit mulier] Joh. 3. 20. Πᾶς ὁ φαῦλα πράττων, μισεῖ τὸ φῶς. Supra v. de Cupidine: 'Torum inscenderat, et uxorem sibi Psychen fecerat, et ante lucis exortum propere discesserat:' ubi dicta p. 90. vide. *Idem.*

Condicto pari noctis futuræ pretio] In vett. Poëtarum reliquiis, quæ Catalecta vocant: 'Dum noctis pretium tuæ requiro.' Macrobius II. 2. in eodem, ut videtur, argumento: 'Ubi dimidium talentum unius pretium noctis audivit,' &c. Sic, 'pretia noctium,' apud Nostrum in Apologia. Bene et *condicto.* Minucius in Octavio: 'Condicuntur stupra, tractantur lenocinia.' *Idem.*

PAG. 227 *Inveniri poterat, grandi præmio vilis acquiritur aliqua*] Vulgo male interpungitur hic locus sic: *poterat; grandi præmio vilis acq. aliqua.* Non enim dici potest mulier bestiis addicta *grandi præmio* quæri. Hoc nimis avaritiam præsidis tangeret. Quippe alterius usui id præmium esse nequit; certe non mulieri, a bestiis dilaniandæ. Jungenda omnino sunt *inveniri potuerat grandi præmio.* Post longam et vanam anquisitionem alicujus mulieris, quæ se grandi præmio ad asininum concubitum corrumpi permitteret, non jam quæritur vel investigatur, sed facile ac quiritaret comparatur *vilis aliqua*, bestiis addicta per sententiam præsidis, qui scilicet rogatus, gratamque rem magistratui munus edituro facere volens, eam concessit. *Oud. Vilis quæritur aliqua*] Id est, *quædam.* Ammianus (imitatus fortasse Nostrum) lib. XIV. 'Aliqua mulier vilis,' &c. Tertullianus Apologetico: 'Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit.' *Pric.*

Bestiis addicta] Glossæ: 'Addicere, &c. προσκρίνειν.' *Idem.*

Incoram publicam populi caveam frequentaret] Emendo, *quæ mecum incoram populi pub. cav. fr.* Incoram populi, archaismo Lucio nostro notissimo, ut pag. 221. 272. 311. 336. *Roald.* Pro *coiret* haud alibi. Pricæus, *frequentem redderet, et spectatoribus plenam.* Haud puto recte. Aliud enim est *frequentare*, aliud *freq. mecum incoram*, nempe modo supra dicto. Hoc sensu *consuesco* apud Comicos. Confer p. 231. f. 'Talis mulieris publicitus matrimonium confarreaturus.' *Wasse.* Accusativus tamen satis docet, *frequentaret* non esse sollicitandum. Quare puto excidisse vocem, et legendum locum: *quæ mecum coitura incoram, publicam p. caveam frequentaret.* Vide Lucianum t. II. p. 620. At tunc *frequentare caveam* pro eam frequentem et copiosam reddere, præ studio visendi, optime se habet. Hirt. B. Afric. c. 20. 'frequentabat suas copias:' ubi vide Davis. Quamquam et simpliciter exponi posset, 'veniret in caveam, publicorum ludorum celebritate:' ut lib. VII. p. 120. 'Quia me necesse est, indidem delibutam, theatrum Deorum frequentare.' Quomodo passim dicitur 'frequentare exsequias,' 'templum,' 'ludum,' 'sacra.' *Coram* et *incoram* sæpe Nostro absolute ponitur. Vide Pric. et notas ad lib. III. p. 56. *Oud. Quæ mecum incoram publicam populi caveam frequentaret*] Servius ad Æn. v. 'Cavea consessus est populi.' Roaldus: *Q. m. incoram populi publicam c. frequentaret. Incoram*, haud semel in his libris confiteor genitivo jungi: sed nec hoc tantum loco absolute ponitur, nam et infra heic dixit, 'coram detento calice:' i. e. in præsentium conspectu: itaque sana vulgata lectio. *Frequentaret*, frequentem redderet. i. e. plenam spectatoribus: ita, 'sobolis, &c. gignendæ copia civitatem frequentare' XVI. 10. A. Gellius. et II. 15. 'prolem populi frequentare.' Idem I. 6. 'Salvam ci-

vitatem sine matrimoniorum frequentia' (i. e. frequentatione) 'esse non posse.' *Pric.*

Sarcina prægnationis oneratam] Vide supra p. 7. dicta. *Idem.*

Quod e. editum] Mandavit hoc ipsum Sostratæ uxori suæ Chremes Terentianus Heautontimor. Lygdus Ovidianus Metamorphosi. Vide super hac re dissertatiunculam Justi Lipsii Cent. I. Epist. 65. *Brant.* Græcissat Auctor exprimens τὸ τεχθέν. Male quidam mutare conati sunt. Adi ad Terent. Andr. I. 3. 14. 'Quidquid peperisset, decreverunt tollere:' et Celeb. Albert. ad Hesych. v. Ἀναιρεῖν. Observa simul exemplum permissæ necis infantis tempore M. Antonini. Vide de ea re Bynkershoekium et Noodtium. *Oud.* *Per absentiam mariti*] Editt. vett. *præ abstinentia m.* Oxon. *in absentia m.* Pric. *Præ abstinentia*] Purior lectio est, et sincerior, *per abstinentiam.* Beroald.

Pietate præventa] Sic IX. 'Vulneribus præventus,' ad quem locum p. 206. adnotata vide. *Idem.*

Ab obsequio mariti] Ab obsequio marito debito: ut infra statim, 'Obsequium matris, et sororis officium.' Sæpius hæc forma loquendi in his libris occurrit. *Idem.*

Natam puellam] Τὸ *puellam* recte delent Florent. *Elmenh.* Prave Elmenhorstius hic loci *puellam* abesse ait a Florent. eamque vocem delevit, et ab eo deceptus Scriverius. Ista vox hic est necessaria. Ne vero hic ad ingratum anacoluthon confugere necesse sit, vel cum Pricæo scribendum est, *nata puella,* vel *nacta puellam,* multo minore mutatione, locusque sic interpungendus: *At illa, per absentiam mariti nacta puellam, insita matribus pietate præventa, &c.* 'Per absentiam mariti' est dum absens erat maritus. Sæpe enim præpositio *per* designat speciem temporis. Hinc 'per lacrimas,' 'per oscula,' i. e. dum fleo, osculor. Vide Ovid. Ep. VI. 71. XII. 58. III. F. 509. et alia. Adi Burm. ad Val. Flacc. lib. I. vs. 767. 'Talia per lacrimas:' et ad Sueton. Tib. c. 5. 52. me ad Cæs. B. G. lib. VI. c. 36. *Nacta* facile abire potuit in *nata;* unde *natam* dein fecerunt, corrigere se locum credentes. Sic paullo supra, et sæpe, 'conditus' pro 'condictus,' 'additus' pro 'addictus,' &c. Adde Drak. ad Liv. Ep. XV. *Nacta* dixit pro *enixa,* nisi ita legere præoptes; quia fortuito ei obvenit filia, non filius. Neque is, qui Appuleiano stylo adsuetus est, offendetur oratione ἀσυνδέτῳ *nacta, præventa.* Sic enim sexcenties amat sine copula participia jungere Auctor. Vide omnino ad lib. III. p. 45. 'spirantes, palpitantes.' *Oud.*

Prodidit] Domo quidem et foras emisit, non vero exponendam, vel feris projiciendam, sed vicinis educandam, quibus eam permisit. *Idem.* *Prodidit*] Ἐξέδοτο. *Pric.*

Natam necatamque puellam nunciabat] Non videtur procedere constructio, nisi *nata p.* scribamus. τὸ *puellam* (quod inutili Colvii diligentiæ debemus) recte delent editt. vett. cum Florent. et Oxon. Mss. *Idem.*

Ubi flos ætatis nuptialem virgini diem flagitabat] Hesychius: Ἔφηβοι, οἱ ἡβῶντες· ἐλέγετο δὲ καὶ ἐπὶ παρθένων. Vide supra p. 153. allata. *Flagitare* heic, est quod I. Cor. 7. 36. argumento simili, ὀφείλειν γίνεσθαι. *Idem.*

Tacitum secretum] Tacendum, Servio ad Æneid. IV. annotante. Vide supra p. 53. dicta. *Idem.*

Caloris juvenilis impetu] Ita passim Martianus Capella, cui reddendum e Mss. Leidensibus multis l. I. p. 31. 'lacertosis in juvenalis roboris excellentiam toris.' p. 13. 'decorem juvenalium gratiarum:' et pluries. Crebro sic in Apollinari Sidonio, ut l. IV. Ep. 13. IX. Ep. 6. Atque ita Ms. Leid. l. I. Ep. 2. 'Juvenali rubore suffunditur.' Immo passim *a* præbent vetustissimi Codices in op-

timis auctoribus. Confer Ind. Elmenh. Comm. ad Virg. Æn. II. 518. V. 475. Ovid. Met. X. 675. Drak. ad Sil. l. II. 312. ad Liv. XXXVII. 20. 5. Hard. ad Plin. l. XXXII. 2. ubi etiam sic Leidd. membranæ, et Thuaneæ in Martiali l. XIV. Ep. 187. 'carmen juvenale Properti.' Sic dies Saturnalium *juvenalis* Suetonio in Calig. c. 17. Inde et Poëtæ nomen. *Oud. Caloris juvenilis impetu*] Vide pag. 124. notata. *Pric.*

Sororem incurreret] Vide p. 79. dicta. *Idem.*

Matris obsequium et sororis officium r. disp.] Satis intelligitur obsequium quod matri deberi, et officium, quod sorori præstandum judicabat. Malim tamen, si per Msstos liceret, *matri* et *sorori*. Oud. *Sororis officium*] In altero Florent. *sanguinis sui munus*. Elmenh. E seqq. *Oud. Spectatæ pietatis juvenis, et matris obsequium, et sororis officium religiose dispensat*] Glossator vetus in vita Persii Poëtæ: 'Verecundiæ virginalis, &c. pietatis erga matrem et sororem exemplo sufficientis.' *Pric.*

Et arcana domus venerabilis silentii custodiæ tradidit] Editt. vett. *Et arcanis domus venerabilis silentii custodiam tradidit*: hypallagetice, et ob id Appuleiane magis. *Idem.*

Plebeiam, &c. humanitatem] Petronius 'tralaticiam humanitatem' dixit. *Idem.*

Sanguinis sui] Sororis. Vide supra p. 79. notata. *Idem.*

Desolatam v. puellam, parentumque præsidio viduatam] Lib. IV. captitia puella: 'An ego misera, tali domo, &c. tam sanctis parentibus desolata,' &c. 'Desolatam, μεμονωμένην.' ut I. Tim. 5. 5. ubi et Vetus *desolata*: sic, 'desolatam mulierem' in Apologia. Terent. Andr. 'Hæc sola'st mulier :' ubi Donatus: 'Sine auxilio: sine defensoribus.' *Idem. Parentumque præsidio viduatam*] Ita, 'parentum præsidio destitutam,' X. 2. Cassianus dixit. 'Præsidio viduata' heic, ut apud Plautum, 'præsidii viduitas.' *Idem.*

Multumque sibi dilecto contubernali] Supra hoc lib. 'Uxoris nimium dilectæ mentitis lamentationibus.' *Idem.*

Largitus de proprio dotem] Vide olim p. 72. ad Apologiam notata. *Idem.*

Sed hæc bene, &c. disposita feralem Fortunæ nutum latere non poterant] Supra lib. IV. 'Enimvero Alcimus solertibus cœptis tamen scævum Fortunæ nutum non potuit abducere.' Paterculus lib. II. 'Rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna.' Symmachus VII. 37. 'Plerumque fors disposita conturbat.' Plautus Pseud. 'Centum doctum hominum consilia sola hæc evincit Dea.' Suidas in ἐσθλά· Ἔστιν ὅτε καὶ ταυτόματον ἀντέπραξε ταῖς τῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐπιβουλαῖς. Curtius lib. III. 'Destinata salubriter, omni ratione potentior, Fortuna discussit.' Herodianus lib. VI. Ἀλέξανδρος μὲν, ὡς ᾤετο, ἄριστα βεβούλευτο· ἔσφηλε δὲ αὐτοῦ τὴν γνώμην ἡ Τύχη. Sallustius de Republ. ordin. 'De futuro nemo satis callidus, satisque prudens: quinetiam sæpe prava magis quam bona consilia prospere eveniunt: quia plerasque res Fortuna ex lubidine sua agitat.' Menander apud Stobæum: Ἀσυλλόγιστον ἡ Τύχη ποιεῖ Τὸ συμφέρον, τί ποτ' ἐστὶν, ἀνθρώπου βίῳ. quibus adde quæ in eandem sententiam sub initium lib. IX. notata. *Idem.*

PAG. 228 *Domum j. protinus se direxit*] Pricæo videbatur excidisse vocula *ad*, quia alibi dixit Auctor 'dirigere se ad arces,' 'ad me,' et l. VII. p. 141. 'Dirigit gressum ad suam patriam, quam simul accessimus.' Neque tamen id necessarium puto, cum Appuleius centies in his præpositionem omittat. Majore etiam verisimilitudine tunc addes *in*: quomodo alibi id verbum construitur. Vide ad l. II. p. 32. *Oud. Domum juvenis p. se direxit scæva rivalitas*] Videtur vocula excidisse, et legendum, *Ad domum, &c. direxit*. Lib. VI. 'Se proti-

nus ad regias Jovis arces dirigit:' et supra heic: 'Jam totos ad me dirigunt animos.' In vetere Onomastico: 'Rivalitas, ἀντιζηλία.' *Pric.*

Cœpit puellam, velut æmulam tori, &c.] Fulgentius Mytholog. III. 'Quamvis apud muliebres animos libido regnum obtineat, tamen etiam in invicta libidine zelus dominatum obtinet.' Vide supra p. 168. adnotata. *Idem.*

Detestari] Καταρᾶσθαι. 'Devotiones in eum diras deprecari:' ut supra IX. locutus. Sic Matth. 26. 74. καταναθεματίζειν, doctissimus optimusque Interpres vetus *detestari* vertit. Horatius: 'Diris agam vos, dira detestatio Nulla expiatur victima.' *Idem.*

Rus profecta] Bene Beroaldus. Ms. *reus profecto.* Colv. Verior lectio, *rus eo profecto,* clarum ex sequentibus. *Brant.* *Reus* in Palat. Guelf. sec. *profecto* iidem et Fux. cum Edd. ante Bas. pr. quæ ex Beroaldi emendatione exhibuit *profecta.* Certe videntur maritus et uxor, una cum contubernali, cui soror illa in matrimonium destinata erat, una ivisse rus: unde illa clam nomine mariti solo servum misit arcessitum puellam solam. Verum quam in itinere, priusquam ad villam pervenerit, ex insidiis occidit. Ejusque acerbæ mortis, quam nesciebant ab pessima illa muliere perpetratam, nunciis exciti occurrunt frater et *maritus*, sc. futurus ac desponsatus; de quo vide ad l. VIII. p. 160. *Oud.* *Rus profecto*] Legendum videtur *profecta:* ut ad uxorem referatur, quæ profecta in agrum, illud tanquam in locum solitarium et sceleri accommodatiorem evocaverit sororem mariti, misso per servulum annulo conjugali, cui tanquam certissimo testi illa crederet. *Beroald.*

Quendam servulum sibi quidem fidelem, sed de ipsa fide pessime merentem] De servo suo ille in Plautina Trinummo: 'Scelestus est, At mihi infidelis non est.' *Pric.*

Sola, et sine ullo comite] Lib. VIII. 'Veste contectus, omnique comite viduatus.' *Idem.*

Quam maturissime] Vet. *quam maturime.* *Maturrime* alibi lectum. *Colv.* Utrumque enim bene dicitur. Vide Priscian. l. III. p. 626. Sed *maturissime* semper Plinio Juniori. Ac variatur in Cod. Sangerm. apud Columell. l. XI. c. 3. 'Horum ruborum semina quam maturissima legi oportet. Sic, non eligi.' At l. XII. c. 10. 'pruna nec maturrima legenda sunt.' Verum c. 17. 'ficus viridis quam maturissima legenda est.' Variarunt etiam Cato, et alii. Confer Charis. l. I. Inst. Gramm. p. 89. l. II. p. 184. G. J. Vossium de Anal. l. II. c. 25. Dein *præveniret* D'Orv. *Oud.*

Fraudis ex. lapsa decipula] Sic Ms. sic Bas. 1. editio. Alii, *decipulo.* Decipulum et decipula; ut Acetabulum, acetabula: Mandibulum, mandibula. Quorum alterum feliciter restituit Varroni lib. III. de Re Rust. maximus Criticorum. *Colv.* Flor. *l. decipulo.* Pal. *lapsu decipulo.* Elmenh. Non in Palat. sed Bertin. et Ed. Scriv. est, *lapsu decipulo,* quasi Adjectivum esset *decipulus.* At ne sic quidem capio tunc sensum. Neque etiam constat Latinitas legendo *decipula,* ut male Colvium sequentes ediderunt. Tunc enim deberet scribi *decipulæ,* sive *illapsa decipulæ;* ut tentavit frustra Barthius l. XIX. Advers. c. 16. quamquam et ille explicare tentat *lapsa decipula,* ut comparatio sit ab instrumento fallaci, quod parte quadam sui collabens includit et detinet bestiam inrepentem. Verum recte Pricæus vindicavit *lapsa decipulo;* quod habent ceteri Mss. O. et Edd. Vett. Est dativus casus pro 'lapsa in decipulum.' Vide ad Lucan. lib. II. 685. Quam constructionem inprimis amat Belli Hisp. Scriptor. Adi Comm. ad cap. 13. 16. 24. 38. 'jugo dirigunt.' Neutrum genus in hac voce adhibuit ipse Auctor lib. VIII. pag. 155. 'Nactus fraudium decipulum:' et in plurali

Florid. lib. IV. N. 18. 'Decipula adversantium.' Martian. Capell. l. IV. in f. 'Decipula si adstruxeris.' Hæc enim in constructione ibi jungi oportet. *Oud.* *Fraudis extremæ lapsa decipula*] Lege cum vett. editt. Oxon. et aliis Mss. *decipulo.* i. e. σκανδαλήθρῳ. Supra lib. VIII. 'Nactus fraudium opportunum decipulum.' Pro *lapsa*, Barthius Advers. LIX. 16. *illapsa.* *Pric.*

Libidinosæ Furiæ stimulis] Ed. Bas. pr. *lib. tam Furiæ.* Fuit vir doctus, qui exemplari suo adscripsit *lividinosæ;* sed frustra. Præ libidine erat zelotypa, et pellicatus suspicax. Adhæc Latina, quod sciam, vox non est. Nam quod in Glossis edatur 'Lividinosus, ἀσελγὴς,' patet ex interpretatione, ibi *v* pro *b* scriptum, ut sine dubio ille glossator in quodam Codice invenit; ut ibidem mox, 'livo, σπένδω,' pro *libo.* Oud. *Flagris uberrime verberat*] Claud. 'Nec celeri mittit letho, crudelibus ante Suppliciis fruitur.' In vett. editt. *ultime verberat:* ut apud Zosimum, ἐσχάτως μαστιγῶσαι. et supra hic lib. I. 'ultime affici:' quem modum loquendi Græcum non advertens Colvius, majore confidentia quam judicio τὸ *uberrime* oggessit. Supra lib. VIII. 'Flagro' (me) 'illo, &c. verberantes, pene ad extremam confecerant mortem:' ad quem locum p. 174. annotata vide. *Pric.*

Pellicatus indignatione, &c.] Vide p. 168. dicta. *Idem.*

Titione candenti inter m. femina detruso] Itidem locutus libro septimo de Asino: 'procurrit ad focum, ardentemque titionem gerens mediis inguinibus obtrudit:' alias absolute, et nomine adjectitio nullo superaddito usurparunt nomen *titio;* idque interpretati Grammatici fustem ardentem. Nonius in *Titionem.* Quin et ipsemet Apuleius ad eam formam utitur dicto libro septimo: 'fœtore,' inquit, 'tandem fugata est a me pernicies; cæterum titione delirantis Altheæ Meleager asinus interiisset.' Varronis fragmentum ex Nonio adducam, quod apud eum in 'Titionem,' et iterum in 'Felix' laudatur ex libro secundo de vita populi Romani: 'Contra novo marito cum item e foco in titione ex fœlici arbore et inæquali aqua allata esset.' Utrobique apud Nonium eruditissimus Hadrianus Junius et alterum Bataviæ nostræ decus reposuit, *et in aquali aqua;* addiderim, legendum paulo ante, *e foco titio;* vel si vestigiis insistendum scripturæ vulgatæ: *cum e foco titionem ex fœlici arbore, et in aquali aquam attulissent.* Nam cur novum maritum omen captare voluerint ex arbore fœlici, causam habuere præ oculis liberorum genituram. Auctor enim Cato apud Festum, Fœlices dictas, arbores, quæ fructum ferrent: quæ non ferrent, infœlices: qua de re Macrobius lib. III. et Plinius lib. XVI. c. 27. Etiam faces in nuptiis quinque accensæ, quod unico partu geminos quinque gignere mulier posset, ut auctor Plutarch. in problematis. *Stewech.* In Nonii locis Mss. et Edd. Vett. habent, *e foco initione*, vel *initionem.* Forte, *e foco intus titionem.* Vide ad Liv. lib. XXIV. cap. 10. XXVII. c. 1. Cæs. lib. I. B. Civ. in f. Fabr. Inscript. p. 375. Reg. et Pal. etiam *femora* male. Adi ad lib. VIII. p. 170. 'Si faciem ejus feminibus inmiseris:' et Barth. Advers. lib. LIX. c. 16. *Oud.* *Titione candenti inter media femina detruso, &c.*] Suetonius Domitiano: 'Plerosque partis adversæ, investigato novo quæstionis genere, distorsit: immisso per obscæna igne.' Vide supra pag. 152. dicta. *Pric.*

Acerbæ mortis exciti nunciis frater ac maritus accurrunt] Lib. VIII. 'Ad hunc modum defuncto juvene' (*finito* pag. 156. legendum monui) 'exciti, &c. concurrimus.' *Idem.*

Variisque lamentationibus defletam puellam tradunt sepulturæ] 'Sine fletu sepultura non est,' inquit Servius ad

Virgilium. Supra lib. I. 'Defletum misellum comitem, &c. in amnis vicinia sempiterna contexi.' Æneid. XI. 'Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli Fata vocant:' ubi Servius: 'Ad alias lacrymas, ad aliam sepulturam: id est, ad cæteros sepeliendos.' *Idem.*

Sororis suæ mortem tam miseram] Sororis 'Indignæ quam mors tam sæva maneret.' *Idem.*

Et, minime ut par erat, illatam] Hesychius: Παρὰ τὸ εἰκός· παρὰ τὸ δέον. Magna est sub hac forma μειώσεως, aggravatio: sic Tit. I. 11. ἃ μὴ δεῖ. et Rom. I. 28. Τὰ μὴ καθήκοντα. Licet, nec male, exponere, a qua minime par erat, illatam. Tale Terentianum illud: 'Etsi ego hac dignus contumelia, Indignus pol tu qui faceres tamen.' Aristides Leuctrica: Ὅλως μὲν οὐκ ἔστι φέρειν ἀδικουμένους, τὸ δὲ ὑφ' ὧν ἥκιστα ἐχρῆν, ἀπαραίτητον τὴν ὀργὴν παρίστησι. *Idem.*

Medullitus dolore commotus] Vide supra p. 133. notata. *Idem.*

PAG. 229 *Acerrimæque bilis noxio furore perfusus, exin flagrantissimis febribus ardebat*] Maximus Tyrius Dissert. 18. Ἀποπέμπουσι τῷ σώματι ὀδύνας θυμοὶ καὶ ὀργαί. Sophocles: Τίκτουσι γάρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι. Philemon: Διὰ λύπην καὶ μανία γὰρ γίνεται Πολλοῖσι, καὶ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα. Ex quo fortasse Seneca II. 36. de Ira: 'In morbos' (irascendo) 'ægri recidere: nulla celerior ad insaniam via est.' *Idem.*

Quæ, &c. nomen uxoris cum fide perdiderat] Supra lib. IX. 'Jamque perdita nuptæ dignitate, prostitutæ sibi nomen adsciverat.' *Idem.* *Quæ nomen uxoris cum fide perdiderat*] Lib. V. 'Quas tibi, post calcata sanguinis fœdera, et internecina odia, sorores appellare non licet.' Luc. 15. 19. ille: Οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου. quia nempe cum bonis moribus perdidisse se nomen filii existimavit. *Idem.*

Medicum, &c. notæ perfidiæ] Sic Declam. 13. Quintiliani: 'Dives notæ impotentiæ.' Martialis VI. 72. 'Fur notæ rapacitatis.' Vide olim ad initium Apologiæ dicta. Contrarius supra hoc libro, 'compertæ' (i. e. *notæ*) 'fidei medicus.' Confer quæ supra p. 13. notata. *Idem.*

Qui jam multarum palmarum spectatus præliis, magna dextræ suæ trophæa numerabat] I. e. qui multa Orco funera dederat. Æneid. XI. 'Multa virum meritis sustentat fama trophæis:' ubi Servius: 'Vel, quia multos occiderat, &c. vel,' &c. Philostratus IV. 15. de Apollonio: Παρεσκεύαστο δὲ κατήγορος ἐπ' αὐτὸν, πολλοὺς ἤδη ἀνῃρηκὼς, καὶ τοιούτων Ὀλυμπιάδων μεστός. Eunapius de medico imperito, quod fere hic de perfido: Πολλοὺς ἀνῃρηκὼς, οὐκ ὅσως ἐπηγγέλλετο θεραπεύειν, ἀλλὰ καὶ ὅσως εἶδε μόνον. *Idem.* *Multarum palmarum, &c.*] Martialis: 'Dum numerat palmas, credidit esse senem.' *Idem.*

Quo conspectu] Fux. *quo confecto.* Sed vulgata rectior, cujus rationes et testimonia alias fusius. *Roald.* Emerat a medico uxor nequissima venenum momentarium, interimendo marito, sestertiis quinquaginta: quo tamen ægrotum facilius inducerent, aliud de industria potioni nomen inditum. Iccirco emendo superiora: *Quo compecto.* Dicimus enim Latine 'compacto,' 'ex compacto,' seu more antiquo 'compecto' aliquid agere; Gallis est *par complot, par composition:* qua phrasi Livium, Terentium, Plinium, optimum quemque usum, non est ostendere. Suetonius in Augusto cap. 15. 'Compecto' (inquit) 'cum ad arma isse.' Ita enim istic lego, reclamante Turnebo, ac dissentiente Torrentio, in cujus libris Mss. erat modo *ex proposito,* modo *e conspectu,* modo *e consulto:* unde prædictam emendationem facile odorari licet. Ab eodem fonte quoque nomen *Depectionis;* quod pro pacto poni mo-

muit. Clarissimus Jacobus Cujacius libro secundo Observat. cap. 15. *Stewech.* *Quo confecto.* Emendatum ita nobis e libro scripto. Vulg. *quo conspectu.* Colv. *Conspectu* habent Pith. Bert. et Edd. Vett. In ceteris Mss. et Edd. post Colvium est *confecta.* Quare verissimam censeo Stewechianam emendationem, *compecto*, sive qua pactione facta. Vide ad Suetonii locum. Sic *depecta* p. 224. Creberrime autem litteræ *f* et *p* confunduntur, ut in 'facto' et 'pacto.' *Oud.*

Quam sacram nominant] Apud priscos potio hellebori principalis habebatur, et sacra, quæ trahit alvum, et bilem pituitasque: clarum est Erophili præconium, qui helleborum fortissimi ducis fortitudini æquabat: concitatis enim intus omnibus, ipsum in primis exire. Aptissime datur in pulte, aut lacte: reddi post quatuor fere horas incipit: totum opus septenis peragitur horis: medetur melancholicis, insanientibus, lymphaticis: item si exulcerata sint præcordia, vel tumeant: aliisque prope innumeris morbis. Duo hellebori genera: nigrum, quod purgat per inferna: candidum, quod vomitione causas morborum extrahit. Latini *veratrum* vocant. *Sacram potionem* vocant medici, sacratam et divinam, ab effectu, quæ cæteris præstantior est, et excellentior. Plinius tradit aureum poculum a Medicis vocari potionem quandam ex frutice, et remediorum excellentiam. Hoc tempore potio ex rheupontico sive barbaro concinnata dici potest *sacra*, qua nullam præstantiorem Medici novere: cujus meminit Ammianus Marcellinus. Græci φαρμακὸν θεῖον, pharmacon divinum, vocant: item alexipharmacon, καθαρτικὸν καὶ θεραπευτικόν: id est, purgatorium et medica vi præpollens. Suidas ait Alexipharmaca esse ἀλεξιτήρια, id est, medicamenta auxiliatoria. Est medicamentum nobile nomine Panchrestos, cujus M. Tull. et Plinius meminerunt: si vocabulum interpretis, dici potest omnibus conducibile et bonum. Est inter medicamenta illud quoque celebre, quod Oporicen vocant: quoniam ex pomis fit, quæ a Græcis ὀπῶραι appellantur. *Beroald.*

Sed in ejus vice subditur alia proserpinæ sacra saluti] Reddenda Auctori ipsa sua germana locutio, *sed ejus vicem subditur alia.* Nam infra lib. proxime sequenti ait, 'ad humerum lævum recurrens, umbonis vicem dejecta.' Proinde idem Apuleius locutus libro octavo: 'Pastores, qui nos agebant, speciem prælii manus obarmaverant;' neque enim adsentio iis, qui ad oram libri ediderunt, tamquam emendaturi, *in speciem.* Pomponius Macio milite: 'Nam cibaria vicem duorum solum me comesse condecet.' Libro Sexto Apuleii idem mendæ adhæsisse video: eoque voculam includam adscitam, et male insitam hactenus: 'si qua nunc terris puella præpollet pulchritudine, præsentis beneficii vicem [per] eam mihi repensare te debere.' Similiter emaculandum existimo lib. octavo extremo: 'Fœmur ejus appone domino cervini vice. Nequissimo verberoni sua placuit salus:' scribo *vicem.* Rursum libro septimo phrasin istam corruptam animadverti his verbis: 'Donec fomenti vice me plagæ suscitarent:' repono, *fomenti vicem me plagæ susc.* Pariter et libro undecimo: 'instar Solis exornato, et in vicem simulachri constituto:' scribo *et vicem.* Iterum primo Floridorum: 'superne sese ruat fulminis vice:' legendum, *fulminis vicem.* Itidem et libro Apuleii de Deo Socratis restituo: 'Aulas æmulas urbium conditas, domos vicem templorum exornatas.' Redeo ad superiora illa: *sed ejus vicem subditur alia Proserpinæ sacra saluti.* Sacræ potionis locum subiisse ait illam, in qua præsentaneum

exitium, veneficiumque. Nescio legine possit, *Proserpinæ sacra aliti;* atque interpretari de Ascalapho Acherontis et Orphnes, Avernalis Nymphæ, filio, quem Proserpina mutavit in bubonem, noctis avem, et tristium rerum nunciam. De quo consulendus Ovidius v. Metamorph. *Stewech. Sed, &c. saluti.* Hæc non leguntur in Ms. Cod. *Colv.* Et sane *νοθείας* suspecta esse possunt. Qua 'sacræ potioni simulatæ' non est subdita alia; sed ipsa illa *simulata* sacra potio erat momentarium venenum. Ad hæc *in vice* Latinum non est. Sed bene, quod Palat. Guelf. sec. præbent *in vicem.* Perperam enim Stewechius ubique pro *vice* et *in vicem* tentat simpliciter reponere *vicem.* Confer notata ad l. I. p. 9. 'In vicem Calypsonis.' Sed etiam insolens est locutio, *potio sacra Proserpinæ saluti.* Nam conjecturam Stewechii quivis sentit esse ridiculam. Delenda potius foret vox *saluti.* Nisi captarit Auctor, sive quisquis inferserit, hanc vocem in oppositionem 'salutis juvenilis,' atque ita vocarit, quia per veneficia et mortiferas potiones Proserpina, non minus ac Libitina apud Phædrum, suum 'facit lucrum,' ipsiusque regnum, opes, et potentia augentur. Durissime tamen, ni fallor. *Oud.*

Præsente familia, et nonnullis amicis et affinibus, &c.] Signum antiqui moris non indignum notatu: ut nec alia, si quæ occurrerint, eodem pertinentia. *Pric.*

Poculum probe temperatum manu sua porrigit] Quintilianus Declam. 321. 'Nulli venenum facilius dare potest quam qui accipit utique tanquam medicamentum.' 'Probe temperare,' ut apud Macrobium VII. 12. Gloss. 'Temperatum, εὔκρατον, συγκεκερασμένον.' *Idem.*

Ut conscium sceleris amoliretur] Apud Lysiam Euphiletus monstrans sibi nil causæ fuisse Eratosthenem occidendi: Οὔτε γὰρ συκοφαντῶν γραφάς με ἐγράψατο, &c. οὔτε συνῄδει κακὸν οὐδὲν, ὃ ἐγὼ δεδιὼς μή τις πύθηται, ἐπιθύμουν ἀπολέσαι αὐτόν. *Idem.*

Et quam desponderat pecuniam lucraretur] Laudatum nunquam satis Onomasticon, 'Despondere, ὁμολογεῖν.' *Lucrari,* sensu quo supra p. 161. ubi dicta vide. *Idem.*

Meo carissimo marito] Lib. VIII. 'Tui fratris, meique carissimi mariti.' *Idem.*

Medicorum optime] Κράτιστε. de qua voce consulantur quæ ad Act. 23. 26. adnotavimus. *Idem.*

Unde enim scio? &c.] Vide supra p. 110. dicta. *Idem.*

An noxium in ea lateat venenum] Supra hoc lib. 'Repertum vini poculum, in quo venenum latebat inclusum.' Gloss. 'Venenum, θανάσιμον φάρμακον.' 'Noxium venenum' hic, ut VI. 'Veneno noxio colla sanguinantem.' Vide p. 40. notata. *Idem.*

Uxor circa mariti salutem sollicita] In Apologia, de uxore sua: 'Facit omnia circa honorem meum observanter, circa salutem sollicite.' Sic, 'mulier circa maritum nimia,' in lib. XXIII. § eo autem, ff. sol. matrim. &c. Supra hic lib. VII. 'Mulier pro mariti salute pervigilem curam sustinens:' et V. 'Sororibus pro tua cara salute sollicitis.' Alexander ad medicum suum apud Curtium, potione hausta: 'Nunc credo te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse sollicitum.' *Idem.*

Qua mira desperatione] Recte Priceus explicat audaciam perditam et profligatam mulieris, nempe ad extremum deperditæ et desperatæ; ut sæpe apud Ciceronem. Græcis quoque ἀπόνοια. Consule Casaub. ad Theoph. Char. c. 6. Frustra ergo laborat Stewechius, et Salmas. qui margini adlevit, *dejeratione.* In Pith. *que m. d.* Oud. *Qua mira desperatione truculentæ fœminæ, &c.*] 'Desperationem' hic audaciam perditam ac profligatam expono. Glossarium: 'De-

speratione, τολμήσεως.' Supra de hac eadem venefica, 'Illa audax mulier.' *Pric.*

Perturbatus, excussusque toto consilio] Virgil. 'Excussaque pectore Juno est.' Sil. Ital. 'Excussus Consul fatorum turbine mentem.' Supra lib. IX. 'Perturbatus, et misera trepidatione ad inopiam consilii deductus.' *Idem.*

Et ob angustiam temporis spatio cogitandi privatus] Vide ad initium ipsum libri IX. notata. Apud Suidam in συνεωσμένοι· Ἠπόρουν τὸ τί χρὴ πράττειν, εἰς ὀξὺν οὕτω καιρὸν συνεωσμένοι. *Idem.*

Antequam trepidatione aliqua, &c. daret malæ conscientiæ suspicionem] Supra hoc lib. 'Trepidatio succedit, &c. ut nemo eum a culpa vacuum existimaret:' ubi plura p. 217. dixi. *Idem.*

Indidem de potione gustavit] Pleonasmus, cui similis apud Gellium VI. 10. ille: 'Euclides Socraticus, qui indidem Megaris erat.' Marc. I. 13. Ἐκεῖ, ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Idem.*

Gustant] Lege *gustat*, scilicet Medicus. *Beroald.*

Quam fidem secutus adolescens, etiam sumpto calice, quod offerebatur hausit] Zeno Veronensis Serm. de Avaritia: 'Amicæ sub fallacia manus innoxias animas secure conficit ebibita veneni tempestas.' Quam proprie hic *fidem* dixerit, vide in pag. 13. annotatis. *Pric.*

PAG. 230 *Ad istum modum præsenti transacto negotio, &c.*] Lib. VIII. 'Ad istum modum finito juvene,' &c. *Idem.*

Nec eum, &c. a se discedere passa est] Supra lib. III. 'Nec me digredi patitur.' *Idem.*

Obstinatione sacrilega] Sic supra IX. 'Sacrilega præsumptione.' In nonnullis (male) codicibus, *obtestatione* et *ostentatione*. Eod. lib. IX. 'Obstinato animo, &c. anxius:' ubi dicta p. 188. vide. *Idem.*

Priusquam, &c. medicinæ eventus probatus appareat] Oxon. Ms. *P. m. proventus appareat:* abest et a Lipsii Cod. τὸ *probatus.* Idem.

Ægra] Legendum est *ægre:* id est, vix, difficulter: ut sit adverbium, non nomen. *Beroald.*

Obstinationibus ejus] Obsecrationibus: et ita videtur legendum. *Idem.*

Precibus, &c. ejus multum ac diu fatigata, tandem abire permisit] De Boccho Sallustius: 'Sæpius fatigatus lenitur, et ex voluntate Syllæ omnia facturum pollicetur.' *Pric.*

Interdum perniciem cæcam totis visceribus furentem medullæ penitus adtraxerant] 'Virus edax superarat opem, penitusque recepta Ossibus, et toto corpore pestis erat.' Bene autem de mortifero poculo, *perniciem.* Cyprianus allusorie, epist. ad Donatum: 'Ubi epotaveris, pernicies hausta grassatur.' Ita venenum, 'pestem multa fraude grassantem,' Declam. 13. Quintilianus vocat. 'Pernicies cæca' hic, ut in Apologia, 'cæca et inevitabilis pernicies,' et, 'cæca et occulta pernicies' (Serm. de zelo et livore) apud eundem Cyprianum. *Idem.*

Interdum] Corrige, *interim.* Ber.

Vixque enarratis cunctis, &c.] Vide supra p. 72. notata. *Pric.*

Mentitasque lacrymas uxoris] In mimo vetere: 'Didicere flere fœminæ in mendacium.' Supra hoc libro: 'Uxoris nimium dilectæ mentitis lamentationibus.' *Idem.*

Pari casu mortis fuerat exstinctus] Lib. VI. 'Inque simile mortis exitium cecidit.' *Idem.*

Paucis interjectis diebus, queis feralia mortuis litantur obsequia] Heliodorus lib. I. Ὀλίγων διελθουσῶν ἡμερῶν, ἐν ὅσαις περὶ τὴν κηδείαν τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν ἀπησχόλουν, &c. Oxon. et Lipsii Ms. *mortis.* Idem.

Suæ simulatæ fidei subprimens faciem, prætendens imaginem] Vulg. minus recte, *sui similis fidei.* Colv. Ele-

gantius libri vulgares: *usquequaque sui similis, fidei supp.* Opponit faciem et imaginem illam veritatis, hanc simulationis. *Wower.* Flor. *sui similis. f.* Bene. *Elmenh.* Vulcanius, ut pravam glossam, delenda conjecit τὰ *prætendens imaginem.* Sed infeliciter. Elegantiora enim sunt, quam ut non profecta ab Auctore videantur. Pejus tamen Colvius e solo Cod. Lipsiano reposuit *suæ simulatæ*, quod in errorem deduxit Vulcanium, et Latinum haud est: cum reliqui Mss. et Edd. dent *sui similis*, ut rescribendum monuit etiam Pricæus; ac fecerant jam Elmenh. et Scriv. ac dein Floridus. Certe *sui similis* mere Appuleianum est, et optimorum quorumvis auctorum. L. II. p. 37. 'ad tui similis musculos.' L. v. p. 97. 'per teretes et mei similes genas.' L. III. p. 51. 'Sui dissimilis.' Inf. p. 235. 'Suique consimilem.' L. I. De Dogm. Plat. p. 576. Ed. Flor. 'Sui par ac sui similis invenitur.' Hoc igitur reposui. Sed quid significabunt *fidei supprimens faciem?* Explicat Floridus, 'auferens re ipsa fidem.' Mire. Contrarium fere, certe non ejus ablationem, sed obtectionem verba significant. *Supprimere* enim est celare vel inhibere, non tollere. Utcunque enim faciem fidei ab ejus imagine velis distinguere: et priorem dicas ipsam ejus pulchritudinem, et decoram structuram ac figuram; adeoque ipsam fidem: quomodo ferme 'facies eloquentiæ' opponitur 'ejus imagini' apud auctor. de Corr. Eloq. c. 34. nunquam tamen efficies, ut 'supprimere faciem' significet 'auferre.' Potius tum sumta metaphora videretur ab 'umbra,' qua vera rei facies occultatur, et tantum ejus refertur imago, sive id, quod in se nihil est. Sed haud ineleganter vir doctus in exemplari Ed. Colv. in Bibl. Regia rescribit, *fidei sub prima facie prætendens imaginem*, tam clara oratione, et tam perspicuo et eleganti sensu, ut nulla illustratione verba indigeant. Prima specie videbatur mulier præstitura esse fidem; quia verbis ejus prætendebat imaginem. Præfero nunc id quod in margine, et Auctore de Corr. Eloq. per metaphoram umbræ. Mulier re ipsa veram supprimebat fidem, ita ut nusquam adpareret, sed simulatione sua prætendebat ejus imaginem. Nam licet sæpe *facies* et *imago* pro externa specie sumantur æque; per se tamen *facies* alia est, quam *imago;* quæ modo ficte exprimit *faciem.* Oud. *Usquequaque suæ simulatæ fidei, &c.*] Lege, ut in aliis, *Usquequaque sui similis, fidei, &c.* Pric.

Prolixe accumulateque pollicetur] Supra hoc lib. 'Ergo prolixe pollicetur:' et VIII. 'Prolixe consentit.' *Id.*

Constituit] I. e. pro certo condicit, ex pacto promittit. *Oud. Et statutum præmium sine mora se reddituram constituit*] Lib. II. 'Præcipit, bono custodi sine mora redderet præmium.' *Pric.*

Persecutionem] Bertin. et Oxon. *prosecutionem.* Idem.

Quod pluribus, &c.] Lege, ut in aliis editt. *Quid pluribus? &c.* Idem.

Fraudium pessimarum u. inducta] Vide ad l. v. p. 96. *peximarum* Palat. *Inducta* abest a Pal. Vide l. v. p. 106. 'fallaciis germanitatis inducta.' Pric. ad l. IX. p. 191. 'fallacia juvenis inductus.' Et sic passim Nostro aliisque. Confer Achill. Stat. et Broukh. ad Tib. l. I. 7. 1. 'Semper ut inducas, blandos offers mihi vultus.' Hinc 'inductrix' in Flor. N. 23. *Oud. Inducta*] Decepta. Vide supra p. 191. notata. In uno hic Ms. *viduata.* Pric.

Quo se gratiorem locupleti fœminæ faceret] Supra hic: 'Quo se patrono commendatiorem faceret.' Sic in l. IV. ff. de re milit. 'sub obtentu militiæ pretiosiorem se adversario facere.' Quo loco (graviter, et a viris gravibus vexato) nil me judice mutandum. *Idem.*

Veneni pyxidem] I. e. veneno repletam: sic Matth. 26. ἀλάβαστρον μύρου. *Idem.*

Quæ grandem scelerum nacta materiam] Virg. 'At sæva e speculis tempus Dea nacta nocendi.' *Nancisci*, vox fraudibus ac malitiæ accommoda. Vide supra p. 153. dicta. *Idem.*

Pag. 231 *Longe lateque cruentus suas manus porrigit*] Ammianus lib. xxviii. 'Accepta nocendi materia Maximinus ferociam genuinam effudit.' *Idem.*

Filiam suam parvulam] Lib. viii. 'Arctius filio parvulo suo consaviato:' hic tamen recte τὸ *suam* editt. veteres, Oxon. et duo alii Mss. inducunt. *Idem.*

Quod leges successione patris necessariam] Hæredes aut *necessarii* dicuntur aut sui et necessarii, aut extranei. 'Hæredes necessarii' et sui sunt, veluti filius filiave, nepos neptisve ex filio, et deinceps cæteri. Liberi, qui in potestate morientis modo fuerunt, sui hæredes ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt. Necessarii vero ideo dicuntur, quia omnino, sive velint, sive nolint, tam ab intestato quam ex testamento, ex lege 12. Tabularum hæredes fiunt. Cæteri, qui testatoris jure subjecti non sunt, extranei hæredes appellantur: ut copiosissime scribunt jurisconsulti. Proinde 'successio necessaria' intelligitur eorum hæredum, qui necessarii sunt: ut filius et filia: lex tamen Voconia, quam Voconius tulit, cujus supra meminimus, statuit, ne quis census, hoc est, pecuniosus hæredem relinqueret filiam. Lex quoque 12. Tabularum adeo stricto jure utebatur, proponens masculorum progeniem, ut fœminini sexus necessitudinem expelleret: quod postea emendatum est. *Beroald.*

Captu] Legi potest *capiti:* ut exponas, imminebat vitæ capitique puellæ. *Idem.*

D. l. m. sceleratas h. exc.] Eam successionem, qua mater liberorum bona consequebatur ex Senatusconsulto Tertulliano, eam, inquam, Jureconsulti nostri vocarunt *tristem.* Institutis de S. C. Tertull. Similiter nuncuparunt eam alii *luctuosam:* l. vit. C. de Institutionibus. Idque propter ordinem mortalitatis turbatum. l. nam etsi ff. de inofficioso testamento, et male judicantibus fatis: quemadmodum Horatius cecinit. Quare tollo vitium ex verbis Apuleii; quod enatum ex litteræ S, C, inconsiderata iteratione, et scribo, *matres celeratas hæred. excipere.* Idem mendum supra libro quinto, et ex eadem occasione: 'Nec secius et ipsa fallacia germanitatis inducta, et in sororis sceleratas nuptias æmula festinavit ad scopulum.' Non queunt profecto nuptiæ cum sororis marito aliæ esse quam sceleratæ. Scribo *celeratas.* Ex Plauti *Cornicularia* fragmentum Nonius adfert in *Laverna:* in quo par mendum ex pari origine: 'Litaveram Lavernam in fures scelerassit manus.' Legerim, *Litaveram Lavernæ, mihi ut fures celerassit manus.* Horatii illud non absimile ex lib. i. Epist. 'pulcra Laverna, Da mihi fallere, da sanctum, justumque videri.' Verum ad successionem illam ut revertamur *celeratam*, obviæ passim inscriptiones antiquæ monumentorum, in quibus et dolores et querelæ parentum expressæ. Alibi, 'infelicissimus pater insperatos tumulos dedit.' Alibi, 'infeliciss. parens adflictus præ posteritate nat. filium unicum condidit.' Alibi, 'infelix fatum priori diebus mori mater.' Alibi, 'Quod fas parenti facere debuit filius, mors immatura fecit, ut faceret parens.' Perelegans inscriptio Moguntina, quam præterire non potui: 'L. Sperati Desiderati adulescentis spei et pietatis incomparabilis Sperati Hermodorus et Juliana patres male judicantibus fatis superstites

posuerunt.' Alia apud me inscriptio, quæ excepta ex urna argentea Papiniani Jur. Cons. Romæ eruta; quam facere non possum quin adscribam: ÆMILIO PAVLO PAPINIANO PRÆFECTO PRÆTORIO IVRISCONSVLTO QVI VIXIT ANN. XXXVI. DIEB. X. MENSIB. III. PAPINIANVS HOSTILIVS EVGENIA GRACILIS TVRBATO ORDINE IN SENIO HEV PARENTES FECERVNT FILIO OPTIMO. *Stewech.* Cod. Ms. *cel'a def. lib. mater scelerata, hered. eripere.* Colvius. Stewechii conjecturam *celeratas* juvant quoque Mss. Palat. Oxon. Guelf. pr. *mater.* Ed. Colin. *seleratas,* Fux. et Guelf. Codd. *scelerata.* Nam certum est, non tantum matres sceleratas, sed omnes accipere inmaturas hereditates defunctorum ante se liberorum. Quare Floridus quoque eam emendationem ut certam recepit. De verbo *celerare* vide ad l. II. p. 24. 'Celero vestigium:' et de inverso ordine fatorum, ac parentum de illis querela, consule viros doctos, et quæ laudant ad Ovid. Epist. I. 101. 'euntibus ordine fatis.' Vel sic tamen *matres sceleratas* retineo. Ita enim quasi proprio epitheto vocantur matres, quæ liberos amiserunt immatura morte, et præ infelicitate quasi sceleratæ habentur. Passim ita in Inscriptionum plerisque corporibus: quod jam in Lexicis est notatum. Eoque procul dubio alludit Auctor: ut paullo ante ad Legem de necessariis heredibus. Dein Oxon. *accipere.* Oud.

Talem parentem præbuit, qualem exhibuerat uxorem] De Catilina IX. 1. Valer. Maximus: 'Eodem animo civem gerens, quo patrem egerat.' Justinus lib. VIII. de Philippo Macedone: 'Sed pactio ejus fidei fuit, cujus antea fuerat deprecati belli promissio.' *Pric.*

Prandioque commento pro tempore, uxorem medici, simul et suam filiam veneno eodem percutit] 'Tune duas una sævissima vipera cœna? Tune duas?' De locutione *pro tempore* supra p. 15. dixi. *Idem.*

Dum noxiis ambagibus pulmones ejus pererrat, &c.] Met. II. 'Dum medio currit pulmone venenum.' Met. IX. 'Dum pulmonibus errat Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.' Quintilian. 15. Declam. 'Profer corporis notas, per quas se noxiæ potionis vagus fervor effuderit.' *Idem.*

Tempestas detestabilis potionis] Zeno jam supra adductus, 'Ebibita veneni tempestas.' *Idem.*

Contendit ad ipsius Præsidis domum, magnoque fidem ejus protestata clamore, &c.] Seneca Medæa: 'Petiique supplex Præsidis dextræ fidem.' *Idem.*

Et populi concitato tumultu, utpote tam immania detectura flagitia, &c.] Ovidius Fast. II. de Bruto: 'Clamore Quirites Concitat, et Regis facta nefanda refert.' 'Tumultu populi concitato,' ut in l. XXXVIII. § 2. ff. de pœn. (at sententia diversa) 'Auctores tumultus, populo concitato,' &c. *Idem.* *Utpote tam immania detectura flagitia, efficit statim sibi simul et domus, et aures Præsidis patefierent*] Salvianus de Gubern. III. 'Intra januas non modo illustrium Potestatum, sed etiam Præsidum aut Præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut Judex vocaverit, aut negotium traxerit.' *Id.* *Simul et domus et aures Præsidis patefierent*] Cicero ad Q. Fratrem Bithyniæ Proconsulem: 'Facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem non modo nullo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem tua et cubiculo esse exclusam.' *Idem.*

Ab ipso exordio, &c. cunctis atrocitatibus diligenter expositis, &c. exanimis corruit] Vide supra p. 72. notata. *Idem.*

Turbine correpta] Scribonius Largus: 'Cicutam potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio in-

sequitur, ultimoque præfocantur, qui eam sumserint.' *Elm.* *Mentis nubilo turbine correpta*] Vide quæ olim pag. 124. ad Apologiam allata. *Pric.*

Semihiantes adhuc compressit labias] Oxon. *semianimis a. c. l.* quæ lectio non spernenda. *Idem.*

Longo stridore reddito] Ut solent moribundi. Vide supra p. 10. dicta. Pro *reddito* an *edito* legendum? supra certe lib. III. 'stridore edito' dixit: at *reddere* sæpius in hoc Scripto pro *dare* ponitur. *Idem.*

Ante ipsos Præsidis pedes exanimis corruit] Metam. X. 'Poplite deciduo genua intremuere, fugitque Et color, et sanguis, animusque reliquit euntem.' Petronius: 'Semel iterumque cervice percussa, ante pedes collabitur nostros.' Adde Act. V. 10. et quæ supra p. 42. notata. *Idem.*

Exsecratæ veneficæ] Fux. *e venenatæ.* Forte, *venenariæ.* Roald. Idem Ms. *venenatæ.* Colv. Flor. 1. *excetera venenatæ*, altera, *exereta venenata.* Visa est via ad veritatem, *excetræ venenatæ.* Convitium in malas mulieres: 'Excetra tu,' ut observat Lipsius Antiquar. Lect. lib. II. c. 11. Livius lib. XXXIX. c. 11. 'Hispalæ concubitu eum carere decem noctes non potuisse illius excetræ delinimentis et venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere.' *Elmenh.* *Venenaria*, quod conjecit Roaldus, est mulier, quæ ipsa venenum conficit in Apolog. et apud alios. *Exsecratæ* exsulat a Palat. Guelf. sec. et D'Orv. qui cum Oxon. quoque habent *venenatæ*. Nullus dubito de veritate emendationis Elmenhorstianæ, *excetræ*, sed reliquas voces e glossis natas censeo. Vide ad Liv. et Comm. Burm. in Catal. tom. I. p. 345. et Donatum ad Terent. Eun. V. 1. 8. 'Quid ais venefica?' Pricæus *exsecrata* capit pro exsecrabili, exsecranda. Alterum Latinius, elegantius, vehementius. *Oud.* *Nec ille, vir alioquin exercitus, multiformo facinus execratæ veneficæ dilatione languida passus marcescere*] Ne gratia, pecuniæ vi, aut quo alio modo impuratissima illa leges eluderet. Quintilianus 319. Declam. 'Naturalis improbis hominibus dilationis est cupiditas, &c. occurrunt illæ cogitationes, quæretur, et, quæretur diu: extrahetur judicium, ut sequatur alia subscriptio, alii Judices, alia sortitionis fortuna: interim, ut nihil artes valeant, multum Fata possunt,' &c. Simili porro ac Præsidem istum laude Proconsulem in Apologia ornat. 'Tuum' (inquit) 'hoc Maxime, tuæque providentiæ beneficium, quod a principio intellectas calumnias, ne corroborarentur tempore, præcipitasti: et, nulla impertita mora, subnervasti.' Præsidem autem dum 'virum exercitum' vocat, haud improprie loquitur. Gellius XII. 7. 'Dolabella rem ad Areopagitas, ut ad Judices graviores exercitatioresque rejecit.' Idem XIV. 2. 'Amici quos in consilium rogaveram, viri exercitati, et in operis fori celebres.' Plinius nepos II. 9. 'Vir sanctus, disertus, antiquus, et in agendis causis exercitatus.' 'Execrata venefica,' est, *execranda:* ut 'fleta,' pro 'flens,' vel 'flebilis:' et alia similis formæ in his libris: nec aliud præfert vetustissima Vicentina editio. Oxon. et Lipsii Codex *execrata venenatæ:* cui simile nescio quid est et in aliis Mss. ex quibus et cujusmodi vestigiis Elmenhorstius *excetræ venenatæ* legit. *Pric.*

Cubiculariis mulier attractis, vi torm. ver. eruit] Provinciæ præses, apud quem veneficii accusata matrona non a servis illius, quorum caussa nulla agebatur, sed ab ipsa muliere fonte veritatem extorquere debuit, eamque arcessendam prius, quam tormentis subjiciendam curare: quare corrigendum subdubitavi: *confestim a lorariis muliere attracta.* Parisienses vulgarunt, *conf. cubiculariis mulieris*

attractis: quod probare vix ausim, propterea quod servi delatores dominorum non fuerint auditi. Lex quibusdam ff. de jure fisci. Tum quod iidem in caput domini torqueri non potuerint. Cicero in ea, quam pro Milone habuit, 'de servis,' inquit, 'nulla quæstio in dominum.' Idem pro Deiotaro: 'more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri licet.' Accedit insuper et Ulpianus in L. prima ff. de Quæstionibus. *Stewech.* Non bene hic locus de mendo suspicitur. Cubicularii enim servi plurimum contra dominum torti: quod secretorum fortassis magis participes esse putarentur. Quintilianus Declam. CCCXXVIII. 'servum torsi cubicularium ejus, qui occisus est.' *Colv.* Vide Notas ad Minutium. *Elmenh.* Ut edidere Parisienses, habent et aliæ Edd. præter vitiosam Bas. pr. et Mssti omnes. Passim in graviore crimine, ut majestatis, incendii, veneficii, parricidii, servi sunt comprehensi, et torti, vel ut *conscii* vel *participes.* Adi et Beroald. ac JCtos. Sic Lucii nostri servus est tortus lib. VII. p. 133. 'servum ejus scelerum consiliorumque herilium futurum indicem per magistratus in publicam custodiam receptum, et altero die tormentis vexatum plurimis,' &c. Ita lib. hoc p. 212. 217. mulieris dotalis servus veneficii particeps torquetur rota, igni, et equuleo. Male vero Floridus interpretatur 'cubicularias ancillas:' quum intelligantur *eunuchi*, quales sunt illi quatuor, qui matronæ Asini amatrici et ipsi terrestre cubitum straverunt p. 225. Et sic passim in Inscriptionibus 'Cubicularii Augustarum' æque occurrunt, atque Imperatorum. Nullæ *cubiculariæ.* Vide Fabrett. ad Col. Traj. p. 184. Fingendum autem hic, veneficam istam mulierem, domi in custodia detentam, negasse omne facinus. Quod transit Appuleius, ut per se satis existimandum. Pro *vi* in aliquot Mss. et Edd. pp. Junt. pr. est *in* solito errore. In Pal. Oxon. Guelf. *veritatem meruit.* Oud. *Vi tormentorum veritatem eruit*] Supra lib. III. 'Tormentis veritas exprimenda est:' ad quem locum p. 48. notata consule. *Pric.* *In tormentorum*] Minutulus error, qui tamen lectorem possit offendere: est enim legendum, *vi tormentorum:* id est, violentia et cruciatu. Divus Augustinus, in criminibus vestigandis non esse a tormentis incipiendum constituit. Epistola quoque divi Hadriani ita se habet: 'Ad tormenta servorum ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, et aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur.' Rescripto quoque eodem Hadriani illud expressum est, a suspectissimo incipiendum esse, et a quo facillime posse verum sciri judex crediderit. *Beroald.*

Bestiis objiciendam] Oxon. *b. abjiciendam*, sive projiciendam. Quod fors non temere spreverit quis. Ego tamen nil muto. Frequentissima harum præpositionum est confusio. 'Objicere bestiis' formularis est locutio in hac re et loco. 'Abjicere' alibi, in silva, agro, via. *Oud.* *Atque illam, &c. quod dignus cruciatus alius cogitari non poterat, certe bestiis objiciendam pronunciavit*] Claudianus II. in Ruffinum: 'Quo tanta piacula quisquam Supplicio conferre valet? quid denique dignum Omnibus inveniam, vincant cum singula pœnas?' Supra hic VIII. de Thrasyllo: 'Nequiens idoneum exitium præsenti cladi reddere, certusque tanto facinori nec gladium sufficere, sponte delatus ibidem ad sepulchrum,' (Charites et Tlepolemi,) 'Ultronea vobis (inquit) infesti Manes en adest victima,' &c. Cæsar apud Sallustium Catil. 'Si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia superat, iis utendum censeo quæ le-

gibus comparatæ sunt.' Lysias in pro Eratosthenis cæde: Καί τοι δῆλον, ὅτι εἴ τινα εἶχε ταύτης μείζω τιμωρίαν ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς, ἐποίησεν ἄν· νῦν δὲ, οὐχ οἷός τε ὢν ταύτης ἰσχυροτέραν ἐπ' ἐκείναις ἐξευρεῖν, τὴν αὐτὴν, &c. ἠξίωσε γίνεσθαι. *Pric.*

Matrimonium confarreaturus] De hoc ritu sat jam aliis dictum. *Idem. Matrimonium confarraturus*] Tribus modis apud Antiquos uxor habebatur ut ait Boëthius in commentariis Topicorum: usu, farre, coëmptione: sed confarreatio solis pontificibus conveniebat: erat autem solennitas quædam vinculi maritalis, qua novæ nuptæ farreum præferebant: sic enim cibi genus ex farre factum nuncupant. Plin. in XVIII. Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant: auctor est Dionys. Halicarnasseus lib. antiquitatum II. legitima matrimonia in priscis Romanis nominata esse farreacea, a communicatione videlicet farris, qui cibus Latio primus fuit: et sicut Græci hordei primitias in sacris dabant, ita Romani vetustissimum far putantes, ex eo sacra prisca potissimum conficiebant. Uxores quoque conjunctione farris alimenti viris sociari voluerunt. Ex hoc vetustissimo ritu scienter dixit Lucius noster, *matrimonium confarraturus*, pro copulaturus, vinculo quasi confarrationis: et ita alludens ad priscorum verba et doctrinam, simpliciter intelligi vult, fœminam publice destinatam quasi uxorem asino, quæ publico spectaculo cum asino perinde ac uxor cum marito concumberet. E contrario dicitur *diffarratio*, connubii inter virum et uxorem dissolutio, a diffarratione, quod genus sacrificii adhibito libo farreo fit in dissolutione matrimonii: et sicut 'confarraturus matrimonium' dicitur, pro facturus, copulaturusque: ita e contrario dici potest eleganter *diffarraturus*, pro dissoluturus connubium. *Beroald.*

PAG. 232 *Mortem mihi mea volens manu consc.*] Monuit jam Pricæus, Colviumque castigavit de discriminis incuria, qua se emancipavit scriptæ lectioni sui Codicis. At videamus, ne ejusdem peccati nos reos faciamus. Nondum agit Auctor de metu suo. Hic potius loquitur de castitate et pudore. Nam demum p. 236. subjicit: 'At ego præter pudorem obeundi publice concubitus, præter contagium scelestæ pollutæque feminæ, metu etiam mortis cruciabar maxime, &c. Ergo igitur non de pudore jam, sed de salute ipsa sollicitus.' Eaque serie Lucianus tom. II. p. 621. ἅμα μὲν ἠδούμην ἐν τῷ θεάτρῳ κατακείμενος, ἅμα δὲ ἐδεδίειν μή που ἄρκτος ἢ λέων ἀναπηδήσεται. Ad hæc varietas ordinis, quo Mss. voces *metu* vel *mea manu* ponunt, satis declarat, omnes a mala manu et spurias esse. Vel etiam suspicor, scripsisse Appuleium, *mortem mihi mehercules volens consc.* Contractio vero ejus vocis *meh.* hic non percepta, vel non bene scripta aut lecta, peperit *mea* sine sensu: unde alii *metu* reposuere, alii *manu* addidere. Lib. IV. p. 79. 'Puellam mehercules et asino tali concupiscendam.' Lib. VI. p. 125. 'Dolebam mehercules.' Lib. VII. p. 147. 'Quam inefficacem fuisse mehercules doleo.' Supra h. l. p. 220. 'Laudo istam tuam mehercules et ipse constantiam.' Alibi sæpe ait 'Hercules.' Vide ad lib. III. p. 45. *Oud. Mortem mihi mea volens manu consciscere*] Hesychius: Αὐτοχειρί· ὁ ἑαυτὸν φονεύων. Quomodo autem *sua manu*, qui *ungulam* tantum, eamque mutilam habebat? nimirum et hanc depravationem debemus Colvio: qui (quod de Græcis Gellius) 'sine discriminis cura, solam copiam' (ut videtur) 'sectans,' quæ in Codice quodam J. Lipsii reperit, plerumque in contextum assumpsit. Lege cum vett. editt. et Mss. cæteris, *Mortem mihi metu volens consciscere.* Pric.

Scelerosæ mulieris] Servius ad Æn. I. 'Velut a genere, generosus: et a scelere, scelerosus.' *Idem.*

Depudescerem] Pudorem perderem. Ovidius: 'Depudui, profugusque pudor sua signa reliquit.' Glossæ: 'Ἀπαναισχυντῶ, depudo.' *Depudeo*, vel *depudesco* lege. Ibidem: 'Ἀπερυθριῶ, depudesco, derubesco.' Glossæ aliæ: 'Depuduit, ἀπηναισχύντησεν.' *Id.*

Sed privatus humana manu, privatus digitis, &c. gladium stringere nequaquam poteram] Supra lib. VI. 'Nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricari poterit.' *Idem.*

Plane, ut potui, tenui specula solabar clades ultimas, &c.] Aristoph. Equit. Λεπτή τις ἐλπίς ἐστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα. Cicero Famil. XV. 2. 'In communibus miseriis hac tamen specula oblectabar,' &c. 'Clades ultimas' hic, ut supra IX. 'magnas et postremas clades.' De locutione *Ut potui* vide p. 59. dicta. *Idem.*

Depingeret] Pervigilium Veneris: 'Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus.' *Elmenh.* *Quod ver, &c. gemmulis floridis cuncta dipingeret*] Avienus Periegesi: 'Flore frequenti Pinxit terra sinus.' Sidonius Carm. 2. 'Flore perenni Picta, peregrinos ignorant arva rigores.' *Pric.*

Purpureo nitore] Bert. *purpurato.* Elmenh. Atque sic edidit Scriverius. Activum enim *purpurare* sæpe occurrit. Vide Barthium ad G. Britonem lib. VII. 669. Sed Modii collatio habet *purpurati;* quod esset pro *purpuranti;* ut in Pervigilio Veneris, et apud Prudentium H. Laurentii vs. 275. 'purpurantes stolas.' *Oud.* *Et jam purpureo nitore prata vestiret*] Videntur ex Veterum aliquo desumpta, qui fortasse sic pedibus vinxerat: *Et jam purpureo vestiret prata nitore.* Pric.

Dirupto spineo tegmine] Achill. Tatius lib. I. de Amoribus Clitoph. et Leucipp. ὅταν ἄρχηται τὸ ῥόδον ἀνοίγειν τῶν φύλλων τὰ χείλη. *Elmenh.* *Et commodum, &c. spirantes cinnameos odores, promicarent rosæ*] Cyprianus in Epistolis: 'Successit hiemi verna temperies, rosis læta, et floribus coronata.' De *odore cinnameo* vide p. 159. dicta. *Pric.*

Quæ me priori meo Lucio redderent] Infra lib. XI. 'Redde me conspectui meorum, redde me meo Lucio.' *Idem.*

Dies, &c. aderat. Ad conseptum c.] *Dies aderat* quasi e formula dicitur. Vide Pric. Virg. l. II. Æn. 132. 'jamque dies infanda aderat:' et creberrime. Uti et 'nox aderat.' Oxon. etiam et Guelf. perperam præbent *conspectum.* Nondum deductus est in conspectum populi theatro residentis; sed prope ad caveam sive ejus conseptum extra portam, qua patente gratissimum prospexit spectaculum, quod describere pergit. Lib. III. p. 44. 'populus caveæ conseptum inplevit.' Alibi, 'intra conseptum domus,' 'templi.' *Oud.* *Dies ecce muneri destinatus aderat*] Eod. XI. 'Jam dies aderat divino destinatus vadimonio.' Apud Quintilianum ille IX. Declam. 'Et jam dies aderat, jamque ad spectaculum, &c. populus convenerat.' *Pric.* *Ad conseptum caveæ prosequente populo, pompatico favore deducor*] Infra hic de Venere: 'Cum magno favore caveæ, &c. circumfuso populo lætissimorum parvulorum.' Virgilius: 'Quos omnis euntes Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus:' ubi Servius: 'Fremit: cum favore persequitur.' Seneca LIX. Epist. 'Acclamationis secundæ favorem.' Valerianus Cimeliensis: 'Non favorem vocis exspectat, odit choros acclamantium.' Glossæ: 'Εὐφημία, favor.' Glossæ aliæ: 'Favor, ἡ συγκρότησις.' Ait, 'prosequente populo.' Vide supra p. 87. notata. Bene et *favore deducor;* sic, 'deduci favoribus,' lib. XXV. Ammianus Marcellinus. *Idem.*

Pabulum, &c. affectabam] Vide supra p. 2. dicta. *Idem.*

Curiosos oculos, &c.] Petronius:

'Per rimam, &c. applicaverat curiosum oculum.' *Idem.*

Florentes ætatula] Virgilius: 'Ambo florentes ætatibus.' Ecl. VII. *Idem.*

Pueri puellæque, &c.] Lucianus in περὶ ὀρχήσεως· Ὅρμος ὄρχησίς ἐστι κοινὴ ἐφήβων τε καὶ παρθένων παρ' ἕνα χορευόντων, καὶ ὡς ἀληθῶς ὅρμῳ ἐοικότων, καὶ ἡγεῖται μὲν ὁ ἔφηβος τὰ νεανικὰ ὀρχούμενος, καὶ ὅσοις ὕστερον ἐν πολέμοις χρήσεται· ἡ παρθένος δὲ ἕπεται κοσμίως, τὸ θῆλυ χορεύειν διδάσκουσα, ὡς εἶναι τὸν ὅρμον ἐκ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας πλεκόμενον. *Idem.*

Incessu gestuosi] Infra XI. 'Proferebat unus e ministerio beato, gressu gestuoso.' Servius ad Æneid. IV. 'Ferebatur, quasi cum quodam gestu:' supra hic lib. VII. 'Gradu molli gestiens.' *Idem.*

Dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant] 'Dispositis,' τακτικαῖς. Glossæ: 'Τακτικὸς, &c. dispositus:' hoc sensu capio Hesychii illa, Τάξις, &c. ἀκολουθία, καὶ εἱρμός· ut similem huic speciem saltationis intelligat. Nec temere 'ambitus decoros' Noster. Idem Hesychius: Εὐσχήμονες· εὐσχημόνως, καὶ εὖ σχήματα ἐν ὀρχήσει ποιοῦντες. ubi ineptam et mancam lectionem sic integrandam existimavi: εὐσχημόνως καὶ εὐρύθμως σχήματα ἐ. ο. π. et postea conjecturam vidi munitam a Polluce IV. 13. qui εὐσχημοσύνην et εὐρυθμίαν jungit, de re saltatoria tractans. Contrarium, ἀγροικικῶς ὀρχεῖσθαι apud Hesychium, v. αἴρειν μασχάλην. et 'motus incompositi' apud Virgilium. Alludunt saltatoriam et Pauli illa, εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. ut monstravit (quo Opere autem non memini) Vir maximus, Salmasius. *Idem.*

Nunc in orbe rotarum flexuosi] Haud male *rotatim* exhibuere Wower. et seqq. nisi potius legendum censerem, *in orbem rotatum*. Quem obliquæ seriei opponit. Glomerari, currere, redire, et similia, in orbem, passim Virgilio, Ovidio, aliis. Lib. VI. Met. 225. 'cursus dum certum flectit in orbem.' Adde Sil. lib. IV. 319. &c. Claud. d. I. vs. 633. Ælianus ait lib. II. cap. II. Anim. de elephantis saltantibus, εἰς κύκλον καὶ ἐπὶ στοῖχον ἰέναι. 'lascivas vertigines' ait Solin. p. 21. 'Pyrricho' (sic leg. e Mss.) 'repertore equestres turmas docuit lascivas vertigines implicare:' ubi errat dicens *equestres turmas.* Apud Plin. l. VIII. c. 2. 'lasciviente pyrricho colludere.' Adde Catal. Lat. lib. III. Ep. 134. de pyrricho. *Oud.*

In orbe rotatim flexuosi] Virgil. de apibus: 'Magnum mistæ glomerantur in orbem:' ubi Servius, 'More bellantium.' Hesychius: Περιφορά· ἡ κατὰ κύκλον κίνησις. *Pric.*

In quadratum patorem] Palat. *quadr. in p.* Coll. Voss. *partem.* Vox *pator* crebra Appuleio, quam aliquando Silio reddendam suspicatus est Burmannus ad lib. XI. vs. 264. 'Lætus circum fert oculos et singula discit: Qui muris sator, et pubes sit quanta sub armis.' Quis Capuæ conditor fuerit, oculis discere non poterat Hannibal. Mihi videtur scripsisse Silius: *Quæ muris* vel *muri ratio.* Oud. *Nunc in obliquam seriem connexi, et in quadratum patorem cuneati*] Seneca c. 4. de Vita beata: 'Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur: et, aut in cornua sinuata media parte curvatur, aut recta fronte explicatur,' &c. Lucianus jam dicto loco, de Spartanis juvenibus: Κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται, πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες· ἄρτι μὲν πολεμικὰ, καὶ μετ' ὀλίγον δὲ χορευτικὰ, ἃ Διονύσῳ καὶ Ἀφροδίτῃ φίλα. *Pric.*

In catervæ dissidium] Mss. Flor. Pith. Fux. Guelf. sec. Pal. Oxon. D'Orv. Edd. Elm. Scriv. *discidium*, verissime. *Dissidium* enim animorum est, quod huc non convenit, sed *discidium* corporum: licet pessime crebro confundantur. De Mundo

p. 749. 'Fluenta divino separata discidio.' Solin. p. 7. 'humi discidia.' Sic Mss. cum Delr. et Salm. non *dissidia.* p. 32. 'Gaditanum fretum Atlanticos æstus in nostrum mare discidio inmittit orbis.' Sic legendus ille locus. Vulgo *Atlanticus* et *discidium* vel *dissidium.* Vide Salmas. qui veram correctionem non subodoratus est; Gifan. Ind. Lucret. Gronov. et Toll. ad Ausonii Perioch. IV. Iliad. Broukhus. ad Propert. lib. II. 19. 16. *Separari* Guelf. ambo. Mox *reciproce* Oxon. Guelf. pr. *Oud.*

Aulæo subducto, et complicitis sipariis] Supra lib. I. 'Aulæum tragicum dimoveto, et siparium scænicum complicato.' *Pric.* *Alveo subducto*] Corrige, *aulæo*: est enim sensus: post peractam pyrrhicham saltationem subducta aulæa sunt, et vela scenica complicata, ut apparatus fabulæ in scena dispositus viseretur: est enim mos, ut in actione fabularum theatricarum aulæis cuncta contegantur, post quæ histriones in operto consistunt: mox cum tempus est agendæ fabulæ, aulæa subducuntur, et in propatulo omnia conspiciuntur. Scribit Porphyrio, quando ludi scenici dabantur, quod aulæa suspendi solebant, quæ in fine ludorum deponebantur: ex quo ritu est illud Horatianum: 'Si plausoris eges aulæa manentis, et usque Sessuri.' *Beroald.*

PAG. 238 *Summo cacumine de manibus fabri fonte manante fluviales aquas eliquans*] Vix dubium esse potest, quin hic subsit vitii quiddam. Mss. tamen et editiones consentiunt, nisi quod *summo cacumine* et *manante* exsulent ab Oxon. et Guelf. pr. præbentibus *fontis fluvialis aquas*, atque in Pith. sit *aqua*, in D'Orv. *aliquans*, et in Edd. Vett. *fluvialis.* Pricæus corrigere conatur: *de summo cacumine manibus fabri fons fluviales aquas eliquans.* Artificem ergo laudare voluerit Appuleius; ut lib. II. init. quem locum etiam pretulit Pricæus: 'In quo summum specimen artis egregius signifex prodidit.' At sic deest verbum, quo referatur *fons*, et *manibus fabri.* Insulsa esse pronunciavit Ill. N. Heinsius ad Ovidii Fastos lib. IV. 761. cui accedo hac equidem in parte. Legit ille: *consitus summo cacumine, de canalibus labri fonte manante, et fluv. aq. eliquans.* Minus bene vero τὰ *summo cacumine* refert ad *consitus.* Montes non tantum sunt viretis consiti in cacumine, sed et in jugo undique; nec video, cur illud *et* addiderit, retinens *eliquans.* Putem potius ab Auctore relictum: *de summo cacumine, canalibus labri fonte manante, fl. aquas eliquans.* Juvat locus lib. VI. p. 118. 'saxum, quod e faucibus lapidis fontes evomebat, qui foraminis lacunis editi et angusti canalis tramite, &c. proserpunt.' p. 236. 'De summo montis cacumine per quandam latentem fistulam prorumpit vino crocus diluta:' ubi *fistula* fere, quæ hic *canales.* Magis tamen inclino, ut existimem, illa *manibus fabri* a librario vel lectore ad marginem libri adsuta, in textum irrepsisse, et reliquisse Auctorem: *de summo cacumine fontem, manantem fluviales aquas, eliquans.* Quamvis vel sic *canalibus labri,* de quo consule Heinsium, retinere quis posset. Sed lib. IV. p. 67. 'De summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturibat, et evomebat undas argenteas.' Ut constructio sit, 'mons eliquans fontem, manantem aquas.' 'Eliquare' est puras et liquidas aquas emittere per fontem canalibus manantem. 'Eliquari filum' dixit Tertull. de Pall. p. 162. *Manat aquas* optime foret dictum. Adi Sanctii Minervam lib. III. c. 3. v. 'mano,' et N. Heins. ad Ovid. lib. VI. Met. 311. 'ubi fixa cacumine montis Liquitur, et lacrimas etiam nunc marmora manant.' ibique ex incerto auctore citat: 'Emanat fons aquam.' Hinc est, quod

sæpe jungantur *fons aquæ*: ut restitui Hirtio lib. VIII. B. G. cap. 41. 'Magnus fons aquæ prorumpebat.' Vitruv. I. 2. 'Aquarum fontes.' *Oud.* *Consitus viretis, et vivis arboribus summo cacumine, de manibus fabri fonte manante, fluviales aquas eliquans*] Perplexum corruptumque (ut videtur) locum pro tempore sic interpungo emendoque: *Consitus viretis et vivis arboribus: de summo cacumine manibus fabri fons fluviales aquas eliquans.* Supra lib. IV. descriptione huic multum accedente: 'Mons horridus sylvestribusque frondibus umbrosus:' et post: 'De summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturibat,' &c. 'Manibus fabri,' sensu fere simili quo lib. II. 'Et in quo summum specimen operæ fabrilis egregius ille signifex prodidit,' &c. 'Aquas eliquare' dixit et II. 10. Lactantius. τὸ *manante* ex auctoritate Ms. Oxon. delevimus. *Pric.*

Capellæ pauculæ] Pith. *pauc. cap.* Alii aiunt *oves*, ut et *tauros*. Vide monumenta ejus fabulæ in lapidibus, nummis, gemmis apud Drak. ad Sil. lib. VII. p. 437. et quos citat, item Sponium Recherches Curieuses Diss. 17. ubi male ex *ove* vel *capella* facit glirem. Capellas etiam vaccis jungit Lucian. in Dearum judicio tom. I. pag. 256. 259. *Oud.* *Capellæ pauculæ tondebant herbulas*] Virgil. 'Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ.' Supra lib. V. 'Comam fluvii tondentes capellæ.' *Pric.*

Paridis Phrygii pastoris] Ed. Vicent. *pristygii*, Ven. *phyrii*. Guelf. pr. *frigidi*. Τὰ *Phrygii pastoris* uncinulis inclusit Scriverius. Malim ego deleri τὸ *Paridis*, ut e glossa insertum, et merum interpretamentum illorum, 'Phrygii pastoris.' Nam subdit mox demum, *ei, qui Paris videbatur.* Nunc modo proponit rerum hominumque figuras, e quibus mox concludit, quis ille pastor Phrygius fuerit, quemque designaverit, Paridem scil. sicut alia emblemata Mercurium et tres Deas indicabant. Figuram ejus vide in statua, cujus meminit Montfauc. Diar. Ital. p. 41. et in Gemma Medicea p. 356. ac Mus. Flor. Gorii. præterquam in monumentis supra citatis. *Oud.*

Barbaricis amiculis, humeris defluentibus, pulchre indusiatus] Vulg. *in barb. amicul.* Et post: *puelle pulcre indus.* Colv. *In amiculis indusiatus* in nullo legitur codice Msto penes me, sed in omnibus Edd. Colvio prioribus: amatque Auctor vehementer pleonasmum præpositionis *in*. Vide ad lib. XI. p. 239. 'Et in udis ignibus nutriens semina.' Ad hæc non passim modo dicitur *in vestibus* esse, et similia; de quibus vide ad Sueton. Cæs. cap. 6. Bronkh. ad Propert. lib. IV. El. 2. 28. sed etiam, addito participio passivo; uti hic foret. Adi Burmann. ad Ovid. lib. V. Met. 328. 'formatus Libys est in cornibus Hammon.' Heins. ad vs. 546. 'fulvis amicitur in alis.' *Humeris* deest Lipsio. Bene, si legas *diffluentibus*, i. e. laxis, non cinctis. Alioquin malim *humero.* D'Orv. et Fux. cum Lipsiano dant *puelle pulchre.* Verissime scilicet divinavit G. Vossius ad libri sui marginem, e glossa interlineari inrepsisse τὸ *pulchre*; atque ἀρχαϊκῶς legit *duelle* pro *belle*. De quo vide Scalig. ad Fest. v. 'Bos,' et alios ad v. 'Duellum;' item Comm. ad Quintil. lib. I. cap. 4. p. 44. ubi quidam volunt a Nævio dictum, *faciem virginis duellæ*, al. *duellam.* Sed velim idoneam magis auctoritatem; mihique unice placet *bellule.* Lib. V. in f. 'Ætatem portat bellule.' Lib. X. p. 222. 'bellule suffarcinatus.' Lib. XI. in f. 'stipendiis bellule fotum.' *Oud.*

Pulchre indusiatus] Lib. II. 'Puelli calamistrati, pulchre indusiati.' *Pric.*

Magisterium] Oxon. Par. *magistrum.* Hoc ejus magisterium patebat ex pedo, quo gregem agebat. Vide

Lucian. in Dearum judicio t. I. p. 256. et Cel. Hemsterh. *Oud.*

Luculentus puer] Lib. v. de Cupidine: 'Corpus glabellum atque luculentum.' *Pric.*

Nudus, nisi quod ephebica chlamyda, &c.] Ut infra de Venere: 'Nudo et intecto corpore, &c. nisi quod tenui pallio,' &c. De Hercule Dion. Chrysostomus: Γυμνὸς ἤει, (περιῄει puto scribendum,) μόνον λεοντῆν ἔχων. et Joannes Chrysostomus Homil. ad baptizandos: Γυμνοὺς μὲν, τοῦ χιτωνίσκου μόνον. Sic Joh. 21. 7. Jacobi 2. 15. Matth. 25. 36. γυμνὸν intellige, et I. Cor. 4. 11. γυμνητεύειν. Hinc et *nudi* dicti, adeo male tunicati, ut per pannulos manifesti sint. Seneca in de Beneficiis: 'Quædam, etiamsi vera non sunt, propter similitudinem, eodem vocabulo comprehensa sunt, sic pyxidem, et argenteam dicimus, et auream: sic illiteratum, non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum: sic qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.' *Idem.*

Flavis crinibus usquequaque conspicuus] Vide quæ supra p. 21. notata. Ovidius: 'Læda fuit nigra conspicienda coma.' *Idem.*

A. pinnulæ, cognatione simili sociatæ, prominebant] Notandum, hic Mercurio non dari petasum, cui alii, qui Mercurio æque alas in capite atque in pedibus *talaria* tribuunt, unde et *alipes* audit, adplicant istas pinnas, non vero comis inserunt. Sed tamen sæpe quoque intecto capite visitur in nummis. Vide Cel. J. Gronovium præf. ad Augustini gemmas. *Oud.* *Societate*] Lego, *sociatæ*: id est, copulatæ, connexæque. *Beroald.*

Caduceum et virgula] Vide observationes ad Arnob. lib. VI. *Elmenh.* Quia vulgo *virgam* dicunt scriptores, et Ovidius lib. I. Met. 673. eam pedo pastorali comparat, demtis scilicet, ut puto, serpentibus; ad hæc *caduceum* jam dixerit Appuleius, existimat vir doctus in Miscell. Observ. vol. VII. p. 291. pro glossa delenda esse, *et virgula*; sicut et Sopingio olim visum fuit. Quin idem censet, vulgo male pingi caduceum, ut parvum baculum. Sed ex loco Ovidii nullum de vera caducei seu virgæ anguiferæ, vel *litui*, ut ait Servius in Edd. quibusdam ad Virg. lib. III. G. 183. magnitudine argumentum deduci potest: dum totus deus ibi in pastoris speciem cum omni habitu est reformatus. Immo audiamus Hygin. lib. II. Astron. c. 7. 'Ab eo' (Apolline) 'virgulam quamdam muneri accepit: quam manu tenens Mercurius, cum vidisset duo dracones inter se conjuncto corpore alium alium adpetere, virgulam inter utrumque subjecit, &c. Quo facto, eam virgulam pacis caussa dixit esse constitutam. Nonnulli etiam cum faciunt caduceos, duo dracones implicatos virgula faciunt.' Isidor. lib. VIII. Orig. c. 11. 'Virgam tenet qua' (malim *quæ*) 'serpentes dividit, &c. unde et legati Caduceatores dicuntur.' Nihil itaque contra Mss. expungendum opinor: sed *caduceum* et virgulam, quam fert hic *puer* Mercurius, explicanda per creberrimam figuram, ἓν διὰ δυοῖν pro *caducei virgula*. Neque enim præter caduceum habuit aliam virgam, ut quis suspicari posset e plurali *indicabant*. Sicuti et in hoc Paridis judicio poëtæ et monumenta omnia illi caduceum digitis prælatum adfingunt, pinguntque. Σκῆπτρον Ἑρμείαο Apoll. Rhod. I. 653. III. 198. *Oud.*

Bracteis inauratum] Idem, *blacteis.* Colvius. cum Palat. et Guelf. sec. lib. XI. p. 250. 'Puppis bracteis aureis vestita.' Arnob. lib. VI. p. 205. 'bracteolis ex ære fucatum.' Sed adi N. Heinsium ad Ovid. lib. III. Art. 232. 'Aurea, quæ pendent ornato signa theatro, Inspice, quam tenuis bractea ligna tegat.' In Catal. B rm. t. I. p. 616. 'an auri Ex ipsa

magis est bractea flava coma?' Solin. p. 48. *Oud.*

Protinus gradus scitule referens] Ita et Oxon. et Lipsii Ms. Rectius editt. Ald. et Vicent. *citule.* Lib. VI. de Psyche: 'Acceptam cum gaudio urnulam Veneri citata retulit.' *Pric.*

Vultu honesta] Florid. IV. 'Ad speciem honestus.' *Idem.*

In deæ Junonis speciem similis] Probare nequeo emendationem eorum, qui scribunt *specie.* Nam abjecto glossemate *similis,* quam vocem Apuleii non esse, tam scio, quam me vivere, bene hoc loco erit Apuleio. Vegetius lib. I. cap. 7. 'Quamvis non improbabiles videantur in speciem, tamen experimentis comprobantur indigni.' Ita enim istic edendum debui curare, unum veterem codicem sequutus; etsi reliquis sex, septem reclamantibus; ut ostendam alias; cum pluribus de isto loquendi modo agendum erit. *Stewech.* Scilicet in Edd. Junt. Ald. aliisque, *in d. J. specie.* Fux. *inde jucenis.* Facile certe carere possimus voce *similis.* Adi Pric. et omnino ad lib. III. in f. 'In asini speciem,' vel *faciem,* 'fœna rodebam.' Vell. lib. II. cap. 59. 'In colorem arcus, velut coronam imponens, conspectus est.' Plane enim abundat *similis.* Nisi inverso vocum ordine legamus: *in speciem Deæ Junoni similis.* Confer notata ad lib. II. p. 21. 'in luxu nepotali, temulento similis.' *Oud.* *In Deæ Junonis speciem similis*] Lib. I. 'Puer in molliciem decorus.' Ibidem: 'Fluvius in speciem placidæ paludis, &c. ibat:' et infra hic: 'Ipse color Deæ diversus in speciem.' *Pric.*

Diadema candida] Ita, non *candidum.* Vide Colvii notas. *Idem.*

Fulgenti galea] 'Nitore galea præmicante:' ut initio hujus libri locutus. *Idem.*

Hastam] Ut inventrix belli. Cic. lib. III. de Natura Deorum. Servius ad I. Æneidos. *Elmenh.*

Gratia coloris ambrosei designans Venerem] Dixi supra pag. 125. videri mihi legendum, *coloris rosei:* sic, 'roseum cutis ruborem' lib. II. dixit. 'Ambrosias' quidem 'comas' illi maximus Poëtarum tribuit, at et Idem eodem loco etiam 'roseam cervicem:' et alibi: 'Roseoque hæc insuper addidit ore:' ubi Servius: 'Roseo, pulchro: perpetuum Veneris epitheton:' sic supra heic IV. de Eadem: 'Plantis roseis,' &c. De *rosis* Maximianus: 'Hunc Venus ante alios sibi vindicat ipsa colorem, Diliget et florem Cypris ubique suum.' *Pric.*

Nudo et intecto corpore perfectam formositatem professa] Confer quæ supra p. 26. adnotata. 'Nudo et intecto corpore,' ut apud Arnobium, 'Intectis corporibus atque nudis.' Supra hic lib. IX. 'Nudis et intectis pedibus:' et IV. 'Nudis et exertis mucronibus.' *Idem.*

Tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem] Martialis VIII. 67. 'Fæmineum lucet sic per bombycina corpus.' Seneca (ex persona Demetrii sui) VII. 9. de Benef. 'Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse jurabit.' 'Tenui pallio,' ut in Floridis, 'Interulam textu tenuissimo:' et Miles. XI. 'Bysso tenui pertexta.' Pacatus Panægyrico: 'Illos tenui perlucentes amictu, et vix leve carbasum vitando Soli tolerantes.' *Idem.*

Quam quidem laciniam curiosulus ventus, &c. reflabat] Vide supra pag. 22. dicta. *Idem.*

Membrorum voluptatem graphice laciniaret] Idem, *gratifice liciniaret.* Colv. In plerisque antiquis membranis, *liciniaret.* Bertin. *lasciviaret.* *Liciniaret,* id est, intorto et implexo volumine obvelaret. Licium, μίτος. inde lici-

nus, μίτινος. Apuleio Marsyas coma relicinus, ἀνάθριξ. et Alexandri frons relicina. Hinc et Liciniorum cognomen. Licini boves Servio sive Philargyrio III. Georg. quibus cornua sursum versum reflexa. A licio igitur licinus et liciniare, id est, obtegere velamento intorto. Apuleio obtegere. *Wower*. Bert. *lasciviaret*. Colvii et Fulvii Ms. *liciniaret*. Sciopp. in Symb. *Liciniaret*. Ita Flor. duo. Vulgo, *laciniaret*. Vide Indicem. *Elmenh.* Primo pro *membrorum voluptatem* Salmasius in Plin. Exerc. p. 5. legi vult *membrum voluptatis* seu feminal, quod sine dubio intelligi nemo non videt. Pricæus vero conjecit, *membrorum venustatem*. Perperam uterque. *Voluptas membrorum* sumi potest pro membris ipsis voluptuosis, et gaudia parientibus. De qua hypallages specie dixi ad l. VIII. p. 154. 'Contentiosa pernicie.' Membra illa igitur obtegendo simul et obtegitur voluptas, ac contra. Similia et fere eadem vide sis apud summum Gronovium ad Statii Silvas l. III. 4. 'Fuscaret gaudia formæ.' Passim *membra* in plurali dici de genitalibus utriusque sexus, notius est, quam ut moneri deceat. Nostro l. II. p. 25. 'Steterunt et membra, quæ jacebant ante.' Dein *gratifice* etiam D'Orv. Oxon. Par. Sed adi Beroald. et l. VIII. p. 172. 'oculis obunctis graphice.' Atque per hoc adverbium clarissime patet, noluisse hic Auctorem simpliciter membrorum tegumentum vento adspirante indicare; adeoque male Wouwerium et Elmenhorstium verbum *laciniaret* sive *liciniaret* explicuisse per obvelaret veste retorta ad corpus. Rectius Beroald. 'inflexu laciniæ inumbraret.' Lib. II. p. 32. 'Glabellum feminal potius obumbrans quam tegens:' sed vento adspirante pressule adhærentem Coam vestem bombycinam, lucidamque, lascive expressisse pubis formam, sive οὐ πρέποντα τύπον, ut est in Orpheo apud Clementem Alex. ut vere Salmasius, Gronovius, Pricæus explicuerunt, legentes *liniaret*. Videratque verum sensum jam Vulcanius, qui edens *laciaret*, margini dein adlevit *delinearet*, verbum Nostro et aliis passim de pictoribus adhibitum. In Pal. est *lacinaret*, in Ms. Lips. a m. pr. *laciniaret*. In Pith. Fux. D'Orv. Oxon. Guelf. quoque *liciniaret*, quod hactenus retinui. Consule laudatos viros. Elegantissime ait Achill. Tatius l. I. p. 9. Καὶ ἐγένετο τοῦ σώματος κάτοπτρον ὁ χιτών. *Oud.* *Ut adhærens pressule membrorum voluptatem graphice laciniaret*] Suidas: Διαφανῆ χιτώνια· οὐ τὰ λαμπρὰ, ἀλλὰ τὰ ἰσχνὰ, δι' ὧν διαφαίνεται τὰ τῶν γυναικῶν σώματα. Clemens apposite Pædag. II. 10. Οὐκ ἔτι σκέπη ἡ ἀβροδίαιτος ἐσθής ἐστι, τὸ σχῆμα τῆς γυμνότητος κρύπτειν μὴ δυναμένη. προσπίπτουσα γὰρ ἡ τοιαύτη τῷ σώματι προστυποῦται αὐτῷ ὑγρότερον, καὶ προσαναπλάττεται, σαρκικῶς ἐμφῦσα τῷ σχήματι, καὶ τὸν τύπον ἐκμάττεται τῆς γυναικὸς, ὥστ' οὐχ ὁρῶντι τὴν ὅλην τοῦ σώματος εἶναι φανερὰν διάθεσιν. Pro *voluptatem membrorum*, non male *venustatem* legas: sic supra V. 'oculorum venustatem' dixit. Τὸ *laciniaret*, &c. Pric. [vide Not. Delph.] *Graphice*] Decenter, venuste, concinniter, quasi ex picturæ venustate: verbum Græcum est γράφω, quod significat pingo, scribo: unde *grapheus* pictor, et *graphis* pictura dicta: qua quidem linearem proprie significari prodiderunt. Plinius noster in trigesimo quinto: 'Alia multa graphidis vestigia extant:' idem mox paulo, 'antigraphicen picturam' interpretatur, quam pueri ingenui in Græcia ante omnia docebantur. Vitruvius in primo: 'Architectum oportet graphidis scientiam habere.' Ab eadem origine est 'graphium' pro stylo, 'graphiarium' pro theca repositorioque graphiorum: 'graphicus' homo pro absoluto, et quasi pictoris manu expolito: et

'graphice' adverbium pro polite, eleganter, condecore: 'graphicotera' quoque per comparativum dicta absolutiora, elegantioraque. Aul. Gell. in nono sic refert: 'Laberius poëta in mimo, quem inscripsit Rectorem, versibus quidem satis munde atque graphice factis descripsit.' *Beroald.*

Laciniaret] A *lacinia* ductum verbum, quasi inflexu Laciniæ inumbraret. *Id.*

Pag. 234 *Corpus cand. quod cælo demeat; cærulum, quod*] Emendatio hujus loci manifeste vera. Vulgo: *corpus cand. quod c. dem. amictus cærulus, qui, &c.* Colv. Flor. Bert. et Pal. *quod cælum demeat, amictus cæruleus* vel *cærulus.* Elmenh. B. M. *corp. c. q. c. d. amictus cærulus, qui,* eodem modo, quo Colvius vulg. citat. *Putean.* Recte Floridus cum Pricæo damnavit temerariam Colvii e Ms. Lipsiano interpolationem, quam, miror, reliquos Editores retinere potuisse. Color vestis erat diversus corpori deæ, non ipsum corpus. Revocavi igitur ceterorum Codicum, quorum numerum augent Pith. Guelf. uterque, Fux. Reg. D'Orv. et Edd. priorum scripturam, *amictus cærulus.* Et particula *quod* utrobique per *quia* erit exponenda; ut ratio detur, cur corpus sit candidum, amictus vero cæruleus. Atque ita cepisse videtur Floridus. Neque enim temere Puteano credo, testanti in Bemb. et Mang. Codd. esse, *qui m.* Sic in sola Ed. Bas. sec. vidi, uti et *cælum* pro *cælo* est in Flor. Vide, num sensu stiloque clariore scripserit Auctor: *Corpus candidum, quod cælo demeat, amictus cærulus, quo de mari remeat. Quo* sc. *colore,* non amictu. Nuda enim e mari emergit, sed cærulo corporis colore, quem e mari traxit; cum candido corpore e cælo demeaverit. *Cæruleus* dedit Junt. Ed. post. Sed vide ad l. II. p. 26. *Oud.*

Corpus candidum, quod cælo demeat: cærulum, quod mari remeat] Oxon. et tres alii Mss. *amictus cærulus, &c.* quod primus omnium Colvius audacter e suo textu ejecit. *Pric.*

Quæ Deæ putabantur] I. e. erant. In de Mundo: 'Pars domibus et muneribus præfecti putabantur:' et in de Philosophia: 'Et alii rempublicarum status ab eo definiti putantur.' Græcismus, de quo alibi uberius dicemus. *Idem.*

Sui obibant] Non sunt in Oxon. nec in aliis pluribus Mss. *Idem.*

Capita cassides ovatæ] 'Ovatæ cassides' eorum in formam dimidiati ovi, ex quo nati finguntur, insignes stellis adparent in quam plurimis eorum nummis et gemmis. Vide Nummos familiarum Cordiæ, Fonteiæ, Postumiæ, aliosque. Et perpetua litterarum *b* et *v* est confusio; nusquam tamen major, quam in Mss. Appuleianis, ut vidimus sæpissime. Hinc semper 'sabium' pro 'savio,' 'conibeo' vel 'cobibeo' pro 'coniveo,' &c. *Oud.* *Cassides æratæ*] Et hoc e Lipsii cod. in contextum Colvius recepit. Habemus 'galeas' quidem 'æratas' 1. Maccab. 6. 35. apud Latinum Interpretem. Appuleii autem vetustissimæ editt. *orbatæ,* unde alii *obbatæ.* Oxon. *obactæ.* Pric. *Cassides orbatæ*] Nove dictum *orbatæ,* pro *orbiculatæ,* ab orbe et rotunditate: talis enim est cassidum forma. Quidam legunt *obbatæ:* ut *cassides* bono epitheto *obbatæ* dicantur, a similitudine obbarum: sunt autem *obbæ* vasa potoria, galearum similitudine. M. Varro: 'Utrum meridie an vesperi libentius ad obbam accedas.' Sessilem a figura obbam dixit Persius, illo versu: 'Exhalet vapida læsum pice sessilis obba.' Quidam emendant *cassides orbiculatæ,* ut dictio sit illustrior, et intellectus manifestior. *Beroald.*

Lasciva concinente tibia] Pith. *lastia continente t.* Florent. duo etiam, *lastia.* Non intellectus locus ansam corruptioni dedit. Mox Minervæ comes tibicen canit *Dorium* bellicosum, et Veneri tibiæ *cantus Lydios* dulciter

consonant. Conveniens ergo erat, ut Junoni certos quosdam modulos concineret tibia. Quare legendum omnino, *Jassia*, ab Jaso vel Jasso, Cariæ urbe. In Florid. N. 4. 'seu tu velles Æolium simplex, seu Lydium querulum, seu Jassium varium, seu Phrygium religiosum, seu Dorium bellicosum:' uti legendum est cum Berkelio ad Steph. v. *Δωρὶς*, quem consulas, suadeo, et Themist. Or. XI. Alii ibi *Asium*, *Lastium*, *Jastum* habent. 'Jasia tibia,' ut Horatio, Ovidio, aliis, 'tibia Berecyntia.' Fux. *concinvente*. Oud.

Nutibus honestis pastori pollicetur, si sibi præmium decoris addixisset, sese regnum totius Asiæ tributuram] Paris ipse de his Deabus apud Ovidium: 'Tantaque vincendi cura est, ingentibus ardent Judicium donis sollicitare meum. Regna Jovis conjunx, virtutem filia jactat:' cum sequentibus, quæ paulo post suo loco adducemus. *Pric.*

Com. Armigeri terror et metus] Val. Flacc. lib. III. Argon. v. 98. 'Terrorque Pavorque, Martis equi.' Cointus Smyrnæus lib. VIII. Hesiodus Theogoniæ vs. 931. *Elmenh.* *Prœliaris Deæ comites armigeri, Terror, et Metus*] Artemidorus II. 35. Φόβος καὶ Δεῖμος, οὓς ἔνιοι Ἄρεως υἱοὺς λέγουσι. et ibid. cap. 44. Δεῖμος καὶ Φόβος, Αρεως υἱοί. Homer. Iliau. δ. Ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθηνᾶ, Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβυς, καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα. De Marte I. in Ruffin. 'Surgit et hortatur celeres clamore ministros: Fer galeam Bellona mihi, nexusque rotarum Tende Pavor, frænet rapidos Formido jugales.' *Pric.* *Terror et Metus*] Servius ad Æn. XI. 'Terror est proprie qui alii infertur, &c. metus autem, quem habent timentes.' *Idem.*

Insultantes] Bertin. et Oxon. *insaltantes*: i. e. (Appuleiano more) *saltantes*: sic supra hoc libro: 'Me, &c. adluctari et insultare, sublatis primoribus pedibus, perdocuit.' *Idem.*

Hormum canebat bellicosum] Oxon. *Tritonum.* Vide Colvium et Beroaldum. Elmenhorstius *Dorium bellicosum.* Idem. *Hormum canebat bellicosum*] Ὁρμάω verbo Græco dicitur impetum facio, et ὁρμὴ impetus et perturbatio: inde 'hormum canticum' dictum impetuosum, et alacritati bellicæ accommodatum. Verum ego existimo legendum esse *orthrium*, est autem *orthrium* (ut docet Dion) carmen Palladis, bellici ardoris incentivum. Quod Timotheus arte musica celebratus, cum aliquando perite admodum modularetur, ferunt Alexandrum Magnum, tanquam numine quodam correptum, mox ad arma prosiluisse: adeo regem illum musici cantus vehementia concitaverat. Orthrii carminis Herodotus, Gellius, et cæteri meminere. Quod et olim Arion quoque voce sublatissima cantavit, cantuque peracto sese procul in profundum ejaculavit, ubi a delphine exceptus evasit incolumis: apud Suidam lego, ὄρθιον esse νόμον κιθαρῳδικόν: id est, 'legem citharœdicam:' a quo etiam memoratur ὄρθιος νόμος κιθαρῳδικὸς τῆς ἁρμονίας. Itaque *orthrium*, et *orthium*, pro cantico et lege citharœdicæ harmoniæ. *Beroald.*

Saltationis agilis vigorem] Macrobius Sat. II. 1. 'lubricum saltationis' dixit. Pro *agilis*, *agilem* scripserim. Manilius lib. V. 'In luxus agiles agilemque vigorem Desudant.' Vide supra hic p. 28. notata. *Pric.*

Oculis in aspectu minacibus] Vide p. 21. dicta. *Idem.*

C. e. intorto genere, gesticulatione alacri] Forte, *intorto gradu.* Colv. Mutila hæc et depravata jam alii monuerunt. Cod. Pal. *intorto genere gesticulationis.* Sed inepte refertur vox *alacris* ad Paridem. Nisi fallor, scripsit Apuleius, *citato et intorto femore.* Wowerius. *Intorto crure.* Flor. *i. genere.* Wower. *i. femore.* Tum Pal. Bert. et Flor. *gesticulatione alacer.* El-

menh. Frustra viri docti mendam hic latere crediderunt in voce *genere*, pro quo *crure* in contextum temerarie inmiserat Vulcan. Ed. sec. cum ea resideat in voce *gesticulatione;* quam optime tollunt Mss. laudati a Wower. et Elmenh. nec non Pith. Fux. Reg. D'Orv. Guelf. Lips. Petr. Oxon. *genere gesticulationis*, ut ante Elmenh. et Scriver. jam exhibuit Ed. Junt. post. atque dein amplexus quoque est N. Heinsius d. Ovidii loco. [XI. Met. 522.] Dein recte vidit Wowerius, epitheton *alacri* hic nondum convenire Paridi, sed inde male concludit, *gesticulationis* verum esse non posse. Nam et casus ille *alacri* est corruptus. Scilicet Ed. Junt. post. dat, *alacris*, sc. Pallas; atque ita legi volebat Heinsius. Sed Mss. Florent. sec. Lips. D'Orv. Fux. Guelf. Reg. Oxon. cum Edd. Elmenh. et Scriv. ostentant *alacer*, verissime. Casus hic loco motus est ab librario, qui nesciebat, *alacer* æque dici feminino genere, atque *alacris;* ut 'acer,' 'volucer,' et similia. Consule Serv. ad Virg. Æn. VI. 682. et alibi, G. J. Voss. lib. II. de Anal. c. 21. Burmann. ad Petron. Carm. de B. Civ. 210. 'Volucer Fama.' Sicut contra 'alacris,' 'volueris,' et plura occurrunt masculino genere. Vide Terent. Eun. II. 3. 12. Misc. Obs. v. p. 282. Cogitavi aliquando, num adverbialiter Auctor scripserit *alacre* pro *alacriter*, uti solet sexcenties. Vide ad lib. v. p. 101. 'simile mœrendo.' Mox, 'spectatorum pectora suave mulcere.' p. 235. 'mite conniventibus, acre comminantibus pupulis.' Atque hoc ipsum sic invenias in illis, quæ vulgo Plauto adscribuntur, Amphitr. Ac. IV. Sc. *di vostram fidem*, vs. 42. At Musstos sequi malim. Non minus enim Nostro frequens, Adjectivum verbo jungere adverbii loco. Vide ad lib. VII. p. 146. VIII. p. 159. *Oud.* *Citato et intorto genere*] Wower. *femore.* Colvius *intorto gradu.* Virgilius: 'Tortos legit obvius orbes.' Servius: 'Obliquas, et implicitas vias.' *Pric.*

Favore caveæ] Vide supra hic p. 232. notata. *Idem.*

Circumfuso populo] Casaubonus libri sui oræ adscripsit, *circumfusa.* Quod si in scriptis esset, sane minime sollicitarem. Sed non solum quis *circumfundi* dicitur a turba; verum et 'turba,' 'multitudo,' &c. ipsa dicitur 'circumfundi alicui,' vel 'aliquem.' Vide Drak. ad Liv. lib. XXIX. c. 34. 'Festis se circumfudere.' Heins. et Burm. ad Virg. Æn. II. 383. 'circumfundimur armis.' VI. 666. 'Quos circumfusos adfata.' XI. 543. 'Circumfuso volitabant milite Volsci.' Me ad Hirt. de B. Afric. c. 78. 'Julianas turmas circumfundi.' Vell. lib. II. c. 46. 'circumfusis inmanibus copiis.' Quod non sollicitandum erat. Similiter Auctor rursus lib. III. p. 48. 'Mulieres circumfusæ lectulum.' L. VIII. p. 165. 'canes undique laterum circumfusi.' p. 174. 'passimque circumfusi juvenem flagitabant.' Immo et de re una dicitur, ut 'circumfusus ignis' Liv. lib. I. 41. 'circumfusus sopor' infra lib. XI. p. 239. *Oud.* *Circumfuso populo lætissimorum parvulorum*] Lib. II. de Eadem: 'Licet omni Cupidinum populo comitata.' *Pric.*

Dulce subridens] Lib. VI. de Eadem, 'subridens amarum.' *Idem.*

Constitit amœne. Illos teretes ac lacteos puellos, &c.] Oxon. *Constituta pone illos, &c.* quomodo et ex Florentino Cod. Elmenhorstius conjecit. Præfert eandem scripturam etiam Lipsii Ms. *Idem.* *Teretes*] Habentes membra teretia, et succulenta: qualis habitudo Cupidines decet. Horat. teretes suras probat in fœmina, cum ait: 'Brachia et vultum teretesque suras Integer laudo.' *Teres* autem rotundum in longum dicitur: idem Horat. in Epodo, 'teretem puerum' appellat, quem intelligi vult speciosum, habentem crura brachiaque teretia. *Beroald.*

Pinnulis] Cupidines aligeri et sagittiferi pinguntur, ut ante dictum est. *Idem.*

Obituræ dominæ] Id est, Veneris adituræ, peracturæ, suscepturæ. Potes legere *Obituri:* hoc est, ipsi Cupidines adituri velut nuptiales epulas dominæ Veneris, faces flamma coruscantes præferebant, ex ritu moreque nuptiali: namque apud Veteres quinque faces in nuptiis accendebantur. Causam refert Plutarch. in problematis, et nos in oratione nuptiali diligenter perscripsimus. Spinam nuptiarum facibus auspicatissimam esse, auctores sunt Plin. et Massurius: quoniam inde fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinas. Hinc illud Catullianum: 'Spineam quære tædam.' Plerique falso legunt *pineam.* Pueri tres patrimi et matrimi, hoc est, habentes patrem et matrem, adhibebantur in nuptiis: unus, ut facem præferret ex spina alba: duo, qui nubentem tenebant. *Idem.* *Velut nuptiales epulas obituræ Dominæ coruscis facibus prælucebant*] Vide quæ ad Matth. 25. 1. *Pric.*

Qua jaculis floris serti et soluti, &c.] Eum locum quare ab initio suspectum habuerim, quilibet facile capiat. De multis conjecturis hanc primam huic destinare visum est, *quæque,* vel, si tibi placet, *quæquæ jactis floribus sertis et solutis deam suam propitiantes.* Cum libris antiquioribus destituimur, expeditissimam confirmandis conjecturis rationem arbitror, ipsius scriptoris, in quo versamur, auctoritate et consuetudine niti. Apuleius lib. IV. 'jamque per plateas commeantem populi floribus sertis' (perperam in libris editur *certis*) 'et solutis adprecantur.' Et bene est, quod pluries hoc genere loquendi usus hic Auctor. Supra libro II. 'Et ecce Fotis mea, jam domina cubitum reddita, proximat rosa serta et soluta in sinu tuberante.' Erunt itidem pro testimonio luculento hæc Minutii Felicis in Octavio; quibus ritum paganorum ridet, Christianorum vero extollit: 'Quis autem ille,' inquit, 'qui dubitat vernis nos indulgere floribus, cum capiamus' (malo *carpamus*) 'et rosam veris et lilium, et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur' (lego, *exsparsis nitimur*) 'mollibus, ac solutis, et sertis colla complectimur.' Flores sertos nuncuparunt, qui in coronamenta contexti erant. *Serta* plerique vocarunt, quæ Varro a serie format. Ovidius: 'Inter plena meri redimitus pocula sertis.' Exstant hodieque non illepidi versus Apuleii de sertis in prima Apologia sua. Rosis, floribus convivas prospergi solere, capita et pocula quoque revinciri, cognitum est vel ex solo Apuleii libro secundo; ut Suetonium, Plinium, Virgilium, alios complures mittam. Etiam in Silicerniis, et anniversariis celebrandis rosas et omne genus florum in tumulum exspergebant, idque supremo judicio suo domesticis quosdam injunxisse, clamant antiqui lapides. Inter eos hic, in quo legato conditio adjicitur, VT QVOTANN. ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT. Coronatos autem convivas olim accubuisse, item unguentatos, ab ipso Apuleio quoque docemur l. IV. 'Adhuc unguentis madidum, coronis floridum.' Coronæ porro quales, et quare, et qua parte corporis convivas adhibitæ, docet nos Athenæus l. XV. c. 5. cum sequentibus. Idemque de unctura Antiquorum late disserit lib. dicto, capit. 14. et capit. 18. ut et Suetonii locus ea de re observatu dignus in vita Neronis, cap. 26. Usui quoque paganis fuere tam flores, quam unguenta in pompis publicis et supplicamentis, testante identidem Apuleio libro undecimo, in festo, quod annue, et quidem æterna religione, in honorem Isidis celebrabant. 'Ille etiam,' inquit, 'quæ cæteris unguentis et geniali

balsamo guttatim excusso conspergebant plateas.' Ibidem paucis lineis intercurrentibus: 'Mulieres candido splendentes amicimine, vario lætantes gestamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, qua sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis.' Paganos vero caput coronatos fuisse, eumque honorem et mortuis habuisse, tum utrumque a Christianis improbatum, dum hic sumus, libenter, et, ut mihi videtur, non incommode declaraturus sum. Collo, non cerebro illos coronas amasse, jam liquidum ex Minutii testimonio præmisso. Addam alterum ejusdem ex eodem Octavio, ex quo etiam præterea, quæ adserere volumus, unguentis pariter fideles abstinuisse convincitur. Verba Cæcilii Notalis pagani ita se habent: 'Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguem funeribus: coronas etiam sepulchris denegatis, pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum.' Cui objectioni, operæ pretium erit audire, quæ Octavius respondit: 'Sane quod caput' (inquit) 'non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut sentienti facem, aut non sentienti coronam; cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. At nos exequias adoramus eadem tranquillitate, qua vivimus; nec adnectimus arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus.' *Stewech.* Bert. *j. floreis s.* Aldus, *jactis floreis s.* Elmenh. Plurima ἀπροσδιόνυσα sunt ista a Stewechio effusa, qui male e corrupta Ed. Bas. *qua* aliud fabricare conatus est, quam *quæ*, ut est in Mss. et Edd. ceteris. Itidem frustra mutat *jaculis floris serti* (Guelf. pr. *vinculis.* D'Orvill. *flori certi*) *Jacula* enim sunt missilia cujusque generis. De mundo p. 712. 'Missilium cœlestium jaculis ignescit.' Alibi, ni fallor, 'grandinis jaculum.' Certe infelicissime, si umquam, hic ingenium exercuit N. Heinsius, legendo *calathis*, ad Ovid. lib. v. Fast. vs. 217. 'Conveniunt pictis incinctæ vestibus Horæ, Inque leves calathos munera nostra legunt.' Nam quos ibi legunt, hic jaciendo spargunt. De jactu florum et φυλλοβολίᾳ consule Casaub. ad Sueton. Ner. cap. 25. Comment. ad Nostri lib. II. p. 31. et lib. XI. p. 244. Quæ loca bene protulit Stewechius. Ac *coronæ* Horarum munus sunt solemne. Vide Hygin. Astron. lib. II. cap. 5. Supra lib. VI. p. 125. 'Horæ rosis et ceteris floribus purpurabant omnia.' *Oud.* *Floris serti et soluti*] Vide supra p. 31. notata. *Pric.*

PAG. 235 *Dominæ voluptatum veneris coma blandientes*] Voluptatum domina Venus. At quomodo Veneri sua ipsius coma blandiuntur? Absurde dictum. Cod. Bertin. *veris como.* Ostensa est ad verum via. Scribendum enim censeo, *Dominæ voluptatum veris dono blandientes.* Jaculis florum Deam propitiant. Ergo blandiuntur veris dono, nempe floribus, qui veris donum et munus. Ut est in pervigilio Veneris. *Wower.* Bertin. *veris como.* Quod quid sit, nescire me fateor. Suidas quidem, nescio, si huc faciat, cum scribit: Κῶμοι, ᾠδαὶ, ὀρχήσεις μετὰ μέθης, id est, comi, cantus, saltationes vinolentorum sive comissabundorum. Hesychius: Κῶμος, εἶδος ὀρχήσεως ποιμένος τινός. Quid si legas: *Veneris como.* Sciopp. in Symbola. Pal. et Flor. I. *v. comas.* Bert. *veris como.* Wower. recte, *veris dono.* Elmenh. *Veneris* cum Mss. plerisque edidere Colv. Vulc. Wow. Pric. *Veris como* ineptissime e Bertiniano expressit Scriverius. Melius Markland. ad Stat.

Silv. v. 3. 285. *Dominæ Voluptatum Veneri como bl.* Et forsan s. rursus pro *scilicet* erat positum. Sed unice rectum est *Veris coma*, quod ostentant Guelf. ambo, Pith. et Florentini, (nisi quod in illis sit *comas*,) et reliquæ Edd. si modo scribamus littera majuscula *V. Ver* enim poëtice est Dea, Horarum una, florenti cincta corona, ut ait Ovid. lib. II. Met. 27. cui crinium loco fere perpetui sunt *flores*. Hos enim per *Veris comam* intelligi bene viderunt et explicuerunt Beroald. J. Isacus Pontan. lib. II. Anal. cap. 15. et Pricæus. Adi insuper Arntzen. de Coma lib. I. p. 12. &c. In Epigr. Pith. p. m. 144. 'Vere comanti.' Vox enim hæc adhibetur de quibusvis viridantibus et florentibus herbis plantisque. Lib. v. p. 104. 'gramen vocavit fluvii comam:' et de Mundo p. 735. Ed. Flor. 'viridantibus comis cæsariatam terram,' ait. Sic et Tibull. lib. III. 1. 48. 'Deponit flavas annua Terra comas.' 'Arundineæ comæ' Ausonio in Cupid. Crucif. vs. 6. Plura dabit Barth. ad Nemes. Ecl. IV. 24. 'tenet uva comas.' Atque ita κόμη et κομᾷν passim Græcis in usu est. *Oud.* *Veneris coma blandientes*] Hoc etiam putide infersit Colvius ex Lipsii corruptissimo Ms. Repone editt. vett. scripturam, *veris coma b.* quam lectionem recte munivit Beroaldus. *Comam veris*, flores vocat, ut v. 'comam fluvii,' gramen. Wower. et Elmenhorstius *veris dono:* minus recte. *Coma* est et in Oxon. Cod. quo prope accedit Bertin. ubi *corno*, et duo alii Codd. ubi *comas* scriptum. *Pric.* *Veris coma*] Herbis et floribus: quid enim aliud est coma Veris, quam flos et frondes? Eleganter Papinius dixit, 'crinitur arbos,' pro frondescit florescitque. Flos est pleni Veris indicium, et gaudium arborum: detrahe Veri frondes et flores, calvum et calvitio deformatum videri poterit. Consimiliter Aul. Gell. volumine duodevigesimo: 'Comas' (inquit) 'arborum lætissimas, uberrimosque vitium palmites decidit.' *Beroald.*

Jam tibiæ multiforabiles] Malim, *tib. multiforatiles*. Nam Floridorum lib. I. (N. 3.) 'Nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia.' Sidonius lib. VIII. Epistol. 'Qui tibi solent per Musicum palati concavum voce variata tinnientes, quasi tibiis multiforatilibus, effundi.' *Colv.* In Fux. D'Orv. Oxon. Guelf. est *jamque*. Colvii judicium in præferendo litteram *t* τῇ *b* secuti sunt Wowerius ac Pricæus; acceditque illis N. Heinsius ad Ovid. l. IX. Met. 783. et l. XII. 158. 'Multifori tibia buxi:' quibus locis, ut et supra ad l. III. p. 54. 'patore perflatili,' de hisce terminationibus vide. Mss. et Edd. Vett. constanter servant *b*. Sed in Floridis fere omnes habent *t*. Has tibias πολυτρήτους vocant Græci. Vide Salm. ad Solin. p. 84. *Oud.*

Contantique lente vestigio] Infra lib. XI. 'Contabundo clementer incedebat vestigio.' *Pric.*

Per fluctuantes pinnulas] Venus inter pinnatos Cupidines, quorum pinnulæ leviter fluctuabant, cœpit incedere. *Beroald.*

Adnutante c.] Palat. Guelf. sec. *admictante*. Cave, ne cogites de *adnictante*. Hoc enim oculorum est, de quibus sequitur demum. *Adnutare* capitis, teste Nonio de Differ. Verb. p. 439. Nævius in Tarentilla, teste Festo: 'alii adnutat,' 'alii adnictat:' nisi potius ista 'alii adnutat' sint nata in Nævii codice e Varia Lectione, et hinc a Festo excerpta; vel in ipsis Festi codicibus varia fuerit lectio. Verba enim Nævii aliter citat Isidorus, sed ubi desunt quoque, 'alium amat.' *Oud.* *Et sensim annutante capite cœpit incedere*] Lib. VI. 'Occipio nutante capite claudicare.' Pollux inter gestus saltatorios IV. 13. νεῦσαι καὶ συναπονεῦσαι numerat. *Pric.* *Placide commoveri, &c. et leviter fluc-*

tuante spinula, &c.] Supra lib. II. 'Membra leviter illubricans, lumbis sensim vibrantibus, spinam mobilem quatiens placide,' &c. *Idem.*

Mollique tibiarum sono delicatis respondere gestibus] Horat. 'Junctæque Nymphis Gratiæ decentes Alterno terram quatiunt pede.' Ad quæ vetus Scholiastes: 'Pro sono cantilenæ ad rythmum feriente pede.' Supra hic lib. VI. de eadem Venere ista: 'Suppari gressu suavi musica, &c. saltavit:' et forsan hoc loco etiam *gressibus* scribendum. Seneca Quæst. Nat. lib. VII. 'Tenero ac molli gressu suspendimus gradum.' *Idem.*

Mite conniventibus, &c. pupillis] Silius Ital. VII. 'Pacemque serenis Connivens oculis ibat.' Oxon. cod. et vett. editt. *pupulis* legunt. *Idem.*

Et nonnunquam saltare solis oculis] 'Saltare oculis' heic est, quod apud Ambrosium lib. de Virgin. III. 'oculis ludere.' Hinc 'oculi ludibundi, et illecebræ pleni' III. 5. A. Gellii. Appuleius Ennium imitatur, qui apud eundem Gellium XVIII. 5. 'His equitat curritque, oculis equitare videmus:' et ibidem: 'Ergo oculis equitat.' Lucianus ex persona Cynici, ad peritum saltatorem: Δοκεῖς μοι ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. De se Caius apud Philonem: Οὐ τῇ φωνῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄμμασι φθέγγομαι. *Idem.*

A. j. conspectum facta est] Ἐγένετο. Donat. in Act. IV. Sc. 3. Phormion. 'Hæc hinc facessat, pro hinc se faciat, id est, abeat: ut Huc se faciat, huc accedat significat.' Quin etiam testatur aliter apud Terentium legi; 'Hæc hinc faciat.' Nihil igitur mutandum pag. 73. cum legitur: 'Intra limen sese facit.' Sic vetus interpres Actor. Apostol. cap. 5. 'Jussit foras ad breve homines fieri.' *Sciopp. in Symb.* Intelligit locum l. V. p. 69. Ed. Pric. ubi vide. *Oud. Ante Judicis conspectum facta*] Glossæ: 'Ἐναντίον, ἄντικρυ, ante conspectum.' *Fieri* hic Græcissans dixit. *Pric.*

Nisu brachiorum] Infra XI. 'Gestum brachiorum' vocat. *Idem.*

Polliceri videbatur, si fuisset Deabus cæteris antelata, daturam se nuptam Paridi forma præcipuam] Ovidius ubi supra: 'Dulce Venus risit, Nec te Pari munera tangant Utraque, suspensi plena timoris, ait. Nos dabimus quod ames, et pulchræ filia Ledæ Ibit in amplexus pulchrior illa tuos.' Apud Virgilium ad Æolum Juno, si Æneæ naves vexaret: 'Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ, Quarum, quæ forma est pulcherrima, Deiopeiam Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.' *Idem.*

Suique consimilem] Lib. V. 'Per teretes, et teneras, et mei similes genas.' *Idem.*

Togati vulturii] Seneca II. 7. de Ira: 'Inter istos togatos nulla pax est.' Idem lib. In sap. non cad. injur. 'Accusatore submisso, aut irritatis in nos potentiorum motibus: quæque alia inter togatos latrocinia sunt.' Bene itaque 'togatos vulturios.' In Trinummo Plautina: 'Tum autem sunt alii qui te vulturium vocant: Hostes ne an cives comedas, parvipendere.' Imitatur autem Appuleius Ciceronem, qui 'paludatos vulturios' in Orat. pro Sextio dixit. *Idem.*

Sententias pretio n.] Ambrosius Serm. 7. 'Usque adeo hoc inolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit: et nulla jam caussa potest esse sine causa.' Petronius: 'Ergo judicium nihil est nisi publica merces; Atque eques in causa qui sedet, empta probat.' *Elmenh. Si toti nunc Judices sententias suas pretio nundinantur*] Cyprianus in Epistolis: 'Quis inter hæc subveniat? patronus? sed prævaricator est: Judex? sed sententiam vendit.' Seneca XCVII. Epist. 'Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo judicio, in quo reus erat Clodius? &c. atqui

dati Judicibus nummi sunt.' Petronius: 'Ergo judicium nihil est nisi publica merces.' *Pric.*

Inter deum et hom.] Immo *inter Deos et hominem:* tres enim Deæ fuerunt, et homo unus judex. *Beroald.*

Originalem s.] Quid si *virginalem?* Brant. Inepte. Primam hominibus notam, ac primordialem intelligit, ut bene cepit Beroaldus. *Oud. Originalem*] Primordialem, et ab origine rerum vetusto seculo pronunciatum, dictumque. *Beroald.*

Rusticanus et opilio] Supra lib. v. 'Sum quidem rusticanus et opilio.' *Pric.*

Sententiam, &c. lucro libidinis vendiderit, cum totius etiam suæ stirpis exitio] Ut Adamus consensum lucro gustus vendidit, cum totius etiam suæ stirpis exitio. Supra hic lib. IX. ille: 'Fruere exitio totius nostræ familiæ.' *Idem.*

Sic hercule et aliud sequens judicium inter inclytos Achivorum Duces celebratum, cum falsis insimulationibus, &c.] Ammianus Marcellinus lib. XVII. 'Ut solet amplissima gloria objecta esse invidiæ, legimus in veteres quoque magnificos Duces vitia criminaque, etiamsi inveniri non poterant, finxisse malignitatem, eorum spectatissimis artibus offensam.' Vide quæ supra p. 136. notata. Lipsius hic, *sequius judicium*, nonnulla veritatis specie: sic 'false factum judicium,' in fragmentis Sisennæ legimus. *Idem.*

Inter inclytos Archivorum Duces] Lib. IV. 'Inter inclytos Reges ac Duces præliorum.' *Idem.*

Palamedes proditionis d.] Ovid. lib. XIII. Metamorph. *Elmenh. Cum vel falsis insimulationibus, &c. Palamedes proditionis damnatur, &c.*] De eodem Philostratus: Προδότης εἶναι κατεψεύσθη, περιαχθεὶς δὲ τὼ χεῖρε, κατελιθώθη. Apollonius apud eundem Philostratum IV. 4. Veneremur optimi viri tumulum, καὶ γὰρ ἂν καὶ τῶν γε Ἀχαιῶν βελτίους γενοίμεθα· τιμῶντες δι' ἀρετὴν, ὃν ἐκεῖνοι δίκῃ οὐδεμίᾳ ἀπέκτειναν. *Pric.*

Vel virtute Martia præpotenti p. Ulixes mendicus] Idem lib. Vet. *virtute præpollenti præf. Anxies medicus.* Vulgo erat, *Ulysses modicus.* Veterem scripturam secutus scripsi, *mendicus:* quod rectum probetur ex Homeri Odyss. Θ. et P. Plautus Bacchidibus: 'Nam illic item audivi Ulixem, ut ego sum, fuisse et audacem, et malum. Dolis ego deprensus sum: ille mendicans pæne inventus interiit, Dum ibi exquirit fata Iliorum.' *Colv.* Flor. unus, *auxies modicus:* alter, *auxies m.* Bert. *U. modicus*, male. *Elmenh.* Abest *vel* a Mss. Pith. Bert. Lips. Fux. Oxon. Pal. D'Orv. Guelf. Contra Ed. Vic. quasi e Cod. Petrarchæ adscriptum a viro docto, *vel cum.* Pal. quoque et Guelf. sec. *præpollenti*, scil. e præcedentibus. *Anxies* habent quoque Pal. et Fux. *Auxies* Oxon. et Guelf. uterque. *Ulyxes* Edd. Vett. pro quo male in Colv. et seqq. Edd. *Ulysses.* Vere *Ulixes* Bert. et D'Orv. Vide ad l. I. p. 9. Wass. Misc. Obs. v. 11. p. 399. Tandem *medicus* exaratur in Flor. sec. D'Orv. Pal. Guelf. ambobus, Fux. Sed *modicus* in Florent. antiquissimo, Pith. et Bertin. ut ediderunt omnes ante Colvium, quem, vel Lipsium male hic secuti sunt posteriores. *Ulixes* non erat *mendicus* tunc, cum agebatur armorum Achillis judicium; sed diu postea; qualis exprimitur etiam in Gentis Maniliæ nummis. Neque opposita sunt *mendicus* et *maximus.* Omnino restitui debet *modicus:* sed vocem *præpotenti* delerem. 'Virtute Martia præfertur Ulixes modicus Ajaci maximo.' Vell. l. I. c. 12. 'Ipse modicus virium, inmanis magnitudinis hostem interemit.' In Apol. p. 525. 'Rei modicus.' Vide et Comm. ad Curt. l. VII. c. 8. § 9. 'Magnitudine corporis animum æstimantibus modicus, haudquaquam famæ par videbatur.' *Oud.*

Legiferos Athenienses, catos illos] Ar-

nob. lib. v. 'Quid Erichtidæ o cati, quid cives Minervii dicitis?' Sic recte vir serio doctus, Franciscus Pithœus, hunc locum legit, cujus conjectura ab Apuleio hic firmatur. Cassiodor. Varior. lib. XII. Ep. 5. 'Antiqui Athenas sedem sapientiæ esse dixerant.' Cicero pro Flacco c. 26. 'Adsunt Athenienses, unde humanitas, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.' Notæ ad Arnobium. *Elmenh.* *Athenienses catos illos*] Olim ad Apologiam p. 76. dixi. Donatus ad v. 2. Andr. 'Catus, callidus, doctus, ardens: παρὰ τὸ καίειν, &c. ingeniorum enim igneus vigor esse videtur.' Vide Beroaldum. *Pric.* *Catos, et omnis scientiæ magistros*] Interpres vetus Daniel. I. 4. 'Cautos scientia, doctos disciplina.' Mamertinus Panægyrico: 'Ipsæ illæ bonarum artium magistræ atque inventrices Athenæ,' &c. Adde quæ fuse Meursius c. 8. de Attica fortuna. *Idem.*

PAG. 236 *Quem sapientia prætulit cunctis mortalibus Deus Delphicus*] Vide quæ pridem pag. 36. ad Apologiam dicta. *Pric.*

Fraude et invidia nequissimæ factionis circumventus] De eodem I. 3. Firmicus: 'Acerbæ delationis oneratus invidia, &c. severæ animadvertentium potestati succubuit.' Bene autem argumento tali, *circumventus.* Idem III. 13. 'Aut enim appetuntur, aut deferuntur, aut falsis criminum obligantur circumventionibus.' Seneca VI. 8. de benef. 'Et rerum velut factione circumventum, miserabilem reddidit.' *Idem.*

Velut corruptor adolescentiæ, quam frænis coërcebat, &c.] Hieronymus Præfat. in lib. Jobi: 'Corrector vitiorum, falsarius dicor: et errores non auferre, sed serere.' Scriptor Maccabaicorum II. 4. 2. de Simone: 'Quiam provisorem civitatis, ac defensorem gentis suæ, &c. audebat insidiatorem regni dicere.' *Adolescentiæ*, ut *Juventutis* vox, enunciatione singularis, intellectu pluralis est. 'Coërcere adolescentiam' heic, ut Tit. 2. 4. τὰς νέας σωφρονίζειν. *Idem.*

Succo noxio] Vide supra p. 40. notata. Virgil. 'Felle veneni Armatum.' ubi Servius: 'Amaritudine veneni, succo noxio.' *Idem.*

Peremptus est] Philostratus VI. 11. de eodem, et Palamede: 'Αδικώτατα ἔπαθον, ὄντες δικαιότατοι. *Idem.*

Relinquens civibus ignominiæ perpetuæ maculam] Vere id fecisti mi Socrates, atque utinam solus: fecerunt alii etiam, non vulgares, nec longinquæ memoriæ: et locus laxior commentandi est, at me contineo. *Idem.*

Jurent in ipsius nomen] Horatius: 'Nullius addictus jurare in verba magistri.' *Idem.*

Div. prudentiæ] D'Orv. Fux. *providentiæ*, perpetua variatione, ut in l. XI. p. 249. 'Deæ providentia gaudens.' Veget. l. III. c. 4. 'providentiore consilio.' Adi Bohier. ad Cicer. II. Catil. in f. Cort. ad Plinii lib. IX. Ep. 13. 'providentissimum sapientissimumque.' Drakenb. ad Liv. l. XXV. 34. XXXV. 25. *Oud.*

Secum sic reputans] Flor. duo, *crepitans.* Elmenh. Fors pro *replicans.* Vide ad l. I. p. 11. 'Mecum replicabam.' Sed et vulgatum crebro apud Nostrum. Vide Indicem, et pag. seq. 'sic ipse mecum reputans.' Lib. XI. p. 252. 'Hæc identidem mecum reputans.' In Florid. N. IX. 'cum animo reputet.' Quomodo Ms. Perizon. et Ed. Obr. Septimii de B. Tr. l. II. c. 22. 'Per deos inmortales, reputate cum animis vestris.' Verum cap. 23. 'inter se reputare animo.' Cap. 25. 'Ut res est, animo reputarent.' Rectius cum Voss. et Ed. Merc. expungenda cuncta, *rep. cum an. vestris.* Oud.

Sed, ne quis indignationis meæ reprehendat impetum, sic secum reputans, Ecce nunc patiemur philosophantem nobis asinum? &c.] Lib. IX. 'Sed forsitan lector scrupulosus reprehendens narratum

meum, sic argumentaberis: Unde autem tu stultule asine intra terminos pistrini contentus, quid secreto, ut affirmas, mulieres gesserint, scire potuisti?' *Pric.* *Indignationis meæ reprehendat impetum*] Minucius Octavio: 'Sustinebitis me, impetum orationis liberius exerentem.' *Idem.*

Rursus, unde discessi, revertar ad fabulam] Juvenalis: 'A diverticulo repetatur fabula.' Hesychius: Ἀναβήσομαι· ἐπανελεύσομαι ἐπὶ τὰ ἐξ ἀρχῆς. In Menechmo Plautina: 'Illuc redeo unde abii:' quo ex loco Horatius: 'Illuc unde abii redeo.' Julianus VII. Orat. Ἐπανάξω ὅθεν ἐξέβην. Idem II. Orat. Ἐπανιτέον δὲ ὅθεν ἐξῆλθον. et in reliquiis Epistolæ de Sacerdotio: Ὅθεν ἐξέβην, εἰς τοῦτο ἐπανήξω. *Idem.* *Unde discessi*] Quintilianus VIII. 3. 'Vitanda μακρολογία, ut apud Livium. Legati, non impetrata pace, retro domum unde venerant, abierunt.' *Idem.*

Postquam finitum est illud Paridis judicium] Supra hic: 'Judicium finitum est.' *Idem.*

Tristes, et iratis similis e scæna redeunt] Ἀπῆλθον (ut Matth. 9. 22.) λυπούμεναι. Oxon. *cedunt*: fortasse *recedunt*. Lucretius, non absimili sensu: 'Victus tristisque recedit.' *Id.*

Venus vero gaudens et hilaris lætitiam suam saltando, &c. professa est] Ovidius ubi supra: 'Donis formaque probata, Victorem cœlo rettulit illa pedem.' Lucianus de Chaticle et Callicratida, (quorum hic masculis, ille fæmineis amoribus propugnabat) sententia pronunciata: Ἑώρων ὑπερκατηφῆ τὸν Χαρικλέα, &c. ὁ δὲ Ἀθηναῖος ἱλαρῷ τῷ τρόπῳ φαιδρὸς ἀναπηδήσας, προῄει σφόδρα σοβαρῶς. Πηδᾶν καὶ χορεύειν solere gaudio delibutos, ait et ad Psalm. 113. Chrysostomus. Vide quæ ad Act. 3. 8. adnotavimus. *Idem.*

Vino croco diluta] Crocum vino misceri solitam testis Plutarchus Sympos. l. VI. Οὐκοῦν καὶ τὸν οἶνον οἱ μὲν ἀλόαις χρωτίζοντες, ἢ κινναμώμοις καὶ κρόκοις ἐφηδύνοντες. Beroaldinæ correctioni favere videtur idem Seneca Natural. Quæst. lib. II. 'Numquid dubitas, quin sparsio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens in summam altitudinem amphitheatri pervenit, quin intentione aquæ fiat?' Ceterum Crocus et Crocum promisce Veteribus. Arnobius lib. I. 'Non item Filus et Filum? non item Crocus et Crocum? non item Fretus et Fretum?' De Sparsione hac theatrali scripsit latius lib. de Amphith. Clarissimus Lipsius, et vir doctissimus Theodorus Marcilius noster, amicusque meus, ad lib. I. Epigrammat. Val. Martialis. *Colv.* Ms. *vino Græco diluta.* Sciopp. in Symb. In theatris enim et spectaculis miro artificio crocus dulci vino mixtus e fistulis exprimebatur. Scaliger erudite ad lib. IV. Propertii p. 255. *Elmenh.* Scaliger ibi non *vino crocus*, sed *unda croco* legit cum Beroaldo, qui sic emendavit, quia in Mss. reperit *vino croco*, dum in Edd. pp. edebatur, ut in Bas. *imo croco d.* D'Orv. etiam et Pith. dant *vino croco.* Sed *vino* vel *uino crocus* est in Florent. Fux. Reg. Palat. Oxon. Guelf. quod cum Lips. in Amph. c. 16. receperunt seqq. Edd. item Spanhemius ad Callim. H. in Apoll. vs. 83. Ac certe non potest dici *unda dilui croco*, sed *crocus dilui unda* vel *vino.* Ultimam lectionem firmat egregie Plin. l. XXI. c. 6. 'Crocum vino mire congruit, præcipue dulci, tritum ad theatra replenda.' Verum tamen male me habet Genus femininum, quo nusquam vocem *crocus* vel *crocum* expressam inveni. Nec quidquam juvabit, licet Græco more, quo videntur ducere codices, *crocos* scribamus. An igitur et *dilutus* rescribendum? vel *vino crocos diluto:* ut 'vinum dilutum' sit multa aqua mixtum, et tenuissimum, ut Persio S. III. vs. 14. 'Dilutos querimur geminet quod fis-

tula guttas.' Nondum me hisce expedire queo. *Oud.* *Vino crocus diluta, sparsimque defluens, &c.*] Glossarium: 'Sparsio, κρόκος ὁ ῥαινόμενος.' Vide Lipsium de Amphitheatro, Scaligerum ad Propertium, Marcilium ad Martialem. *Pric.* *Imo croco*] Quidam legunt *vino*, ut alludere videatur ad Romanum morem, quo crocum vino miscebant, præcipue dulci, tritum ad theatra replenda: ut docet Plin. in XXI. et nos apud Propertium abunde meminimus, versiculum illum explicantes: 'Pulpita solennes non oluere crocos.' Verum ex tali lectione sententia quidem erit erudita, sed verborum structura sutilis et lapsabunda: dictio enim illa *Diluta* nusquam subsistet, nulloque adminiculo fulcietur. Quocirca corrigo: *Unda croco diluta:* ut sit sensus integer, ex eadem tamen eruditione deductus: dicit enim undam croco dilutam commixtamque emicasse per fistulam, sive siphonem in sublime, mechanico instrumento, ita ut croceus nimbus esse videretur: de quo Epigrammatista: 'Et Cilices nimbis hic maduere suis.' Idem alibi rubrum nimbum a croceo colore nominavit: et a Lucretio ex eodem ritu decenter dictum: 'Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.' Et ita poëtæ ferme omnes indicant, undam solo croco dilui solitam, ad scenam pulpitaque theatrica perfundenda. *Beroald.*

Tota suave fragrante cavea] Hegesippus I. 46. 'Ut suavi odore tota cavea fragraret.' *Pric.*

Montem illum ligneum vorago decepit] Hieronymus, etiam in re ludicra, at non lusorie: 'Repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est.' Seneca Epist. LXXXVIII. ubi de artibus ludicris: 'His adnumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia, et alias ex inopinato voluptates: aut dehiscentibus quæ cohærebant, aut his quæ distabant sua sponte coëuntibus, aut his quæ eminebant, paulatim in se residentibus.' Oxon. *recepit*, non *decepit* legit. *Idem.*

Miles per mediam plateam dirigit cursum] Senec. Agam. 'Vasto concitus miles gradu.' *Idem.* *Per mediam plateam d. cursum*] Plaut. Trinum. 'Quis hic est qui huc in plateam cursuram incipit?' Idem Cistellaria: 'Quis hic est qui recta platea cursum huc tendit suum?' *Idem.*

Et jam, torus genialis scilicet noster futurus, accuratissime disternebatur] Servius ad Æn. VI. 'Geniales tori proprie sunt qui puellis nubentibus sternuntur, a liberis generandis dicti:' quæ (tacito Auctoris nomine) habet et XX. 1. Originum Isidorus. Glossæ: 'Γαμήλιος, genialis.' *Idem.*

Publice] Oxon. *publico*, sc. loco, ut 'abstinere publico' Suet. in Ner. c. 26. Passim 'in publico,' 'in publicum,' &c. Quamquam Appuleius *publice* non tantum adhibuit, ut optimi quique, pro 'publica auctoritate,' sed et pro 'palam,' 'in propatulo,' ut lib. II. p. 25. 'Et prius publice intueri et domi postea perfrui.' Supra p. 223. 'Rumor publice crebruerat:' et alibi. *Oud.*

PAG. 237 *Scelestæ p. f.*] Bertin. *scelerosæ*. Vox Lucretiana. Imo ips. Apul. pag. 169. *Sciopp. in Symb. et Susp.* Lib. II. 16. 'Priusquam scelerosæ mulieris contagio macularer', dixit supra p. 232. An inde modo repetivit Bertin. Codicis librarius? Nam in nullo alio est libro scripto, nec edito præterquam Scriv. Flor. De maxima vi vocis adi Donat. ad Terent. Eun. IV. 3. Serv. ad Æn. I. 359. 'Inpias et scelerosas mentes' ait Arnob. lib. VI. init. *Oud.* *In amplexu Venereo nobis coëuntibus*] Ita Colvius e Lipsii Ms. scribe cum vett. editt. *cohærentibus*. Lucretius: 'Usque adeo cupide Veneris compagibus hærent:' sic I. Cor. 6. 16. apud Lati-

num, 'meretrici adhærere.' *Pric.*

Ergo igitur, &c.] Casaub. hic in margine, *Ego igitur:* at nil mutandum. Infra lib. XI. 'Ergo igitur imperiis istis meis animum intende sollicitum.' *Idem.*

Non de pudore jam, sed de ipsa salute sollicitus] Curtius lib. IV. 'Jam non de gloria, sed de salute, &c. pugnandum est.' *Idem.*

Districtus inseruit] Instanter, sollicite. Glossæ: 'Districtus, περισπασθεὶς, ἀσχοληθεὶς. *Idem. Districtus*] Occupatus. Plin. 'Distringor officio.' *Beroald.*

Voluptario spectaculo attenta] Et hoc debemus Colvio, ex eodem codice. Oxon. Ms. et vett. editt. *attonita:* atque ita reponendum putamus. sic II. 'Desiderio attonitus.' Ibidem: 'Attonitus repentinæ visionis stupore:' et XI. 'In humano meo aspectu attonitus.' *Pric.*

Porta, &c. potitus] Ms. *petitus.* Colvius. Oxon. et Guelf. uterque, *portam, quæ pr. e. potitus:* ut hic quoque *potiri* cum Accusativo construxerit. ut lib. II. Flor. N. 15. 'Samon potiebatur:' ubi in Ms. Pith. et Edd. Vett. ac Scriv. *Samum,* al. *Samo.* Adi N. Heins. et Burm. ad Ovid. lib. X. Met. 6. 27. XIII. 728. Drak. ad Liv. lib. XXXI. 45. Davis. et me ad Hirt. B. Afr. c. 36. 'Oppidum potitus.' c. 87. 'Castra potitus.' Gell. lib. XIII. c. 1. 'mortem potita est.' Oxon. *jam proxim.* Oud. *Porta quæ proxima est potitus, jam cursu me celerrimo proripio*] Apud Suidam Anonymus e Veteribus v. ὤθει· Ὁ δὲ ἐξελθὼν ἐκ τῆς πόλεως, ἔθει δρόμῳ. *Pric.*

Cenchreas pervado] Oppidum est in Isthmo, teste Pomponio Mela. Strabo in VIII. 'Cenchreas' ait 'esse navale Corinthiorum, ad orientem spectans.' Livius 'Cenchreas Corinthiorum emporium' fuisse refert. Plinius in IV. 'Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc, angustiarum termini.' Paulus apostolus comam totondit in Cenchris. *Beroald.*

Quod oppidum adeunt quidem, &c.] Bertin. Cod. et Vicent. editus, *Q. o. audit, &c.* quam probant viri docti scripturam. Fuxens. et Oxon. *Q. o. est quidem, &c.* Pric. *Alluitur autem Ægæo et Saronico mari*] Vide IX. 4. Jul. Pollucem. *Idem.*

Sardonico mari] Quis minus paulo curiosus non credat, lectionem hanc esse puram et sinceram, et apertam? tanquam a Sardinia Sardonicum mare nominetur. Sed cum Sardinia a Corintho distet, quantum Hispania Veneto dissidet Eridano, et nulla communicatio sit inter Sardoum mare et Ægeum; corrigenda dictio est unius literæ detractione: quæ res cum pronunciatu videatur esse levicula et pene frivola, sensu tamen est erudita, et ex interioribus literis eruta. Legas igitur *Saronico mari,* non *Sardonico.* Est enim sinus Saronicus, et mare Saronicum, adluens Isthmum Corinthiacum. Plin. in IV. 'Corinthiacus hinc illinc Saronicus appellatus sinus, olim pontus et portus, quasi transitus dictus, Strabone teste.' Causam nominis refert idem Plin. his verbis: 'Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde et nomen, ita Græcia antiqua appellante quercum.' Restituenda est obiter dictio Pomponii Melæ, apud quem consimiliter legitur *portus Sardonicus,* pro *Saronicus.* Beroald.

Ubi portus etiam, &c.] Stephanus π. πόλ. Κεγχρέαι, πόλις καὶ ἐπίνειον Κορίνθου. Philo de Flacco: Καταβὰς εἰς Κεγχρέας τὸ Κορινθίων ἐπίνειον. Pro *ubi,* legendum, ut ad Act. 18. monuimus. *Pric.*

Tutissimum navium receptaculum] Falsi qui cum Cod. Bertin. *munitissimum* legunt. Seneca cap. 17. ad Marciam, de portu Syracusarum: 'Quietissimum omnium quos aut Natura posuit in tutelam classium, aut manus adjuvit:' et post: 'sic tutus, ut ne maximarum quidem tempesta-

tum furori locus sit.' Pollux I. 9. in portus laudibus, ἀσφαλὴς, ἀκίνδυνος. adde quod *tutissimum receptaculum* etiam alii dixerunt. Curtius lib. v. 'Si Bactra, quod tutissimum est receptaculum, petimus,' &c. Donatus ad v. 2. Phorm. 'Ne prætereas casam tuam, quæ sit tibi tutissimum receptaculum.' *Idem.*

Vitatis, &c. turbulis] Lib. VII. 'Tabernulam quandam, &c. vitatis maris fluctibus incubabat.' *Idem.*

Electo secreto littore] Prudentius: 'Invenit expositam secreti in littoris acta.' *Idem.*

Metam deflexerat] Sol jam flectebat currum circa diei metam, ultima vice, ut ejus cursus fere absolutus fuerit. *Oud.*

METAMORPH. LIB. XI.

TOTUS quidem Appuleius elegantia et eruditione plenus est: hic vero novissimus liber inter omnes excellit, in quo dicuntur quædam simpliciter, multa ex fide historica, plurima ex secretariis philosophiæ et religionis Ægyptiæ deprompta. In principio eloquenter explicatur oratio, non asinalis, sed theologica, ad Lunam, ejusque luculenta descriptio. Mox Lunæ ad Lucium benevola institutio, pompæ sacerdotalis copiosa et erudita descriptio, ex asino in hominem pristinum devoratis rosis facillima reformatio: religiosa sacris Isidis et Osiridis initiatio, castimoniarum abstinentia, altera ad Lunam deprecatio, fœlix Romam versus profectio: ubi sacris Romanis initiatus, in collegium Pastophororum allectus est. *Beroald.*

PAG. 238 *Experrectus pavore subito*] Supra lib. II. 'Expergitus, et pavore nimio perterritus:' infra hoc lib. 'Pavore et gaudio, &c. permixtus, exsurgo.' *Pric.*

Opacæ n. Silentiosa secr.] Virg. lib. II. Æneid. 'tacite per amica silentia noctis.' Val. Flacc. lib. II. 41. et 1288. Lib. v. v. 297. *Elmenh.*

Summatem Deam] Ut II. 'primatem fœminam.' Onomast. vetus: 'Summates, Μεγιστᾶνες.' *Pric.*

Resque prorsus humanas ipsius regi providentia] De Venere, quæ et Luna, supra lib. IV. 'Rerum naturæ, &c. parens:' et Lucretius: 'Rerum naturam sola gubernas.' Scholiastes vetus Horatii, ad Carmen seculare: 'Penes ipsam et corporum omnium ratio esse dicitur, et potestas.' Firmicus Præfat. lib. IV. 'Omnis substantia terreni corporis istius Numinis providentia gubernatur.' *Idem.*

Nec tantum pecuina et ferina, &c.] De eadem in Apologia: 'Non modo humanis animis, verum etiam pecuinis et ferinis, &c. imperitare.' *Idem.*

Verum jam jam] Perpenso sensu, literisque pensitatis atque prospectis, corrigo, *inanima*: etenim proclivis fuit ex proximo error, ut hæc dictio *inanima* adulteraretur, verteretur que in *jam jam*. Est autem sensus: Non solum animantia, verum etiam anima carentia (quæ inanima dicuntur) vegetari, alique potestate lunari. Scribit Ambros. in IV. Hexameri: 'Lunam in id se induere ministerium, in quod et frater ejus, ut illuminet tenebras, foveat semina, augeat fructus.' Habet etiam pleraque a fratre distincta, ut quem toto die calor humorem terræ siccaverit, eundem exiguo

tempore noctis ros reponat: nam et ipsa Luna larga roris est. Denique cum Luna est pernox, tunc largior ros fertur arva perfundere. Defectu Lunæ compatiuntur elementa: progressu ejus, quæ fuerint exinanita cumulantur: ut animantium cerebrum, et maritimorum humida: siquidem pleniores ostreæ reperiri feruntur, multaque alia, cum globus lunaris adolescit: hoc idem quoque in arboribus pollet, et plantis. Quinetiam philosophi prodiderunt, φυτικὸν, id est, naturam plantandi et augendi corpora, existere ex globo lunari. *Beroald.*

Numinisque nutu] Varro de L. Lat. lib. VI. 'Numen dicunt esse imperium, a nutu,' &c. *Pric.*

Decrementis obsequenter inminui] 'Dispendia Lunæ' vocat in Florid. 'decisionem' de Mundo pag. 742. 'damna' Manil. lib. II. vs. 95. Bene vero *incrementis* opponuntur *decrementa.* Sic de Mundo p. 731. 'Cum menstruis cursibus Lunæ, decrementa et accessus fretorum,' &c. Verum illic Mss. O. habent *detrimenta*, ut hic *detrimentis* Pith. Fux. D'Orv. Oxon. Par. Pal. præterquam aliis visi. Atque ita quidem Fulgent. lib. II. Mythol. c. 19. 'Detrimenta Lunæ et augmenta.' Sed illic vide Munkerum. Passim Luna et Mare *decrescere* dicuntur. Nil not. e Guelf. *Oud.* *Ipsa etiam corpora cœlo, terra, marique nunc incrementis consequenter augeri, nunc decrementis obsequenter imminui, &c.*] Macrobius Somn. Scip. I. 11. 'Nec dubium est, quin ipsa sit mortalium corporum et auctor et conditrix: adeo ut nonnulla corpora sub luminis ejus accessu patiantur augmenta, et hac decrescente minuantur.' Firmicus ubi supra: 'Crescentis Lunæ augmenta in corporibus nostris, et deficientis luminis damna sentimus.' Fulgentius Mytholog. lib. II. 'Detrimenta ejus et augmenta non solum terra, sed et lapides, &c. et (quod magis incredibile est) etiam letamina sentiunt.' Et nota heic conjunctionem 'cœli, terræ, marisque.' Ovid. Metam. II. 'Deque tot ac tantis cœli terræque marisque Posce bonis aliquid.' In excerptis Floridorum Noster: 'Remedia terra, cœloque, et mari conquisita.' *Pric.*

Fato scilicet jam meis tot tantisque cladibus satiato] Lassat et Fati sævitiam constantia ferendi: Κάμνουσι γάρ τοι καὶ βροτῶν αἱ ξυμφοραί· Euripidæum est in Hercule Fur. *Idem.*

Specie sa.] Ut legas *Spem salutis*, et sensus et verborum structura deposcit. *Beroald.*

Augustum specimen Deæ præsentis, &c.] Glossæ: 'Ἀπεικόνισμα, specimen, instar, effigies.' *Præsentis*, non tam quam videbat, quam propitiæ. *Pric.*

Discussa pigra quiete, alacer exsurgo] Supra lib. VIII. 'Exsurgit alacer.' Vide pag. 12. dicta. Bene et *discussa quiete.* Virgil. 'Corripio e stratis corpus:' ubi Servius: 'Ne satietate videatur somnum reliquisse.' *Idem.*

Purificandi studio, marino lavacro tr.] Quia jam jam Deam precaturus. Is enim ritus apud Veteres, ut totum corpus lavarent, Deos adituri. Tertullianus de Oratione: 'Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem, etiam cum lavacro totius corporis, aquam sumentes.' Persius Satyra II. 'Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.' *Colv.* Plerique mortales, antequam templa adire vel Diis sacrificare disponebant, lavabant se. Testatur id de Judæis Philo de offerentibus victimas; et Aristeas de 72. Interpretibus. De Ægyptiis et Græcis Herodotus Euterpe. De Romanis Persius Sat. II. Tullius lib. I. de Legibus, Tibullus lib. I. Eleg. 3. De Iudis

Charangoris Josephus Indus Navigat. in Indiam fol. 146. De Catachutis Ludovicus Larritius Indicarum rerum lib. IV. cap. 24. lib. V. cap. 10. De Mahumedanis Bernardus Breidenbachius in Itinerario terræ sanctæ. Sic Andocides, antequam sacrificat, accedit gutturnium et manus abluit, ut Lysias Orat. v. p. 97. notat, cujus verba adscribam: Ἔτι δὲ παρελθὼν τὸν νόμον, ὃν ὑμεῖς ἔθεσθε, εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν αὐτῶν, ὡς ἀλιτήριον ὄντα, ταῦτα πάντα βιασάμενος, εἰσελήλυθεν ἡμῶν εἰς τὴν πόλιν, καὶ ἔθυσεν ἐπὶ τὸν βωμὸν, ὃν οὐκ ἐξῆν αὐτῷ, καὶ ἀπήντα τοῖς ἱεροῖς. Περὶ ἃ ἠσέβησεν εἰσῆλθεν εἰς τὸ Ἐλευσίνιον, ἐχερνίψατο ἐκ τῆς ἱερᾶς χέρνιβος. Observo etiam Christianos ante templi ingressum et preces aquam manibus lavandis sumpsisse. Clemens Alex. Strom. lib. IV. Tertull. de Orat. cap. 11. et in Apologetico cap. 39. Chrysostomus in Joannem Homil. I. 11. in Matthæum Homil. 72. ad Populum Antiochenum Homil. 36. Ideo autem dixit *marino rore*, quod antiquitus credebant, aquam illam propter igneam portionem universa hominum mala proluere. Proclus de Sacrif. et Mag. p. 279. Eustathius Archiepiscop. Thessalonicensis in Hom. Iliad. K. fol. 81. ἢ πάντως διὰ τὸ φύσει ῥυπτικὸν εἶναι τὸ τῆς θαλάσσης ὕδωρ· εἰς τὴν ἀπέριττον οὖν φασι τὰ περιττώματα ἔβαλλεν, διὸ καὶ παροιμία φησὶ, θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά. Laërtius in Platone (lib. III. § 6.) pag. 190. ἔνθεν τε εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας, οὗ φασι καὶ Εὐριπίδην αὐτῷ συνακολουθῆσαι, καὶ αὐτόθι νοσήσαντα πρὸς τῶν ἱερέων ἀπολυθῆναι τῇ διὰ θαλάττης θεραπείᾳ· ὅθεν καὶ εἰπεῖν· Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά. *Elmenh.* Vide et Beroald. ut et de seqq. Cui non cognita hæc? *Oud.*

Meque protinus purificandi studio marino lavacro trado] Virgilius de Ænea expergito: 'Cavis undam de flumine palmis Sustulit:' ubi Servius: 'Quia dicitur nox etiam solo somno polluere.' De marino lavacro Plutarchus in περὶ δεισιδαιμ. Βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν. Hesychius: Θαλασσωθεὶς, ἁγνισάμενος. Fuse de hoc more jam hic alii dixerunt. *Pric.*

Septiesque submerso] Censorinus de die Natali c. 7. Chalcidius in Platonis Timæum p. 108. *Elmenhorst. Submerso capite, &c. Deum præpotentem, &c. apprecabar*] Lavatio precum prævia. Persius: 'Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis Mane caput.' Propertius: 'Surge, et poscentes justa precare Deos. Ad primum pura somnum tibi discute lympha.' Ovid. 'Ubi libatos irroravere liquores Vestibus et capiti, flectunt vestigia sacra Ad delubra Deæ.' Virgil. ubi supra: 'Undam de flumine palmis Sustulit, et tales effudit ad æthera voces.' *Pric.*

Præcipue, &c. aptissimum] Sic supra lib. I. 'Summe præcipuum' dixit. *Idem.*

Divinus ille Pythagoras] De eodem in Floridis: 'Vir ingenio ingenti, ac profecto supra captum hominis animi angustior.' *Idem.*

Regina cœli, sive tu Ceres alma, &c. seu tu cœlestis Venus, &c.] Servius ad Æn. I. 'Notandum est, unum Deum habere plura nomina, id est, possibilitates:' ita enim, non *numina*, et *possibilitatem*, legendum. Junonem supra VI. non dissimilem isti habuimus invocandi modum: et fortasse uterque locus ex Aristoph. Nub. I. 3. effictus. *Idem.*

PAG. 239 *Vetustæ glandis*] Bertin. *vesculæ*, id est, siccæ et duræ, nisi fallor. Lucretius 'vescum sal' dixit, pro edaci, si Festo credimus: qui ait etiam, 'vesculos homines' esse male curatos et graciles. Sic Afranius: 'At puer est vescus, imbecillus viribus.' In Glossis exponitur 'Vescus, ὀλιγόσιτος.' Lucil. 'Quam fastidiosum ac vescum vivere.' Sic lego apud Nonium, *Vescum*, id est, cum fastidio edendi, velut interpretatur

Agell. xvi. cap. 5. qui *Vescum* ex *Ve* et *esca* compositum docet. *Ve* autem modo auget significationem, modo minuit. Hinc *Vefuba* in Glossis exponitur parva faba. Virg. iii. Georg. (175.) 'Nec vescas salicum frondes.' Ubi Servius: 'Vescas, siccas et teneras. Nam vescum hoc est proprie. Unde et telæ aranearum Vescæ vocantur.' Idem in iv. Georg. 'Vescum papaver' dicit vocari, quo vescimur. Nam aliud esse lethæum, quo non vescimur. *Sciopp. in Symb. et Susp.* ii. 12. Vide Notas ad Arnobium lib. ii. *Elmenh.* Apage istud *vesculæ*, de quo vide Phylarg. ad Virg. et Salmas. Exc. Plin. p. 26. Comm. ad Gell. temere receptum a Scriverio, sed modo natum ex librarii errore, qualis est in D'Orv. *vestutæ*. Passim *glans* in frugum oppositionem vocatur 'cibus vetustus.' Confer Pric. Inepte quoque contra Mss. O. edidit Scriverius p. 241. 'Vesculam Deam Cererem' pro *vetustam*. Oud.

Vetustæ glandis ferino remoto pabulo, &c.] Sic cum Oxoniensi Ms. et vetustis editionibus: non *vesculæ*, cum Scioppio et Bertin. cod. scribendum: *Vetustæ*, μετωνυμικῶς, vetustis seculis esitatæ. Virgilius de Agricola: 'Det motus incompositos:' ubi Servius: 'Habens in memoria victum priorem, a quo Cereris revocatus est benignitate: nam olim homines glande vescebantur.' Eundem et ad initium i. Georg. vide et i. 12. § 9. Jul. Pollucem. Ovidius de Tellure et Cerere: 'Per quas correcta vetustas, Quernaque glans victa est utiliore cibo:' qui locus altum clamat vetustam heic lectionem sequendam. *Pric.*

Miti commonstrato cibo] Idem: 'Alimentaque mitia fruges:' et de Cerere: 'Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.' Apud Quintilianum ille Declam. 12. 'Concutere quercum, legere fraga, et quæcunque primi mortales, ante traditos divinitus mitiores cibos, contra famem objecerunt.' Justinus de Habyde: 'Frumenta sulco quærere docuit, et ex agresti cibo mitiora vesci.' Supra vi. de nucleis, 'Edulia mitiora.' *Idem.*

Primis rerum exordiis] Virgilius, (quem ubique exprimit,) 'Quæ prima exordia sumat.' *Idem.*

Sexuum diversitatem generato amore sociasti] 'Sociare' hic, est δύο εἰς σάρκα μίαν ποιεῖν. cum nempe τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ προσκολλᾶται. Matth. 19. 5. *Idem.*

Et æterna sobole humano genere propagato] Id est, æterno, sobolis jugi propagatione, facto. In de Deo Socratis: 'Homines singillatim mortales, cuncti tamen universo genere perpetui.' Seneca Hippol. 'Providit ille maximus mundi parens, Cum tam rapaces cerneret Fati minas, Ut damna semper sobole repararet nova.' Lucianus in Amoribus: Ἐπισταμένη (ἡ τῶν ὅλων φύσις) ὅτι θνητῆς ἐσμεν ὕλης δημιούργημα, καὶ βραχὺς χρόνος ὁ τοῦ ζῆν ἑκάστῳ καθείμαρται, τὴν ἑτέρου φθορὰν ἄλλου γένεσιν ἐμηχανήσατο, καὶ τὸ θνήσκοντι τὸ τικτόμενον ἀντεμέτρησεν, ἵνα ταῖς παρ' ἀλλήλων διαδοχαῖς εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον ζῶμεν. De Deo, vel de Eadem, Augustus apud D. Cassium lib. lvi. Τὴν ὁμιλίαν (ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς) γόνιμον ἐποίησεν, ὅπως ἐκ τῶν ἀεὶ γεννωμένων ἀΐδιον τρόπον τινὰ καὶ τὸ θνητὸν ἀπεργάσηται. Ibidem, exemplo Majorum populo conjugia suadens: Ὧν χρὴ μεμνημένους, τὸ θνητὸν τῆς φύσεως ἡμῶν ἀϊδίῳ διαδοχῇ γεννῶν, ὥσπερ τινων λαμπάδων παραμυθεῖσθαι· ἵν' ἐν ᾧ μόνῳ τῆς θείας εὐδαιμονίας ἡττώμεθα, τοῦτο ἐξ ἀλλήλων ἀθάνατον καθιστώμεθα. Philo lib. Quod mundus incorruptib. Ἐξ ἀϊδίου κατὰ διαδοχὰς ἐξ ἀνθρώπων οἱ ἄνθρωποι βλαστάνουσιν. &c. τῆς φύσεως, &c. ὅπερ οὐκ ἴσχυς λαβεῖν ἡμῶν ἕκαστος, τοῦθ' ἅπαντι τῷ γένει δωρησαμένης, τὸ ἀθάνατον. Aristides i. Orat. Ἡ ἐξ ἀρχῆς γένεσις ἐκ Διὸς ἡμῖν, &c. καὶ τὸ θνητὸν ὂν ἡμῶν γένος κατὰ μέρος, ἀθάνατον τῇ διαδοχῇ εἶναι. Lucianus ubi supra: Αἱ σὺν γυναιξὶν ἀνδρῶν

ὁμιλίαι μέχρι δεῦρο τὸν ἀνθρώπινον βίον ἀθανάτοις διαδοχαῖς φυλάττουσιν. Athenagoras de homine loquens, in de Resurrect. Τῇ τῶν παίδων καὶ τῶν ἐκγόνων διαδοχῇ τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν παραμυθούμενος, καὶ ταύτῃ τὸ θνητὸν ἀπαθανατίζειν οἰόμενος. Justinianus Præfat. Novell. 22. de matrimonio: 'Humano generi videtur immortalitatem artificiose introducere: et ex filiorum procreatione genera renovata manent.' Sirachides XIV. 19. de foliis: 'Alia generantur, et alia dejiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis: alia finitur, et alia nascitur. Sorte nascentium, nempe loco obitorum pullulante, et occidentium numero locum nascentibus pandente:' ut ipse Auctor noster in de Mundo loquitur. Hinc, γένος τὸ ἀεὶ ἐπιγιγνόμενον, humanum dixit Xenophon παιδ. 8. et Julianus, τῷ καθ' ἕκαστον θνητὸν, τῷ παντὶ δὲ, ἀθάνατον. In loco Senecæ Orat. 6. pro *minas* forsan *manus* scribendum. *Idem.*

Quæ partu fœtarum medelis lenientibus recreato, &c.] Horatius: 'Rite maturos aperire partus Lenis Eilithya.' Ovidius (Amor. II. 13.) parturienti Corinnæ hujus Deæ auxilium implorat. *Idem.*

Veneraris delubris Ephesi] Vide Notas ad Minut. p. 33. *Elmenh. Veneraris* παθητικῶς. *Brant.* Oxon. *Ephebi.* De passivo *veneror* ab antiquo *venero*, quod et in Glossis est, vide Torrent. ad Horat. lib. II. Ecl. 2. 124. 'Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto.' *Oud.*

Triformi facie larvales] Glossæ: τρίμορφος Ἑκάτη. Valerius Flaccus lib. I. eam 'tergeminam Heram' vocat. Notata ad Minutium p. 33. *Elmenh. Triformi facie, &c.*] Æneid. IV. 'Tria virginis ora Dianæ:' ad quem locum Servius videndus. *Pric.*

Lucos diversos inerrans] De eadem Seneca Hippol. 'O magna lucos inter et sylvas Dea.' *Diversos*, varios: supra hic, 'Color Deæ diversus in speciem.' Infra: 'Jam gestamina longe diversa:' et I. 'Per diversas, &c. solitudines aufugi.' *Idem.*

Vario cultu propitiaris] Themistius XII. Orat. Ὁ θεὸς τὸ μὲν ἔχειν πρὸς εὐσέβειαν ἐπιτηδείως τῆς φύσεως κοινὸν ἐποίησε τῆς ἀνθρωπίνης, τὸν τρόπον δὲ τῆς θεραπείας ἐξῆψε τῆς ἐν ἑκάστῳ βουλήσεως. et post: Ταύτῃ τῇ ποικιλίᾳ (θρησκείας) νόμιζε καὶ τὸν τοῦ παντὸς ἀρχηγέτην γάνυσθαι. ἄλλως Σύρους ἐθέλει πολιτεύεσθαι, ἄλλως Ἕλληνας, ἄλλως Αἰγυπτίους. *Idem.*

Ista luce fœminea, &c.] Paulus I. ad Corinth. 15. Ἡλίου ἄλλη δόξα, καὶ ἄλλη σελήνης. *Fœminea*, tenui, imbecilla: ut, σκεῦος γυναικεῖον ἀσθενὲς apud D. Petrum. Seneca de eadem loquens, 'lene ac remissum lumen' dixit. (cap. 18. Consol. ad Marc.) Macrobius Saturnal. I. 17. 'Et Solem quidem maxima vi caloris in superna raptum, Lunam vero humidiore, et quasi fœmineo sexu, naturali quodam pressam tepore inferiora tenuisse.' *Idem.*

Nudis ignibus] Ms. *udis ignibus.* Al. *udis ignib.* Posterius illud mavult Beroaldus: etiam nos. *Colv.* Manifesto vera lectio, quam præfert Cod. Fulvii: *udis ignibus.* Wower. Sciopp. in Symbola. *Udis i.* Flor. *nudis i.* male. Vide Beroaldi Commentar. *Elmenh.* Beroald. in quibusd. lib. legisse ait *udis.* Pro quo tamen *uvidis* mavult Jo. Isacius Pontanus (ad Macrob. p. 282.) *Brant.* Nihil verius est lectione *udis.* Sed tamen, cum Mss. Flor. Pith. Fux. Reg. D'Orv. Guelf. Oxon. Palat. Par. et Edd. usque ad Vulc. sec. dent *nudis*, putem omnino relictum esse ab Auctore, *in udis ignibus*, significatione τοῦ *per*, sive per Græcum pleonasmum. Quod etiam jam olim margini allitum video a viro docto quodam. Innumeris locis ita loquitur Appuleius cum omnibus Afris. Lib. I. p. 3. 'In flexibus tortuosis exossam saltationem explicat:' ubi vide: item lib. VI. p. 112. 'in laboribus defessa.'

Lib. VII. p. 140. 'In simulatione promendi, quæ poscebat usus.' Lib. VIII. p. 169. 'In hebeti pigritia ferox.' Lib. IX. p. 200. 'in populis altercari.' Infra p. 249. 'Comitare pompam in ovante gradu:' ut scribi debet distincte. De Dogm. Plat. 581. Ed. Flor. 'in luce siderea ardere.' De Mundo p. 755. 'torquetur in digitis.' Adde Elmenh. Ind. Immo et aliis scriptoribus non rarum esse hunc loquendi modum, vide apud Munker. ad Hygin. F. 20. in notis meis ad Lucan. lib. IX. 615. ad Frontin. lib. I. 5. 15. Petron. c. 6. 'In cursu fatigatur.' Septim. de B. Tr. lib. III. 14. 26. 'In recordatione cruciari.' Flor. lib. II. c. 2. 'Qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent.' Ex Jornande N. Heins. non spernit *in ipso*. Et certe id agnoscunt Mss. 2. Voss. antiquiores. *Oud.* *Udis ignibus nutriens læta semina*] Maximus Tyrius Dissert. 23. Τί σελήνης εὐτροφώτερον; Virg. Georg. I. 'Diique Deæque omnes studium quibus arva tueri, Quique novas alitis nonnullo semine fruges:' ubi Servius: 'Qui a nobis jacta semina vestris seminibus alitis: semina autem Deorum dicit cœli temperiem, pluvias, teporem,' &c. τὸ *udis* recte pro *nudis* et posuit et exposuit Beroaldus. Vide et Scaligerum ad Vett. Catalecta. *Pric.* *Nudis igni*] Nitidior lectio, *Udis ignibus:* in Luna enim ignes non sunt torrentes et ignei, ut in Sole: sed humentes et diluti, utpote quæ alienum fulgorem mutuetur, cunctaque humifico spiritu laxet: temperamento autem humoris et caloris semina nutriuntur. *Beroald.*

Dispensans incerta lumina] Firmicus I. 4. 'Quæ, &c. menstruis semper incerta luminibus, Solis angusta radiatione fulgescis.' Vide Beroaldum. *Pric.*

Quaqua facie] Vide ad lib. II. pag. 22. et alibi. Ceterum Isis Myrionyma, vel polyonyma, et omnia. Consule Plutarch. de Isid. tom. II. pag. 372. Gudium ad Phædr. lib. III. cap. 19. Comment. ad Silium lib. VII. 79. Grut. p. 83. 11. Fabrett. Inscript. pag. 469. &c. Murator. pag. 73. 5. Frœlichii Anim. ad nummos veteres p. 107. Wesseling. ad Diod. Siculi tom. I. p. 29. Infra p. 241. 255. *Oud.* *Quoquo nomine, &c. te fas est invocare*] In vetere formula apud Macrobium Saturnal. III. 9. 'Dis Pater, Vejovis, Manes: sive vos quo alio nomine fas est nominare,' &c. Æneid. IV. 'Sequimur te sancte Deorum, Quisquis es:' ad quæ Servius: 'Secundum morem Pontificum, qui sic precantur: Jupiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris.' Idem alibi: 'Stoici dicunt non esse nisi unum Deum, et unam eandemque esse potestatem: quæ pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur.' *Pric.*

Tu meis jam nunc extremis ærumnis subsiste] Senec. 'Jam statue tandem gravibus ærumnis modum.' *Idem.* *Jam nunc extremis ærumnis subsiste*] Tibullus: 'Nunc Dea, nunc succurre mihi.' Nisus ad eandem hanc Deam apud Virgilium: 'Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori.' Supra hic lib. V. 'Jam nunc subsistite.' *Idem.*

Affirma] Melius est *offirma:* id est, stabilito, fulcitoque, et firmam reddito, ne me deinceps sua mutabilitate concutiat. *Berould.*

Sit satis laborum] Silius Italicus: 'Tormentis finem, metamque laboribus orat.' Æn. I. 'Quem das finem Rex magne laborum?' De Io adhuc vacca Ovidius: 'Cum Jove visa queri est, finemque orare laborum?' De eadem Juvenalis Scholiastes ad Sat. VI. 'Cum venisset, errans in partibus Ægypti, in Nilum fluvium, lassata cœpit orare, prout potuit, requiem malorum.' Cicero ad Q. Fr. 'Precor' (Deos) 'ut his infinitis malis nostris contenti sint.' Nec

vero hic τοῦ *satis* proprietas negligenda: supra lib. VI. 'Et tu, Fortuna durior, jam sævire desiste: sat tibi miseris istis cruciatibus meis litatum est.' Virgilius Ceiri: 'Sit satis hoc tantum solam vidisse malorum:' et Æn. IX. 'Pœnarum exhaustum satis est:' ubi forsan *exactum* reponendum. Seneca Troad. 'Exactum satis Pœnarum, et ultra est:' pro quo Horatius: 'Dedi satis superque pœnarum tibi.' Helena apud Euripidem: Ἅλις δὲ μόχθων οὓς ἐμοχθοῦμεν πάρος. *Pric.*

Sit satis periculorum] Χρὴ δ', εἰ σοφὸς πέφυκας, οὐκ ἐᾶν βροτὸν Τὸν αὐτὸν ἀεὶ δυστυχῆ καθεστάναι· ait ad Jovem Jocasta in Euripidis Phœnissis. *Idem.*

Redde me conspectui meorum] Ita Symmachus Appuleium imitatus nostrum, 3. 63. *Idem.*

Redde me meo Lucio] Claud. 'Me, precor, heu, me redde mihi, gravibusque medere Vulneribus.' Horat. 'Obsecro et obtestor, vitæ me redde priori.' 'Meo Lucio,' ut supra 3. 'Quo dicto factove, &c. ad meum Lucium redibo.' *Idem.*

Ac, si quod offensum Numen inexorabili me sævitia premit, &c.] Virgilius: 'Si sceleris tanta est injuria nostri:' ubi Servius: 'Ut non possit præsentis fortunæ qualitate molliri.' *Idem.*

Mori saltem liceat, si non licet vivere] Ovid. Epist. 'Vel fer opem, vel dede neci.' Menander: Ἡδὺ δ' ἀποθνήσκειν ὅτῳ Ζῆν μὴ πάρεστ' ὡς βούλεται. Seneca Œdip. 'Prostrata jacet turba per aras, Oratque mori.' Moses ad Deum Numer. XI. 15. 'Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me: et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis malis afficiar:' in Græco est, ἔλεος, misericordiam. Virgilius: 'Tu, magne pater Divum, miserere, tuoque Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:' ad quæ Servius: 'Misericordiæ genus est, si me etiam iratus interimas.' Apud Senecam ille Controvers. II. 3. 'Si tibi tam pertinax adversum me odium est, audacter quid sis facturus pronuncia, &c. si non impetro ut vivam, hoc certe impetrem, ne diu moriar.' Ibidem VIII. 4. 'Summam infælicitatum suarum in hoc removit, quod existimabat licere misero mori.' Hinc illa, quasi de pœna extrema, supra hic VIII. 'Nec mortis quiete recreaberis, nec vitæ voluptate recreaberis.' Adherbalis apud Sallustium: 'Neque vivere lubet, neque mori sine dedecore licet:' et quæ de Corah et sociis Optatus Milevitanus: 'Ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, iis nec mori concessum est.' Vide Suidam in πέρασις. Plinius II. Epist. 20. ex persona Reguli ad medicos Velleii Blæsi: 'Quid invidetis bona mortis, cui dare vitam non potestis?' Maximianus: 'Vivere cum nequeam, sit mihi posse mori.' *Idem.*

Et adstructis miseris lamentationibus] Τὸ *miseris* primus Colvius bene e Ms. addidit: supra lib. V. 'Quid miseris lamentationibus vos nequicquam affligitis?' *Idem.*

Sopor circumfusus] Lib. III. 'Jamque luminibus meis vigilia marcidis infusus sopor.' *Elmenh.* *Marcentem animum, &c. sopor circumfusus oppressit*] 'Marcentem' mœrore intellige, inde sopor circumfusus. Luc. 22. 45. Εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύπης. cui loco quæ illustrando congesseramus libet hic in medium afferre: occasio commode se offert, nec conspectus forsan injucundus erit. De Jona Theodoretus: Τῇ ἀθυμίᾳ βαλλόμενος, &c. ἐμηχανήσατο ἀπὸ τοῦ ὕπνου παραψυχήν. De eodem Chrysostomus ad Antioch. 51. Ἐκάθευδε καὶ ἔρεγχε· βαρὺς ὁ ὕπνος, ἀλλ' οὐκ ἦν ἡδονῆς, ἀλλὰ λύπης. Longus Sophista: Ἐκ τῶν δακρύων καὶ τῆς λύπης ὕπνος βαθὺς καταλαμβάνει. Heliodorus I. Φροντίδι συνεχόμενος πρὸς ὕπνον ἐτράπετο. Idem II. Πρὸς ἡδὺ κῶμα διὰ τὸ ὑπερβάλλον

τῆς λύπης ὠλίσθησαν. et v. Ἐμοὶ τήν τε ἐκ τῆς ὁδοιπορίας καὶ τῶν ἄλλων φροντίδων κάκωσιν ὕπνῳ βραχεῖ γοῦν ἐστι παραμυθητέον. Ibidem: Λύπης προσβαλῇ πρὸς βαθὺν ὕπνον ὀλισθήσασα· huc refer et Hesychii illa, Μέρμηρα· ἡ εἰς ὕπνον καταφορικὴ φροντίς. Ἐκ σάλου πολλοῦ εὕδειν Sophocles in Philoctete dixit. Ponamus jam e Latinis nonnulla. Claudianus: 'Ille diu curis animum stimulantibus æger, Labitur in somnum.' Petronius: 'Cum Ascyltus tot malis gravatus, in somnum laberetur.' Q. Curtius IV. de Alexandro: Gravatum animi anxietate corpus altior somnus oppressit.' Idem de eodem lib. IX. 'Prælio et sollicitudine fatigatus, cum Ptolemæo assideret, lectum, in quo ipse acquiesceret, jussit inferri: in quem ut se recepit, protinus altior somnus insecutus est.' Ennius: 'Vix ægro tum corde meo me somnu' reliquit.' Quintilianus in Declamationibus: 'Gravior est quies, quibus ex lassitudine calamitatum venit.' Apud Silium Italicum: 'Somno dirus me impleverat horror.' Seneca Octav. 'Et fessa fletu lumina oppressit sopor.' Sallustius de Nabdalsa: 'Primo cura, dein, uti ægrum animum solet, somnus cepit.' Virgilius: 'Æneas tristi turbatus pectora bello Procubuit, seramque dedit per membra quietem:' et alibi: 'Confectum curis, somnoque gravatum:' unde XI. 'Justinus: 'Confectum curis, &c. somnus arripuit.' Est in Amphitryone Plautina locus, qui fortasse hunc in sensum exponendus: 'Credo misericors est: nunc propterea quod me meus herus Fecit ut vigilem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam:' id est, pugni ejus incutient mœrorem mihi, mœror somnum. Ibidem I. 1. vers. 147. ille, suos pugnos alloquens: 'Jampridem videtur factum heri quod homines quatuor In soporem collocastis:' cui simile vers. 201. ejusd. Senecæ: 'Faciam ego te hodie superbum nisi hinc abis.' Ita plagis nempe te conteram, ut, ambulare nequiens, aliorum (quod superbi solent) humeris auferaris. Ad puerum suum apud Aristophanem ille: Δεῦρ', ἐλθ' ἵνα κλάῃς. id est, ut bene vapules, et proinde plores. *Pric.*

Compseram] Lege *compresseram*: vix, inquit, cœperam oculos comprimere et connivere, quod a dormitante fieri solet. *Beroald.*

Venerandos, &c. vultus] Horatius, de eadem loquens, 'os decorum' dixit. Pro *Diis* Ms. Lipsii *Deæ*. Oxon. *Dei*. Pric.

Perlucidum simul] Vitiose Edd. Ber. Bas. pr. *periculum*. Dubito vero, num recte se habeat hoc compositum. Quod translucendi vim habet; cum oculorum radii penetrant interius in corpus, quale est vitri, fontis. Ait quidem Cic. lib. I. de Divin. cap. 57. 'Sin inlustris et perlucida stella adparuerit, significari, cœlum esse tenue purumque, et propterea salubre.' Verum ea conditio non convenit hujus simulacri descriptioni, quam subdit multis verbis Auctor. Quare malim sequi lectionem Cod. Fux. *prælucidum*. Plin. lib. XXXVII. c. 6. 'Sardonychos excellunt candore circuli prælucido.' *Oud.* *Toto corpore, &c. ante me constitisse visum est*] 'Oculis se plena videndam Obtulit, et pura per noctem luce refulsit Alma parens, confessa Deam, qualisque videri Cœlicolis, et quanta solet.' 'Toto corpore,' est, Πρόσωπα καλλύνουσα καὶ πληρουμένη· ut de eadem Sophocles locutus. Statius: 'Toto stetit obvia vultu.' Supra hic lib. VI. 'Supplicanti se Juno cum totius sui Numinis augusta dignitate præsentat.' Seneca cap. 18. ad Marc. ibidem de Luna: 'Nunc toto ore terris imminentem,' &c. *Pric.*

Ejus mirandam speciem, &c.] Oxon. et Lipsii liber, *Qui ejus, &c.* et post, *enitar*. Idem.

PAG. 240 *Si tamen mihi disserendi tribuerit facultatem paupertas oris humani*] Lib. IV. 'Sermonis humani penuria.' Pro *disserendi* malim *edisserendi* scribi: ut supra commonui. Gloss. 'Edissere, ἔκθου, φράσον.' *Idem.*

Dapsilem copiam] Hesychius: Δαψιλῆ, πολλή. Vide Beroaldum: sic 'dapsiles dotes' Plautus: 'dapsiles sumptus' Terentius. *Idem.*

Eloquutilis facundiæ] Lipsii et Oxon. lib. *Loquutilis f.* Idem.

Jamque primum crines uberrimi prolixique, &c.] Lege, *Jamprimum.* Florid. I. 'Jamprimum crines ejus, &c. anteventuli et propenduli.' Ad vocem *prolixi* pertinent Glossarii ista, 'Prolixus, τετανόθριξ.' *Idem.*

Per divina colla passive dispersi] Supra lib. II. 'Uberes crines, &c. cervice dependulos, ac deinde per colla dispositos passive,' i. e. temere dispersi. Terent. Phorm. 'Capillus passus:' ubi Donatus: 'Temere dispersus.' *Idem.*

Molliter defluebant] Bert. *diffluebant.* Elmenh. Male. Nam promissos crines intelligit *dependulos*, ut alibi loquitur. *Defluebat* Pith. Iisdem comatam, nostræque similem putavit se videre in situla quadam Beger. Thes. Brand. tom. III. p. 307. Sed crispatum illic est caput. *Oud.*

Distinxerat verticem] Fux. *distrinxerat.* Ald. *Roald.* Rom *distrinxerat verticem.* Elmenhorstius. Coll. Lips. *distrixerat*, Oxon. Pith. Edd. Junt. Ald. Colin. Bas. *distinxerat*, florum nempe variatione. Quomodo gemmis et maculis variegata passim dicuntur *distincta.* Sed perpetua est hæc variatio. Quare cum reliquis Mss. et Edd. præfero *distrinxerat*, sive undique constrixerat. Sicut etiam locuti sunt Statius et Ovidius. Nisi illic cum N. Heinsio putes, me non adsentiente, scribendum *destringere*, sive leviter contingere. Consule illum ad Ovidii Met. lib. III. 665. 'gravidis distringunt vela corymbis.' Virg. Æn. v. 617. 'radiisque rosarum districti pendent.' *Oud.*

Cujus media quidem, super frontem plana rotunditas in modum speculi, vel immo argumentum lunæ, candidum lumen emicabat] *Fr. planam*, Aldus. *Roald.* Ingeniose Fulvius Ursinus legendum conjecerat, *vel in medium semiestris Lunæ.* Wower. Sciopp. in Symb. Editio Veneta, *planam rotunditas.* Elmenh. Non recte interpretatur Auctorem Floridus. Appuleii haud dubius est sensus: In medio Deæ vertice super frontem adparuisse luminosam rotunditatem, quasi speculum, candidum lumen emittens, in argumentum et fidem, eam esse Lunam. In verbis an aliquid et quid mutandum sit, videamus. Quod exhibui, retinent Mss. O. et Edd. Vett. nisi quod *medium* vel *mediam* sit in Ms. Lips. et *plena* in D'Orv. *planam* Bert. et Edd. ante Basil. cum Scriverio. Verum tacite Wowerius edidit *media super fronte*, cum Pricæo, qui legit *medio.* Nam *frontem* servant omnes, ut 'super caput.' Vide Burm. ad Nemes. Ecl. III. 5. Drak. ad Liv. lib. XXI. 33. Nec tamen opus est rescribi *medio.* Nam subintelligitur *parte:* ut patet clarissime e sequentibus *dextra lævaque.* Ita 'media labi' Liv. lib. IX. cap. 12. Namque male *planam* reposuerunt alii, quasi 'media rotunditas' fuissent jungenda. Sed quid sit 'media rotunditas,' non intelligo. Cepisse videntur pro *dimidia* (sine auctoritate idonea) adeoque pro Lunæ orbe dimidio, sive potius corniculato cum Cupero in Harpocrate p. 155. Quomodo crebro Diana et Luna finguntur et exprimuntur in lapidibus, et nummis. Sicut etiam Isidi Lunaria cornua tribuerunt Ægyptii. Vide Pignorii Mens. Isiac. p. 30. Plutarch. in Iside et Osir. Ovid. lib. IX. Met. 687. 'Inerant lunaria fronti Cornua, cum spicis nitido fulgentibus

auro:' ubi plura vide huc pertinentia. et vs. 783. 'imitataque Lunam Cornua.' Verum hæc cornua nequaquam conveniunt *speculi* similitudini. Adhæc 'dividua Luna' valde differt a 'corniculata;' uti eas bene distinguit, ac *plenam* rursus *speculo* comparat Auctor initio lib. de Deo Socratis: 'Seu corniculata, seu dividua, seu protumida, seu plena sit, &c. corpore lævi. Ceu quodam speculo radios Solis obstiti vel adversi usurpat.' Plin. lib. II. c. 9. 'Et modo curvatæ in cornua facie,' (sic I. e Mss.) 'modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem.' Verum 'plana rotunditas' optime quadrat *speculo*. Noster in Apol. p. 428. Ed. Flor. 'In planis quidem speculis;' de quibus adi Meurs. Exercit. Crit. p. 77. Tota ergo rotunda Luna, cujus 'candore nimio præmicantis plenum orbem' paullo ante viderat, nunc somnianti adparuit Appuleio in vertice Deæ, qualis, ut hic, cum *spicis* et *serpentibus* exstat *rotunditas* in gemma apud Pignorium ibid. p. 20. et in nummo Antiochi Euergetæ apud Beger. in Thes. Brand. t. III. p. 23. ac similia multa monumenta vide apud Montfauc. Antiq. Explic. t. II. B. p. 280. 282. Suppl. t. II. p. 142. 160. &c. Dein incassum Pricæus tentavit pro *vel immo* reponere *vel enim*. Idem est, ac *vel certe*, quod alibi conjungit Auctor, aut *immo vero*. Sic p. 258. 'Nec esse quemquam de suo numero tam perditæ mentis, vel immo destinatæ mortis.' Nam quæ Ursinus conjecit, vix refelli merentur. In iis insulse et frigidissime ac contra stylum repetuntur *in modum;* ac 'semestris Luna' mox post paucos versus etiam occurrit. Porro pro *argumentum* Stewech. conjecturavit ad lib. X. p. 219. *arcuamentum*. Debuerat saltem dixisse *arcumenti*. Nam, nisi tum referas ad τὰ *in modum*, nec sensus, nec constructio constabit. Pricæus vero divinavit *augumentum*. Sed quæso, quid significabit 'plana rotunditas, speculi instar, vel in augmentum Lunæ?' Augeri Luna nequit, quando est plena. Jam ipse Pricæus servavit *plana rotunditas*, quæ non, sicut nec *modus speculi*, de dividua aut corniculari Luna dici possunt. Rectius igitur quasi parenthesi inclusit Floridus τὰ *argumentum Lunæ*, sive quod argumentum erat eam esse Lunam. At ne hac distinctione quidem opus est. Solum præpositio *in* ἀπὸ κοινοῦ repetenda est. 'Plana rotunditas emicabat super frontem in modum speculi, vel immo candidum lumen emicabat in argumentum Lunæ.' Perperam enim ante Pricæum vulgo distinguebatur post *candidum*, et jungebatur ea vox voci *argumentum;* licet Beroaldus recte junctam jam ceperit *candidum lumen*, scil. rotundum ac plane orbiculare. *Oud.*

Cujus media, &c.] Videtur *medio* legendum. *Pric.*

In modum speculi, vel imo argumentum Lunæ candidum lumen emicabat] Ita et Oxon. Ms. Ursinus, *vel in modum semestris Lunæ*, ubi primum ad illepidam geminationem adverte, tum, ad immodicam conjecturæ licentiam, quæ a communi lectione toto cœlo recedit: nec tamen desunt qui probent, qui ingeniosam appellent: nobis rectius, certe modestius, pro *vel imo*, videtur *vel enim* reponendum: sæpius ita Appuleium locutum docet Mercerus ad libellum de D. Socratis. Pro *argumentum*, antiquo more scribendi *augumentum* emendaverim. Glossarium Isidori: 'Augumentum: profectus:' sic, 'Lunæ crescentis augumenta' Firmicus in Matheseos Præfatione: et passim in principe editione ejus, 'augumenta honoris,' 'fœlicitatis,' &c. Vox *candidum* ad τὸ *lumen* pertinet. *Idem.*

Candidum lumen] Suus cuique planetarum color est. Saturno candidus, Jovi clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vesperi refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli cum ori-

tur ardens, postea radians. *Beroald.*

Dextra lævaque sulcis ins. viperarum cohibita] Fux. *coërcita.* Roaldus. Ad Minutium p. 143. *Elmenh.* Beroaldus quoque admodum sudat in explicatione *sulcorum.* Quid *fulcris,* ut citat Pignorius p. m. 20. sibi hic vellet, non capio, licet eo paullum ducant Mss. Pal. Guelf. ambo, *fulcis,* et D'Orv. *fulsis.* Sed e vocibus *dextra* sive *dextera* (ut edidere Junt. post. et Scriv.) *lævaque* patet, ab Appuleio adhuc describi planam illam in vertice Deæ super fronte rotunditatem instar speculi, quæ ab utraque parte aspidibus cincta fuerit, ita ut tractu, sive *sulco* insurrexerint, seu tumida colla porrexerint, ut alibi. Vide Notam superiorem, et citata illic monumenta, ac mensam Isiacam N. 1. Hinc etiam Valerio Flacco lib. IV. 417. Isis dicitur 'Aspide cincta comas:' ubi consule Cel. Burmannum, et Pignorium d. l. p. 26. 27. Spanhem. de præstantia numismatum t. II. p. 222. atque imagunculam Becani apud Ampl. Cuperum in Harp. p. 154. Adde Ælianum lib. x. Anim. c. 31. Τῆς Ἴσιδος τὰ ἀγάλματα ἀναδοῦσιν Αἰγύπτιοι ἀσπίδι, ὡς τινι διαδήματι βασιλείῳ. Sicut et aspidas Reges Ægyptii in diademate habebant, apud eundem lib. VI. Anim. c. 38. Quo trahit etiam Cl. Jac. Elsnerus in Schediasm. p. 131. locum Diodori Sic. lib. I. § 47. statuam Ægyptiæ reginæ, in capite habentem τρεῖς βασιλείας, sive tres coronas regias, seu triplex diadema, ut plerique sumunt. At ipse conjecit, me non adprobante, βασιλίσκους. Ii longe diversi sunt ab aspidibus. Ceterum de tractibus sive gyris serpentium *sulcis* dictis adi Pric. ad lib. VI. p. 101. 'sulcatos intrahens gressus.' Atque huc etiam Cereris serpentes ob sequentia 'spicis Cerealibus' pertinere, recte viderunt docti viri. Multa de hisce congesserunt ad Minuc. Fel. c. 21. 'Phariæ Isidis et Cereris Eleusinæ,' &c. &c. Salm. ad Solin. p. 872. *Oud.* *Sulcis insurgentium viperarum*] Jam dictum est, Lunam esse Proserpinam, esse Cererem, esse (ut ita dixerim) omnia. Proinde illi assignant ea quæ pertinent ad agricolationem Cerealem, in qua *sulci* interdum tortuosi viperas imitantur. In arando magnopere servandum est Catonis oraculum: 'Sulco vario ne ares.' Arator, auctore Plin. nisi incurvus prævaricatur: idem ait: 'Omne arvum rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet et potest:' et hoc commodissime referri ad angues, quibus frenatis, curruique admotis, Ceres Dea sulcavit cœlum, et per aëra vecta est. Ovid. 'geminos Dea fertilis angues Curribus admovit, frenisque coërcuit ora, Et medium cœli terræque per aëra vecta est.' Ego potius opinor 'sulcos viperarum' pertinere ad iter Lunæ flexuosum, qualis est draconum meatus. *Beroald.* *Dextra lævaque sulcis insurgentium viperarum cohibita*] Lib. VI. 'Dextra lævaque, &c. proserpunt et colla longa porrecti sævi dracones.' Minucius in Octavio: 'Ceres facibus accensis, et serpente circumdata.' *Pric.*

Multicolor] Scil. *vestis,* quam vel similem vocem hic desiderari, quidam crediderunt. Vide ad lib. VIII. p. 172. 'bombycinis injecti.' Talem vero vestem seu tunicam ei dat, ob varios Lunæ colores formasque. Vide de Deo Socratis. *Oud.*

Bysso pertexta] Forte, *prætexta.* Soping. Perperam tentatus hic locus. Vestis non prætexta erat bysso, sed tota texta e bysso, sive vestis erat byssina, ut p. 256. 'byssina quidem, sed floride depicta veste conspicuus.' *Oud.*

Nunc albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roseo rubore flammida] De eadem in de Deo Socratis: 'Seu corniculata, seu dividua, seu protumida, seu plena: varia ignium face,' &c. Seneca cap. 18. ad Marciam:

'Accessionibus damnisque notabilem semper proximæ dissimilem.' *Pric.*

Quæ longe longeque etiam meum confulabat obtutum, palla nigerrima splendescens atro nitore] Basilius: Τὸ ἄγαν λαμπρὸν ἀμαυροῖ τὰς ὄψεις. Julianus de Saturni lecto in Cæsaribus: Ἐβένου μὲν ἦν στιλβούσης, καὶ πολλὴν ἐν τῷ μέλανι καὶ θείαν αὐγὴν κρυπτούσης, ὥστε οὐδεὶς οἷός τε ἦν ἀντιβλέπειν· ἔπασχε δὲ τοῦτο πρὸς τὴν ἔβενον ἐκείνην τὰ ὄμματα δι' ὑπερβολὴν τοῦ λαμπηδόνος, ὅπερ οἶμαι πρὸς ἥλιον, ὅταν αὐτοῦ τῷ δίσκῳ τις ἀτενέστερον προσβλέπει. *Idem.* *Palla nigerrima*] Horatius: 'Nigra succinctum vadere palla.' *Idem.*

Et sub dextrum latus ad lævum humerum recurrens] Isidorus Orig. XIX. 25. 'Stola matronale operimentum, quod, cooperto capite et scapula, a dextro latere in lævum humerum mittitur.' Scholiastes vetus Persii ad Sat. V. 'Gabino habitu cinctuque Dii Penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo.' *Idem.*

Contubulatione] Sic noster Ms. et quidam Beroaldi. Vulg. *contabulatione.* Contubulatione, id est, tumore undantis istius et fluctuantis pallæ, ut Beroaldus recte quidem capit. Nam Tuber, Tubus, Tubulus a tumendo. Sic Tubulatio lib. III. Floridor. 'Juxtaque honestam strigileculam, recta fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ.' Arnobius lib. III. 'Hos displosis naribus, illos resimis, nonnullos turgentibus malis, aut buccarum tumulatione acrivoces.' Emendo *buccarum tubulatione.* Audacior paullo forte videar, si Propertium etiam emendandum putem: (lib. IV. El. 11. 39.) 'Et Persen proavo stimulantem pectus Achille,' legendumque, *Et Pers. proav. tubulantem p. Ach.* Tubulantem pectus, id est, tumefacientem, erigentem, ut fastuosi solent. Sic Silius Italicus de istius Persæ patre: 'Hic gente egregius, veterisque ab origine regni Æacidum sceptris, proavoque tumebat Achille:' qui locus conjecturam nostram adjuvare videatur. Sed recte etiam fortassis legi possit *contabulatione:* ut Tertulliano striæ illæ et plicaturæ, quæ in Pallio Tabulæ et Tabulata dicuntur, de Pallio: 'Adeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, et inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assignet: dehinc diluculo, tunica prius cingulo correpta, quam præstabat moderatiorem texuisse, recognito rursus umbone, et si quid exorbitavit, reformato, partem quidem de lævo promittat: ambitum vero ejus, ex quo sinus nascitur, jam deficientibus tabulis retrahat a scapulis, et exclusa dextera, in lævam adhuc congerat, cum alio pari tabulato in tergo devoto, atque ita hominem sarcina vestiat.' Tralatio hæc ducta est a tabulis ædium. Quemadmodum enim illis earum tecta consurgunt, sic vestes etiam, tamquam per gradus, contabulationibus quibusdam dilatari videri possunt. Sed quidni addam alios ejusdem Tertulliani, ad majorem hujusce rei lucem, duos locos? Ibidem, de eodem Pallio: 'Humerum velans exponit, vel includit, cetero qua in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat.' Et supra: 'Et pallii tam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis.' *Colv.* *Contabulatione.* Alii, *contubul.* Tertull. de Pallio cap. 1. 'Pallii t. t. redundantiam tabulatam congr. fulcitis.' Et cap. 5. 'R. r. u. e. s. q. e. deformato p. q. d. l. præmittat; a. v. ej. e. q. s. n. j. d. tabulis r. a. s. e. e. d. i. l. a. c. c. a. p. tabulato in terga demoto.' Sic iste locus legendus ex Scaligeri libro. *Elmenh.* In Fux. est *cont'bulatione*, Edd. Colv. Vulc. *contub.* S. d. Mss. reliqui, etiam Lips. ut duobus ex collationibus ejus mihi constat, *contab.* servant. Rectissime.

Πτύχαι vestium 'tabulæ' et 'tabulata.' Vide Salmas. ad Tertull. p. m. 336. &c. 373. ac de 'togæ umbone' p. 73. et 339. ac seqq. cum Vossio de Instit. Orat. lib. IV. cap. 8. aliisque. Mox *koras* de more in D'Orvill. *Oud.*

Contabulatione] Sicut *contabulationes* sunt in domicilio, et tabulatis pluribus tecta consurgunt, ita in vestibus, maxime fœmineis, *contabulationes* quædam extare visuntur, quasi gradatim sese dilatantes. Quidam codices habent *contubulatione*, quod non displicet: est enim *contubulatio* dicta a tubis sive tubulis, quasi tumiditas orbiculata per vestem ducta instar tubulorum, quibus aquæductus exstruuntur; qui (ut Vitruv. et Plin. docent) ex una parte lingulati esse debent, ut alius in aliam inire convenireque possint commissuris pyxidatis: multoque salubrior est aqua ex tubulis fictilibus ducta, quam per fistulas plumbeas. *Beroald.*

Ad ultimas oras] Onomast. vett. 'Ora, ἐσχατία.' *Pric.*

Intectam] Oculis obviam et apertam. Potest legi *Intextam.* Beroald.

Æreum crepitaculum] Papias: 'Sistrum lingua Ægyptiaca est tuba, cum qua Isis describitur.' Plutarchus de Iside. Gyraldus Syntag. de Diis, 12. *Elmenh.* *Æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam, &c.*] Descriptio *sistri*, de quo olim ad Apologiam dixi. *Pric.*

Paucæ ungulæ] Quidam legunt *undulæ*, quidam *virgulæ*: quæ lectio magis quadrat, cum in crepitaculo sint virgulæ, quæ agitatu brachii crispantis resonabant. *Beroald.*

Crispante brachio tergeminos jactus] Vulg. quid. *crisp. br. terg. tractus.* Virgilius Copa: 'Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella, Crispum sub crotalo docta movere latus.' *Colv.* Rom. *trigeminos.* Elmenh. F. *ictus.* Brantius. Rom. recte *trigeminos* Glossæ: 'Trigemini, τρίδυμοι.' Liv. I. 24. Colum. III. 8. § 10. Sic 4. Mss. Met. III. 'Trigemino corpori Geryonis.' Plaut. Mil. III. 1. 122. Gellius XIII. 24. Jul. Obseq. c. 12. *Wasse.* *Cripante* Oxon. *Tergeminos* autem si recte se haberet, statuendus foret triplex brachiorum jactus, sive tribus vicibus repetitus, ut ad singulos brachii motus sonuerint singula fila. Quod vix fieri potuisse videtur. Quare præplacet omnino *trigeminos*, quod servarunt Mss. Lips. Palat. Oxon. cum Edd. pp. item Beroaldi et Bas. pr. Guelf. pr. *tricem.* In nonnullis est *t'gem.* Procul dubio intelligit Auctor jactum brachiorum, quo trina simul movebantur fila. Tot enim insunt sistro, rarius quatuor, ut apud Plutarch. de Iside et Osir. p. 376. Fabr. Insc. p. 468. 489. &c. Gron. ad Min. Fel. p. 291. Sed tria vide apud Fabrett. p. 489. &c. Bacchinum de Sistris t. VI. Thes. Græv. Montfauc. in Antiq. Explic. atque alibi sæpe. Quid vero differant *tergeminus* et *trigeminus*, vide ad lib. III. p. 55. *Tractus* autem exprimitur in Edit. Colin. pro *jactus*, quos perperam Vulcanius et Brantius mutare conati sunt in *ictus.* Sistra non movebantur *manus* vel *pectinis* alicujus inpulsione; sed *brachii* jactatione in numerum, per quam crepabant mobilia et sonabilia fila, seu virgæ, unde a σείειν quoque nomen habent. Hinc σεῖστρον ἐπισείειν dicuntur θεραπευτῆρες τῆς Ἴσιδος auctori quem citat Suid. VV. ἀγείρει et σεῖστρον. quo pertinet ejus Glossa v. θεραπευτῆρες. ubi erravit Kusterus. 'Sistri motum' ait Servius ad Virg. VIII. Æn. 697. et 'sistra agitare tumultus' dicuntur Ausonio Epist. XXV. 22. Adde Pignorii mensam Isiacam p. m. 67. *Oud.*

Lævæ v. cymbium dependebat] 'Situlam' Servius in VIII. Æneid. (vs. 696.) 'Isis autem est Genius Ægypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus et recessus significat: per situlam, quam sinistra retinet, ostendit fluentiam omnium

et *tollens*. in Mss. multis, *extollens*: quod hic contra reliquos Mss. non mutem. Crebro *attollo* et *extollo* permutantur in Mss. Vide Heins. ad Claud. I. de R. Pros. vs. 11. Burm. et me ad Lucan. l. I. 604. De tumido aspidis Isiacæ collo vide Salm. in Solin. p. 242. *Oud.* *Caput extollens arduum*] Legendum *attollens*: vide supra p. 148. notata. *Pric.*

Tegebant soleæ, palmæ victricis foliis intextæ] Supra lib. II. 'pedesque palmeis baxeis indutum.' Vidimus et nos ejusmodi soleas ex Chinensibus advectas apud clarissimum mihique amicissimum Abrahamum Ortelium, ob insignem in re Geographica pub-

Et crebro aliis. Placuit etiam Sopingio et mihi aliquando Misc. Obs. v. IV. p. 140. Nunc præfero nihilominus *Natura* ex Macrobio lib. I. Sat. c. 20. 'Isis juncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum, subjacens soli,' &c. Et, ut hic dicitur 'rerum natura parens,' ita Lucretius lib. I. 623. II. 1116. III. 1361. ait, 'Rerum Natura creatrix.' Auct. Carmin. de Phœn. vs. 34. 'Hoc natura parens munus habere dedit.' *Oud.* *Rerum naturæ parens*] Lucretius de eadem: 'Rerum naturam sola gubernat.' *Pric.*

Elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis] Oxon. Se-

curarum.' *Colv.* Ms. *læva.* Sciopp. in Symb. Oxon. Gueif. pr. *levem.* Temere nimis ac tacite Ursiniani codicis scripturam *læva* amplexi sunt Elmenh. Scriv. Florid. Sæpius cum tertio hoc casu compositum construitur. Ovid. l. II. Art. 224. 'Cui coma dependet cærula.' Lib. VI. Metam. 592. 'lateri servina sinistro Vellera dependent.' Dein male *cybium* Pith. D'Orv. De hoc vasculo, sive situla, uti et lucerna, in Isidis sacris *cymbii* figuram habente, ut p. 245. docet Auctor, vide Bapt. Pium t. I. Thes. Crit. p. 447. Baudelot. t. I. Utilit. Itiner. p. 224. et Cuper. in Harpocrate p. 121. &c. *Oud.*

PAG. 241. *Caput extollens arduum*] Bert. *attollens.* Elmenh. *Att.* hinc edidit Scriverius, et quasi e conjectura sic legendum monuit Pricæus. Certe ita sæpe cum aliis loquitur Auctor. Vide illum ad l. VIII. p. 148. 'Vastum adtollens caput.' Infra p. 246. 'Attollens canis cervices arduas.' Adi et N. Heins. ad Ovidii Halieut. vs. 69. 'quanto sublimius altum Attollat caput.' Atque ita ex Porphyrione, Servio ad Æn. IX. 633. cum Ed. Aldi et Cuninghami lego in Horat. lib. I. Od. 18. 15. 'cæcus amor sui, et Adtollens vacuum plus nimio gloria verticem.' Vulgo, *sui, et tollens.* in Mss. multis, *extollens:* quod hic contra reliquos Mss. non mutem. Crebro *attollo* et *extollo* permutantur in Mss. Vide Heins. ad Claud. I. de R. Pros. vs. 11. Burm. et me ad Lucan. l. I. 604. De tumido aspidis Isiacæ collo vide Salm. in Solin. p. 242. *Oud.* *Caput extollens arduum*] Legendum *attollens:* vide supra p. 148. notata. *Pric.*

Tegebant soleæ, palmæ victricis foliis intextæ] Supra lib. II. 'pedesque palmeis baxeis indutum.' Vidimus et nos ejusmodi soleas ex Chinensibus advectas apud clarissimum mihique amicissimum Abrahamum Ortelium, ob insignem in re Geographica publico bono navatam operam et industriam nemini paullum modo humaniori ignotum. *Brant.* *Palmæ victricis foliis*] Oxon. et duo alii Mss. *victricibus.* *Pric.*

Spirans Arabiæ fælicis germina] Liber Lipsii, *Spirans fælicia germina.* Oxon. *Spirans germina.* Vide supra p. 159. notata. *Idem.* *Spirans Arab. fæl. germ.*] Legi potest, *Arabiæ fælicis germina:* nam cum triplicem Arabiam Plin. Ptol. cæterique describunt, illa est memoratissima, quæ Græco cognomine *Eudæmon*, Latine *fœlix* sive *beata* nuncupatur: quæ teste Strabone aromatifera est, quæ (ut tradit Plin.) germina odoratissima progenerat, et quamvis cassiam cinnamomumque non ferat, tamen fœlix appellatur: idem Plin. peculiaria Arabiæ germina percenset in 12. *Beroald.*

Tuis commota precibus] Lib. VI. 'Tuis, &c. precibus commoveor, et opitulari cupio.' *Pric.*

Rerum Natura parens] Idem, *ne.* Lego, *Naturæ.* *Colv.* *Naturæ* exstat item in Fux. Pith. D'Orv. Guelf. Oxon. Palat. Ac sic Venus, ut ipsa vocatur Isis p. 239. describitur lib. IV. p. 84. 'En rerum naturæ prisca parens, elementorum origo.' In Flor. N. 18. 'Rerum naturæ explorator.' Et crebro aliis. Placuit etiam Sopingio et mihi aliquando Misc. Obs. v. IV. p. 140. Nunc præfero nihilominus *Natura* ex Macrobio lib. I. Sat. c. 20. 'Isis juncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum, subjacens soli,' &c. Et, ut hic dicitur 'rerum natura parens,' ita Lucretius lib. I. 623. II. 1116. III. 1361. ait, 'Rerum Natura creatrix.' Auct. Carmin. de Phœn. vs. 34. 'Hoc natura parens munus habere dedit.' *Oud.* *Rerum naturæ parens*] Lucretius de eadem: 'Rerum naturam sola gubernat.' *Pric.*

Elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis] Oxon. Me-

mentorum, et omnium seculorum p. i. munitur altera lectio ab illis 'Tibi, &c. serviunt elementa,' quæ infra occurrunt. *Idem.*

Summa numinum, regina Manium, prima cælitum] Fux. *r. ampnium*, nescio quam recte? *Roald.* Ms. *animum.* al. *amnium.* Colvius. Flor. *r. avium*, male. *Elmenh.* In Oxon. Palat. Guelf. utroque etiam, *r. amnium.* Sed ex amplificatione, quam mox subdit, 'quæ cæli luminosa culmina, maris salubria flamina, Inferorum d. silentia nutibus meis dispenso,' videretur potius scripsisse Auctor: *summa Manium, regina marium, prima cælitum.* Quod tamen non credo; sed cum *summa numinum*, a Manibus diversorum, nihil differat a *prima cælitum*, et mare atque amnes, eorumque varii motus pendeant a dispositione siderum, quibus præest Isis, ac Lunæ, quæ ipsa est Isis, atque auctus et decrementa, accessus et recessus, omniumque undarum fluentia per sistri motum et situlam seu cymbium designentur, omnino censeo pro *numinum* corrigendum esse *luminum*, sive siderum. Luna enim siderum est 'regina bicornis,' ut ait Horat. Carm. sec. vs. 35. ubi vide. Ac passim hæc tria *lumina* seu sidera, *numina* seu cælites, vel etiam Dii omnes *Manes* seu inferi, additis quoque *elementis*, junguntur, et sub Isidis potestate esse narrantur. Lib. II. p. 39. precatur sacerdos Ægyptius 'per cælestia sidera, per inferna numina, per naturalia elementa.' Lib. III. p. 53. 'Quibus obaudiunt manes, turbantur sidera, coguntur numina, serviunt elementa.' Contrario modo peccatur infra p. 258. 'Tibi respondent sidera, gaudent numina, redeunt tempora, serviunt elementa.' Nam perperam ibi vulgo *lumina* editur, sicut innumeris locis inter se confundi solent. Sæpe 'sidera' ac 'numina,' 'Dei' ac 'cœli lumina' distincta a se invicem conjunguntur Veteribus. Virgil. Ecl. v. 23. 'Deos atque astra vocat.' Lib. III. Æn. 600. 'per sidera testor, Per superos, atque hoc cæli spirabile lumen.' Lib. IV. Æn. 520. 'Deos et conscia fati Sidera.' Lucan. lib. I. 452. 'Solis nosse Deos, et cæli lumina vobis:' uti vel e glossa *sidera*, quæ est in R. Stephani Ed. 1. legendum patet pro *numina*, quod per se non malum foret, dummodo per *cæli numina* ibi stellæ seu sidera intelligantur, ut apud Manil. lib. v. vs. 2. 'Stellarum numina,' ut recte correxit Bentleius e Mss. pro *lumina.* Infra in Flor. N. 15. 'sideralem scientiam, numinum vagantium statos ambitus:' ubi rursus turbant. Rursus Lucan. lib. X. 185. 'Stellarum cælique plagis, superisque vacavi.' Valer. Max. lib. IX. c. 11. § 4. Ext. 'Vigilarunt oculi Deorum, sidera simul,' &c. Noster utrumque junxit de una Luna, sive Iside Dea p. 238. 'Divino ejus luminis numinisque nutu.' Alioquin si *Dei* et *numina* conjungantur, vel inferi æque ac superi intelliguntur, vel simul eorum potestas et providentia innuuntur. Ceterum ex his, quæ jam disputavi, satis liquet, vocem *manium* non esse mutandam, præsertim cum ipsa Dea dicat, se 'inferorum silentia dispensare,' seseque Proserpinam esse et Hecaten. *Oud.*

Maris salubria flamina] Frustra Meursius in Exercit. Crit. p. 227. substituere tentat *aëris.* Certum est quidem, hæc respondere τοῖς *summa luminum:* ut 'cæli culmina' τοῖς 'prima cælitum,' et 'inferum silentia disp.' τοῖς 'regina Manium:' sed, ut dixi, a sideribus pendent varii *maris* et *ventorum* motus, et *in mare* Isidem jus habere, vidimus jam initio hujus libri, et latius patebit infra. Ineptissima autem lectio *flumina:* cum *flamina*, seu venti, eorumque ortus crebro mari adscribantur. Curt. lib. IX. c. 4. § 21. 'Perflare ad ipsos auram maris:' ubi vid. N. Heins. et Burm. ad Quinctil. lib. XII. Orat.

Inst. c. 10. p. 1103. ac me ad Lucan. lib. v. 567. Boëthius lib. I. Cons. Phil. Metr. 2. 'Quin etiam caussas, unde sonora Flamina sollicitent æquora ponti.' *Idem.*

Inferorum, &c. silentia] Virgil. 'Umbræque silentes.' Servius: 'Secreta Inferorum semper silentia.' *Pric.* *Nutibus meis dispenso*] Al. *motibus.* Id.

Nutibus meis dispenso] Recte Bertin. *motibus meis.* Sciopp. in Symb. et Susp. Lib. II. 12. Bert. *motibus meis.* bene. *Elmenh.* Atque sic edidit Scriverius, ut ad Lunæ motus adludat. Verum an his motibus dispensantur silentia inferorum? Quis hoc unquam dixit, vel sommavit? Rectum omnino est *nutibus*, ut initio libri hujus: 'Inanima divino ejus luminis numinisque nutu vegetari.' p. 253. 'Deæ nutu demonstrari.' p. 258. 'Tuo nutu spirant flamina.' Sexcenties alii. Plurali *nutibus* de uno usus est ipse Cicero lib. II. de N. D. 39. 'terra undique in sese nutibus suis conglobata.' Quod a Mss. O. confirmatum bene a Clerici prurigine t. XI. Bib. Anc. p. 161. defendit Burm. ad Valer. Flacc. lib. VI. 382. Sæpe autem variantur *nutus* et *motus.* Vide eumdem ad Servium Ecl. I. 17. *Oud.*

Multiformi specie] Ms. Palat. Edd. Vic. Junt. pr. Ald. *multiforme.* Quod licet non admittam protinus, sciendum tamen, nonnumquam contra vulgares Grammaticorum Canonas Adjectiva tertiæ declinationis in *is* Ablativum in *e* formare. Vide Voss. de Anal. lib. II. c. 11. 12. Sanct. in Min. lib. II. c. 7. p. 178. Zinzerl. Prom. Crit. c. 16. Ovid. Epist. VIII. 64. 'Ponte perenne.' Ep. XVI. 277. 'Hoc mihi (nam repeto) fore ut a cæleste sagitta Figerer, est verax vaticinata soror.' Ibi audacter Cl. Withof. in Orat. de Allegoriæ abusu inmutat, *ut arcu læsus ab illo.* Intelligit Auctor sagittam divi Herculis a Philoctete missam. *Idem.*

Ritu vario] Vide Themistium supra adductum. *Pric.*

Totus veneratur orbis] De eadem Act. 19. 27. Ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται. *Idem.*

Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deum Matrem: hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam, &c.] Marcianus Capella: 'Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osyrim, Dissona sacra Mithrani.' De Jove (in de Mundo) Noster: 'Et cum sit unus, pluribus nominibus cietur, propter specierum multitudinem, quarum diversitate fit multiformis.' *Idem.* *Autochthones Attici*] Vide Suidam in Αὐτόχθονες. Scholiastes ad Equit. Aristoph. Πρῶτοί τε καὶ αὐτόχθονες οἱ Ἀθηναῖοι. Euripides Ione: Ἐλθὼν λαὸν εἰς αὐτόχθονα Κλεινῶν Ἀθηνῶν. Idem ad Plutarchum, de Athenis (de exi.) Ἡ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν, Αὐτόχθονες δ' ἔφυμεν. Justinus lib. II. 'Non advenæ, neque passim collecta populi colluvies originem Urbi dedit, sed in eodem nati solo quod incedunt: et quæ illis sedes, eadem origo esto.' Cicero in pro Flacco: 'Ex sese suos cives genuisse dicuntur.' Servius ad Æn. III. 'Terrigenas esse Athenienses nemo dubitat.' Præ aliis autem insigniter Aristides, qui sic in Panathænaica: Ξένοι καὶ πολῖται μόνη τῇ γῇ ταύτῃ διῃρῆσθαι πρέπουσιν· οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι καθάπερ θέαν καταλαβόντες, οὕτω ταῦτα κρίνουσιν, οὐ τῷ μᾶλλον ἑαυτοῖς προσήκειν τῶν χωρίων τοὺς ἄλλους ἀφορίζοντες, ἀλλὰ τῷ φθῆναι κατασχόντες· καὶ ξένους ὀνομάζουσι τοὺς δευτέρους ἐλθόντας, ἀγνωοῦντες, ὅτι πάντες ὁμοίως εἰσὶ ξένοι, μᾶλλον δὲ αὐτοὶ πρῶτον ξένοι, καὶ τοσοῦτον τῶν δημοποιητῶν οὓς αὐτοὶ ποιοῦνται διαφέρουσιν, ὅσον οὐ κριθέντες ἄξιοι τῆς πολιτείας, ἀλλ' εἰσβιασάμενοι, προυβάλλοντο τὴν πατρίδα, ὥσπερ ὅπλων ἀπορίᾳ τῷ φανέντι χρησάμενοι· μόνοις δ' ὑμῖν (Atheniensibus) ὑπάρχει καθαρὰν εὐγένειάν τε καὶ πολιτείαν αὐχῆσαι· καὶ δυοῖν ὄντοιν ὀνομάτοιν, ἑκάτερον κύριόν ἐστι τῇ χώρᾳ διὰ τὸ ἕτερον, εἰκότως· οἵ τε γὰρ ξένοι διὰ τοὺς ἄλλους πολίτας γνησίους ὄντας χονται τῷ προσρήματι,

οἵ τε πολῖται βεβαιοῦσι τὴν ἐπωνυμίαν τῷ καθαροὶ ξένων τὸ ἐξ ἀρχῆς εἶναι. *Idem.*

Cretes sagittiferi] Mela lib. II. 'Celebrantur arte sagittandi Cydon, Gortyna et Gnosus, Cretæ urbes.' Curtius lib. IV. 'Attalus adjunctis sagittariis Cretensibus ultimos ordines avertit a fronte.' Claudianus de Consulatu Honorii lib. IV. vs. 525. Lucanus lib. III. *Elmenh.*

Siculi trilingues] Cælius Rhodig. Antiq. Lect. lib. III. cap. 32. 'Siculos ab Apuleio dici trilingues animadverto, quod barbare initio sunt locuti; Græce mox, postremo etiam Latine.' Diodor. Sic. Biblioth. lib. V. Fol. 290. Thomas Fazellus rerum Sicul. Decade 1. lib. I. cap. 7. *Idem.* Heins. conjicit, sic dictos eos a tribus promontoriis; adeoque ut Græce Τριναρίους, ad Ovid. Metam. l. XIII. 724. 'Sicaniam: tribus hæc procurrit in æquora linguis.' Acute sane. *Oud.*

Nascentis dei Solis inchoantibus radiis illustrantur] Dicta hæc de magna matre Deum, cui cæca illa antiquitas et infidelitas barbara varia sacrificia exhibuit, varia indidit nomina. Putarunt alii legendum, *nascentis diei.* Mihi litteram transponere placet, et scribere, *nascentis die.* Etenim 'dies,' 'die,' vel 'dii,' vel 'dies:' 'facies' 'facie,' pro 'diei,' 'faciei,' genendi casu olim declinasse, testes mihi Grammatici, Charisius lib. I. Institutionum Grammat. et Agellius lib. IX. Noctium cap. 14. Virgilius: 'Libra dii somnique pares ubi fecerit horas.' Itidem apud Plautum Aulularia repertum, 'fide' pro 'fidei.' *Steweck. Dei Solis.* Sic recte putavi esse in quibusdam. Sol enim, ὁ θεός. Euripides: Λάμπας ὕψεται θεοῦ. At jam etiam non spreverim, *nascentis diei:* ut Floridorum I. (N. 6.) 'Nec quod iisdem sitis ad nascentem diem, tamen color noctis est.' *Colv. Diei* habent Ms. Oxon. Edd. Junt. post. Bas. pr. margo, et Basil. sec. Quod, vulgatum licet non damnans, prætulit Pricæus, delendo scil. vocem *Solis.* De *die* pro *diei* consule scripta ad Cæs. l. II. B. G. c. 23. Recte quidem dicas *nascentem diem,* ut alibi Appuleio, qui mox scripsit, 'qui dies ex ista nocte nascitur,' aliique, sicut et contra 'moriens dies,' Plauto, Statio, aliis. Verum nescio, an recte jungi possint *diei radii.* Illi certe melius *Soli* conveniunt, quem ita *Deum* vocat Auctor rursus l. I. p. 4. 'Solem istum dejerabo videntem Deum.' Ac Sol etiam non tantum 'oriri' et 'surgere,' sed et 'nasci' atque 'adolescere' dicitur. Virg. G. I. 442. 'Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum.' Vide Comment. ad Petron. c. 122. Carm. de B. Civ. vs. 148. 'Nec Solis adulti Mansuescit radiis.' Claud. Præf. Epithal. Honorii vs. 15. 'Renatus Hesperus.' Solin. p. 26. 'Inter utrumque Solem, Antipodum occidentem, et nostrum renascentem.' Plin. l. IV. 12. 'exorientem.' Dein restitui verborum ordinem e Mss. et Edd. Vett. quem, nescio, cur Colvius mutarit, *illustrantur radiis.* Oud.

Æthiopes, ariique] Ms. lib. *Æ. omnes.* Colvius. Flor. *Æ. Arique* et *Aceique.* Bert. *Æterque.* male. *Elmenh.* Manusc. *omnes.* Existimo legendum, *Æthiopes utrique,* ut supra lib. I. (p. 7.) Sed non plane assevero. *Brant.* Tam in Africa scil. quam Asia. Quare Sopingius conjiciebat, *aliique.* Certe Afri Æthiopes non possunt dici illustrari solis nascentis radiis. In Palat. etiam et Oxon. ac Guelf. utroque est *omnes:* unde facile est emendare *homines,* quod sui libri margini adscripsit G. Vossius. Millies τὰ *homines* et *omnes* confundi, nemo nescit. 'Æthiopes homines,' ut 'Harudes homines,' 'Galli homines,' aliique passim. Confer Comment. ad Cæs. l. I. B. G. c. 31. II. 30. VI. 16. Verum tamen istud *omnes* intrusum est ab librario, nesciente, quomodo haud intellecta

sibi vox scribi deberet. Longius etiam abit a vulgatis Salmasii conjectura marginalis: *Æth. quique prisca d. pollent Ægyptii.* Ill. Cuperus Mon. Ant. p. 197. conjecit *Afrique.* Sed conjecturam ipse damnavit; quia et illi non illustrantur Solis nascentis radiis. Verum hoc dicit Appuleius de solis Æthiopibus, non de seqq. quos memorat populis, in quibus certe Ægyptii illis non illustrantur. Non opus igitur est intelligere cum eodem et Interpretibus vulgaribus Asiæ interioris populos. *Arique* est in D'Orv. et Fux. *Trique* in Pith. sed in altero Florent. *Areique.* Optime, sive intelligas Africæ gentem, a Livio memoratam, l. XXXIII. c. 18. 'Tisuetæ, Tamiani et Arei ex Africa:' unde et prope Æthiopiam est Ægypti Κώμη Ἀρεια, teste Xenophonte Ephesio lib. v. p. 66. 67. sive malis Colchorum populum, de quo vide ad Lucan. l. III. 281. Sed ego priores præfero, notos scilicet Madaurensi nostro philosopho. *Oud. Et qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur Æthiopes*] Non hæc offendit me necdum dubitata lectio, magis placeret tamen *nascentis diei*, voce *Solis* expuncta. Lib. v. 'Nascentis diei lumen prævertit:' et in Floridis, de Indis loquens, quos hic Æthiopas vocat: 'Iisdem ad nascentem diem sitis, in corpore tamen color noctis est.' *Pric.*

Priscaque doctrina pollentes Æg.] Herodotus lib. II. Num. 121. et 160. sapientissimos mortalium eos vocat, ut et Firmicus in proloquio lib. I. Astron. et Porphyr. de Abstinent. ab animalib. lib. II. fol. 27. Eustathius in Dionysium. *Elmenh. Priscaque doctrina pollentes Ægyptii*] Act. 7. 22. Αἰγυπτίων σοφίᾳ. ad quem locum adnotata vide. *Pric.*

Mitte jam fletus, et lamentationes omitte] Lib. III. 'Omnem de tuo pectore tristitudinem mitte, et angorem animi depelle:' et v. 'Lugubres voces desinite, et diutinis lacrymis madentes genas siccate.' *Idem.*

Jam tibi providentia mea illucescet dies salutaris] Senec. 'Optatus ille portus ærumnis adest.' Propert. 'Jam tibi vexatæ post multa pericula vitæ Extremo veniet mollior hora die.' *Vexari* naves dicuntur quibus procellæ incumbunt: (vide II. 6. A. Gellium.) cogitemus ergo an *mollior aura* legi concinnius possit: sic 'mollis Zephyrus' Senecæ in Tragœdiis. Hesychius etiam, Ὑγρὸν ἀέντων· μαλακῶς πνεόντων. *Idem.*

Animum intende sollicitum] Lib. VIII. 'Sollicitis animis intendite.' *Idem.*

Navigabili j. pelago] Diem anni, quo navigationem auspicabantur, feriis celebratum a multis, ex hoc loco observavit Adr. Turnebus Adversar. libro XVIII. capite 24. et lib. XXIV. Capite 34. adhibito Vegetio libro IV. Capit. 39. Claudebantur autem maria (teste eodem Vegetio) 'ex die tertio Iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum:' longe profecto atque hodie aliter: cum sit locus intra Oceanum jam nullus, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum audacia, et indefessus labor, nulla etiam temporis habita ratione, pervadat. Ita est illis quædam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas. In Calendario rustico festum legitur mensis Martii, quod 'Isidis navigium' appellatur, quod innuit Apuleius, cum sit, 'rudem dedicantes carinam.' Id quotannis, muneribus largis onustum, ventis ferentibus pelago committi solet. *Brant.* III. Non. Mart. Adde quos laudat Pricæus, et Comment. ad Lactant. l. I. c. 11. §21. Petron. c. 114. *Oud. Navigabili jam pelago, &c.*] Vide Meurs. pag. 7. ad Constant. Porphyrogenn. Turnebum Advers. VIII. 24. *Pric.*

PAG. 242 *Rudem carinam*] Ne hoc de rudi et impolita capiamus fabrica,

vetat locus p. 250. 'Navem faberrime factam,' &c. Bene igitur explicuit Beroaldus novam, nec maris adhuc expertem. Quo sensu *rudis* sæpe occurrit. Vide Propert. l. III. 20. 17. et Broukhus. ad l. II. 20. 39. 'rudis Argus Dux erat ignoto missa columba mari.' *Oud.*

Primitias commeatus] Sive navigationis. Vide ad Cæs. l. v. B. G. c. 23. et alibi; sive rerum per navigationem illatarum. Ut infra p. 250. 'De novi commeatus prospera navigatione.' *Idem.*

In ipso procinctu pompæ] Thomas Magister; Πομπὴ, ἡ ἐν ταῖς τῶν θεῶν πανηγύρεσι πρόοδος. Sciopp. et Bertin. cod. *protractu pompæ:* non male: nam et 'longa pomparum varietate agmina' Noster in de Deo Socratis dixit: et multa coronam istam præcessisse docet sequentium series. Pro *ipso* autem (quod sensui isti male convenit) malim *illo* scribi: *In illo protractu pompæ*, pro, *in pompæ protractu.* Abundare in his libris vocem eam non semel neque bis monuimus. *Pric.* *In procinctu*] Apparatu. 'Procincta classis' dicebatur, cum exercitus erat paratus, confestim pugnaturus. A. Gell. 'Classem procinctam extra pomerium, id est, exercitum armatum videre religio est.' Unum accepimus esse testamentorum genus, quod *in procinctu* dicebatur, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur. *Berould.*

Alacer continuare pompam] Infra hic: 'Comitare pompam, &c. Deæ inovanti gradu:' qui locus hunc illustrat. *Pric.*

Mea volentia fretus] I. e. benevolentia. *Idem.*

Exuo] Ego, inquit Isis, confestim tibi detraham hoc asini corium, quæ bellua mihi jampridem detestabilis est. Potest legi *Exue*, ut sit imperantis verbum, quod magis quadrat cum antecedentibus subsequentibusque. *Berald.*

Quæ sunt consequentia] Videntur hic quædam voces trajectæ, locoque debito dimotæ esse. Forsan scripsit Appuleius: certe is ipsius est sensus: *Hoc eodem momento, quo tibi venio, simul et tibi præsens, quæ consequenda, et sacerdoti meo per quietem, quæ sunt facienda, præcipio.* Adfirmat Dea, certa eventura, quæ pollicebatur: quia eodem momento, quo *præsens* Lucio restitutionem formæ humanæ prædicebat, jam præcipiebat sacerdoti *per somnium*, quæ ipsi essent facienda, docens simul, maximum esse suum numen; quod, licet hic præsens esset, non minus tamen alibi locorum simul potentiam suam exsereret. Ac præstitisse id Deam, innuit Auctor p. 247. 248. Nequaquam igitur supra erat rescribendum *ibi.* Utque putem, voces quasdam non suo loco esse positas, magis me confirmat D'Orvillianus, a quo exsulant illa, *meo p. q. fac. præcipio.* In Pal. *faciendam.* Oud. *Hoc eodem momento quo tibi venio, &c. quæ sunt consequentia sacerdoti meo per quietem facienda præcipio*] Operæ pretium fuerit Act. 9. 10. conferre. *Pric.*

Constricti comitatus] Constipati. *Id.* *Meo jussu tibi constricti comitatus decedent populi*] 'Ipsa omnem longæ decedere pompæ Infusum populum, et campum faciam esse patentem.' *Id.*

Neque, &c. figuram tuam repente mutatam sequius aliquis interpretatus, maligne criminabitur] Quasi nempe vi Magica effectum. Supra lib. III. 'Dumque jam labiis undantibus' (rosas) 'affecto, consilium me subiit longe salubrius: ne, si rursum asino remoto prodirem in Lucium, evidens exitium, &c. offenderem, vel artis magicæ suspicione, vel indicii futuri criminatione.' *Idem.*

Et penita mente, &c.] Tacitus Ann. II. 'Penitus noscendas mentes:' scribe, *penitas.* Vide supra heic p. 11. et quæ olim p. 28. ad Apologiam dicta. *Idem.*

Debere] Scilicet omne illud tempus, 'quod deinceps vives.' Fuit, cum maluerim *vivis*, vel *vivas*. Sed nil mutari præstat. *Oud.* *Nec injuriam cujus beneficio ad homines redieris, ei totum debere quod vives*] Anna Samuelis mater I. Sam. 1. 27. Ὑπὲρ τοῦ παιδίου τούτου προσηυχόμην, καὶ ἔδωκέ μοι Κύριος τὸ αἴτημά μου, &c. κἀγὼ κιχρῶ αὐτὸν τῷ Κυρίῳ πάσας τὰς ἡμέρας ἃς ζῇ αὐτός. ibi de nato res, hic de renato. Sedulius ad I. Cor. 6. 'Qui non est suus, non debet sibi vivere:' vide et II. Tim. 2. 26. *Pric.*

Totum, &c. quod vives] Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. 'Hi omne quod vivunt, vino et tesseris impendunt.' *Idem.*

Vives, &c. gloriosus] 'Secundo rumore gloriosus,' ut lib. IX. locutus. Ita 'vivere gloriose,' Cato in Distich. Præfatione. *Idem.*

Scias ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere] Q. d. 'Ego inexorabile fatum Subjeci pedibus.' Sideribus fata gubernantur: (Serv. ad ea IV. Æneid. 'Vertere sidera retro.' Item, 'Conscia sidera fati') illa autem siderum Domina ac Regina, stellarum noxios meatus cohibens: (ut infra de eadem dictum) Virgilius: 'Ille, ut depositi proferret fata parentis,' &c. Ejusdem IX. 'Quo fata vocas?' ubi Servius: 'Ostendit fata posse aliquatenus trahi,' et ad Æn. VI. 'Posse aliqua ratione fata disrumpi per transitum docet.' Infra hic ad eandem istam: 'Fatorum inextricabiliter contorta licia retrectas:' qui locus hunc illustrat. His adde a Beroaldo dicta. *Id.*

Numen invictum] Subdubito in autographis fuisse, *numen invisum*. Apuleius lib. V. 'Quidam introcessit et cantavit invisus, et alius cithara pulsavit; quæ videbatur nec ipsa.' Itidem Cicero in Orationibus, 'occulta et maribus invisa sacra' dixit. *Stewech.* Stewech. *n. invisum*, non male. *Elmenh.* Immo vero inepte: Clare enim se vidisse Deam, supra testatus est. In Inscriptionibus et nummis frequens multorum Deorum epitheton est *Invictus*: ut bene observavit Pricæus. Sic 'Dianæ invictæ' apud Gor. I. Etrusc. Insc. p. 333. III. pag. 284. Murat. pag. 37. 3. 620. 3. Immo hoc ipso nomine 'Isis invicta' apud Gruter. p. 1065. 11. ISIDI INVICTÆ ET SERAPI: et apud Sponium Misc. p. 90. Murat. p. 620. 2. LUNÆ INVICTÆ CAMPESTRI; nisi malis illic cum Bimardo ad marg. Sponii, omissa copula, legere CAMPESTRIbus. sc. diis, ex Gruter. p. 1015. 2. item Sponio p. 107. N. 83. quam melius videas apud Fabrett. Insc. p. 690. nec non Muratorium p. 107. 3. Neque enim 'Campestris Luna' haberi potest, ut opinor, eadem, quæ Isis nostra 'Campensis' p. 259. ubi vide. *Oud.* *Sic oraculi venerabilis fine prolato, Numen invictum in se recessit*] Ovidius de Tellure: 'Dixerat hæc, &c. suumque Retulit os in se.' Metam. II. hic autem *in se recedere*, intelligam, 'se in nubem condere.' Virgilius de Venere (quæ et Luna) Æn. VI. 'Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.' Stewechius, *numen invisum*, Elmenhorstio accedente, at qui 'Solem invictum,' 'invictum Herculem,' et similia in Lapidibus animadvertit, fortasse ejusmodi conjecturam haud ægre repudiaverit. *Idem.*

Pavore et gaudio, &c. permixtus] Videantur quæ ad Matth. 28. 8. adnotavimus. *Idem.*

Noctis atræ fugato nubilo, Sol exsurgit aureus] Supra lib. II. 'Nocte discussa, Sol novus diem fecerat.' *Fugato*, ut apud Virgilium: 'Revoluta ruebat Matura jam luce dies, noctemque fugarat.' *Idem.* *Noctis atræ nubilo*] Florid. IV. 'Duo colores præstabiles sunt, piceus et niveus, quibus inter se nox cum die differunt.' *Idem.* *Sol exsurgit aureus*] 'Jubar aureus extulerat Sol.' Pru-

dentius: 'Sol ecce surgit aureus.' *Idem.* *Et ecce, &c. turbulæ complent totas plateas*] Ammianus lib. XXVIII. 'Exoptato die equestrium ludorum, elucescente nondum Solis puro jubare, effusius omnes festinant præcipites,' &c. quibus similia apud Corippum Africanum. Statius in nuptiali argum. 'Vixdum emissa dies, etiam socialia præsto Omina, jam festa fervet domus utraque pompa. Fronde virent postes, et fervent compita flammis, Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.' *Idem.* *Turbulæ complent totas plateas*] Lib. III. 'Turbæ miscellaneæ cuncta completa.' *Idem.*

Præter peculiarem meam] Ita excudi debuit: *meam*, hilaritudinem intellige. *Idem.*

Et ipsum diem serena facie gaudere sentirem] 'Ipse mihi visus pulchrior ire dies.' Avienus in Perieg. 'Undique fulsit Cœlicolum sedes, convexaque pura tetendit Festa dies.' Petronius: 'Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe Crevit, et aurato præcinxit fulgure vultus.' Florus IV. 12. 'Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, cœlum ipsum mitius molliusque solito videretur.' Apte autem secuturis ludis serenum facit diem præludere. Æneas ludos funebres Anchisæ institutnrus: 'Si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit:' ubi Servius: 'Almum, serenum: id est, si dederit diem serenum, et talem qualis ludis aptus est.' *Idem.* *Et ipsum diem serena facie gaudere sentirem*] Ovid. 'Numine cœlesti Solem fulgere serenum, Cum populi vultu conveniente die.' Chrysologus Serm. 41. 'Gratus dies est, et gratior serenus.' *Idem.*

Pruinam pridianam dies apricus ac placidus repente fuerat insecutus] Claudianus VI. Consul. Honorii: 'Ipse favens votis, solitoque decentior aër, Quamvis assiduo noctem fœdaverat imbre, Principis et Solis radiis detersa removit Nubila: nam pluviis ideo turbaverat omnes Ante dies, Lunamque rudem madefecerat Auster, Ut tibi servatum ferrent convexa serenum.' Sidonius Car. 11. 'Proxima quinetiam festorum afflata calore Jam minus alget hiems, speciemque tenentia vernam, Hoc dant vota loco, quod non dant tempora mundo.' *Idem.*

Prolectante verno v.] Lucianus de Dea Syria: Ἑορτέων δὲ πασέων, τῶν οἶδα, μεγίστην τοῦ εἴαρος ἀρχομένου ἐπιτελέουσι. *Colv.* Pompam matris Deum, cujus sacra cum Isiacis fere eadem, veris etiam initio Romæ celebratam describit Herodianus: Ἦρος ἀρχῇ ἑκάστου ἔτους, ὡρισμένης ἡμέρας, Μητρὶ Θεῶν πομπὴν τελοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ πάντα ὅσα παρ' ἑκάστοις πλούτου σύμβολα, κειμήλιά τε βασιλέων, ὕλης τε τέχνης θαύματα, τῆς θεοῦ προπομπεύει, ἄνετός τε πᾶσι δέδοται ἐξουσία παντοδαπῆς παιδιᾶς ἕκαστός τε ὃ βούλεται σχῆμα ὑποκρίνεται· οὐδ' ἔστιν οὕτω μέγα ἢ ἐξαίρετον ἀξίωμα, ὃ μὴ παντὶ τῷ βουλομένῳ ἀμφιεσθέντι ὑπάρχει παῖξαί τε καὶ κρύψαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι τόν τε ὄντα καὶ τὸν μιμούμενον. Quæ elegantissimus Politianus ita convertit: 'Veris initio, stato solemnique die, pompam matri Deum Romani celebrant. In ea quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, suppellexque pleraque Imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante Deam solent. Passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induant, quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cujusque studium, repræsentent; sic ut non temere falsos a veris dignoscas.' Atque hæc quidem, quia in illis quædam gemina iis, quæ a Nostro recitantur, ex lib. I. Histor. (c. 10.) adscribere operæ pretium arbitratus sum. *Idem in Add.* Istud *prolectate*, quod etiam 4. meorum exhibent, natum modo ex

omissione virgulæ. Lib. v. p. 89. 'prolectante studio.' p. 93. 'prolectante gaudio.' Eadem confusio Lucan. lib. VIII. 413. 'vacabit Sævitia stimulante Venus.' Sic optimi libri, non *stimulata:* ut lib. VI. 413. 'stimulante metu.' Vide quoque Withof. in Encæn. p. 88. Ita et 'vino stimulante' Ovidio lib. I. Art. 591. ubi consule Burm. *Oud.* *Ut canoræ etiam aviculæ prolectante verno vapore, concentus suaves adsonarent: matrem siderum, &c. blando mulcentes affamine*] Lucretius: 'Nam simul ac species patefacta est verna diei, Et reserata viget genitabilis aura Favonî; Aëriæ primum volucres te, Diva, tuumque Significant initum, perculsæ corda tua vi.' *Vaporem vernum* Noster pro *tepore* ponit, ut in illis x. 'Succuum pulmenta, &c. vapore mollibat:' et IV. 'Flammæ vapore recreati.' Curtius lib. IV. 'Cœli quoque temperies mira, verno tempori maxime similis.' Videtur *tepori* legendum. *Pric.* *Canoræ aviculæ*] Manilius l. III. 'Tum voce canora Omne nemus loquitur.' Virgil. 'Omnia tunc resonant avibus virgulta sonoris.' Gellius I. 2. 'Totius villæ venustate, &c. canoris avibus personante.' *Idem.* *Concentus suaves adsonarent*] Virgilius: 'Avium concentus.' Servius; 'Commistus cantus, symphonia.' Seneca cap. 18. ad Marciam: 'Aviumque concentu dissono.' *Idem.* *Blando mulcentes affamine*] Supra lib. x. 'Affatus blandissimos.' Virgilius I. 'Blandisque morantur Vocibus.' Idem VII. 'Assuetæ ripis volucres, et fluminis alveo, Æthera mulcebant cantu.' *Idem.*

Quid? Quod arbores] Ms. *quid quod aures, arbores.* Quid. *quidquid arb.* Sic sæpe, *Quid?* apud Plautum, et hunc Nostrum. Menæchmis restituendum: 'Quot erat annos natus cum te pater a patria avehit? M. septuennis. Nam tum dentes mihi cadebant primulum. Neque patrem umquam postilla ego vidi. MES. Quid vostrum patri Filii quot eratis?' legendumque, *quid? vos tum patri, &c.* Colv. Palat. quoque et Guelf. sec. *aures arbores.* Oud.

Pomifera sobole] I. e. fructifera. Glossæ: 'Pomiferat, Ὀπωροτροφεῖ.' Glossæ aliæ: ''Ὀπώρα, pomum.' *Pric.*

Tantum umbra contentæ steriles] Pal. *tantam.* Ed. Aldi, *et umbra.* Guelf. *umbra contecta est st.* D'Orv. *umb. cont. tantum steriles,* sine copula ante *steriles,* quæ deerat omnibus ante Colvium Edd. *Contenta est heriles* in Oxon. Fux. *contectæ steriles* in Pith. Verum *umbra* non sunt contectæ arbores, quam faciunt: licet sciam *umbram* capi posse de foliis; quomodo crines, jubæ, barba sæpe *umbra* audiunt. At multo elegantius est *contentæ:* quæ scilicet non dolent quod fructus haud ferant; nihil majus vel plus habentes, quam folia, per quæ umbram amœnam et homines bestiasque refocillantem faciant. Ita passim dicitur 'res contenta' esse, vel 'gaudere eo,' quod, nec plus, ejus natura fert: ac multus præcipue hac in locutione est Lucanus. Vide Indic. et Ill. Bouhier. ad Petron. Carm. de B. Civ. p. 119. *Oud.* *Quæque earum umbra contentæ et steriles*] Δένδρα τῶν καρπῶν ἄγονα, τὴν δὲ εὐμορφίαν καρπὸν ἔχονται, ut Lucianus in Amoribus locutus. Tales 'platani, umbras' (ut de Mundo Auctor noster) 'potantibus ministrantes.' Vide I. 12. § 9. Jul. Pollucem. *Pric.* *Austrinis laxatæ flatibus, germine foliorum renidentes*] Claudianus in Eutrop. II. 'Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem Senserat, et primi laxabant germina flores.' Hesychius: Φύλλα, τὰ τῶν δένδρων. scribe, τὰ τῶν δένδρων πέταλα. Pollux I. 12. § 10. Τὰ δὲ φύλλα καὶ πέταλα καλεῖται. Hesychius ipse, Πέταλα· οὐδετέρως τὰ φύλλα. Servius ad v. Eclog. 'Φύλλα dicta sunt a Phyllide, quæ antea πέταλα dicebantur.' *Idem.*

Dulces strepitus obsibilabant] Ms. idem, *obsibillabant*. Colv. Dio Sophista de Cognitione Dei Orat. XII. f. 194. Ταὼς ὅταν βουληθῇ ἐκπλῆξαι σείων τὰ πτερὰ, καί τινα ἦχον οὐκ ἀηδῆ ποιήσας, οἷον ἀνέμου κινήσαντος οὐ πολλοῦ πυκνήν τινα ὕλην. Hoc Latini 'argutari' et 'obstrepere,' Græci ψιθυρίζειν dicebant. Sic 'arguta illex' apud Virgilium. Nemesianus Ecloga I. 'Dic, age, sed nobis, ne vento garrula pinus Obstrepat, has ulmos potius fagosque petamus.' Nonnus III. Dionysiac. v. 67. Καὶ δρύες ἐψιθύριζον. Aristoph. Nubib. fol. 181. ἦρος ἐν ὥρᾳ χαίρων, ὁπότ' ἂν πλάτανος πτελέᾳ ψιθυρίζῃ· Scholiastes: τὸ δὲ ψιθυρίζει ἀντὶ τοῦ ἀνέμου πνέοντος μαλακοῦ καὶ ἠρέμα διὰ τῶν φύλλων εἰσιόντος, ὥσπερ προσλαλεῖ τὰ δένδρα, ὅπερ ψιθυρίζειν λέγεται. *Elmenh.* *Clementi motu brachiorum dulces strepitus obsibilabant*] Petronius: 'Non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur.' Supra VI. de fluviali Arundine: 'Musicæ suavis nutricula, leni crepitu dulcis auræ, &c. inspirata.' Scholiastes Theocriti ad Eidyll. I. Ψιθυρίζουσιν αἱ πίτυς ὅταν ῥιπισθῶσι, τῇ στενότητι τῶν φύλλων σχιζομένης τῆς πνοῆς. Constantinus Manasses: Προσέβαλε τῆς πίτυος ἄνεμος τοῖς πετάλοις, καὶ γλυκίον ψιθύρισμα τοῖς φύλλοις ἐνεποίει. Clemens Stromat. 6. Πολλάκις δὲ καὶ ἀνὰ τὰς ὕλας κινουμένων τῶν φύλλων ἀθρόᾳ πνεύματος προσβολῇ, ὀρνίθων ᾠδῇ παραπλήσιος ἠχὴ προσπίπτει. Lucianus Insulas fortunatas describens: Καὶ αὖραι δέ τινες ἡδεῖαι διαπνέουσαι ἠρέμα τὴν ὕλην διεσάλευον, ὥστε καὶ ἀπὸ τῶν κλάδων κινουμένων τερπνὰ καὶ συνεχῆ μέλη ἀπεσυρίζετο, ἐοικότα τοῖς ἐπ' ἐρημίαις αὐλήμασι τῶν πλαγίων αὐλῶν. His adde ab Elmenhorstio annotata. *Pric.*

Ac turbido fluctuum tumore posito mare quietas alluvies temperabat] Theophylactus Simocatta de coma palæstritæ cujusdam: Κυανίζουσαν ὥρᾳ γαλήνης τὴν θάλασσαν, εἰκονίζετο· ὅτε καὶ τὸν γείτονα χερσὸν ἁπαλῷ περιπτύσσεται ῥείθρῳ, τὸ μανιῶδες τοῦ κλύδωνος καὶ βάρβαρον παρεάσασα. *Idem.*

Luminis proprii splendore candebat] Supra l. v. 'Parietes, solidati massis aureis, splendore proprio coruscant.' *Idem.* *Hic incinctus balteo militem gerebat*] Basilius reg. fus. disput. § 22. Ἔστι τὸ στρατιώτου ἴδιον ἐν τῷ ἐνδύματι, καὶ ἄλλο τοῦ συγκλητικοῦ, &c. Servius ad Æn. v. 'Balteus dicitur, non tantum quo cingimur, sed etiam a quo arma dependent.' In Glossis: 'Ζωστὴρ, balteum, cingulum.' Paulus in θεοῦ πανοπλίᾳ. Ephes. 6. 14. Στῆτε περιζωσάμενοι τὴν ὀσφῦν ὑμῶν, &c. i. e. *incincti*. Bene et 'militem gerebat.' Virgilius: 'Virginis os habitumque gerens:' ubi Servius: 'Gerens, non, habens: quod geri aliena putantur.' *Idem.*

Illum succinctum chlamyde copides et venabula venatorem fecerant] Curtius lib. VIII. 'Copides vocant gladios leviter armatos, falcibus similes, quibus appetebant belluarum manus.' i. e. elephantorum promuscides. Pollux ubique numerat in coquinario instrumento. 'Venatorem fecerant,' ut X. 'illam, quam cultus armorum Minervam fecerat.' Nota et 'succinctam chlamyde.' Pollux V. 3. Σκεύη κυνηγέτου χιτὼν εὐσταλὴς, πρὸς τὴν ἰγνύαν καθήκων. et post: Καὶ χλαμὺς, ἣν δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν, ὁπότε μεταθέοι, ἢ προμάχοιτο τοῖς θηρίοις. *Idem.* *Crepidæ*] Lego apud auctores semiplotia fuisse calciamenta, sive soleas dimidiatas, quibus utebantur in venando, quo planius pedem ponerent: quæ nunc significari videntur nomine *crepidarum*. Non dispicio quomodo *crepidæ* venatori conveniant, quæ magis gestamina philosophica sunt quam venatoria. Codex manuscriptus *copides* habet, quæ dictio magis quadrat: sunt enim *copides*, cultri sive gladii recurvi, quibus manus sive promuscides elephantorum in prælio milites amputabant:

quorum meminit Quintus Curtius. Suidas tradit κοπίδα esse machæram. *Cope*, id est, κώπη, Græcis est manubrium gladii. *Beroald.*

PAG. 244 *Indutus serica veste*] Florent. et Oxon. Mss. *inductus*. Idem.

Adtextis capite crinibus] Artemidorus p. 11. Τρίχας ἔχειν μεγάλας καὶ καλὰς καὶ ἐπ' αὐταῖς ἀγάλλεσθαι, ἀγαθὸν, μάλιστα γυναικί. ὑπὲρ εὐμορφίας ἐστὶν, ὅτε καὶ ἀλλοτρίαις θρίξιν αἱ γυναῖκες χρῶνται. *Elmenh.* *Et attextis capite crinibus, &c. fœminam mentiebatur*] Ovidius: 'Fœmina procedit densissima crinibus emptis, Proque suis alios efficit ære suos.' Hieronymus ad Demetriadem: 'Cerussa ora dipingere, ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere.' Scholiastes Juvenalis, 'Galero: crine supposititio.' Scholiastes vetus Horatii ad Serm. I. 'Caliendrum dicitur ornatus capitis mulierum, quo ad exornandos crines utuntur: vel, suppositus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant:' ubi legendum *attexebant* videtur. Appuleius heic, 'adtextis capite crinibus.' Tertullianus *affigere* dixit. 'Affigitis' inquit, (sequiorem sexum alloquens,) 'nescio quas enormitates sutilium capillamentorum.' Firmicus, *apponere*. 'Qui alienis crinibus appositis, fictam et compositam pulchritudinem mentiantur:' et Manilius: 'Appositis caput immutare capillis.' *Pric.*

Incessu perfluo fœminam mentiebatur] Columella lib. I. 'Attonitique miramur gestus effœminatorum, quod a Natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiuntur.' Maximus Tauriensis, vel (ut alii) Ambrosius, Homil. de Januarii Calendis (quo die etiam Christiani vanitatis Ethnicæ simulachra retinebant): 'An non omnia, quæ a ministris dæmonum illis aguntur diebus, falsa sunt et insana? cum vir, virium suarum vigore mollito, totum se frangit in fœminam?' &c. Julius Firmicus: 'Vestigia sua cum delicata quadam moderatione' (scribe *modulatione*) 'suspendent, et pœnitebit eos quod viri nati sunt.' Male hic Wowerius et Pontanus Annal. III. 10. *superfluo* corrigebant. Seneca cap. 15. de animi tranquill. 'Ut nunc mos est, etiam incessu ipso ultra muliebrem molliciem fluentibus,' &c. Sic, βάδισμα ὥσπερ κυπάριττος καὶ φοίνιξ ἠσυχῇ σειόμενον, apud Aristænetum. Augustinus VII. 26. de Civit. Dei: 'Fluentibus membris, incessu fœmineo.' 'Incessum mollem' vocant alii, et, 'molliter incedere.' Manilius: 'Fictique placent ad mollia gressus.' Apud Senecam Nat. quæst. VII. 31. post, 'muliebres munditias antecessimus,' sequitur, 'tenero et molli gressu gradum suspendimus.' Julianus de Galieno Imper. Κινήσει μαλακωτέρᾳ χρώμενος, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. Opponitur 'serius incessus' IX. 9. apud A. Gellium. *Idem.* *Incessu perfluo*] Non potuit significantius exprimere gradum matronalem, quam *perfluum* appellando. Undatim enim incedunt matronæ, et fluctuant, quarum incessus et hac et illac perfluit: quod specimen fastus est, et molliciei. *Beroald.*

Nec ille deerat, qui magistratum fascibus purpuraque luderet] Herodianus, ubi de anteludiis pompæ Deum matris, i. e. Deæ istius: Ἄνετος πᾶσι δέδοται ἐξουσία παντοδαπῆς παιδιᾶς, ἕκαστός τε ὃ βούλεται σχῆμα ὑποκρίνεται· οὐδ' ἔστιν οὕτω μέγα ἢ ἐξαίρετον ἀξίωμα, ὃ μὴ παντὶ τῷ βουλομένῳ ἀμφιεσθέντι ὑπάρχει παῖξαί τε, καὶ κρύψαι τὴν ἀλήθειαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι τόν τε ὄντα καὶ τὸν μιμούμενον. Bene autem *purpuram* tribuit Magistratibus. Cyprianus ad Donatum: 'Quos honores putas esse? quos fasces? &c. in magistratu purpuræ speciem?' Cato pro mulieribus apud Livium agens: 'Purpura, &c. utemur in magistratibus? in sacerdotiis?' &c. *Pric.*

Baxeæ] Dicuntur crepidæ et calciamina philosophica, vocabulo mini-

me protrito, minimeque triviali, quod apud scriptorem alium non temere reperias. Idem in Floridis, loquens de calciatu philosophico, sic inquit: 'Vestem de texterna emere, baxeas istas de suterna præstinare.' Item in secundo hujus operis volumine dixit, prophetam 'palmeis baxeis' pedes indutum esse. Ex hac Appuleiana doctrina, cum Plautum jampridem profiterer, correxi opinor rectissime mendosam dictionem ex Menæchmis, ubi sic passim legitur: 'Quis iste peniculus, qui exter geritur bexe?' Ego fidenter et plausibiliter monui, ut in locum *bexæ*, quod vocabulum est cassum, et nihil valet, substitueretur *baxæ*, dictio vetus, et ad sententiam Plautinam mire faciens: nam alludens ad nomen peniculi, quod genus spongiæ est, quo baxeæ, id est, calciamenta hodieque exterguntur, festiviter dixit ex persona Menæchmi, ignorantis Peniculum parasitum: 'Non novi,' inquit, 'alium peniculum, quam illum quo calcei exterguntur, fiuntque nitidiores pulvere deterso:' intelligens spongiam, quæ peniculus vocatur, et est inter cæteras mollissima: de qua Plinius copiosissime in 31. *Beroald.*

Hircino barbitio phil. fingeret] Bert. *h. b. p. signaret.* Herodes Atticus apud Agellium lib. IX. c. 2. 'Video barbam et pallium, philosophum nondum video.' Arnobius lib. VI. contra Gentes: 'barba boni ponderis, et philosophicæ densitatis.' Dio de cultu corporis Orat. 71. fol. 628. *Τούς γε μὲν καπήλους ἑκάστοτε ὁρῶντες πρὸ τῶν καπηλείων ἀνεζωσμένους οὐδέποτε τωθάζουσι. καταγελῷεν δ' ἂν τουναντίον, εἰ μὴ οὕτως ἐνεσκευασμένοι εἶεν, ὡς οἰκείου τοῦ σχήματος ὑπάρχοντος τῇ ἐργασίᾳ ἣν μεταχειρίζονται· ἐπεὶ δέ τινα ἴδωσιν ἀχίτωνα ἐν ἱματίῳ κομῶντα τὴν κεφαλὴν καὶ τὰ γένεια, οὐχ οἷοί τέ εἰσι πρὸς τούτους τὴν ἡσυχίαν ἄγειν, οὐδὲ σιγῇ παρέρχεσθαι· ἀλλ' ἐφίστανται καὶ ἐρεθίζουσι; καὶ ἤτοι κατεγέλασαν, ἢ ἐλοιδόρησαν, ἢ ἐνίοτε ἕλκουσιν ἐπιλαβόμενοι ὅταν τινὰ ὁρῶσι μὴ πάνυ ἐῤῥωμένον αὐτὸν, μήδε ἄλλον μηδένα παρόντα τὸν ἐπιβοηθήσαντα, καὶ ταῦτα εἰδότες, ὅτι τοῖς καλουμένοις φιλοσόφοις, ξύνηθές ἐστιν ἡ στολὴ αὕτη καὶ τρόπον τινὰ ἀποδεδειγμένον.* Plutarchus de Iside et Osiride: *οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσιν, οὔτε Ἰσιακοὺς ἡ λινοστολία καὶ ξύρησις.* Et 'palliatorum populus' apud Capellam pro philosophis. *Elmenh.* *Et hircino barbitio Philosophum fingeret*] Strabo de Philosophiam mentientibus, l. III. *Μετὰ ῥάβδων περιπατοῦντες, ὅμοιοι τοῖς τράγοις ταῖς ὑπήναις.* De seipso Julianus: *Ὥσπερ οἱ τράγοι τὸ γένειον ἔχων.* Vide Beroaldum. In vetere Onomastico: 'Hircipili, *δασύτριχες.* *Pric.*

Cum visco] Seneca de Ira lib. III. c. 6. 'Aves viscum dum trepidantes excutiunt, plumis illinunt.' Cassiodorus lib. XI. Variar. Epist. 40. *Elmenh.* Edd. primæ, *fisco.* De *viscata* aucupis *harundine* adi citatos mihi ad l. II. p. 25. et de piscatoris hamo (*hamis* Fux. Guelf. Oxon. Coll. Lips.) consule Freher. ad Ausonii Mosellam vs. 247. 'Ille autem scopulis subjectas pronus in undas Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ, Indutos escis jaciens letalibus hamos.' N. Heins. Advers. p. 533. et me in Leg. Papenbr. p. 55. *Cum fisco*] Lege, *cum visco:* obrepsit enim minutulus error, vitio linguæ barbaricæ. *Beroald.*

Piscatorem cum hamo] Ovid. III. Metamorph. v. 586. 'lineoque solebat et hamis Decipere, et calamo salientes ducere pisces.' *Oud.* *Piscatorem cum hamo induceret*] *Indueret* recte Colvius legendum monuit. Supra II. de magis versipellibus illis: 'Muscas, et canes, et aves induunt.' *Pric.*

Vidi et ursam mansuem] Ursam hic veram intellige: nonnunquam tamen in hujusmodi ludicris apparet homines etiam speciem bestiarum subiisse. Maximus Taurinensis, ubi supra: 'Et cum se, a Deo formati homines,

aut in pecudes, aut in feras, &c. transformant.' *Idem.*

Et simiam, &c.] Josephus VII. 24. in Vespasiani triumpho: Ζώων δὲ πολλοὶ φύσεις παρήγοντο, κόσμον οἰκεῖον ἁπάντων περικειμένων. *Idem.*

Crocociis Phrygiis] Purior dictio *Crocotis*: sunt enim *crocotæ*, et per diminutionem *crocotulæ*, vestes crocei coloris: quarum infectores *crocotarii* dicuntur. in Aulularia: 'Incedunt infectores crocotarii.' De his supra scripsi. *Beroald.*

Asinum, &c. adambulantem cuidam seni debili] 'Debili,' i. e. claudo. Vide supra p. 312. dicta. *Pric.*

Rideres autem utrumque] Virgilius Georg. II. 'Versibus incomptis ludant, risuque soluto:' ubi Servius: 'Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra, &c. fieri, quibus posset populo risus moveri.' *Idem.*

Quæ passim vagabantur] Cicero de Invent. I. 'Passim bestiarum more vagabantur.' Plinius VII. 2. 'Passim cum feris vagantes.' Catullus: 'Ad se quisque vago passim pede discedebant.' Sallustius Jugurth. 'Cum turma sua quam, &c. collegerat, vagari passim.' Seneca de Benef. IV. 6. 'Gregibus passim vagantibus:' et II. 48. Natur. Quæst. 'Passim ac vage dicunt:' adde quæ supra p. 93. notata. *Idem.*

Pompa moliebatur] Ms. *pompa molliebatur.* Terentius: 'dum molliuntur, dum comuntur.' Arbitror etiam recte legi Plauti Truculento: 'Suam non enim ille meretricii Molliendis rem coëgit:' etsi vir magnus malit, *molendis.* Est penes me vetus editio, in qua *muniendis.* Colv. Rectissime se habet *moliebatur*, sive tarde incedere incipiebat; ut apud Terent. Heaut. II. 2. 11. ut ibi ex doctissimorum virorum restitutione legendum est: 'Dum moliuntur: dum conantur, annus est.' Agitur enim illic de mulierum incessu, non ornatu, ut cum aliis censebat N. Heinsius ad Ovid. Art. I. II. 114. Multo minus est passivæ significationis verbum; uti in Fabri Thesauro aiunt; vel *poliuntur* legendum, ut male conjecerat Vulp. ad Tib. I. 8. 16. 'tarda comserit arte caput.' *Oud.*

Quæ de gremio, per viam qua sacer incedebat comitatus, solum flosculis sternebant] Per viam, quam Dii alienis incedentes pedibus, jam statim calcaturi erant: hinc illud IV. de Psyche, tanquam Numen culta: 'Per plateas commeantem populi floribus sertis et solutis adprecantur.' Ovidius: 'Undique jactato flore tegente vias.' *Pric.*

Speculis pone tergum reversis] Seneca Epistol. XCV. 'Vetemus lintea et strigiles Jovi ferre et speculum tenere Junoni.' Noster Floridorum XI. de fano Junonis locutus: 'Plurima auri et argenti ratio in lancibus speculis.' *Colv.* Lib. IV. p. 85. 'Alius sub oculis dominæ speculum prægerit.' Adde Beroald. et omnino Ill. Spanhem. ad Callim. H. in Pall. vs. 21. *Specula* inter Junonis donaria in Flor. N. 15. Immo tale speculum videtur præferri a calvo, rasique capitis sacerdote in monumento, quod servarunt nobis Montfauc. in Diar. Ital. p. 361. et Gorius in Insc. Etrusc. t. I. p. 373. una cum inscriptione, in quo Ἀλεξανδρία κόρη πρόπολος Διονύσου παστόφορός τε θεᾶς Νειλώτιδος Εἴσιδος ἁγνῆς. Vide et Gorium in Mon. Etrusc. t. V. c. 1. p. 22. Cl. 3. p. 320. 321. Pith. *pene.* Idem et Ed. Bas. pr. *reversus.* Oud.

Reversus] Id est, retro versus, et a tergo positus: vel lege *Revexis*, pro retro inclinatis, obliquatisque. *Ber.*

Pectines eburneos ferentes, &c.] Seneca lib. contra superstitiones: 'Sunt, quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant, longe a templo, non tantum a simulacro stantes, digitos movent ornantium modo.' *Colv.*

Quæ gestu brachiorum, flexuque digitorum, ornatum atque oppexum crinium regalium fingerent] Seneca: 'Di-

gitos' movent ornantium modo.' Glossæ: ''Ἐμπλέκτρια, implicatrix, ornatrix.' Glossæ aliæ: 'Κοσμήτης, ornamentarius, ornator.' 'Κοσμητρίας, ornatrices.' Ovidius de capillitio loquens, 'Nec genus ornatus unum est,' &c. vide supra p. 26. *Pric.*

Geniali bals. conspergebant pl.] Baudelot. explicat geniis dicato, Utilit. Itiner. t. I. p. 230. Rectius exponit Beroald. voluptuarium et ad genio indulgendum aptissimum, ut alibi sæpissime. Vide Heins. aliosque ad Ovid. lib. II. Am. El. 13. 7. 'genialiaque arva Canopi.' *Oud.* *Illæ etiam quæ ceteris unguentis et geniali balsamo, &c. conspergebant plateas*] Hegesippus in funere Herodis M. I. 46. 'Quingenti etiam servorum regiæ domus aspergebant aromata, ut suavi odore tota fragraret via.' *Geniali*, lauto, splendido, voluptario. Glossæ: 'Genialis, εὐφραντική.' Virgil. Georg. I. 'Genialis hyems:' ubi Servius: 'Convivalis, voluptuosa:' sic supra hoc libro: 'vultus genialis.' Nota et loquendi modum, 'cæteris unguentis et balsamo.' Tacitus Annal. XV. de Timarcho Cretensi: 'Cæteris criminibus, &c. et opibus nimiis ad injurias minorum elatus.' *Pric.* *Guttatim excusso*] Supra lib. III. 'Guttatim defluo.' *Idem.*

Lucernis, tædis, cereis, &c.] Lib. IV. 'Tædis, lucernis, cereis, sebaceis,' &c. *Idem.*

Et alio genere ficti lumini] Fux. *Faciim. lumine* post Colvium admiserunt ceteri Editores præter Floridum, qui revocavit vetustarum Edd. lectionem, quam confirmat e meis solus Pithœanus, *ficti luminis*, exponitque *artificialis*, in oppositionem naturalis lucis. Vulcanius τὸ *lumine*, quod cum *propitiantes* vulgo jungunt, glossam esse aliquando existimavit. Pricæus, cui merito displicuit quoque *lumine* in hoc constructionis positionisque ordine, divinabat scribendum, *genere facium luminoso*. Olim opinatus sum in Misc. Observ. A. 1734. relictum fuisse ab Auctore; *et alio id genus facium lumine*. Quia sic frequentissime solet Appuleius. lib. II. init. 'boves et id genus pecua.' Lib. V. init. 'bestiis et id genus pecudibus.' Lib. VIII. init. 'ceteris id genus viris.' Lib. IX. init. 'Mensas et id genus.' Quibus duobus locis vide notata. In Apol. p. 14. Ed. Pric. 'Namque hæc et id genus omnia:' ut ibi quoque reponendum docent Mssti, ac sæpe in Apol. Et in Flor. N. 3. 'Hoc genus crimina.' N. 9. 'poëmata omne genus.' (Vide ad Suet. Domit. c. 4.) Ibid. 'id genus ferramentis, hæc atque hoc genus alia.' N. 10. 'Amoris, ceterorumque id genus.' N. 13. 'Id genus orationem:' ubi vide Colvium. N. 18. 'In auditorio hoc genus.' Solin. p. 25. 'Hoc genus canes crescunt:' ut bene Salm. e Mss. et p. 59. 'Silvas hoc genus gignit.' Sic leg. e Mss. et ibid. inferius: 'hoc genus gemmas.' Vide Salm. qui c. 54. p. 61. legit etiam: 'hoc genus metallum.' Sed e meis tantum ita recentissimus Voss. tert. *metallicum* Huls. Vulgo, *metalli*. Attentius tamen hunc locum perpendenti visum est mihi, sic nimium recedi a scriptis exemplaribus. At obstabat genitivus *facium*: pro qua terminatione Charisius prætulit *facum*. Verum hujus et illius terminationis exempla non temere reperias. Consule Vossium de Anal. lib. II. c. 14. p. 317. Ex diversa ergo Msstorum propagine unam sive tertiam effinxi lectionem, *et alio genere facti luminis*: eodem sc. sensu, quo vulgo edebatur, *ficti*, quod Latinum haud puto. Confirmavitque me hac in sententia geminus plane locus lib. IV. p. 77. 'Tædis, lucernis, cereis, sebaceis et ceteris nocturnis luminis instrumentis t tenebræ.' *Oud.* *Et alid : facium, lumine siderum cœlestium stirpem propitiantes*] Τὸ *lumine* loci sententiam implicatam reddit, est in nonnullis, *E. a. g. ficti*

luminis, &c. Fortasse isto modo scribendum, *E. a. g. facium luminoso, &c.* *Cælestium siderum stirpem:* ut IV. 'cœlestium stellarum germen.' *Pric.*

Fistulæ tibiæque modulis dulcissimis personabant] Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. *Τῶν ὀργάνων τῶν μουσικῶν ὅσα μὲν ἂν κράζῃ, ἀηδέστερά ἐστι πρὸς τὸν φθόγγον, οἷον, τύμπανα, σάλπιγγες· τὰ δὲ μὴ οὕτως, ἀλλὰ μαλάττοντα, ταῦτα ἡδέα· αὐλὸς, καὶ κιθάρα, καὶ σύριγγες.* Supra lib. X. 'Mollique tibiarum sono delicatis gressibus respondere.' *Idem.*

PAG. 245 *Veste nivea et cataclista*] Est qui legat, *catastlita chorus;* quasi ex *catastlis*, i. e. formosis et egregie canentibus pueris constans. Sed eum jam refellit Beroaldus. Neque tamen cum illo aliisque intelligenda est vestis undique clausa, neque fracta aut sine manicis; sed vestis pretiosa, quæ in arca servari et claudi solebat, ac non nisi diebus festis sollemnibusque induebatur. Sic Græce *κατάκλειστος* sumitur, et hic aliquando Latine. Adi omnino Salmas. ad Tertull. Pall. p. m. 129. et Confut. Cercoët. p. 127. *Oud.* *Juventutis, &c. chorus*] Servius ad Georg. I. 'Chorus proprie est coævorum cantus atque saltatio.' *Pric.* *Veste ni. et ca.*] Homines (quorum nominibus parco) in ætate nostra alioquin doctissimi, locum hunc Appuleianum ita legebant, *Chorus catastlita:* exponentes chorum catastlitam dici, ex catastlis pueris constantem: *catastlos* autem pueros esse dicebant formosos, et egregie canentes: quorum Vitruvius meminisset in VIII. et in hoc interpretamento sibimet applaudebant, tanquam Gordianum nodum dissolvissent: quibus nos plane permittamus, ut se ament, et sua: nos certe rivales non [illegible] cæterum ne commentationes [illegible] asseramus citra alienam insectationem, scito cataclistam dici vestem undique clausam, quales hodieque nostri sacerdotes in pompa sacrificali induunt: dicitur autem cataclista a verbo Græco *κατακλείω*, quod significat claudo. Alii deducere malunt a *κατακλάω*, quod est frango: tanquam sit vestis sine manicis mutila, quam et *colobium* vocant: Antiqui enim (quod et Servius grammaticus memorat) collobiis utebantur, et ut auctor est Gellius, tunicas citra humerum desinentes sine manicis habebant, quod genus Græci dicunt *ἐξωμίδας.* nam tunicæ manicatæ non sine probro habebantur. *Colobia* autem (ut id quoque explicemus) vestimenta appellant mutila, sine manicis, et quasi trunca: a verbo Græco *κολοβόω.* Legimus in Decretis canonicis, quod Paulus primus heremita in testamento colobium suum Athanasio Alexandrino episcopo reliquit, ubi colobium accipitur pro hoc genere vestis, quod jam descripsimus. Sensus autem Appuleii hic est: chorus splendens et lucidus in veste candida et manicis carente, sequebatur pompam præcedentem: et ita cataclista erit septimus casus, et cum veste copulabitur. Suidas auctor est, cataclistas dici *θρόνους*, hoc est, sedilia ad mensam parata. *Beroald.*

Edixerat quod argumentum referebat. Interim m. antecantamenta votorum. Ibant, &c.] Primum suspicor *dixerat* Auctorem scripsisse: quo more nuncupabantur dicta ducum, dictata in ludo, de quibus nos ex Varronis doctrina ad Vegetium. Quæ porro subduntur *quod argumentum referebat*, ea ab literatore aut sciolo adsuta videntur, volente nimirum indicare munus Chori in scena et ludis, quo de hic agitur. Quamquam hanc meam sententiam dictam volo manu suspensa. De eo tamen quod sequitur, liberius paulo positurus calculum. Hæc enim corruptissima esse nemo dubitabit. Non observata primum tibiarum figura, corrigemus: *Inter majorum antecantamenta votorum ibant, et dicati.* Ste-

wech. Placuit ultima emendatio et distinctio Stewechiana Florido, qui priora interpretatus est, 'quod sc. carmen referebat sive explicabat argumentum pompæ.' Pessime scilicet vulgo post *referebat* ponebatur major distinctio, quam tacite tamen sustulerunt Wower. Elmenh. Scriv. Pric. Recte quidem, si post *edixerat* ponamus majorem simplici commate incisionem, hoc modo: *Edixerat: Quod argumentum referebat interim m. ant. votorum. Ibant.* Nec enim *argumentum* est quartus casus, sed rectus. 'Quod argumentum' idem est ac si dixerat Auctor, 'Quod carmen.' Sicut aliquoties *argumentum* significat ipsam fabulam, sermonem, versus ipsos. Vide ad l. IX. p. 182. 'Argumenti satietate defecti.' Hoc ergo argumentum sive carmen poëta illis pueris *edixerat*, sive publica auctoritate discendum injunxerat et mandaverat. Nec opus est *dixerat* vel *ediderat*, ut margini adlevit Lipsius, refingere. Millies in his occurrit *edicere*. Id vero carmen continebat hymnum sollemnem, in quo interea referebantur seu præcinebantur majora vota et preces ipsorum sacerdotum ac populi; quæ vota deinde, cum navis dicata pelago committitur, recenset Auctor. *Oud.*

Dicati magno Serapi tibicines] Idem ad Æn. I. 'In usu dicimus, dicatus est Numini, hoc est, ad obsequium datus.' Glossarium: 'Dicatus, Καθωσιωμένος.' *Pric.*

Obliquum calamum ad aurem p. dextram] Male Pricæus exponit per 'aduncum cornu:' quod longe diversum est instrumentum, rectum et orificio incurvo. Auctor describit 'obliquam tibiam πλαγίαυλον,' ut bene ad libri sui marginem adnotavit Lindenbrogius, et ita incurvam, ut pene rotundo orbe fuerit: ipsius Osiridis inventum. Ac diserte Athenæo vocatur φώτιγξ πλαγίαυλος, Eustathio στρογγύλη. Confer omnino Commentarios Jungerm. et Mollii ad Longi Pastor. l. I. p. 5. 136. Polluc. l. IV. § 74. Cuper. in Harpocr. p. 142. *Oud.* *Tibicines, qui per obliquum calamum, &c.*] Ovidius: 'Cornu tibicen adunco.' Glossarium perapposite: 'Cornicines, καμπυλοσαλπισταί.' *Pric.* *Familiarem Dei modulum frequentabant*] Pollux ubi supra: Ἔστι δέ τι καὶ πομπικὸν, (ἦχος vel μέλος) ἐπὶ πομπαῖς, &c. Αἰγυπτίοις τε καὶ Ἀργείοις, καὶ Τυῤῥηνοῖς, καὶ Ῥωμαίοις. Et vide quanta proprietatis observatione 'modulum frequentare' dixerit. Gellius I. 11. 'Si, ut planipedi saltanti, &c. et modos et frequentamenta quædam tibicen incineret.' Idem V. 1. 'Si modulis verborum, et quibusdam quasi frequentamentis orationis' (auditores) 'moventur.' Onomast. vetus: 'Modulus, μεδόλημα.' *Idem.*

Tunc influunt turbæ sacris divinis initiatæ, viri fæminæque, &c.] De quibus Meursius cap. 16. Eleusiniæ videndus. *Idem.*

Viri fœminæque omnis ætatis, &c.] Supra lib. VII. 'Pompam cerneres omnis sexus, et omnis ætatis.' *Idem.*

Capillum derasi funditus] 'Adusque derasi,' ut II. lib. ubi p. 39. dixi. Onomast. vet. 'Funditus, ἐκ βάθρων.' Phædrus: 'Calvus repente factus est, nam funditus Canos puella, nigros anus evellerat.' *Idem.*

Vertice prænitentes] 'Nitentes,' quia glabri. In Apologis Avieni: 'Dejecto nituit frons nuda galero.' Valer. Maximus, ubi de Æschylo Poëta: 'Elusa' (aquila) 'splendore capitis, (erat enim capillis vacuum,) perinde atque lapidi' (testam) 'illisit.' *Idem.*

Sistris argutum tinnitum constrepentes] Supra hic, in sistri descriptione: 'Trajectæ mediæ pauculæ virgulæ, &c. reddebant argutum sonorem.' *Id.*

Sed antistites, sacrorum proceres illi, &c.] Ex prava, sed et communi hac interpunctione, videtur locus iste sequioris expositionis periclitari. Post

sacrorum, non *antistites*, ὑποστιγμὴ ponenda. Sensus est: Antistites sacrorum fuisse *proceres*, non vulgares, et e plebe homines. Macrobius Saturnalium I. 23. 'Vehitur Dei Heliopolitani simulacrum ferculo, &c. et subeunt plerumque Provinciæ Proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri.' *Idem.*

Cinctum pectorale] Ex hoc loco posset probari, *cinctum* in neutro genere ab idoneis auctoribus, sicut et in Glossario, adhibitum esse, de quo dubitabam ad Frontin. lib. IV. 1. 26. 'Cincto togæ præciso,' ut *mercato*, et alia: ibique reposui *cinctu*. Quidam etiam in Albrico de Imag. Deor. c. 8. legunt 'viride cinctum,' in Biblioth. Raisonn. A. 1742. p. 189. Sed non agitur ibi de Minervæ capite, sed gladii capite, quod virilem Minervæ cinctum, ut videtur, ornabat. Sed locus est corruptissimus. Pricæus frustra itidem ex hoc loco refingere tentavit Onomasticon: *cinctus, us.* Ita enim bene legitur, quo ostendatur vox esse quartæ declinationis. Sed et fallunt hic Editiones novitiæ. Nam Codd. Mss. Pith. Fux. Pal. D'Orv. Guelf. Oxon. et Edd. Bert. Junt. Ald. Colin. Bas. aliæque ante Colvium habent *pectoralem*. Adde N. Heins. ad Claud. Cons. Prob. et Olybr. vs. 179. *Oud.* *Cinctum pectorale*] Onomasticon vetus: 'Cinctus, us.' (lege, *Cinctum. us.* vel e converso) 'διάζωμα.' Glossarium: 'Ζῶμα, cinctum:' sic in alio Glossario: 'Succinctum, ὑπόζωμα.' *Pric.*

Strictim injecti] Pal. *s. intecti.* Elmenh. 'Ασύστατα sunt, *cinctum strictim injecti. Vestes* enim *injectæ* dicuntur, easque *injecti* homines, quando temere sunt indutæ, dissolutæque fluunt, non vero, quæ cinctu vinctæ, et decenter sunt adstrictæ. Quare omnino legendum puto cum Palat. et Oxon. *intecti*, h. est, Nostri stylo, tecti. Vide omnino ad l. II. p. 33. 'Aureis vestibus intecti:' et l. VIII. p. 172. 'bombycinis injecti.' Nec obstat, quod sæpe Isiaci, et Deæ Syriæ ac Cybeles ministri occurrant vestibus *injecti*. Grex enim illis sacris initiatus induebatur quidem fluxa veste, at sacerdotes primarii, et, ut Noster, plenius ac ter initiati, veste, cingulo adstricta, fuerunt induti. Atque cinctum hunc pectoralem, et vestes adusque pedum vestigia conspice in Mensa Isiaca. *Oud.*

Potentissimorum Deum proferebant insignes exuvias] Oxon. male, *potissimorum*. In quibusdam hic *præferebant:* putarim *progerebant* legendum: sic IV. 'speculum progerere:' et VI. 'sinu nucleos progestare.' *Pric.* *Potentissimorum domini*] Lege, *Deum:* id est, *Deorum:* dicit enim, proceres sacerdotum ostentasse exuvias Deorum maximorum. Exuviorum autem nomine symbola quædam peculiaria et gestamina divina hoc in loco significantur: ut lucerna, caduceus, vannus, et quæ statim explicantur. *Beroald.*

Lucernam præmicantem claro porrigebat lumine] Oxon. et Lipsii Ms. *prænitentem.* minus recte. Initio libri istius, 'Candore nimio præmicantem:' et X. 'cerei clara præmicantes luce:' sic enim legendum monuimus. *Pric.*

Pectore] Corrigo *patore:* etenim *pator* Appuleianum vocabulum, significans hiatum, apertionemque: et est orificium patens. *Beroald.*

Altaria, idem auxilia] Errat sane Wowerius. [Vid. VV. LL.] *Altaria* illa sine dubio in sacris Isidis nomen proprium habuere *auxilia;* ut disertis verbis addit Auctor. Est vir doctus, qui mallet delere *altaria, id est.* Glossam, si inest tamen, plus sapiunt τὰ, *id est, auxilia.* Certe *altaria* illa erant symbola auxilii divini, unde iis id nomen: ut bene capiunt Interpretes. Sicut παράσημον Dei in navi, in cujus erat tutela et a quo navis habebat nomen, vocari solebat tutela. Non

autem videntur intelligi nuda *altaria*, sed instructa donis, Deæ maxime dicatis, vel flammis sacris ardentia. Confer Notata ad Lucani l. III. 404. 'structæ diris altaribus aræ.' Sil. Ital. l. I. 543. 'Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.' *Oud.*

Æquitatis o. indicium] Vide Beroald. et Pignor. de magnæ matris initiis pag. 2. Eadem autem compressis digitis si monstrabatur, erat symbolum tenacitatis seu avaritiæ: ut bene explicat Interpres; nec erat, cur hic hæsitaret B. Pius tom. I. Th. Crit. p. 372. *Deformata manu sinistra*] Videtur discordare Lucius noster a Diodoro, qui scribit in quarto Bibliothecæ, quod inter sacras literas Ægyptiorum deformatur manus dextra expansa, liberalitatem significans: sinistra vero compressa, tenacitatem atque avaritiam. Verum nullum est inter scriptores super re ista dissidium, cum utrunque fieri commode potuerit, ut sinistra compressis digitis esset symbolum tenacitatis, eadem explicata palma foret indicium æquitatis. *Beroald. Æquitatis, &c. indicium, deformatam manum sinistram porrecta palmula*] 'Porrecta' (i. e. extensa,) quia non, nisi contracta aliquatenus manu, dolosa contrectatio fit. *Pric.*

Quæ genuina pigritia] Ateius Capito apud Macrobium Saturnal. VII. 13. 'Hinc factum ut usus annulorum exemptus dextra (quæ multum negotiorum gerit) in lævam relegaretur, quæ otiosior est.' Sic, 'sinistram διὰ τὸ ἀνέθιττον, ἀργὸν,' 12. § 6. Antoninus dixit: et 'dextræ partis habiliorem motum esse,' cap. 5. Solinus. Hinc et majorem sinistræ agilitatem Suetonius quasi rem insuetam in Tiberio memoravit. *Idem.*

PAG. 240 *Videbatur æquitati magis apta, quam dextra*] Macrobius Saturnal. I. 'Apollinis simulacra manu dextra gratias gestant, arcum cum sagittis sinistra: quod ad noxam sit pigrior,' &c. Aristophanes Equit. Ὦ δεξιώτατον κρέας! Scholiastes: Διὰ τὸ κεκλοφέναι, καὶ ὥσπερ δεξιᾷ ὑφῃρῆσθαι. Hinc furem balnearium Catullus 'dextra inquinatum' vocat. Idem alibi tamen, 'Inter cœnam Asini manu sinistra Non belle uteris, in joco atque vino Tollis lintea negligentiorum.' Quæ fortasse pro negotio præsenti intelligenda, quasi dextra id temporis in oris ministerio occuparetur. *Idem.*

Lacte libabat] Pith. *libabat lacte*. Beroaldus et alii capiunt hanc vocem Accusative pro *lac*. Quod tamen hic loci non necesse est. Consule quæ disputavi ad l. VIII. p. 161. 'Cruore libabo:' et p. 166. 'haberetne venui lacte.' *Oud.*

Aureis congestum ramulis] Leg. *laureis cong. ramulis*. Seneca c. 27. de Vita Beata: 'Laurum et lucernam tenens Isiacus.' De *lucerna* dixit supra, quare hic agere debet de lauro. Sic 'laureum ramulum' dixit Sueton. in Julio cap. 80. *Passerat.* De lauro Isidis vide quæ olim notavi ad J. Obseq. cap. 71. Aurei rami laureorum potuerunt habuisse figuram. Quare nil temere muto. Multo minus adsentiri possum Stewechio, in fine lib. VI. haud ambigenti, quin hic legi debeat *contextum*. Sic enim nihil amplius hisce dixisset Auctor, quam per 'auream vannum,' quæ non potest esse aurea, nisi viminibus seu ramis aureis sit contexta. Sed 'congestam' significat cumulatam, confertam, et repletam. Ita lib. V. p. 89. 'horrea magnis congesta gazis.' Lib. VI. p. 117. 'Auri mollitie congestum gremium.' Auson. Mosell. vs. 86. 'piscis fartim congestus aristis.' Vitruv. lib. II. c. 7. 'Quod ex his saxa cum sunt exempta, in opere faciliter' (sic Mss.) 'tractantur, et si sunt in locis tectis, sustinent laborem; sin autem in apertis et patentibus, gelicidiis et pruinis congesta, friantur et dissolvuntur.' Illic tamen in Mss.

Vossianis et Franek. est *pruino*, ut *congesta* quoque sit Ablativus. Cap. 8. p. 31. Ed. Læt. ' Ibi testa se ostendet esse vitiosam, gelicidiis et pruina tacta.' *Oud.*

Pedibus humanis incedere] Non quod ipsi Dii, vel homines, Deorum habitu incederent, ut ridicule capit Beroaldus. Qui enim tunc caninum caput potuissent imitari, et ut bos erectus in posteriores pedes ingredi? Imagines Deorum intelligit, ut Anubidis, Isidis, &c. gestatas per homines, et sic eorum pedibus progredientes. Vide Pric. et Flor. l. VIII. pag. 163. ' Gerebamus pullos, &c. et quidquid infirmo gradu fugam morabatur, nostris quoque pedibus ambulabat.' Sicut et 'ire,' 'procedere,' 'sequi,' ut mox, passim dicuntur illa, quæ feruntur ab euntibus. Adi Comm. ad Sueton. Neron. c. 24. Immo clarissime patet e sequentibus p. 250. ' Sacerdos maximus, quique divinas effigies progerebant.' *Idem.* *Dii dignati pedibus humanis incedere, &c.*] Supra l. VI. ' Quid meis pedibus facere contendis?' *Pric.* *Dei dignati pedibus incedere*] Jlocaliter dictum, et decenter: dicimus enim Deos incedere pedibus humanis, quando homines in pompa sacrificali sustinent personas et nomina Deorum: de quibus intellexit Tertullianus sic scribens: ' Ipsos Deos vestros sæpe noxii induunt.' Mecum ego subinde recolens hæc instituta sacrorum ethnicorum, venio in sententiam, ut credam pleraque omnia ad cerimoniarum nostrarum celebrationem pertinentia, illinc esse translata, transpositaque. Nimirum ex gentilium religione sunt lineæ vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificalis, musica modulamina, adorationes, preces, aliaque id genus compluria, quæ nostri sacerdotes in nostris mysteriis solenniter usurpant, haud dubie sumpta de cerimonia priscorum. Sic et apud nos homines incedunt in pompa sacrorum, sub effigie sanctorum et prophetarum, qui dici possent Dei humanis pedibus incedentes. *Beroald.*

Hic, horrendum! ille sup. comm. et inf.] Prave *horrendus* L. D'Orleans ad Tacit. lib. II. Ann. p. 323. Perperam Wowerius, eumque secuti secure ceteri editores contra constantem Msstorum et Edd. Vett. ordinem post *horrendum* interposuerunt voces *attollens canis cervices arduas: ille Sup.* Quasi sic per Appuleium designarentur duo Dei Anubis et Mercurius: quia præcessit *Dei.* Verum in Isidis comitatu non erant Mercurius et Anubis; sed solus Anubis, qui Ægyptiis et Isiacis idem est, qui Mercurius, iisdemque ornatur insignibus; nisi quod insuper habeat caput caninum. Nam, licet alii Mercurii munus Inferos adeundi Osiridi tribuant, ut Plutarch. de Flum. p. 53. vulgatior tamen traditio est, Anubin esse Mercurium. Consule ad Virgil. Æn. l. VIII. 698. elegantem Servii locum, jam citatum a Beroaldo: ' Anubis. Hunc volunt esse Mercurium; quia nihil est cane sagacius:' et Scriverium in Epist. CLXII. per Ant. Matthæum edita. Immo diserte in nummis Anubis capite canino exprimitur sublimis stans ' læva caduceum,' ut hic, at ' dextra ' non quidem ' palmam,' sed ' sistrum ' quatiens. Vide omnino Bacchinum de Sistris t. VI. Thes. Antiq. Rom. et Boissard. p. III. Ant. Rom. pag. 78. Quin etiam caduceum dextra, sinistra palmam gerens conspicitur in monumentis apud Montfauc. t. II. Antiq. Explic. t. CXXVIII. et Suppl. t. II. Tab. XI. Perperam vero huc trahunt Rabirius et Pontanus ad Macrob. l. I. Sat. c. 21. locum Juvenalis S. VI. vs. 537. ' Derisor Anubis, &c. Magnaque debetur violato pœna cadurco,' legentes *caduceo;* uti est quoque in uno e Mss. nostris. At contra metrum, quod jam bene monuit Grævius in Præf. ad t. III. Thes. Antiq. Porro de uno Deo

hic agi docet pronomen sequens *hujus* vel *cujus*. *Dei* vero intelliguntur Anubis et Isis sive Athor specie vaccæ. Nec opponuntur *hic* et *ille*. Sed *hic* est Adverbium, et *ille* ἐμφατικῶς adhibetur, ut millies ab Appuleio. Vide ad l. I. p. 2. 'Plutarcho illo inclyto.' Pith. D'Orv. *superbum*. Par. *infernorum*. Oud. *Ille Superum commeator et Inferum*] De eodem in Apologia: 'Iste Superum et Inferum commeator:' ad quem locum adnotata vide. *Pric.*

Cujus vestigium continuum sequebatur bos in erectum levata statum] Absunt, ut male, metuo, a jam dicto Ms. [Oxon.] *Idem.*

Omnia parentis deæ] Junctim lego *Omniparentis*: sic et Poëta dixit in VI. 'terræ omniparentis alumnum Cernere erat:' qua enim forma *omnipotens*, eadem et *omniparens* dicitur, quasi omnia pariens, omnia gignens. *Beroald.*

Quod residens humeris s. prof. &c.] De hoc simulacro similiter Claudianus Panegyr. de IV. Consul. Honorii: 'Sic numina Memphis In vulgus proferre solet: penetralibus exit Effigies: brevis illa quidem, sed plurimus infra Liniger imposita suspirans veste sacerdos Testatur sudore Deum. Nilotica sistris Ripa sonat, variosque modos Ægyptia ducit Tibia: submissis admugit cornibus Apis.' *Colv.* *Quod residens humeris suis proferebat unus, &c.*] In Epistola Jeremiæ dicta: Θεοὺς ἀργυροῦς, καὶ χρυσοῦς, καὶ ξυλίνους, ἐπ' ὤμων αἰρουμένους. Ibidem: Ἐπ' ὤμων φέρονται· ἐνδεικνύμενοι τὴν ἑαυτῶν ἀτιμίαν τοῖς ἀνθρώποις. *Pric.*

Solerti repertum] Corrigo, *repertu*: hoc est, *inventu*, sive inventione. *Beroald.*

Tegente] Purior lectio est, *tegendæ religionis*. Idem. *Tegendæ religionis argumentum ineffabile*] Flor. et Palat. *tegente*. Oxon. melius, *tegentem*: effigiem nempe, de qua supra. *Pric.*

Fulgente auro figuratum. Urnula] Insolens videtur Appuleio tam abrupte ponere *Urnula*. Quare nondum acquiesco ejus lectionis veritate; aliisque emendandam melius committo. Sub *Urnulæ* igitur imagine celabatur hic ipsa Dea, (vide omnino Beger. tom. III. Thes. Brand. p. 302.) ut Juppiter Hammon sub *Umbilici* specie, aliique Dii et Deæ sub aliis æque ridiculis. Vide Beroald. et quæ congessit Ortelius in Theatro ad Tab. de Alexandri M. Expeditione. Ceterum τὸ ὑδρεῖον, cujus varias figuras vide in Tabulis Isiacis supra citatis, gestatum a summo pontifice, præter alios testatur quoque Clem. Alex. Strom. lib. VI. p. 758. Vitruv. in Præf. lib. VIII. 'Itaque cum Hydriam tegunt, quæ ad templum ædemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad cælum sublatis, inventionibus gratias agunt, divina benignitatis.' Ubi Mss. Cot. Voss. Franeq. habent, *cum hydrioquem ad t. &c.* ac *benignitati.* Unde legendum, *hydrocheum* vel *hydrochoum ad templ.* quod et I. Vossius margini adlevit; et mox emendo, *inventionis gr. a. d. benignitati.* Oud. *Urnula faberrime cavata, &c. miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata*] Infra hic: 'Navem faberrime factam, picturis miris Ægyptiorum circumsecus variegatam.' *Pric.* *Urnula faberrime cavata*] Opinor hanc urnulam referri ad stitulam, quam sinistra retinens Isis figuratur, per quam fluentiam omnium lacunarum ostendi tradunt. Præterea capiti Serapis, cujus numen cum Iside commune est, calathum infigunt: quasi Sol sit, cujus vertex insignitus calatho et altitudinem sideris monstrat, et potentiam capacitatis ostendit. *Faberrime* autem adverbium est, significans perfectissime, politissimeque. *Fabre* (ut inquit Placiades) perfecte dicitur. *Beroald.*

Quam rotundo] Rancida Grammaticorum subtilitas *quam rotundissime* contendit esse dicendum: auctoritas

eruditorum, quæ longe potentior est, grammaticalibus illis placitis posthabitis, sic dicere sæpissime mavult. *Idem.*

Recedens spatiosa dilatione] Fux. *dilatatione*, et Ald. probatur Beroaldo. *Roald.* Idem Ms. *recens*, at *dilatione* scriptus Cod. et veteres editi. Beroaldi correctio est, *dilatatione.* Colv. In D'Orv. etiam est *recens* perperam: sicut et male Beroaldus cum Edd. Junt. Ald. Col. dedit *dilatatione*, invitis Mss. O. etiam Fuxensi, si quidem meæ collationi fides habenda. Non intelligitur dilatatio urnæ ejusve orificii, ut existimavit Beroaldus. Sed ait Auctor, ansam spatioso intervallo recessisse ab urna, inflectendo se retrorsum. Egregie. Notandum vero est *dilationem* hic dici de rei distantia, per quam aliquod fit intermedium vacuum, æque ac vulgo 'dilatio temporis' dicitur. Si tamen vel sic malit quis *dilatatione*, non multum repugno. *Oud.* *Dilatione*] Lego, *dilatatione:* signat enim, urnam dilatatam fuisse ab ea parte, qua adhærebat ansa, et ita hodieque urnæ fictiles finguntur, ut scilicet sint orificio patentiore. *Beroald.*

Sq. cerv. stricto tumore s.] Fux. *striato t. s.* valde probo. *Roaldus.* *Striato.* Eleganter hic locus restitutus, ope veteris libri. Vulg. *stricto tumore.* Striatus tumor, qui in cervice varia serpentis et multis diversisque coloribus, tamquam striis, distincta et divisa. Sic supra: 'senili tristitie striatam gerens frontem.' Sed adhibe, quæ scribo infra ad II. Floridor. *Colv.* Bert. et Rom. *stricto t.* male. Vide Indicem. *Elmenh.* Ante Roaldum et Colv. e Mediceis Codd. *striato*, seu striis et rugis pleno, restituerat Ed. Junt. post. iisque accedunt Palat. et Petr. In ceteris scriptis et editis *stricto.* Vide ad lib. x. p. 211. *Oud.* *Aspis, squamæ cervicis striato tumore sublimis*] Servius ad Georg. II. 'Quædam serpentium genera toto corpore repunt: alia parte corporis eriguntur.' *Pric.*

Præsentissimi Numinis] Lib. III. 'Per hodierni diei præsentissimum numen.' *Idem.*

PAG. 247 *Ornatum*] Floridus in interpretatione scribit 'ornatus ut mihi Dea promiserat,' sed de ornatu sacerdotis in promissione Deæ legitur nihil. Verum dixerat p. 242. 'Sacerdos roseam manu dextra sistro cohærentem g. coronam.' Hinc patet, *ornatum* referri debere ad *sistrum.* Oud.

Mihi coronam, et coronam hercle consequenter, quod tot ac tantis exantlatis laboribus, &c.] Apte ab isto loco illustratur Pauli ille: Τὸν ἀγῶνα καλὸν ἠγώνισμαι, &c. λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος. *Pric.*

Placido, &c. gradu, &c. sensim irrepo] Sic, 'sensim ac placide accedere,' V. 14. A. Gellius. *Idem.*

Divinitus decedente populo] Divino Deæ nutu: supra hic 'Meo jussu tibi, &c. decedent populi.' *Idem.*

Nocturni commonefactus oraculi] Frustra vir doctus Editionis Junt. post. oræ adscripsit, *vi nocturni*, licet infra p. 260. 'Consimili præcepto sacrorum ministrandorum commonefactum.' Nam præterquam quod *præcepto* non opus sit ibi jungere Genitivo, sicut et alii commate distinxerunt, amat Auctor istum casum copulare Adjectivis, ut et participiis passivis: ut patet ex notatis mihi ad lib. IV. p. 78. VIII. p. 153. Præterea non necesse est explices 'ab oraculo' seu 'per oraculum monitus;' sed recordans et in memoriam revocans oraculum nocturnum. Sic lib. VIII. p. 167. 'Tempestivæ viæ commonefactos:' et passim aliis. *Oud.* *Sacerdos, &c. nocturni commonefactus oraculi, &c.*] Macrobius Somn. Scip. I. 3. 'Est oraculum, cum in somnis parens, vel alia sancta gravisque persona, seu sacerdos, vel etiam Deus,' (ut hic Isis Dea) 'aperte eventurum quid, vel non eventurum,

&c. denunciat:' et paulo ante, de viso nocturno: 'Est ὄνειρος, &c. aut ὅραμα, &c. aut χρηματισμὸς, quod oraculum nuncupatur.' *Pric.* *Ut reapse cognoscere potui*] I. e. 'ut reapse cognovi.' Vide p. 41. 205. notata. *Idem.*

Ob os ipsum meum coronam exhibuit] Lib. VI. de aquila: 'Ob os puellæ prævolans.' *Idem.*

Micanti corde] Alii, *mutanti c.* male. Plautus Aulular. sce. Non temere est, &c. 'Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram, Atque in pectus emicare.' Lactantius de Opificio Dei cap. 17. 'Anima adeo vivit inter viscera genetricis, ut et incremento augeatur, et crebris pulsibus gestiat emicare.' Ovid. lib. II. Metamorph. 'pavida trepidat formidine pectus.' *Elmenh.* In Palat. et Guelf. et Coll. Voss. est *nutanti.* Sed vide præter alios Broukhus. ad Tibull. l. I. El. II. 12. 'neque audissem corde micante tubam.' *Oud.* *Assiduo pulsu micante corde*] Virgilius: 'Exultantiaque haurit Corda pavor.' Paterculus II. 'Sinistræ papillæ, ad eum ipsum locum qua cor emicat.' Vide hic Elmenhorstium. *Pric.*

Quæ rosis amœnis, &c.] Lib. IV. 'Illas rosas teneras et amœnas.' *Idem.*

Nec me fefellit cœleste promissum] Infra hic: 'Nec me fefellit, &c. potentis Deæ benignitas salutaris.' *Idem.*

Squalens pilus defluit] Lib. VIII. 'Pilis inhorrentibus, &c. squalidus.' Ulyssis socii apud Ovidium ad humanam jam figuram redeuntes: 'Erigimur, setæque cadunt.' De Io vaccam exuente idem Ovidius: 'Fugiunt de corpore setæ.' *Idem.*

Venter obesus residet] Malim hic, si per Msstos liceret, *residit.* Omnia enim, quæ deprimuntur et descendunt quasi, potius *sidere* dicuntur, quam *sedere.* Hinc Mss. adjuvantibus in Solino c. 27. legendum de mari Syrtico: 'In brevia residit dorsuosa.' Vulgo, *rescinditur.* al. *crescit, arescit.* in Mss. *rescidit.* Vide Salm. ad p. 203. 'mare recedens in se residit.' Vide notata ad Cæs. l. VII. B. G. c. 64. 'Residit flamma.' Ovid. l. VII. Met. 76. 'pulsusque residerat ardor.' Sen. Octav. vs. 876. 'Residat pectoris nostri tumor:' ex Virg. Æn. l. VI. 408. 'tumida ex ira tum corda residunt.' Perpetua hæc variatio, ut sæpe monitum. Adi et Ill. Bouhier. ad Petron. Carm. de B. Civ. v. 127. *Oud.*

Pedum plantæ per ungulas in digitos exeunt] Ibidem: 'Bifidosque relinquit Rima pedes.' Lucianum statim adducendum adde. *Pric.*

Manus, &c. in erecta porriguntur officia] I. e. 'ministeria:' de quibus Act. 20. 34. copiose adnotavi. *Idem.*

Os et caput rotundatur] Lactantius (cap. 8. de opif. Dei) de humano capite loquens: 'Non obductum porrectumque' (Deus) 'formavit, ut in mutis animalibus, sed orbi ac globo similem: quod orbis rotunditas perfectæ rationis est ac figuræ.' *Idem.*

Et (quæ me potissimum cruciabat ante) cauda nusquam comparuit] Lactantius dicti jam libri II. capite: 'Si homini ferinos dentes, aut cornua, &c. aut caudam' (Natura) 'addidisset, quis non sentit quam turpe animal esset futurum?' Lucianus de Io faciem humanam resumente: Οὐκέτι τὰ κέρατα, οὐδὲ οὐρὰ, καὶ δίχηλα τὰ σκέλη. τὸ *comparuit* a duobus abest Mss. et abesse debere ait Sicoppius, at male, ut ex p. 167. notatis clarum: quibus adde et hunc locum e lib. X. 'Et tamen partes electibiles comparere nusquam.' *Idem.*

Populi mirantur, religiosi venerantur tam evidentem maximi Numinis potentiam] Matth. 9. 8. Ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι, ἐθαύμασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν θεόν. *Idem.*

PAG. 248 *Consona voce*] Lib. X. 'Clamor exurgit consona voce cunctorum.' *Idem.*

Cœlo manus adtendentes testantur]

Namque 'habitus orantium hic est, ut manibus extensis in cœlum precemur;' libro de deo Socratis. *Elmenh.* *Cælo manus attendentes*] Non, cum precibus, sed admiratione tam novæ tamque insolitæ faciei. Virgilius v. 'Palmas ad sidera tollunt:' ubi Servius: 'Aut mirantes, aut increpantes Deos.' *Pric.*

Stupore nimio defixus] Lib. IX. 'Stupore defixi.' *Idem.*

Tacitus hærebam] 'Verbis præsenti gaudio impar:' ut ille, de quo x. libro. *Idem.*

Animo meo, &c. tam magnum non capiente gaudium] Hinc *stupor* de quo supra proxime. Justinus lib. VI. 'His ex dolore metus, illis ex gaudio stupor injicitur.' Donatus ad v. 4. Andr. 'Unusquisque gaudens ita perturbatur, ut apud seipsum jam non sit.' Vide supra p. 218. notata. *Idem.* *Non capiente gaudium*] In supplemento lib. XLIII. T. Livii: 'Majus gaudium fuit quam quod universum homines caperent.' Idem alibi: 'Cum vix gaudium animis caperent.' *Idem.*

Quid potissimum præfarer primarium] Menelaus, recepta Helena sua, apud Euripidem: Πολλοὺς δ' ἐν μέσῳ λόγους ἔχων, Οὐκ οἶδ' ὁποίου πρῶτον ἄρξωμαι τὰ νῦν. *Idem.*

Undæ novæ vocis exordium] Statius Sylvar. lib. I. 'Quid primum mediumve canam? quo fine quiescam?' Homerus Odys. I. vs. 14. Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; Achilles Tatius p. 194. οὐκ οἶδα τίνος ἄρξομαι λόγου, καὶ πόθεν, οὐδὲ τίνων κατηγορήσω πρῶτον, καὶ τίνων δεύτερον. *Elmenh.* *Unde novæ vocis exordium caperem*] Lib. x. 'Unde potissimum caperet exordium, decontatur.' *Pric.*

Quo sermonem, nunc renata lingua, f. auspicarer] Mss. Pith. Guelf. Fux. D'Orv. Lips. Pal. Oxon. *sermone.* Non audio. L. VIII. p. 258. 'Noli parricidio nuptias auspicari:' et alibi. Colum. l. III. init. 'Auspicari principia carminis.' At in D'Orvill. insuper est *auspicarem.* Qua forma locuti sunt Plautus et Gellius. Vide Fabri Thes. Immo Noster, quamvis alio sensu, in Florid. n. 16. 'Imbrem lacrimas auspicasse.' Adhæc minus eleganter edidere Wower. Pric. Flor. *tunc ren.* Notat *nunc* omne tempus, quo res acta sit. Adi Burm. ad Val. Flacc. l. IV. 606. me ad Cæs. l. VI. B. G. c. 40. 'Nullo etiam nunc usu:' et quos non? *Oud.* *Quo sermonem nunc renata lingua fœlicius auspicarer: quibus quantisque verbis tantæ Deæ gratias agerem*] Ulyssis comites, ubi supra, suam iterum in speciem reformati: 'Nec verba locuti Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos.' *Pric.*

Nutu significato] Sive signo per nutum facto, ut exponunt interpretes. Sed vide, num *significato* pertineat ad *mihi*, quem nutu suo designavit. *Oud.* *Nutu significato prius præcepit, &c.*] Id est, signo per nutum facto. Quintilianus XI. 3. 'Non manus solum, sed nutus etiam declarant voluntatem nostram.' *Pric.*

Nefando tegmine despoliaverat asinus] Oxon. et tres alii Mss. *nefasto:* quod eodem cadit. Glossæ: 'Nefastum, inauditum.' Ibidem: 'Inauditum, nefastum, ἄῤῥητον.' *Idem.*

Compressis in artum feminibus] Pal. Bert. et Flor. *in altum.* Elmenh. Accedunt D'Orv. Guelf. et Oxon. cum Edd. primis: unde Pricæus malebat *multum.* Sed rectius emendasse mihi videtur Beroaldus. Millies enim *artum* et *altum* confunduntur. 'In artum agi,' 'cogi,' 'contrahi' sunt locutiones satis frequentes, pro 'in angustum claudi,' ut ait Ovid. l. XIII. Met. 407. Sic. Vellei. l. I. c. 14. 'In artum notitia contracta.' Melæ l. I. c. I. 'litoribus ex diverso prope coëuntibus adeo in artum agitur:' ubi vide Ciaccon. Sæpe Curtio, ut l. VIII. c. 2. 'fauces regionis, qua in artissimum cogitur.' C. 13. § 9. 'In

artum coëuntibus ripis.' C. 11. § 6. 'Petræ altiora in artius coëunt.' Hinc satis liquet, veram esse longe plurimorum codicum lectionem apud Lucan. l. II. 613. 'Hinc latus angustum jam se cogentis in artum Hesperiæ, tenuem producit in æquora linguam:' ubi Cortius cum nonnullis rursus edidit *in arcum*. Sed quid est *cogere se in arcum?* Aliter de sinus curvatione solent loqui auctores, etiam ubi ab *arcu* comparationem sumunt. Vitiose *compensus* in Edit. Vicent. *Oud. Compressis in arctum feminibus, et superstrictis accurate manibus, &c. velamento me naturali probe muniveram*] In Apologia: 'Interfeminium tegat et femoris objectu, et palmæ velamento.' Τὸ *arctum* primus intulit Beroaldus. Oxon. tresque alii Mss. *in altum* legunt, quod nescio an permittendum, an *multum* ejus loco reponendum: non absunt ductus literarum, si quis mentem advertat: fortasse et pro *superstrictis, superstructus* legendum. *Pric. Compressis in altum fœminibus*] Corrigo, *compressis in arctum fœminibus:* est enim sensus: cum primum despoliatus fuit tegmine asinino, primam habuit rationem verecundiæ. Itaque compressis strictissime femoribus, et superconnexis manibus naturali velamento verenda cooperui, cum nudus forem, nec ullum quidem habens subligaculum. *Beroald.*

Probe muniveram] In quantum scilicet nudo licebat. Neque video necessitatem legendi *propere* cum Piccarto in Peric. Crit. c. 16. præsertim cum Auctor plus centies eo adverbio similibus in rebus utatur. Vide Floridi Indicem. Eadem dissensio de *propere* et *probe* l. VII. p. 145. *Oud.*

Superiorem exutus tunicam] Sic, 'summa amicula exuere,' apud Q. Curtium. Superior tunica, ἐπενδύτης, Joh. 21. 7. Florid. I. 'Habebat amictui pallium candidum, quod superne circumjecerat.' Glossarium Isidori: 'Superaria: vestis quæ superinduitur.' *Pric.*

Supertexit me celerrime] Vide supra p. 5. adnotata. *Idem.*

Vultu geniali, et hercules perhumano in aspectum meum attonitus, &c.] Bert. Ms. *in humano aspectu meo attonitus:* quod et recte Scioppio probatum: supra lib. IV. 'Et in aspectu alioquin attonitum.' *Idem.*

Sic effatur] Vulg. edit. *affatur.* Effatur, ut divinus et propheta. *Colv.* Bert. *affatur.* Sciopp. Elmenh. Verum quidem est, sacerdotibus et oraculis proprium esse *effari.* Sed cum agitur de eorum alloquio, quo aliquem in secunda persona alloquentes dignantur, rectius omnino est *adfari,* ut monui jam ad l. IV, p. 86. 'Affatu sanctæ vaticinationis accepto:' ubi idem conatus est Colvius. Infr. p. 262. 'Deus venerando me dignatus affamine.' Prætuli igitur cum Sciopp. in Susp. II. 12. *affatur,* quod cum Bertin. dant Pith. D'Orv. Fux. Reg. Guelf. a m. pr. Edd. pp. Ber. Colin. Bas. Scriv. In ceteris enim *eff.* Oud.

Maximis actus procellis, ad portum, &c. Luci tandem venisti] 'Optatus ille portus ærumnis adest.' 'Per varios casus, post tot discrimina rerum, Venisti in portum.' *Pric.*

Aram misericordiæ] Vide Pausan. lib. I. p. 26. *Elmenh.* Ad celeberrimum sc. Athenis Ἐλέου βωμὸν alludit: de quo adi Barth. ad Stat. l. XII. Theb. vs. 481. *Oud. Nec tibi natales, ac ne dignitas, &c.*] Supra III. ad eundem: 'Neque tuæ dignitatis, vel etiam prosapiæ tuorum ignari sumus.' *Pric.*

Lubrico virentis ætatulæ] Sic, 'lubricum adolescentiæ,' si memini, apud Valer. Maximum. 'Virentis ætatulæ,' ut supra lib. X. 'Pueri, &c. virenti florentes ætatula.' *Idem.*

Ad serviles delapsus voluptates] *Serviles* ne, quod ancillæ amore irretitus fuerat? (cui contrarium apud Hora-

tium, 'ingenuo amore peccare, aduri non erubescendis ignibus :') an quia addictum eum *voluptates* tanquam *servum* tenuerant? ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. (vide quæ olim p. 27. ad Apologiam notata.) an vero, libero homine indignas? sic, ἀνδραποδώδεις ἐπιθυμίας Theodoretus π. προν. *Idem.*

Produxit malitia] Passim quidem dicitur 'produci ad honores,' de quo vide ad Suet. Claud. c. 4. Græv. ad Cic. de Amic. c. 20. Sed tamen et 'perducere ad dignitatem,' et similia. [vid. VV. LL.] Nep. in Phoc. c. 1. 'Agellus, qui me ad hanc dignitatem perduxit.' Sic Mss. O. Quare nunc nihil muto in Cæs. l. VII. B. G. c. 39. 'Ad summam dignitatem perduxerat.' Vell. l. II. c. 79. 'Militem remigemque ad summam perduxit scientiam.' C. 96. 'Novitatem suam in hoc perduxerat, ut et Neronis esset socer.' C. 109. 'Imperium in eminens perduxit fastigium.' Senec. Ep. 20. 'Perduceris aut ad summum.' Vide et Ep. 44. Sil. Ital. l. XIII. 771. 'Ad decus et summas laudum perduxerit arces.' Contra l. XV. 100. 'Me cinctus lauro producit ad astra triumphus.' Quare in hisce standum est ab optimorum Mstorum parte. Sicut et variatur in Virgilio Ecl. I. 71. 'Quo miseros perduxit.' Hic *produxit* retineo. *Oud.* *Fortunæ cæcitas, dum te pessimis periculis discruciat, ad religiosam istam beatitudinem improvida perduxit malitia*] Chrysostomus in Josephi ad fratres illa, ὁ θεὸς ἀπέστειλέ με ἐνταῦθα· Τουτέστι, τῇ κακουργίᾳ ὑμῶν εἰς δέον ἐχρήσατο. Seneca : 'Sæpe majori fortunæ locum injuria fecit.' Heliodorus II. Δυσπραξία εὐπραξίας αἰτία. *Pric.*

Eat nunc, &c. et crudelitati suæ materiam quærat aliam] Gellius XX. ult. 'Abeant, &c. a Noctibus his procul, et alia sibi oblectamenta quærant.' Apud Petronium ille : 'Alium locum quem polluas quære.' *Idem.*

PAG. 249 *Deæ nostræ majestas*] Μεγαλειότης, ut Act. 19. 27. de eadem ista. Supra hic : 'Summatem Deam præcipua majestate pollere.' *Idem.*

Casus infestus] I. e. quamvis infestus : ut recte Beroaldus. *Idem.*

Quid latrones? quid feræ? quid servitium? &c. nefariæ Fortunæ profuit? in tutelam jam receptus es Fortunæ, sed videntis] Ex his Junonis apud Virgilium Æn. VII. 'Quid Syrtes aut Scylla mihi? quid vasta Charybdis Profuit? optato conduntur Tybridis alveo.' *Idem.*

In tutelam, &c.] Glossæ : 'In tutela, ἐν τῇ προστασίᾳ.' *Idem.*

Isto habitu congruentem] I. e. *habitui*, ut sæpe alibi locutus. Vide IV. 16. A. Gellium. *Idem.*

Comitare pompam] Solens huic Nostro pro eo alias *continuare*. Supra hoc eodem libro : 'alacer,' inquit, 'continuare pompam meam.' Identidem et libro primo : 'inde me commodum egredientem continuatur Pythias.' Infra eodem lib. 'atque eum cubiculo suo commodum egredientem continuatus, saluto.' Rursum et sexto de Asino : 'jamque confecta bona parte mortiferæ viæ, continuaveris claudum asinum lignorum gerulum cum agasone simili :' ubi scriberem *continuaberis* ; nisi comperissem *continuo* et *continuor* æque bonis scriptoribus placuisse. Sisenna VI. Historiarum ; 'Marius ostio Liris evehitur, atque suos continuare jubet.' Hac phrasi Varro dixit : 'boves continuare clunes, ut lupum arceant :' et Sallustius Conjurat. 'ipsos binas aut amplius domos continuare :' et Festus ; 'striges, ordines rerum inter se continuate collocatarum :' ita enim ibi legend. pro *conjuncte* alibi monui. *Stewech.* Quamvis sæpe *continuari* hoc sensu usurpaverit Auctor, non tamen id ubivis contra Msstorum auctoritatem est intrudendum. Nam et *comitari* non incognitum Nostro. Mox sequitur 'comitabar sacrarium.'

In Festo Mss. O. habent *continuate.* Oud. *Comitare pompam Deæ, &c. inovanti gradu*] Ἀλλόμενος, ut Act. 3. 8. ille, validus de claudo factus. Quas varias, ineptasque hic lectiones depromunt, non est operæ numerare. *Pric. Inovanti gradu*] Sejunctim lego, ut duæ sint dictiones, *In ovanti:* hoc est, gaudibundo et lætanti gradu. *Beroald.*

Videant, et errorem suum recognoscant] Lib. x. 'Videat, et sigillum suum recognoscat.' *Pric.*

Prudentiæ] Lego, *providentiæ*, ut sit ea quam Græci πρόνοιαν vocant, de qua M. Tullius in primo de Natura deorum: 'Audite non fatidicam Stoicorum Pronœam, quam Latine licet providentiam dicere.' *Beroald.*

Da nomen huic sanctæ militiæ] Proprie. Nam et in veteri Ecclesia adulti antequam baptizarentur, inter competentes nomen suum dabant. Clemens Recognit. lib. III. 'Si quis vestrum desiderat, ipse baptizetur, et accedat ad Zachæum, et ipsi det nomen suum, et mysteria audiat.' Augustin. de Fide et Operibus cap. 6. Concil. Carthaginiense cap. 85. Syricius pp. in decreto cap. 2. Concil. Suessionense apud Brinium fol. 644. Concil. apud S. Medardum in Decreto Ivonis parte 6. fol. 231. Edit. Romanæ. *Elmenhorst.* Vide Pricæum. Passim in re militari 'dare nomen.' Inverso ordine Pal. Fux. *sanctæ huic.* Oud. *Da nomen huic sanctæ militiæ*] I. e. initiare. In Glossis Isidori nomen præferentibus: 'Initiabunt:' (melius *initiabuntur*) 'nomen dabunt.' 'Sanctæ militiæ,' translatitie, ut II. Tim. 2. 2. ubi et vox στρατεύεσθαι. 'Dare nomen' hic, proprietas sermonis est. Seneca cap. 30. de Vita beata: 'Nomen in militiam non daret debilis,' &c. sic 'nomen militiæ dare,' in l. XVI. de re milit. *Pric.*

Cujus olim s. e. rogaberis] Unde aut qua de caussa Wowerius ediderit, quod etiam expressere Pricæus et Floridus, expiscari nequeo. Verissime restituerunt Elmenh. ac Scriverius, *non olim rogaberis:* quod etiam habet Pith. cum Edd. O. ante Colvium, qui primus substituit *rogaberis*, ut est in Bert. Fux. Reg. D'Orv. Ed. Vulc. In omnibus est *non olim:* i. e. non multo ante. L. x. p. 226. 'Me non olim convenerat: quod etiam corruperant quidam. Isis paullo ante, immo eadem nocte promiserat, se ipsi reddituram fore humanam formam ea conditione, ut sacramento suæ militiæ rogatus ei nomen daret p. 242. Jam vero 'sacramento rogari' locutionem esse rei militari propriam, et inde ad alia translatam, tirones quoque sciunt. Vide tamen sis Tennul. ad Frontin. l. IV. 1. § 4. 'Sacramento tantum a tribunis rogabantur.' Cæs. l. VI. B. c. 1. 'Consulis sacramento rogavisset:' ubi plura. Cuncta hæc absunt a Palat. Oxon. Guelf. et Par. In D'Orvill. *et rog.* Sopingius adscripsit margini, *inrogaberis*, frustra et perperam. *Oud.*

Ministerii jugum subi voluntarium] I. e. voluntarius subi. Supra IV. 'Ut unus e numero nostro, &c. atque is inprimis voluntarius, ursæ effigiem subiret.' 'Acerbissimam' (inquit Seneca) 'partem servitutis effugit, qui imperia libens excipit.' 'Ministerii jugum,' ut infra hic, 'castimoniæ jugum:' et I. Tim. 6. 1. ζυγὸς δουλείας. *Pric.*

Cum cœperis Deæ servire, tunc magis senties fructum tuæ libertatis] Guntherus lib. III. 'Quæ tibi libertas poterit contingere major, Quam Regi servire tuo?' et VIII. 'Libertas maxima nobis Tam placido parere viro.' Cassiodorus v. 16. 'Libertatis genus est servire rectori.' Deus Paralipom. XII. 8. de Israëlitis: 'Servient ei,' (Regi Sisac,) 'ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum.' Moses ad Eundem apud Philonem in de Noachi plantat. Ἡ ἀδιάστατος παρὰ σοὶ δουλεία τῆς μεγίσ-

της ἀρχῆς, οὐκ ἐλευθερίας μόνον ἄμεινον. Idem libro de Cherubin. Τὸ δουλεύειν θεῷ μέγιστον αὔχημα, καὶ πάντων, ὅσα τὸ θνητὸν ἀσπάζεται, τιμιώτερον. Et in de rerum divin. hærede: Πλείονι χαρᾷ χρώμενος ἐπὶ τὸ θεράπων θεοῦ γενέσθαι, ἢ εἰ τοῦ παντὸς ἀνθρώπων γένους ἐβασίλευσε. *Idem.*

Ad istum modum vaticinatus sacerdos] Tibullus: 'Sic magna sacerdos Est mihi divino vaticinata sono.' Glossæ: 'Vaticinatur, φοιβάζεται.' Onomast. vetus: 'Vaticinor, χρησμῳδέω.' Hoc sensu ut capiam Appuleium faciunt proxime sequentia. *Idem.*

Fatigatos anhelitus trahens] Lib. VIII. 'Crebros anhelitus referens, simulabat sauciam vecordiam:' ubi dicta p. 167. vide. Tertullianus de hujusmodi impostoribus in Apologetico: 'Ructando conantur, anhelando profantur:' ubi *conari*, (quod non omnes intelligunt) est, *conari loqui*. Persius de pica: 'verba nostra conari.' Noster in Florid. II. 'Semihiantibus in conatu labellis.' Poëta vetus apud Gellium, plenarie: 'Dicere cum conor curam tibi Pamphile cordis.' *Id.* *Fatigatos anhelitus trahens*] Quintilianus Declam. XIII. de Apibus: 'Aliæ longum permensæ iter fatigatæ' (lege *fatigatum*) 'anhelitum traherent.' *Idem.*

Comitabar sacrarium] Floridus interpretatur 'sacrorum pompam.' Prave. Intelligit, se comitem accessisse sacerdotibus illis, qui gerebant *cistam* arcanorum capacem, et numinis *effigiem* miram, atque *urnam* religionis arcanæ argumentum p. 246. Alibi passim Auctor cum ceteris *sacrarium* vocat templum sanctius, vel locum in eo secretiorem, seu *adytum*. L. VI. p. 111. 'Quæ silentio tegit Eleusinis Atticæ sacrarium.' Infra pag. 256. 'Ad ipsius sacrarii penetralia.' Quum Deam Syriam gerebat, se ipse vocavit *templum*, l. VIII. p. 173. *Oud.*

Totæ civitati notus et conspicuus] Idem VIII. Declam. 'Mater tota civitate conspicua.' Augustinus Confess. IX. 7. 'Civitati notissimus.' *Pric.*

Digitis omnium nutibusque notabilis] Onomasticon vetus: 'Notabilis, γνωστός.' Vide supra p. 41. dicta. *Idem.*

Omnes in me populi fabulantur: Hunc omnipotentis hodie Deæ numen augustum reformavit ad homines] Supra lib. X. 'Jam rumor publice crebuerat, quo conspectum atque famigerabilem meis artibus effeceram Dominum. Hic est qui sodalem convivamque possidet asinum,' &c. Gellius V. 14. ex Appione: 'Postea videbamus Androdum et leonem tenui loco revinctum, urbe tota circum tabernas ire, &c. omnesque fere ubique obvios dicere. Hic est leo hospes, homines, hic est homo medicus leonis.' *Idem.* *Numen augustum*] Infra hic: 'Quem propitia voluntate Numen augustum tantopere dignatur:' et VI. 'Cum tota Numinis sui augusta dignitate.' *Id.*

Et tibi beatus] Scribe, *sibi beatus*: ut verba tertiæ personæ sint congruentia: vel lege, *Ter beatus*: ut pro beatissimo accipiatur: dicimus enim 'ter fœlicem,' et 'ter beatum,' quem intelligi volumus fœlicissimum, beatissimumque: a potentia scilicet et vi numeri ternarii, quem Latini 'ternionem,' Græci 'triada' vocant. *Beroald.*

Quodammodo renatus] Infra hic: 'Et sua providentia quodammodo renatos,' &c. Firmicus V. 3. 'Sic ante oculos suos mortis pericula habebunt, ut tunc se putent iterum renatos, cum ad conspectum magnorum, &c. virorum venientes, eorum fuerunt protectione liberati.' *Renatus* hic, a bestiis redditus hominibus: sic, reditum ad honores ac patriam suam Cicero παλιγγενεσίαν vocat, lib. VI. ad Atticum. *Pric.*

Sacrorum desponderetur obsequio] *Redderetur* Oxon. male: infra hic: 'Ad istum modum desponsus sacris.' *Ob-*

sequium proprie. Arnobius lib. I. 'Obsequio venerabili invocare in rebus fessis.' Noster in de Socratis Deo: 'Sacerdotum officia, sacrificantium obsequia.' Infra hic: 'Velut debitum obsequium flagitare.' *Idem.*

PAG. 250 *Ripam maris proximamus*] Frustra contra Mss. O. divinavit Pricæus *ripæ*. Immo et contra alia Auctoris loca. Lib. VI. p. 114. 'Jamque fores ejus dominæ proximanti.' Hinc quidam legunt lib. II. p. 42. 'Januam proximamus:' ubi vide tamen notata. De *ripa* seu litore maritimo vide Heins. ad Ovid. Ep. VI. 54. 'Milite tam forti ripa tuenda fuit.' Duker. ad Flor. IV. 11. 'In ripam mota ventis maria evomebant.' Mel. lib. III. c. 1. et 3. 'Ripis insularum.' *Oud.* *Ripam maris proximamus*] Fortasse *ripæ* scribendum. Vide supra p. 64. notata. *Pric.*

Circumseptus variegatam] Mirari satis nequeo, id ita in Parisien. atque adeo Beroaldina quoque editione inemendatum relictum. Certius nihil est, quam probe correctum iri hac conjectura, *circumsecus variegatam.* Quod dictum ea compositione, qua libro secundo de asino, et locis plus decem apud illum ipsum Auctorem, 'utrimque secus,' quod valet 'ab utroque latere,' ut 'circumsecus' undique, ab omni parte. Sic idem alibi format 'forinsecus,' 'utrimque laterum,' 'altrinsecus ædium.' Quin imo apud eumdem lib. secundo in omnibus editis legitur: 'Cum etiam nos omnes circumsecus adstantes in clarum cachinnum videret effusos.' Iterum lib. quinto; 'multi coloni, quique circumsecus venantur.' *Stewech.* Sensus postulat legendum *circumsecus.* Fux. *variegræcam.* Roald. *Circumsecus v.*] Ms. *circumspectus variegræcam.* Vulg. emendante Beroaldo, *circumseptus variegatam: circumsecus* etiam correxit Elector. Lib. II. Lipsius: id est, in ambitum et in orbem. Sic supra lib. V. 'Proximi coloni, quique circumsecus venantur:' ubi hoc integrum mansit. *Colv.* Ms. *circumseptis.* Alii, *circumspectis.* Sciopp. in Symbola. Bert. *circumseptus*, male. Flor. et Rom. *variegræcam.* Elmenh. Cum in plerisque Mss. et Edd. Vett. legatur *circumseptus var.* Ed. Junt. post. invertit verborum ordinem, exhibens, *variegatam, circumseptis s. sacerdos tæda, &c.* Sed tunc mallem recipere Fulviani codicis scripturam *circumseptis.* Ut navem prius circumcinxerit (quasi sepimento, quo arcerentur profani) tæda, ovis, et sulfure. Certe lustratio fiebat 'circumlatione lustramentorum;' uti notum est. Vide hic Pricæum, et Lomeierum de Lustr. Gentil. Cogitavi aliquando, quia in Palat. Guelf. est *circum sectus*, in D'Orvill. et aliis *circumspectis*, num scripserit Auctor *circumspectissime.* Tale certe adverbium sensui hujus loci egregie conveniret. Ammian. Marcell. de Romanis sui temporis Episcopis lib. XXVII. c. 3. 'Ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas.' Gell. lib. I. c. 5. 'Multa munditia et circumspecte compositeque indutus.' Magis tamen inclinat animus in *circumsecus*, quod diserte exstat in Mss. Florentinis, ni fallant excerpta, et cum Colvio ediderunt sequentes editores. Vox ea abiit quoque in *circumseptus* lib. II. p. 30. 'circumsecus adstantes:' ubi vide quoque. Dein *variegrecam, vanegregam, variemgrecam,* exaratur etiam in D'Orv. Pal. Oxon. Guelf. et Edd. primis. Optime scil. Beroaldus emendavit *variegatam*, ut est in Pith. et Bert. Idque participium restituendum puto Martiano Capellæ lib. I. p. 17. 'Ex qua multicoloribus notulis variata pictura vernabat.' In Mss. enim est *varicata, variegrata.* Oud. *Variegræcam*] Scribe *variegatam:* hoc est, distinctam exornatamque variis

picturis. Dictio est Appuleio prope peculiaris: a quo etiam dicitur *variegare* pro *variare*, et ornatus varietate distinguere. *Beroald.*

Tæda lucida, et ovo, et sulphure] Ovid. lib. II. Metamorph. 'Et veniat, quæ lustret, anus, lectumque locumque; Præferat et tremula sulphur et ova manu.' *Elmenh.* *Solennissimas preces, &c.*] Seneca c. 13. ad Marc. de Pulvillo Pontifice: 'Solennia carminis verba concepit.' *Pric.* *Tæda, &c. et sulphure, &c.*] Servius ad Æn. VI. 'Lustratio a circumlatione dicta est vel tædæ vel sulphuris.' Vide Beroaldum. *Idem.*

Carbasus lintea votum ingestans progerebat. Ecce litteræ vatum inst.] Navis descriptio est, quam sacerdos in ipsa maris ripa populo præsente Isidi Deæ nuncupabat, dedicabat. Pro *lintea* vidi alios reposuisse *literæ*. Nescio, an scribi debeat *lutea*. Forte abesse malis utrumque. Reliqua Apuleii de voto intelligenda in ipso carbaso navis expresso. Quod quidem non aliter, quam literis fieri potuisse, aut consuesse, palam est. Commentarium nuper ad Vegetium publicavi, in quo navis tota, et in ipsius velo expressum literis votum. Dignus hic locus Apuleii, qui a viris doctis expendatur. Ego illum tentavi constituere: 'votum ingestans procedebat. Ecce litore votum instaurabant de novi commeatus prospera navigatione.' Quod ad circumstantem populi coronam traho, qui, soluta jam navi, secutus sacerdotis verba, fausta vota precantis, omnia prospera et felicia adprecatus est. Solet enim in rebus divinis a præcone populo indici FAVETE LINGVIS. vel hac formula; ORE FAVETE. Quo nuntiabatur universis illis, qui aderant, omnia bona loquerentur, ut docemur a Festo, et Nonio Marcello in *Omen*, et his Ovidii versibus lib. VII. Metamorph. 'pro te, fortissime, vota Publica suscipimus, Bacchi tibi sumimus haustus. Consonat adsensu populi precibusque faventum Regia.' Ritum illum Apuleius respexit, cum auditoribus, quibus librum de deo Socratis recitaturus erat, prædixit, 'hæc vero talia erunt, qualia vos illa favendo feceritis.' *Stewech.* Fux. *litore.* Roald. *Carbasus, littore v. ing. prog. Ecce litteræ v. c.* Emendo, inquit Beroaldus, *carbasus lintea.* Nos scriptam lectionem expressimus: nisi quod pro *ingestans, ingestas* etiam ibi scribitur. Venetus cod. *littore votum ingest.* Scribebam ego, *littore votum, gesta progerebat.* Ipsa carbasus a sacerdotibus gesta, gerebat votum. Tum Ms. *litæ vot. inst.* Non placet hæc repetitio dictionis *votum.* Modo enim, *carbasus littore votum ingestans.* Ubi fortassis aliud quid reponendum, quod jam non video. Colonæus ibi *notum* excudit. Certe hoc loco *votum* omnino putem retinendum, hoc sensu: Litteris votum in carbaso notatum erat felicioris istius anni itus, reditus. Nam sic solebat. Propertius lib. IV. (El. VI. vs. 41.) 'Solve metu patriam, quæ nunc, te judice freta, Imposuit proræ publica vota tuæ.' Proræ, in qua hæc carbasus: quamvis alia ad eum locum notet vir magnus. *Colv.* Mirum in modum hæc depravata: in quibus restituendis alii frustra laborarunt. Videtur autem scribendum: *carbasus, litteris votum ing. progerebat. Eæ litteræ votum instaurabant.* Wowerius. Flor. *c. l. v. ingestas.* Alii, *car. litteris v. i.* Beroaldus, *c. lintea v. i.* Vide Passeratium ad Propertium p. 623. lib. IV. Bert. *proferebat.* Fulv. *eæ litteræ.* Elmenh. Fortasse: *C. litteratum votum ing. prog. Exinde litaræ i. ἱερεῖς*, vel *Exinde teletæ.* Nam Ms. *litæ.* Soping. Vide, lector, quantopere vexatus hic fuerit locus, quem nequaquam persanatum credo, a Florido etiam ex audacissima Pricæi conjectura, nullis Mss. eo ducentibus, pejus interpolatum. Dubitare nemo potest, quin Ap-

puleius hac periodo indicarit, illius navis carbasum fuisse ornatam et insignitam litteris, quæ continebant votum, sacerdotum et populi ore jam ante enunciatum, de prospera navigatione. Sic in nummo Hadriani navis cusa litteras habet in velo SALVS AVG. ex indicio Stewechii ad Veget. l. v. c. 13. In nummo Commodi classis portu egrediens pingitur cum litteris VOTIS FELICIBVS. Immo in nummo Juliani navicula comparet, in qua stat *Isis* cum circumscriptione VOTA PVBLICA ex museo Cel. Haverkampi ad Oros. l. VII. c. 30. Adde Burm. ad Suet. Claud. c. 20. et Passer. d. Propertii loco, ac Dialog. Luciani inscriptum Πλοῖον ἢ Εὐχαί. ubi docet navem hanc, quamvis de Alexandrina ibi agat, *Isidem* dictam t. III. p. 251. Ed. ult. ad quem locum confer omnino Elsneri Sched. p. 92. &c. Hinc supra 'festum Isidis navigium' vidimus l. x. p. 241. Isidemque ipsam navigantium Deam, in cujus erant tutela (vide Lucian. Dial. Myth. 1. Pignor. Mens. Isiac. p. 10.) et hinc in Emporiis cultam, ut docet Vitruv. l. I. c. 7. 'vocatam existimo Navisalviam.' Vide Inscript. Murat. p. 98. Mus. Veron. p. 90. 252. Montfauc. Suppl. Antiq. Explic. t. IV. p. 114. Atque huc quidam respicere putant Tibull. l. I. 3. 23. Sed adi potius Heynium. Jam videamus varias Mss. et Edd. lectiones, ut certam quamdam inde constituamus. In Mss. O. est *litore, lre, litt're, litori.* unde Beroaldus fecit, *c. lintea*, seu linea, sequentibus eum Juntis, Aldo, Colinæo, Bas. ac citante Baudelotio in Utilit. Itin. t. II. p. 543. *litore* retinuerunt Edd. Ven. Colv. Vulc. Wow. Pric. *litteræ* Edd. Rom. Vicent. *littoris* Elmenh. *litteris* ex Lindenb. et Wowerii conjectura Scriverius, et hinc, ut vides, Floridus, divinante Pricæo *ingentibus*. De *litteris* hic factam esse mentionem, satis evincunt sequentia, sed et simul probant, 'litteris votum ingestans,' vel 'litteris votum ingentibus progerebat,' non esse Appuleiana. Quippe sic bis unum idemque dixisset Auctor. Nam 'litteræ votum instaurabant,' quid aliud, quæso, quam 'litteris votum progerebat carbasus?' Præterea mihi explicari velim, quid sit, 'carbasus ingestans litteris votum progerit,' sive quæ ista Latinitatis ratio? Opinor, bene subodoratum esse Colvium, vocem *votum* prave repetitam. Erravit vero, quod crediderit, secundo loco eam vacare. In Ms. Pith. pro *votum* est *vocum*. In Flor. D'Orv. Lips. Ed. Ber. *ingestas*. Hinc conjicio, *litteras vocum intextas.* Nam carbaso intextas fuisse, jam vidit etiam Beroaldus, et cum eo Baudelotius. Sin minus placet, *vocum* abjiciatur. Certe *votum* hic locum non habet. In Oxon. est *procerebat*. Omnia hæc *littore votum ingestans prog. Ecce litteræ* desunt Fuxensi. *Eæ l.* non repudio, si, quod ait Elmenh. ita est in Fulviano. Quod miror tamen, nec a Wowerio, nec Scioppio fuisse monitum. Receperunt *eæ* post Wowerium omnes. In ceteris Mss. et Edd. *Ecce*. Oud. Gruterus Suspic. Ined. XV. cap. 8. legit, *nitens carbasus litteras notis intextas progerebat:* ut hoc velit quod postea dicit Auctor: 'de opertis adyti profert.' *J. Bosscha. Hujus alvei felicis nitens carbasus litore votum ingestans progerebat. Ecce literæ, &c.*] Attente hæc verba perpendenti mihi sic videtur scribendum, *literis votum ingentibus progerebat. Eæ literæ, &c.* sic 'literis ingentibus implere' apud Petronium. Grande malum isti loco dederunt Expositores, tam diversa tendentes. *Pric. Carbasus literæ*] Emendo, *carbasus lintea.* Signantur enim vela nautica, quæ lintea sunt ex carbaso, quod genus lini tenuissimum est. Scribit Plin. carbasa primum in Hispania reperta esse, mira lini tenuitate. Porro in navigiis sunt majora vela, sunt et minora: alia in

puppibus panduntur, Græci *dolones* vocant τὰ μικρὰ ἱστία, hoc est, minuscula navium vela, prout docent Suidas et Julius Pollux. Hoc idcirco transeunter annotavi, ut intelligeres illud Livianum ex XXXVI. volumine, 'dolonibus erectis altum petere intendit:' item mox paulo: 'Polyxenidas ut virtute militum superari se vidit, sublatis dolonibus effuse fugere intendit.' *Beroald.* *Votum, &c. progerebat*] Glossæ: 'Votum, εὐχή.' *Pric.* *Ecce literæ*] Denotat literas fuisse in carbaso tntextas sive scriptas, quæ indicarent id votum esse prosperæ navigationis et commeatus: hoc est, itus et reditus fœlicioris. Nec mirum videri debet, si literis erant vela nautica inscripta, cum auctores tradant, ante usum chartarum voluminibus linteis fuisse scriptitatum: unde et Livius libros linteos frequenter citat. *Beroald.*

Insigni carchesio conspicua] Florid. IV. 'Firmis rudentibus, procero malo, insigni carchesio.' Carchesium, mali summitas, per quam funes trajiciunt. Servius ad Æn. v. *Pric.*

Et p. intorta chenisco] In puppi Tutela navis erat, quæ sæpius alicujus animalis effigies: ut notat Servius in illud, X. Æneid. 'Massicus ærata princeps secat æquora tigri:' et v. 'Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin.' Sed sæpissime Anser ibi depictus erat. Unde *Cheniscus* in ea parte navis, pro signo et insigni quolibet. Suidas: Χηνίσκος, μέρος τι τοῦ πλοίου. Eustathius in Homerum: Χηνὸς τύπος ἐν τῷ ἄκρῳ γλυφόμενος. Lucianus de Navigatione: ὡς δὲ ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα, καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. Et, Veris narrationibus: Ὁ ἐν τῇ πρύμνῃ χηνίσκος ἄφνω ἐπτερύξατο καὶ ἀνεβόησε. Huc etiam forte magis facit, quod Anser Isidi sacer ales, isque ei divæ immolaretur. Ovidius: 'Nec defensa juvant Capitolia, quominus anser Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.' *Colv.* Χηνίσκου seu *Anserculi* figuram sæpe in navibus et præsertim Isidi dicatis fuisse, jam satis notum. Adi ad Lucian. t. III. p. 251. Salmas. ad Solin. p. 404. Scheff. de Re Nav. p. 158. *Ceruchi* sunt antennarum cornua. De Isidis ansere vide ad J. Obs. c. 71. Herod. lib. II. cap. 37. 45. Tabul. apud J. Gron. ad Min. Fel. c. 38. p. 291. *Et* deest Oxon. *Oud.* *Puppis intorta chenisco*] Vide Elmenhorstium. Oxon. *cerusco.* *Pric.*

Fulgurabat] Fux. *fulgebat.* Roald. *Fulgebat.* Vulgo, *fulgurabat.* Colvius. Flor. Rom. Ven. et Bert. *fulgurabat.* Elmenhorstius. Adde Pith. D'Orvill. Ursin. aliosque, et omnes Edd. priores Colvio, qui male pro elegantissimo Appuleii verbo glossema ejus cum Edd. sequentibus, si Scriverium excipias, supposuit. Lib. V. p. 89. 'Sic ipsæ valvæ fulgurant.' p. 102. 'splendore fulgurante.' Lib. II. p. 26. 'color contra Solis aciem fulgurat.' p. 33. 'aurum fulgurans.' Hoc lib. p. 247. 'Coronam, quæ rosis amœnis intexta fulgurabat.' Florid. N. 3. 'lyra ejus auro fulgurat.' Sil. Ital. lib. I. 467. 'ac late fulgurat umbo.' Prudent. περὶ στεφ. XI. 184. 'Argento fulgurat ex solido.' Græci passim aiunt ἀστράπτειν χρυσῷ, ἀργύρῳ, λίθοις. Male enim Salmasius ad Plinium p. 799. distinguit inter *fulgerare*, ἀστράπτειν, et *fulgurare*, κεραυνῶσαι. Huc pertinet, quod *fulgur* sæpissime ponatur pro *fulgore.* Vide Bouhier. ad Petronii Carm. de B. Civ. vs. 182. de sole: 'Aurato præcingit fulgure vultus.' Auson. Ephem. 12. 'Nec coruscantis oculos lacessunt Fulgura lucis:' et Eclog. vs. 39. 'fulgura luminis.' Adde notata ad Frontin. I. II. cap. 33. 14. *Fulgebat* tamen est in Lips. Palat. *Oud.*

Citro limpido perpolita] Oxon. male, *atro l. p.* vide Beroaldum. *Pric.* *Carino citro limpido*] Auctor est Diodorus, Sesostrem Ægyptii regem fecisse navem ex cedro ducentum octoginta

cubitorum longitudine, forinsecus bracteis aureis vestitam, intus vero deargentatam, quam dono obtulit Deo qui Thebis Hecatompylis colitur. Plinius in XVI. 'At in Ægypto' (inquit) 'ac Syria reges inopia abietis, cedro ad classes feruntur usi.' De *citro* et *citreis* mensis non pauca Plin. noster in XIII. et nos alibi perscripsimus. *Beroald.*

Et hujusmodi suppliciis] Onomast. vetus: 'Supplicium, πρόσοδος.' *Cujuscemodi* legendum autem bene Brantio monitum. Supra hic, 'cujuscemodi pecua:' et IX. 'Canes cujuscemodi vocibus inhortantur nobis.' *Pric.*

Certatim congerunt] Lib. IV. 'Certatim gladios, &c. congerunt.' Vide supra p. 173. dicta. *Idem.*

Intritum, lacte confectum] Glossæ Veteres: 'Intritum, ἐμβροχή.' *Colv.*

Absoluta strophiis] Gyrald. f. 519. 607. *Elmenh.* Palat. *strofiis*, Oxon. *storsis*. Est qui *stroppis* velit seu *struppis*: quod eodem redit. Vide ad Gell. lib. X. cap. 3. 'struppis, quibus lectica deligata erat.' Frustra. *Stropus* et *struppus* ac *stroppus* depravatæ Latinitatis sunt: cum meliores usi sint ipsis Græcis vocibus, Latine eas efferentes. Στρόφοι enim Græcis et στρόφεια sunt 'intortæ tæniæ,' ut ait Auctor lib. VIII. p. 173. sive funes stuppei torno invicem connexi et densi, vulgaribus ornatiores, et decoris gratia, *strophia* dicti. Vide ad Lucian. t. III. p. 252. αἱ ἄγκυραι καὶ στρόφεια. Vitruv. lib. X. cap. 8. 'Remi circa scalmos strophis alligati:' ubi nequaquam cum Scalig. et Wesseling. lib. II. Obs. cap. 28. opus est *strupis* refingi. Plin. lib. XXI. c. 2. 'Tenuioribus coronis utebantur antiqui stropos' (malo *strophos*) 'adpellantes: unde nata strophiola:' ubi vide Comment. et Cuper. Apoth. Homeri p. 138. Salmas. in Plin. et hic Beroaldum. Male profecto suo ingenio hic abusus est Pricæus, divinans *stuppis* pro stuppeis vinculis. *Oud.* *Stroppus* malebat Vales. ad Ammian. XIV. c. 2. *J. Bosscha.* *Donec muneribus largis et devotionibus faustis completa navis, absoluta strophiis anchoralibus, &c. pelago redderetur*] Virgil. 'Tempestatibus agnum Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funes.' Quintilianus Proëmio operis: 'Permittamus vela ventis, et oram solventibus bene precemur.' In Heroicis Philostrati: Ἐῤῥώσθω ἡ ναῦς, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ. 'Faustæ devotiones,' sunt quæ Suetonius 'fausta omina' vocat. Tacitus Annal. IV. 'precationes faustas:' opponuntur 'diræ devotiones' supra lib. IX. Pro *strophiis* est qui *stroppis* corrigit, quod non intelligo. Potest vulgatum ferri, (Beroaldum vide,) ni *stuppis* (i. e. funibus) malueris. Noster de hirta coma sua, in Apologia: 'Stuppeo tormento adsimilis.' Gracchus apud A. Gellium X. 3. 'Lecticam deponi jussit, stuppis quibus deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit.' *Pric.* *Absoluta strophiis*] Resoluta vinculis anchorarum: *strophia* enim vincula dicuntur, dictione Græca, στρόφιον, sed Latinis usitatissima: quia *strophia* modo pro vinculis, modo pro coronis, modo pro fasciis (quibus pectora vinciuntur) accipitur, ut supra diximus, ex eodem fonte cuncta derivata. Suidas docet *strophium* esse στρογγύλον ζωνάριον, id est, rotundum cingulum, et coronam capitis. *Beroald.*

Similis ritu pompæ] Oxon. *simili structu p.* quomodo et in Colvii editione. *Pric.*

Simulacra spirantia] Inepte Beroaldus hic vivos homines Deosve intelligit. Sunt imagines tanta arte effectæ, ut vivere et *spirare* viderentur, vulgatissima scriptoribus locutione. Vide Pric. Virg. III. G. 34. 'Stabant et Parii lapidis spirantia signa.' Comm. ad Sil. lib. II. vs. 430. 'Spirantem credas certamina anhela mo-

vere.' Alibi *vivere* dicuntur. Adi Heins. ad Prudent. Apoth. vs. 724. 'Sculptor ab æris Rudere decoctam consuescit vivere massam:' et viros doctos ad Propert. lib. II. 23. 8. 'Artifices vivida signa boves.' Supra lib. II. p. 22. Et sic Græci creberrime. *Oud.* *Simulacra spirantia*] Simulacra adeo fabre effecta, ut spirare viderentur. Arnobius lib. VI. 'Spirantia hæc signa, quorum plantas et genua contingitis.' Ammianus l. XXII. 'Spirantibus signorum figmentis.' Quæ heic Beroaldus posuit, videtur inter vigiliam et soporem scripsisse. *Pric.* *Simulachra spirantia*] Homines dicit, qui Deorum imaginem repræsentantes spirabant. Supra ait, Dii dignati humanis pedibus incedere. *Beroald.*

Grammatea dicebant] Meminit γραμματέων Ægyptiorum Lucianus de Sacrificiis (t. I. p. 537.) Εἰ δ' ἐθέλοις καὶ ταῦτα δαήμεναι, ὄφρ' εὖ εἰδῇς, ἀκούσῃ πολλῶν σοφιστῶν καὶ γραμματέων καὶ προφητῶν ἐξυρημένων, διηγουμένων· πρότερον δέ φησιν ὁ λόγος, Θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι. Ut in his sacris γραμματεῖς, sic etiam Pontifici maximo Romæ suus erat scriba. Lapis vetus: AGRIÆ. TRYPHOSÆ. VESTIFICÆ LIVIVS. THEONA. AB. EPISTVLIS. GRÆC. SCRIBA. A. LIB. PONTIFICALIBVS. CONIVGI. SANCTISSIMÆ. B. D. S. M. *Colv.* Vide Grut. p. 578. Fabr. Inscript. p. 325. 326. Sed multo minoris ordinis, et alius generis scribæ erant apud Romanos, quam γραμματεῖς, et quidem ἱεροὶ γραμματεῖς apud Græcos et Ægyptios: ut docet ipse Corn. Nep. in Eum. c. 1. ubi vide. Verum de ea re late agendi locus hic non est. Ægyptiorum γραμματεῖς ἱεροὺς καὶ προφήτας vocat Ælian. lib. XI. Anim. c. 10. et Lucianus in Philopsend. t. III. § 34. p. 60. Μεμφίτης ἀνὴρ τῶν ἱερῶν γραμματέων, θαυμάσιος τὴν σοφίαν, &c. ubi vide Comm. Quem auctor innuit, videtur nominari ἱερογραμματεὺς Clementi Alex. Strom. lib. VI. p. 757. Ed. Oxon. ubi ejus munera describit. Ἱερομνήμονα dici etiam credit Salm. in præf. ad Solinum. Inepte Mss. D'Orv. Oxon. Pal. Guelf. *Grammata*, Fux. Reg. Coll. Voss. Edd. Vic. Junt. pr. *Grammateam.* *Oud.*

PAG. 251 *Velut in concionem vocato*] Lib. VI. 'Deos omnes ad concionem protinus advocare.' *Pric.*

Totoque] Edd. Junt. Ald. Colin. *totique.* Sed vide ad lib. III. p. 53. X. p. 231. et h. l. p. 249. item ad Sueton. Ner. c. 12. Leop. Guadagnum de Pand. Florent. cap. 15. Inscript. Murat. p. 659. 1. 'Hieronicæ solo.' Male vero *totæ* Plinio adfricat Salmas. ad Solin. p. 39. *Oud.*

Græciensi] Sic Gellius XIX. 10. 'Scimpodium Græciense' dixit. *Pric.* *Ritu Græciensi*] More Græcanico et lingua, λαοῖς ἄφεσις. Interpretamentum Græcarum dictionum est, *populis missio*: verba sunt, quæ Græci nostrique juxta usurpant, post cuncta celebrata mysteria, ut dicatur *Missio populis*, scilicet *est*, vel *datur*, ut tunc demum omnibus abire fas sit. Vis exemplum consimile? proximum habes: nam quotidie in mysteriis nostris solet sacerdos post peracta solennia dicere, 'Ite missa est:' ita nunc scriba Græce dixit, λαοῖς ἄφεσις: id est, *populis missio*, et ita legendum est. Mendosi codices non *missio* habent, sed *missis*, quod repugnat verbo Græco atque sententiæ. ἀφετήρια, 'apheteria' Græci dicunt carceres, unde equi emittuntur ad cursum, Græce dicitur θύρα ἱπποδρόμου. Sunt et 'apheteria,' auctore Suida, ὄργανα πολιορκητικὰ, id est, instrumenta ad urbes expugnandas accommodata. *Beroald.*

Ita ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ, *populi missio*] Hæc *pop. miss.* absunt ab Ald. *Roald.* Vulgo additur interpretamentum, *populis missio.* Quod rectius a quibusdam abesse judicavimus, quamvis Ms. id agnoscat. Ceterum hic ritus ad populum pronuntiandi ita etiam fuit in Ecclesia veteri. Alludit Tertullianus

de Anima: 'post transacta solemnia dimissa plebe:' et multis aliis locis, ubi hac de re latius Clarissimus Pamelius noster. *Colv.* Flor. ἀοι ἀεφεσια. Male. Michael Ritius de regib. Francorum p. 529. lib. II. 'Antiquitus in illa vana Deorum superstitione peracta re divina conversus ad plebem sacerdos dicebat λαοῖς ἄφεσις, id est, populis missio, ut est apud Apuleium, quo verbo potestatem faciebat abeundi volentibus.' *Elmenh.* Pessime hæc a Beroaldo, aliisque, et Alciato in Parerg. VII. 10. sumi de sollemni formula, qua post sacra peracta indicabatur abeundi potestas, *ilicet*, abunde patet e seqq. 'Qua voce feliciter cunctis evenire, signavit populi clamor.' Sicuti etiam illa *populis missio* vel *missis*, ut est in Edd. pp. *de populi missio* Junt. pr. exsulant a Mss. tantum non omnibus, item Edd. Ald. Junt. post. Colv. et seqq. Græca quoque perperam absunt a Palat. Guelf. et Coll. Lips. In Fux. Reg. est *ita* λοΖαεφεCια. In Pith. *ita* αοιλεφεCιν. D'Orv. *ita O. i. h. S. cia.* In aliis *itaoistia*. Quare, abjecta inepta illa voce *ita*, putem legendum esse, ΠΛΟΙΟΥ ΑΦΕΣΙΣ, i. 'navis onerariæ dimissio.' Vel ΠΛΟΥ ΑΦΕΣΙΣ, 'navigationis initium.' Adi Salmas. de Annis Climact. p. 268. Jablonskium d. l. p. 442. Aliquando etiam Salmasius Plin. Exerc. p. 177. ingeniose conjecit: *ita* ΛΑΟΙΣ ΕΥΕΤΙΑ. Sed rectius vel sic legas, ΠΛΟΥ ΕΥΕΤΙΑ, sine *ita*, i. e. 'Navigationis bonus annus' ac felix proventus, ab ἔτος. Obloquitur Is. Voss. p. 250. in Bibl. Lugd. Ed. pr. qui legebat ΛΑΟΙΣ ΕΞΕΣΙΑ, populis dimissio. Quia sequitur, 'ad suos quisque discedunt lares.' Hinc 'Dea abundantia' Græce Εὐετηρία in Inscr. Itin. Spon. t. II. p. 487. et Mus. Veron. p. 39. Passim enim *annus* de proventu annuo usurpatur. Adi ad Lucan. l. III. 70. 'Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.' Vel etiam ΠΛΟΥ ΕΥΕΣΙΑ ab εὖ εἶναι: quæ et εὐθενία vocatur. Confer Perizon. ad Ælian. lib. XIII. V. H. cap. 1. et Comm. ad Thom. Mag. v. Εὐθενεῖν. Hæc certe conveniunt optime sequentibus verbis, et votis navigationi solemnibus, a qua maximus solet redire proventus, abundantia et felicitas, unde in nummo Commodi de classe Africana e portu exeunte, VOTIS FELICIBVS, quem memorat Burm. ad Sueton. Claud. c. 20. Vide Spartian. in V. Comm. c. 17. Mediobarb. in Numm. Comm. Tr.. p. XI. Immo hæc Isidis navis *Salvia* dicebatur. Vide omnino Maff. Mus. Ver. p. 90. et 252. cum figuris huc facientibus. *Oud.* ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ] Vide Parerg. VII. 10. Alciatum. *Pric.*

Quam vocem feliciter c. evenire] Interpretatur Floridus 'jucunde accidere.' Sed quis umquam dixit eo sensu 'vox evenit mihi feliciter?' Inpersonaliter sumenda sunt 'feliciter evenire.' Id hac voce denotari, non igitur 'populi missionem,' signavit populi clamor. Licet igitur Florent. ac Pith. Codd. et Edd. pleræque Accusativum servent, prætuli cum ceteris Mss. Colv. Vulc. Wow. Pric. et Salmas. in Plin. p. 77. Ablativum *qua voce*. A Bert. exsulat *cunctis*. Oud.

Gaudio delibuti] Phrasis Terentiana. Vide supra p. 141. dicta. *Pric.*

Thallos, verb. corollas] Vulg. *talos*. Thallus est termes olivæ, quo Deum aras spargebant. Glossæ antiquæ: 'Sagmina, θαλλὸς, σπονδεία.' Virgilius Ciri: 'Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo, Regis Colchiacis animum defigere votis.' Athenæus lib. VII. Ἠρώτησεν Ἀρσινόη τὸν φέροντα τοὺς θαλλοὺς, τίνα νῦν ἡμέραν ἄγει, καὶ τίς ἐστιν ἑορτή; Senes olim in Panathenaica pompa Minervæ sacros thallos ferebent; qui θαλλοφόροι inde dicti. Juncus, vetus scriptor apud Stobæum, libro de senectute: Ὅτε νόμος αὐτοὺς ἐκείνους χειροτονεῖ τῇ Ἀθηνᾷ, ὥς φησι Ξένοφων ὁ φιλόσοφος, θαλλοφό-

pous. *Colv.* Vide Comm. ad Hesych. Salm. Plin. Ex. p. 823. *Oud.* *Thallos, verbenas, &c.*] 'Verbenas' (inquit Servius ad Æn. XII.) 'abusive vocamus omnes frondes sacratas: ut est laurus, oliva, vel myrtus.' *Thallos* proprie esse *olivæ* aut *palmæ* docent Pollux et Hesychius: at cum omnia ista sacris inserviant, ex usu confunduntur: hinc in Glossario, 'Θαλλὸς, verbena:' et ibidem, 'Δάφνης κλάδος, verbena.' *Pric.*

Exosculatis vestigiis Deæ quæ gradibus hærebant, &c.] Ælianus XI. 31. de Animal. Πρὸς τοῖς ἀναβαθμοῖς καλινδούμενος ἑωρᾶτο, τῷ θεῷ, &c. χαριστήρια ἐκτίνων. *Idem.*

Discedunt] Bas. 1. *descendunt*. Scilicet de gradibus templi, ad quod forte per eos adscendebatur. Certe tale describit templum Deæ Syriæ Lucianus, et Ruffinus Serapidis, Histor. Ecclesiast. lib. II. c. 23. *Colv.* Oxon. item *descendunt*, perpetua confusione, ac nullum Veteribus erat templum, per quod non adscendebatur gradibus. Verum quia additur 'ad suos lares,' satis liquet, Auctorem non tam in animo habuisse illum descensum, quam domuitionem omnium et singulorum, sese separantium, dum quisque suam ad domum discedebant. Sed apud Ovid. lib. I. Met. vs. 381. Themis ait: 'discedite templo, Et velate caput, cinctasque resolvite vestes.' Quare Deucalion et Pyrrha vs. 397. 'Descendunt, velantque caput, tunicasque recingunt:' ut ex optimis Mss. legit Heinsius: adeoque *descendite* priore loco etiam reponendum erat. Cum exsecutionis verbis mandati verba, quæ in ceteris captavit Ovidius, sic elegantius, ex Veterum more, conveniunt. Nec etiam jubebat, eos a se invicem discedere, sed templo exire. *Oud.* *Ad suos discedunt Lares*] 'Ad se quisque vago passim pede discedebant.' *Pric.*

Nec tamen sinebat me animus ungue latius indidem digredi] Lib. X. 'Nec eum, &c. ungue latius a se discedere passa est.' *Idem.*

Intentus in Deæ specimen] Colvius *intuitans*. Wowerius *in Deæ speciem*: cum tamen *Deæ specimen* et supra sub initium dixerit. Accedo neutri istorum, at pro *specimen*, *specimini* repono. *Intentus Deæ specimini*, ut apud Tacitum Histor. IV. 'Ingressus' (Serapidis templum) 'intentusque Numini,' &c. et supra hic, 'Magnisque imperiis ejus intentus.' In vetere Onomastico: 'Intentus, προσεχής.' *Idem.*

Nec tamen Fama volucris, &c. cessaverat] Q. Curtius: 'Fama, ut solet, strenue totas urbes discurrit.' Vide supra p. 83. notata. *Idem.*

Familiares ac vernulæ, quique mihi proximo nexu sanguinis cohærebant, &c. repentino lætati gaudio, &c.] Supra lib. VII. ubi de puella e latronum manibus servata: 'Procurrunt parentes, affines, clientes, alumni, famuli, læti, faciem gaudio delibuti:' confer et IV. 33. Danielis. 'Nexu sanguinis' hic, ut II. 'germanitatis nexus,' ubi p. 21. dixi. Bene et *proximo* additum. Donatus ad ea Adelph. V. 8. 'Hegio est his cognatus proximus. Bene proximus: nam multi gradus, et veluti rami sunt propinquitatis in affinitate et cognatione dispositi.' In Glossario: 'Proximitas, ἀγχιστεία.' *Idem.* *Lætati gaudio, varie quisque munerabundi*] 'Dona ferunt, præ se testantur gaudia vultu.' *Idem.*

Reducemque ab Inferis] Artemidorus: Τὸν παρὰ προσδοκίαν σωθέντα, φαμὲν ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκέναι. Lib. IV. Floridorum: 'Atque ita vespillonum manibus extortum, velut ab inferis postliminio, domum retulit.' Sidonius Apollinaris lib. V. Epistolarum: 'Quod restat, orate, ut operæ pretium sit, quod ab inferna propemodum sede remeavimus; ne, si in præteritis criminibus manserimus, incipiat ad animæ mortem pertinere, quod vivimus.' *Colv.* *Dirimum, &c. conspectum*] *Diurnum* legit Oxon. et cæteri Mss. *Pric.*

Æqui bonique facio] Pricæus explicat, 'oblationes excipio gratis verbis, ipsas autem rejicio.' Verum ista expositio adversatur sequentibus: ubi ait se a familiaribus illis ipsis, de quibus hic sermo, abunde, quæ ad victum suppeterent, accepisse. Sensus Auctoris, sese maximum quoque gaudium cepisse ex conspectu familiarium, nec admodum fuisse commotum donis, quæ tamen sive accepta, sive non accepta, gratus in bonam accepit partem; ut hæc formula semper usurpatur. L. I. p. 11. 'Istud quidem, quod polliceris, æqui bonique facio:' ubi vide Pric. *æqui boni* D'Orv. *Oud. Oblationes honestas æqui bonique facio*] I. e. excipio gratis verbis, ipsas autem rejicio. Vide supra pag. 4. notata. *Pric.*

Cum mihi ad familiares, &c. succederet] Dissentio ab Editionibus: ubi præpositionem *ab* abjectam vidi, reliquis intactis. Quid si reposuerimus sic: *cum mihi id familiares, quod ad cultum sumptumque largiter suppeteret, deferre percurassent:* nisi forte magis arrideat, *suppeditaret:* quod, eadem notione accipiendum, reperias apud scriptorem hunc non semel: inprimis lib. septimo: 'præsidium fugæ, quo facilius frustratis insecutoribus abderet sese, idem facile suppeditasse.' Iterum libro nominato: 'Et hercules dicerem, si loquendi copia suppeditaret.' Itidem scribere voluerunt lib. tertio: 'Medela supediat:' lego, *suppeditat.* Itidem et poëta Lucilius: 'Pistricem validam, si nummi suppeditabunt Addas empleuron.' Contra videbis usum Plinium libro nono, Epist. 11. de M. Tullio Cicerone loquentem: 'Illi enim et copiosissimum ingenium, et par ingenio materia, quam tam varietas rerum, quam magnitudo largissime suppetebat.' *Stewech.* Frustra hic laborat Stewechius. Mera est librariorum menda in Ed. Bas. pr. *ad* superflue inserentium. *Oud. Affatis itaque ex officio singulis*] Affatis secundum statum cujusque. Plinius lib. v. Epist. 16. de Fundanii filia: 'Ut nutrices, ut pædagogos, ut præceptores, pro suo quemque officio diligebat!' *According to their quality and condition.* Sidonius VII. 2. 'Agere cum singulis prout ætatis ratio permitteret: grandævos obsequiis, æquævos officiis obligare.' Spartianus in Didio Juliano: 'Senatum et equestrem ordinem in Palatium venientem admisit, atque unumquemque, ut erat ætas, vel patrem,' (Heraldus *fratrem*) 'vel filium, vel parentem, affatus blandissime est.' *Pric.*

Narratisque meis pristinis ærumnis, et præsentibus gaudiis] Oxon. *et p. æ. e. p. g.* Idem.

Me, &c. ad Deæ gratissimum mihi conspectum refero] E converso lib. X. 'Statimque se refert a noxio novercæ conspectu.' *Idem.*

Intra conseptum t.] Ubi sacerdotes, æditui, initiati habitabant. Ruffinus Ecclesiast. hist. lib. II. cap. 23. in descriptione templi Dei Serapidis: 'jam vero in superioribus extrema totius ambitus spatia occupant exhedræ et pastophoria, domusque in excelsum porrectæ; in quibus vel æditui, vel hi quos appellabant ἁγνεύοντας, id est, qui se castificant, commanere soliti erant.' Et vocabantur Pastophoria, a Pastophoris sacerdotibus scilicet. Glossæ antiquæ, citante Turnebo: 'Pastophorium, atrium templi, aut sacraria Pontificum vel gazophylacium. Nam Græcum est: quod idem est quod cella Domini.' D. Hieronymus in caput 22. Esaiæ accipit etiam Pastophorium, pro thalamo, in quo habitabat præpositus templi. *Colv. Intra conseptum templi*] Εἴσω τῶν ἱερῶν περιβόλων, ut apud Amphilochium in Basilii vita. Glossæ: 'Περίφραγμα, conseptum.' [V. ad Solin. Salm. p. 8. *J. B.*] *Pric.*

PAG. 252 *Nox una vel dies aliqua*] Quod videtur prætulisse Elmenhorstius *dies* pro vulgato *quies*, non *requies*, hausit ex Membranis Florenti-

nis: in his enim est *dies:* sed perperam omnino. Isis non adparebat Apuleio, eumve monebat de die, sed de nocte, et in somno sive *quiete*, per somnium, ut vocem illam millies sumi nemo ignorat. Idque manifestum est toto hoc libro. Alia res est p. 257. 'Nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue,' &c. ubi rursus somnum significat. *Oud.*

Quanquam cupienti voluntate præditus] 'Quanquam ex unguiculis perpruriscens,' ut supra lib. x. locutus. *Pric.*

Tamen religiosa formidine retinebar] Apud Achillem Tatium lib. IV. Ἐγὼ τὴν μὲν ἀναβολὴν ἠχθόμην, ταῖς δὲ τοῦ μέλλοντος ἐλπίσιν ἡδόμην. In quibusdam hic, *retardabar*. Oxon. *retrahebar*. Idem.

Percontaveram] Edd. Junt. Ald. *percunctaveram*, de more. De hujus similiumque verborum forma activa dixi ad l. I. p. 17. et alibi. Atque sic ex Mss. optimis 4. vel 5. et Ed. Merc. legendum in libro de Deo Socratis initio: 'Utra quippeni vera sententia est. Nam hoc postea videro tamen, cur neque de Luna, neque de Sole quisquam Græcus aut barbarus facile cunctaverit (seu *contaverit*,) deos esse.' Ita totus hic locus legendus, vulgo miserrime habitus, i. 'nemo dubitans deliberaverit,' sed sine ulla fere hæsitatione crediderit. Vide de eo verbi sensu Gron. l. I. Obs. c. 18. Heins. ad Valer. Flacc. I. 156. me ad Hirt. l. VIII. B. G. c. 32. *Oud.*

Et castimoniorum abstinentiam satis arduam] Supplendum *inaudiveram*, vel *didiceram*. Pric.

Cautoque circumspectu] Bertin. *tantoque*, id est, magno, summo. Similia exempla apud Petr. Fabrum in regulas juris legisse videor. Etiam apud Stewechium in Vegetium. *Sciopp. Susp.* II. 4. *et Symb.* Auctor noster ipse sæpe *tantus* eo sensu posuit cum aliis, ac voces *cautus* et *tantus* haud raro confusæ sunt. Adi omnino Cel. Drakenb. ad Liv. II. 37. et Sil. l. x. vs. 234. 'Nec tanta relictum est Uti, Roma, tibi posthac ad prælia Paullo.' Hinc posset vindicari vulgatum in Flor. N. 2. 'tanta mole corporis' sive maxima, quanta est: ubi Stew. et Flor. non male legebant *tota m.* quæ etiam sæpe variantur. Hoc tamen loco non persuadet mihi Sciopp. eumque bene refellit Pricæus. *Oud.*

Multis casibus subjacet] Solon ad Crœsum apud Herodot. lib. I. Num. 32. Πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος συμφορή. Euripid. Medea: Πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων, οὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις. *Elmenh.*

Esse veniendam] Eam lectionem mordicus retinuit Beroald. contra Parisiensibus placuit edere, *esse muniendam*. Persisto in eo, quod ad Vegetium docui, legendum, *esse vivendam*. Plautus Persa: 'modice et moleste melius est vitam vivere.' Occasionem mendi inde esse dixi, quod Antiqui scripsissent *veivendam:* quomodo illi pleraque alia, ut pinguius verba sonarent, exarabant. Manavit ex eadem librariorum seu incuria seu inscitia magnus quoque error libro proxime præcedenti: 'Color Deæ visus in speciem, corpus candidum, quod cœlo demeat: amictus cœruleus,' &c. offendit viros bonos membranarum scriptio *deivisus* pro *divisus:* quare inde fabricaverunt, quod proximum erat *deæ visus*. Reperiuntur similia sexcenta in nummis, et lapidibus antiquis, ut 'eidus,' 'Serveilius,' 'leibertas,' pro 'idus,' 'Servilius,' 'libertas.' Emendandum video hoc Apuleii lib. primo de Asino: 'injecta atque obdita parte funiculi: et altera firmiter in modum coacta, ascenso grabatulo ad initium sublimatus, et misso capite laqueum induo:' emendandum, inquam, *sublimatus, eimmisso capite.* Stewechius. *Muniendam.* Ms. idem, *metuendam.* Bas. 1. *veniendam.* Colv. Lego *mæniendam:* vetuste. Nam Veteres pleraque eorum, quæ nos per *u* dicimus,

per' æ diphthongum pronunciabant. Hinc Virgil. lib. x. 'Atque ipsis prælia miscent Aggeribus mœrorum:' pro *murorum*, ut ibi notabat Servius. Plaut. Bacchidibus: 'Pergamum divina mœnitum manu.' Apud M. Tull. de Legibus 'cœra' pro 'cura,' 'œsus' pro 'usus.' *Brant.* Meræ sunt aberrationes librariorum et typothetarum *met.* vel *minuendam*, ut in Ed. Vicent. *veniend.* in Edd. Ber. Bas. pr. Ceteri Mss. et Edd. *muniendam* optime servant, vindicavitque Pricæus; quamvis alioquin *mœniendam*, quod et G. Vossio in mentem venit, admitti posset, ut aliquoties Cæsari 'circummœnire.' Vide Ind. Not. Crebro *mœnire* usus est Gellius. Vide l. xii. c. 4. xiii. 27. In Pith. *vice mun.* *Hoc.* Oud. *Cautoque circumspectu vitam quæ variis casibus subjacet, esse muniendam*] Seneca Epist. 71. 'Necesse est multum in vita nostra Casus possit, quia vivimus casu:' et ad Marciam cap. 16. 'Plena et infesta variis casibus vita est, a quibus nulli longa pax, vix induciæ sunt.' Virgilius: 'Casus apibus quoque nostris Vita tulit:' et Æn. xi. 'Miseris mortalibus:' ubi Servius: 'Qui sunt subjecti tot casibus.' Idem x. 'Humanis quæ sit fiducia rebus Admonet.' Ad quæ idem Commentatorum utilissimus: 'Latenter hoc dicit, Nolite putare fixam esse et stabilem fælicitatem, magna est enim rerum varietas.' Donatus ad iii. 5. Andr. 'Audacter se incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta:' et ad iii. 5. Eunuchi: 'Mirum vitæ crimen ostendit, velut ipsa sit campus possessioque fortunæ instabilis variorum.' Scholiastes vetus Horatii ad Carm. iii. 29. 'Per allegoriam describit varietates et vices humanæ vitæ, quæ dum quieta et læta est, subito adversis casibus inquietatur.' De eadem Dissert. 38. Maximus Tyrius: Ἔστι χρῆμα πολύμορφον καὶ παντοδαπὸν, πολλαῖς μὲν τύχαις, πολλοῖς δὲ πράγμασι, πολλοῖς δὲ καιροῖς ἀλλοιούμενον. Andronicus Rhodius Nicomach. l. 16. § 4. Πολλαὶ μεταβολαὶ γίνονται, καὶ παντοῖαι τύχαι κατὰ τὸν βίον. Diodorus Siculus lib. xiii. Πολλὰ ὁ βίος ἔχει παράδοξα, στάσεις πολιτικὰς, λῃστείας, πολέμους, ἐν οἷς οὐ ῥᾴδιον διαφεύγειν τὸν κίνδυνον, ἄνθρωπον ὄντα. Dum autem de *Casus* potestate agimus, expendamus locum Servii Sulpitii, qui de morte Marcelli ad Ciceronem (Famil. iv. 12.) scribens, sic Epistolam orditur: 'Etsi scio non jucundissimum me vobis nuncium allaturum, tamen quia Casus et Natura in bonis dominantur, visum est faciundum, quoquomodo res se haberet, vos certiores facere.' Soline autem *boni* vim *Casus*, nullum impetum ejus *mali* experiuntur? imo potentiam ejus, si recte calculum ponimus, et singuli et universi sentimus. Quid igitur (inquies) reponendum? respondebo sine verborum ambitu. Compendium veræ scripturæ erat *oibus:* ex eo, voce inversa, illud *bonis* irrepsit. 'In omnibus' (inquit) 'Casus et Natura dominantur:' i. e. omnibus rebus. Servius ad Æn. iv. 'Tribus humana vita continetur, Natura, &c. Fato, &c. Fortuna: i. e. Casu: qui ad omnia pertinet quæ extrinsecus eveniunt.' Demosthenes: Μεγάλη ῥοπὴ, μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ Τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων. Virgilius: 'Sors omnia versat:' quibus accedant Sallustii illa: 'Humanarum rerum pleraque Fortuna regit.' *Muniendam* autem in Appuleio certa lectio est, quicquid libri, quicquid conjectores oggerant. Locutio est a re gymnastica desumpta. Gellius xiii. 26. ex Panætio: 'Vita hominum, &c. negotia periculaque ex improviso assidua quotidianaque fert. Ad ea cavenda atque declinanda perinde esse oportet animo semper prompto atque intento, ut sunt athletarum qui pancratiastæ vocantur. Nam sicut illi ad certan-

dum vocati projectis alte brachiis consistunt, caputque et os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt: membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atque mens viri prudentis, &c. omni in loco atque in tempore prospiciens debet esse, erecta, ardua, septa, solida, expedita, nunquam connivens, nusquam aciem suam flectens: consilia cogitationesque contra Fortunæ verbera, contraque insidias iniquorum, quasi brachia et manus prætendens, ne qua in re adversa repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur.' Quo loco, præter optime Appuleii illustratum sensum, habes, *cauta*, et *præmuniunt*, et *prospiciens*: priores quarum duas Appuleius posuit. Falsi porro qui ex Cod. Ms. *tantoque circumspectu* legunt: 'cautum circumspectum' dixit et lib. XIV. Ammianus Marcellinus, qui mutando vel adfirmando Appuleiano textui imprimis conducibilis Scriptor. *Pric.*

Hæc identidem mecum reputans, &c.] Lib. I. 'Hæc identidem mecum replicabam.' *Idem.*

Quanquam festinans differebam] Claudianus: 'Manifestaque gaudia differt.' Florid. IV. Noster: 'Quanquam oppido festinant, &c. cursum cohibent:' et Miles. VI. 'Quanquam festinans obsequium terminare, mente capitur temeraria curiositate.' *Idem.*

Hanc experrectus imaginem diu diuque apud cogitationes meas revolvebam, quid rei portenderet] Conferantur hic quæ ad Act. 10. 17. adnotavimus. 'Revolvere apud cogitationes suas,' ut apud Lucianum, πρὸς ἑαυτὸν ἀνακυκλοῦν, et, συνεγείρειν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἀνατυλίττειν, in Nigrino: et, τοὺς λογισμοὺς ἑλίττειν, in Synesii Epistolis. *Idem.*

Præsagium somni] Fux. *pr. somnii.* Roald. Sic et Guelf. perpetua fere variatione ob adfinitatem et litterarum et significationis. Vide Burm. ad Virg. Æn. I. 351. Drakenb. ad Liv. l. VIII. 6. 'Quæ somno visa fuerant.' *Somnii* prætulit Pricæus; haud ego; nam *præsagium somni* est somnium. Sic p. 253. 'Sollertiam somni mirabar.' *Oud.* *Ut tamen sese præsagium somni porrigeret, &c.*] Videtur *ut ut*, et *somnii* legendum. *Pric.*

Patrium oblatione credebam] Corrige, *partium oblatione:* nam ex illa oblatione partium, quas pleno gremio visus erat sacerdos offerre, conjectabat lucrum certum indubitanter significari. *Beroald.*

In proventum pr. attonitus] Malim, *attentus.* Sciopp. Susp. II. 4. et Symb. Forte *attentus*, quod et Scioppio placuisse video. Sed et lib. I. 'In stuporem attonitus.' Et hoc ipso lib. XI. 'in aspectum meum attonitus:' nisi et ibi fortasse rectius, *attentus*, putes: ut lib. X. 'partim voluptario spectaculo attonita,' Colvius ex Aldo reposuit, *attenta.* Livius lib. IV. Annal. 'Qui postquam intentos homines in eventum alieni periculi pro se incautos neglectis vigiliis stationibusque est adortus.' *Brant.* *In modum pr.* Pith. *in provectum* Fux. *in perventum* Edd. Scriverii, qui itidem male contra omnes Mss. edidit *adtentus*, licet id margini sui libri adleverit quoque Gruterus. *Adtonitus* significat cum stupore esse attentum. Vide Pricæum, et notata ad l. IV. p. 79. 'Huic me operi adtonitum.' *Oud.* *In proventum prosperiorem attonitus*] Sciopp. et Brant. *attentus:* odiose: idem valet enim *attonitus:* sic II. 'In aureos refulgentes, &c. attonitus.' Scriptor de bono Pudicitiæ in Cypriani operibus: 'Animus propensus ad fidem, et mens attonita ad sacram religionem.' Juvenalis: 'Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda Attonitæ.' Supra hic: 'In humano aspectu meo attonitus:' et IV. 'Nu-

tantem, ac pendulum, et in prospectu attonitum.' *Pric.*

Templi matut. apertiones] Porphyrius: Καὶ ταῦτα δεικνύντες ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὥσπερ ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ ἀνοίξει τοῦ ἁγίου Σαράπιδος, ἥτε θεραπεία διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος γίνεται, λείβοντος τοῦ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντος, ὁπηνίκα ἑστὼς ἐπὶ τοῦ οὐδοῦ τῇ πατρίᾳ τῶν Αἰγυπτίων φωνῇ ἐγείρει τὸν θεόν. *Colv.* De hoc ritu multa cognitu digna collegerunt principes Criticorum, Scaliger ad Tibullum lib. I. p. 132. Brissonius de Formul. lib. I. et Lipsius Elect. 2. cap. 18. *Elmenh.*

Valvis candentibus] Fux. *velis c.* ut infra, *repente velis reductis.* De his templorum velis est in Querulo. Ita enim legit Lipsius. *Roald. Velis.* Male vulgo *valvis.* Oppansa olim vela aris et statuis; quæ adducta a profanorum conspectu eas tuebantur, reducta revelabant. Noster infra, de se initiato: 'Sic ad instar Solis exornato et in vicem simulacri constituto, repente velis reductis, in adspectum populi errabam.' Tertullianus Apologetico: 'solis enim sacerdotibus adire licitum, et conspectus ceterorum velo oppanso interdicebatur.' Elegans locus, Themistii Epitaphio ad hunc ritum alludens: Ὁπότε δὲ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἀναπετάσας τὰ προπύλαια τοῦ νέω καὶ τοὺς χιτῶνας περιστείλας τοῦ ἀγάλματος, καλλύνας τε αὐτὸ καὶ ἀποσμήξας πανταχόθεν, ἐπεδείκνυ τῷ μυουμένῳ μαρμάρυσσόν τε ἤδη καὶ αὐγῇ καταλαμπόμενον θεσπεσίᾳ, ἥτε ὁμίχλη ἐκείνη, καὶ τὸ νέφος ἀθρόον ὑπεῤῥήγνυτο, καὶ ἐξεφαίνετο ὁ νοῦς ἐκ τοῦ βάθους, φέγγους ἀνάπλεως καὶ ἀγλαΐας ἀντὶ τοῦ πρότερον σκότου. Ἀφροδίτη δὲ παρῆν δᾳδουχοῦσα, καὶ Χάριτες συνεθίγγανον τῆς τελετῆς. Τὸ μὲν οὖν πρόσωπον καὶ τὸ σχῆμα ὅλον μόνον δῆθεν ἐπῆν Ἀριστοτέλους τοῖς μυστηρίοις. Ἅπαντα δὲ ὅμως συνανεώγνυτο τῶν σοφῶν τὰ ἀνάκτορα καὶ συνεπώπτευσας ἂν τὰ ἱερὰ, &c. In comœdia Querulo: 'Isti sunt, qui in fanis et in sacellis observant vela.' Paullinus ad Cytherium: 'Tunc et discusso nudata altaria velo Amisere sacri relligionem adyti.' Nec aliter olim judices sese a conspectu vulgi secernebant, cum caussa quæpiam majoris momenti, quæque ampliorem deliberationem requireret, incidisset. De quo post ad Florida. *Colv.*

Deæ venerabilem conspectum apprecamur] Supra hic: 'Augustum specimen Deæ præsentis statui deprecari.' *Pric.*

De penetrali fonte petitum spondeo libat] Beroaldus mavult, *spondeon lib.* et bene explicat. Ad quem addiderim Athenæi locum lib. XI. Λοιβάσιον, κύλιξ ὥς φησι Κλέαρχος καὶ Νίκανδρος ὁ Θειατειρηνὸς, ᾧ τὸ ἔλαιον ἐπισπένδουσι τοῖς ἱεροῖς. σπονδεῖον δὲ ᾧ τὸν οἶνον. et Philonis Judæi lib. III. de vita Mosis: Τὴν τράπεζαν, τὰ σπονδεῖα, τὰς φιάλας, τἆλλ' ὅσα πρὸς θυσίας ἀναγκαῖα καὶ χρήσιμα. *Colv. De penetrali fonte.* Bertin. *Deæ p. f.* Sciopp. in Symbola. Bert. et Flor. *Deæ p. fonte p. spondeo.* Sicuti etiam emendavit Schikeradt. Beroald. legit *spondeon,* male. Virgil. 'pateris libamus et auro.' Pollux in Onomast. lib. VI. c. 6. et lib. X. c. 18. καὶ ποῦ καὶ σπονδεῖον, ᾧ καὶ τὸν οἶνον ἐπισπένδουσι. *Elmenh.* Pro *de* præter Bert. et Flor. *deæ* vel *dee* habent quoque Fux. Pith. D'Orv. Guelf. Oxon. Palat. unde vix dubito, quin restituendum sit *deque.* Nam per *penetrale* intelligi Deæ sive ejus templi penetrale, per se patet, ac præpositionem sic addit Auctor l. IX. p. 179. 'Vas inmane aquæ perlucidæ de proximo petitæ fonte.' *Que* abiit in *æ*, ut contra mox p. 253. *æ* in *quæ.* Dein *fonte petitum spondeo* mordicus retinent omnes Mss. unde eo descendunt plerique, ut *liquorem* subintelligant. At talis ellipsis mihi videtur durissima; potiusque accedo Lipsio et Schickerado, et Edd. Wowerii ac Pricæi, legendo *fontem,* sive aquam fontanam. Nam male omnino Beroaldus, quique eum de more sequun-

tur Junt. Ald. Bas. item Vulc. Ed. sec. reposuere *spondeon*, et pejus Colin. *spondeum*. Quis unquam credat, *petitum spondeum libat* significare 'calicem expromit eoque libat.' Instrumentum, quo libatur, semper poni debet casu Ablativo. Adi me ad l. VIII. p. 161. σπονδεῖον alio sensu sumi nequit. Vide et Hesych. ac Suidam, et Clem. Alex. Strom. VI. p. 758. Isidis στολιστὴς ἔχει τὸ σπονδεῖον. Stulti fuere, qui *spondeon* hic ceperunt de carmine sacrificali, si vera tradit Beroald. Præterea in Pith. et Bert. est *penetrabili*. Oud.

Spondæo libat] Glossarium: 'Libat, σπένδει, Libæ, σπεῖσον, &c. σπονδαί.' lege, *Libu*, σπεῖσον, &c. *Libamina*, σπονδαί. Glossæ aliæ: 'Σπονδὴ, libamentum, libamen,' &c. *Spondæum* hic ad Græcam formam. Donatus ad IV. 5. Andr. 'Græci πλατεῖαν dixerunt, quam nos plateam: secundum ejusmodi formam Μηδεῖαν, et Medæam, σπονδεῖον, et Spondæum dicimus.' Hesychius: Σπονδεῖον, ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις ἐπέσπενδον. adde Suidam. et VI. 6. Pollucem. *Pric.* *Petitum spondeon libant*] Græci *spondeon*, id est, σπονδεῖον, vocant calicem et poculum libatorium atque sacrificale: *spondeus* pes est metricus cunctis notus, qui constat ex duabus syllabis longis, dictus παρὰ τὴν σπονδὴν, quia in sacrificiis libantes eo utebantur: Græci enim σπονδὴν libamina appellant. Numa Pompilius hunc pedem pontificium nominavit, cum spondeo melo, hoc est, cantu, patrios placaret indigetes. Præterea thure incensis altaribus, tibicen spondalion canere jubebatur, ut duabus longis melodiis, quasi duplicibus et jugibus vocibus, prospera Deorum voluntas firmaretur. Sensus est: Sacerdos de sacrario penitiore calicem libatorium exprompsit, eumque libavit. Et ita legere malo, ut *spondeon* sit casus accusativus, accipiasque pro vase, quam quod *spondeo* legatur septimo casu, et accipiatur pro pede et carmine sacrificali. Suidas tradit σπονδεῖα εἶναι ἀγγεῖα ἐν οἷς σπένδουσι: id est, spondea esse vasa in quibus sacrificant. *Berould.*

Inchoatæ lucis salutationibus] Ex hoc ritu intelligendus Seneca Epistola XCV. 'Vetemus salutationibus matutinis fungi, et foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officiis capitur: Deum colit, qui novit.' Arnobius lib. VII. 'Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete solvuntur: occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt næniæ?' Tertullianus de Jejuniis: 'Unde et qui in idolis comendis et in hac re ornandis, et ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur.' *Colv.* P. 259. matutinis perfectis salutationibus.' Quare etiam ad hoc adorandi officium primo mane surgebant. Vide Comment. ad Sueton. Aug. c. 78. et hic Beroaldum, vere monentem, 'pleraque omnia instituta nostræ' (Romanensis Eccl.) 'religionis sumpta esse translataque ex cerimonia Ethnicorum.' Inepte est in Edd. Junt. Ald. *saltationibus*. Ms. D'Orv. *solutionibus*. Oud. *Lucis salutationibus*] Adorationibus matutinis incipientibus: namque 'salutationes' dicuntur venerationes Deorum, et adorationes: et 'salutare' Deos, est venerari et adorare. Teren. in Phormione: 'At ego Deos penates hinc salutatum domum devortor.' Exponit Donatus salutatum, adoratum: quod est primum post redditam precem. Hoc idem tradit Servius in 20. commentario. Martialis: 'Compressis natibus Jovem salutarat.' Plautus in Curculione: 'Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?'

Vitruvius in quarto de Architectura præcipit, si circum vias publicas erunt ædificia Deorum, ut ita constituantur, ut prætereuntes possint aspicere, et in conspectu salutationes facere: hoc est, ut docuimus, Deos adorare et venerari. Non ineleganter et nos, quando imus auditum divina mysteria, dicere possemus, nos facere salutationem, et Deum salutare. *Beroald.*

Primam horam] Sic et nostri sacerdotes primam, tertiam, sextam, nonam horas habent sacrificiis legitimas et deputatas. Si curiose introspexeris novissimum hoc volumen Appuleianum, haud dubie cognosces pleraque omnia instituta nostræ religionis sumpta esse translataque ex cerimonia ethnicorum. *Idem.*

PAG. 253 *Cum me Fotis malis incapistrasset erroribus*] Sic I. 18. Aristæneti, τοὺς νέους κακοτεχνεῖν. Virgilius: 'Ut me malus abstulit error!' ubi Servius: 'Amor errare plerumque compellit.' *Incapistrare* hic, ut apud Juvenalem 'maritale capistrum:' simili figura supra II. 'amoris pedicis illigare:' et VII. 'amoribus animum irretire.' *Pric.*

Quem, &c. notæ dorsualis agnitione recuperaverant] 'Factitiam' istam notam, an 'naturalem' dicemus? ut 'naturalem' putemus, facit hic Suetonii locus: 'Qua statura, quo colore esset, quibus corporis notis vel cicatricibus:' ut 'factitiam,' (quod et facimus libentius) faciunt subsequentes loci. Isidorus Orig. XX. 16. 'Character est ferrum coloratum, quo notæ pecudibus inuruntur.' Virgilius: 'Continuoque notas, et nomina gentis inurunt:' ubi Servius: 'Notas, characteres.' Anacreon: Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι. In Excerptis Theodoti, excusis cum Clementis Alexandrini Operibus: Καὶ τὰ ἄλογα ζῶα διὰ σφραγῖδος δείκνυσι τίνος ἐστιν ἕκαστον, καὶ ἐκ τῆς σφραγῖδος ἐκδικεῖται. ubi et ἐκδικεῖν, est fere idem quod heic *recuperare*. Vide Hesychium in Νόμματα. Lorinum ad Deuteron. 22. 3. Cerdam ad I. Georg. vers. 263. *Idem. Notæ dorsualis*] Designat, equum notam sive maculam in dorso habuisse, qua fiebat cognobilior: sic Bucephalus Alexandri Magni impressum habuit armo taurini capitis insigne: sic et Cæsaris dictatoris equus pedes priores similes humanis pedibus habuisse proditur. A dorso *dorsualis* nota dicta. Solinus: 'Aculeatæ sunt,' inquit, 'delphini spinæ dorsuales.' *Dorsualia* quoque dicuntur operimenta jumentoria.* Julius Capitolinus in Gallienis: 'Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves cornibus auro jugatis, et dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes.' *Beroald.*

Lucrosæ pollic.] Vet. *lucrosque*. Colv. Notat Nonius apud Plautum *lucrum* masculino genere dictum, Persa: 'Nunc ea narrabo, unde tu pergrandem lucrum facias:' ut et *corius* Pœnulo: 'Heri in tergo meo tris facile corios contrivisti bubulos.' Sic apud Nostrum *lorus* l. III. 'Et cum dicto lorum quempiam sinu suo depromit.' *Brant. Lucrosque* exaratur quoque in Fux. D'Orv. Pal. Guelf. Oxon. quasi pluralis a sing. *lucrus*. Vide Non. p. 210. Ed. Merc. de *loro* masc. gen. vide ad l. III. p. 52. In Flor. N. XI. constanter habent Mss. et Edd. Vett. 'herediolum sterilem.' Non audio tamen hic loci. Ipsi sensui *lucrosæ* magis respondet. *Oud.*

Sollicitus sedulum colendi frequentabam ministerium] Supra hic: 'Si sedulis obsequiis, et religiosis ministeriis, &c. numen promerueris nostrum.' Vide p. 116. dicta. Pro *sollicitus*, puto *sollicitius* scribendum: sic 'sollicitius cavere,' in Apologetico. *Pric.*

Futura] Lego *futuri*: spes, inquit, boni futuri fulciebatur præsentibus beneficiis, quasi pignerata. *Beroald.*

Accipiendorum sacrorum] Ex Græco

παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια. Consule Herald. ad Arnob. l. v. 169. 'sumentes initia.' *Oud.* *Accipiendorum sacrorum cupido gliscebat*] Hæc explicant hunc Glossarii locum, 'Desiderata, λειτουργία, τελετή.' *Pric.*

Primarium sac.] Tertullianus Apologetico (c. 8.) 'Atqui volentibus initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum adire: quæ præparanda sint, describere.' *Colv.* Bert. *summarium.* Sciopp. in Symb. *Elmenh.*

Et sobriæ religionis observatione famosus] Laus sacerdoti apta. Gellius xv. 18. de Cornelio quodam: 'Sacerdotii religionibus venerandus, et castitate vitæ sanctus.' De Sacerdote Eugenio l. II. Victor Uticensis: 'Per conversationem bonorum operum venerabilis et reverendus.' *Famosus* est ἐκ τῶν μέσων, hic in partem meliorem ponitur: sic supra IX. 'famosa castitate matrona:' et Judith. 8. 8. apud Latinum Interpretem, 'Erat in omnibus famosissima.' In vetere Onomastico: 'Famosus, εὔφημος.' Ita Græci utroque sensu περιβόητον. Hesychius: Περιβόητος, ὁ ἐπὶ κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ φήμην ἔχων. *Pric.*

Ut solent parentes immaturis liberorum desideriis modificari, meam differens instantiam] Macrob. Somn. Scip. I. 13. 'Sed hoc ipso, quo tibi celerem finem spem fruendæ beatitatis arcessit, irretitur laqueo passionis, &c. Et hoc est, quod Paulus filium spe vitæ verioris ad se venire properantem prohibet ac repellit.' Ibidem II. 12. 'Cumque eum ultro spes ista traxisset ad moriendi desiderium, succedit Pauli patris opportuna dissuasio, accensam filii festinationem ab appetitu spontaneæ mortis excludens.' *Idem.*

Solatiis] Pal. *solatus.* Hæc autem vox non jungenda est τῷ *anxium*, sed 'spei mel. solatiis demulcebat mihi animum alioquin anxium.' *Oud.*

Nam et diem, qua quisque possit initiari, Deæ nutu demonstrari, et sacerdotem qui sacra debeat ministrare, ejusdem providentia deligi] Clemens ad Corinthios: Πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν κατὰ καιροὺς τεταγμένους, τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῇ καὶ ἀτάκτως, &c. ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις, ποῦ τε, καὶ διὰ τίνων ἐπιτελεῖσθαι θέλει αὐτὸς ὥρισεν, τῇ ὑπερτάτῃ αὐτοῦ βουλήσει, ἵν' ὁσίως πάντα γινόμενα εὐπρόσδεκτα εἴη τῷ αὐτοῦ θελήματι. Quid aptius (etsi in cultu tam dispari) ad Appuleium illustrandum? Accedant his quæ (nec apposite minus) Theophylactus ad Rom. 12. 2. Πολλὰ ἀγαθὰ ὄντα οὐκ εὐάρεστά εἰσιν, ἢ παρὰ τὸν καιρὸν, ἢ παρὰ τὸ πρόσωπον. οἷον, τὸ θυμιᾶν τῷ θεῷ, ἀγαθόν ἐστιν, ἀλλ' ὁ Ὀζίας ποιήσας, οὐκ εὐηρέστησε. Καὶ καλὸν ἦν τὸ τοῖς μαθηταῖς τὰ ΜΥΣΤΗΡΙΑ πιστευθῆναι, ἀλλὰ πρὸ καιροῦ, οὐκ εὐάρεστον. *Pric.*

Ac neque vocatus morari, nec non jussus festinare deberem] Horatius: 'Cautus adito, Neu desis operæ, neve immoderatus abundes.' *Idem.*

Quanquam] Corrige, *quenquam.* Beroald.

Tam perditæ mentis] Gloss. 'Tam perditus, οὕτως πανώλης.' *Pric.*

Non sibi jubente] Nota *jubere* absolute cum Dativo pro 'imperare,' 'præcipere,' ut Claud. l. II. in Ruf. vs. 155. 'Hispanis Gallisque jubet.' de II. Cons. Stil. 85. 'Ipsa jubet signis.' Alioquin consule scripta ad Suet. Vespas. c. 8. *Oud.* *Dea*] Flor. et Rom. *ju.* *Domina.* Sic 'Domina Venus' apud Petronium. Vide Passeratium ad Propertium. *Elmenh.* Mss. et Edd. O. *domina*, præter Vulc. sec. qui perperam Colvii frigidissimam conjecturam e mutandi prurigine natam receperat. Passim Deæ audiunt *Dominæ*, et Dii *domini*. Adi Heins. ad Ovid. Ep. IV. 12. 'In dominos jus habet ille deos:' et κατ' ἐξοχὴν Deum mater, quæ Nostro est Isis p. 241. 'audit Domina.' Confer Burm. ad Val. Flacc. l. III. 23. 'Ad-

suetus · Phrygias dominam vectare per urbes.' Immo ipsa Isis. Juven. S. vi. 530. 'Credit enim ipsius dominæ se voce moneri.' *Oud.*

Pag. 254 *Inferum claustra*] Πύλας Ἅδου. *Pric.*

Ipsamque traditionem ad instar voluntariæ mortis et precariæ salutis celebrari] Quæ Paulus Rom. 6. 11. et 2 Tim. ii. 26. scribit, hæc commode illustrabunt. Supra heic: 'Memineris, &c. cujus beneficio ad homines redieris, id ei totum debere te quod vives.' *Traditionem* hic sacrorum intellige. *Idem.*

In i. finitæ lucis limine const.] Bene dicitur 'exstingui lumen vitæ,' 'linqui lumen vitæ,' et similia, non vero 'constitui in lumine vitæ;' sed optime ad 'finitæ l. limen' pervenit ille, qui ad ultimam vitæ metam processit, unde ei statui opponuntur 'novæ salutis curricula,' vel quasi e domus limine, quo adhuc constituitur, jam jam e vita exiturus est. Vide de *limine*, Gr. οὐδῷ, *vitæ, lucis*, ipsum Pricæum, et omnino, quos laudat Burmann. ad Virg. Æn. vi. 829. et ad Rutil. Itin. lib. i. 25. Wopkens. Misc. Obs. v. iv. p. 267. Silius Ital. l. xiii. 548. 'turbæque in limine lucis Est iter exstinctæ.' Contra 'limen mortis' sæpe, ut Plinio l. vii. c. 44. Silio l. v. 423. xiv. 444. Nullus fere locus est, ubi *limen* et *lumen* non confundantur. Sicut etiam *limen* et *limes*; ut hic in Regio est *limite*, quod certe multo præferendum foret τῷ *lumine*, quodque etiam divinaverat Pricæus. Adi, quæ scripsi ad lib. vi. pag. 120. 'Cujus limite transmeato.' Edd. Ald. Junt. post. prave *numine*. Oxon. *constituto*. Oud. *In ipso finitæ lucis limine constitutos*] 'In ultimo spiritu constitutos,' ut apud Latinum ii. Maccab. vii. 9. Interpretem. Seneca iv. 11. de Benef. 'Cum in ipso fine vitæ constituti sumus:' τὸ *limine* Beroaldus supposuit, ex Virgilii illis: 'Infantumque animæ flentes in limine primo:' quibus adde Claudiani ista: 'Vitæque et lucis in ipso Limine contentus:' et quæ ad Isidor. Pelus. v. 251. A. Schottus. At in Oxon. et aliis non paucis codd. *lumine:* quod rectius esse constabit ex sequentibus testimoniis. In vetere Epigram. 'Finito lumine vitæ.' Apud Ciceronem i. de Divinat. 'Vitai lumina linquens:' et xv. 6. A. Gellii: 'Vitæ jampridem lumina linquens.' Firmicus viii. 6. 'In ipso nascenti lumine constituti.' Virgilius ipse: 'Si lumina vitæ Attigerint:' ad quem locum vide Cerdæ Collectanea. Potest et *limite* scribi, nec incommode. Sedulius ad 2 Tim. ii. 4. 'In extremo vitæ limite constitutus:' præcedens autem lectio recipienda. *Pric.* *Lucis lumine*] Lego, *limine:* sic Virgil. 'Infantumque animæ flentes in limine primo.' *Beroald.*

Post sunt] Corrige, *possint*. Idem.

Elicere] Fulvius, *eligere*. Ego vulgatam probo lectionem. *Elicere* scilicet ex regione mortis et leti ex dentibus ipsis. Plaut. 'ex saltu damni aliquem elicere.' *Sciopp. in Symb.* *Eligere*] Bert. et Rom. *elicere*. Elmenh. *Eligere*. Ita recte Beroaldus: cum in aliis sit *elicere*. Notatus a me in Plinio similis error lib. x. Epist. 30. ubi in vulgatis est, 'elice igitur id quod præcipue res ipsa suaserit,' reposui *elige*. Tu elige utrumvis, mi lector. *Brant.* Satis defendi potest id quod ex conjectura Beroaldi primum recepere Basileenses, et dein reliqui, *eligere*, sive optare et seligere sibi sacerdotes maxime senes; qualis hic ille primarius sacerdos, uti et Liniger Achoreus apud Lucan. lib. x. vs. 176. 'O sacris devote senex, quodque arguit ætas Non neglecte deis.' Sed vereor, ut in nullo sit Ms. libro, nec Ed. Vet. Certe in omnibus, mihi visis, scriptis editisque, aut quorum utor excerptis, habetur *elicere:* quo verbo designatur blanda et potens Deæ vis, retrahentis quasi senes, qui

jam in ipso Inferni limine et Acherontis ripa constituti sint, in recidivam vitam, et novæ salutis curricula. Estque verbum, quod passim adhibetur in sacris Inferis, et Manium evocatione. Consule Broukhus. ad Tibull. l. I. 2. 45. 'Manesque sepulcris Elicit, et tepido devocat ossa rogo.' Vel sumitur quoque pro 'extrahere,' 'eripere,' 'liberare.' Plaut. Bacch. III. 1. 17. 'Ex lutulento cœno eliciat.' Claud. l. I. in Ruf. vs. 57. 'Elicit obpressas tenebroso carcere leges:' ac sæpius. *Oud.* *Elicere*] Legendum est *Eligere:* et est ordo ac sensus: Numen Deæ solet eligere constitutos in ipso lucis finitæ limine. *Beroald.*

Quodammodo renatos] Ab extremo vitæ lumine revocatos, neque enim de *mysteriis* accipiendum, ut in illis, 'Taurobolio, criobolioque, &c. renatus.' *Pric.*

Ad novæ reponere rursus salutis curricula] Hoc est quod supra: 'Ultra statuta fato tuo spatia, vitam mihi quoque prorogare licere.' 'Transactis vitæ' nempe 'temporibus,' ut jam proxime dictum. *Idem.*

Cœleste sustinere præceptum] Quiete et tranquille exspectare: quo sensu Jacobus 5. 7. 8. μακροθυμεῖν dixit. *Idem.*

Ceteri, cibis] Huc pertinet locus Tertulliani adversus Psychicos: 'Quales castimoniæ Apim, Isidem, et magnam matrem certorum eduliorum exceptione purificant.' *Colv.* *Cibis profanis ac nefariis*] Κοινοῖς καὶ ἀκαθάρτοις. Act. 10. 14. *Pric.*

Nec impatientia corr. obs. m.] Reponere velim verbum vetus et probum: *nec imparientia corr. obs. m.* quod etiam recte restitutum ab elegantissimo Lipsio Noctium Atticarum l. I. 'Nequaquam putaverint contra dictum ejus esse faciendum; etiamsi repentinus aliquis casus rem commodius agi posse pollicetur: ne, si spes fefellisset, culpa imparientiæ et pœna indeprecabilis subeunda esset.' Sic 'parientiam accommodare' Cod. Justin. restituit doctissimus Jurisconsultorum, doctor meus, Jac. Cujacius Observation. lib. I. cap. 6. *Colv.* *Imparientia* Colv. bene et docte. Insolitum huic ævo verbum, sed vetus, et a Lipsio lib. I. Elect. cap. 7. restitutum Agellio lib. I. Noct. At. cap. 13. 'Dedignationem pariendi' dixit Plinius Panegyrico. *Brant.* A prurienti Critico hæc lectio est. Repone ex Mss. et editis *impatientia.* Elmenh. Istud scilicet *imparientia,* quod miror ut certum citari a Brissonio de verb. signif. in *parientia,* aliquando probatum a Scriverio Misc. Obs. v. VI. p. 171. receperat Vulcan. Ed. sec. Sed valeant inusitatarum vocum captatores, et in his Pareus Lex. Crit. p. 885. *parientiæ* pro *patientiæ* etiam aspergens Tacito in V. Agr. c. 18. Saltem debuisset dici *imparentia,* ut nunc editur in Gellio, sed invitis, ut hic, Mss. Vide Gron. et hic Pricæum. A *parere* non potest derivari *pariens* et *parientia.* Nam in Plinii Paneg. c. 18. Mss. et Edd. bene, 'contumacia et dedignatione parendi.' Codicis aut Cassiodori auctoritas, si vel sic tamen *parientia* apud illos vera est lectio, nihil me movet. *Ut inp.* Guelf. Correxit Beroald. *Oud.* *Nec impatientia corrumpebatur obsequium meum*] Symmachus I. 6. 'Solent impatientes dilationis esse, qui sperant in se aliquid muneris conferendum.' Vide supra p. 212. adnotata. Drepanius Panægyristes: 'Est omne desiderium post spem impatientius.' Ex quibus videas quam inconsulte unus *imparientia* substituit, quam imperite alius ejusmodi conjecturam approbavit. *Impatientia* habet et Oxon. Ms. *Pric.*

Intentis] Lego, *intentus.* Beroald.

Nec me longi temporis prolatione cruciavit] Infra heic: 'Nec te tamen desiderio forsan religioso suspensum, angore diutino cruciabo.' Vide supra p. 139. notata. *Pric.*

Voti, competeret] Verbum Plautinum revoco, cujus hic Noster imitator fere assiduus, *quo me maximi voti compotiret:* quod denotat, compotem faceret. Compotire hac significatione apud Plautum bis in Rudente. Arnobius libro tertio adversus Gentes, de Mercurio disserens (ut opinio et conjectura nostra fert) plagam a descriptoribus accepit. 'Cur,' ait, 'unius in officio præsidatus hos victoriæ compotes; alios vero perpetitur ignominiosa infirmitate rideri?' Malim enim legeretur, *compotit.* Stewech. Omnes libri, *max. vo. competeret.* Contra quorum omnium consensum jam diu scribendum arbitratus sum, *max. vo. compotiret:* cum postea Elector. lib. II. ita etiam maximum virum vidi restituere. Sed et Dominicus Baudius juvenis eruditissimus, mihique amicissimus idem sibi ad hunc locum ante annos aliquot in mentem venisse affirmavit. Sic etiam non dubitaverim rescribere lib. de Deo Socratis, (Flor. N. 23.) 'Prædam, quam ore gestavit, seductricem compotivit.' Plauti verbum Compotire, id est, compotem facere. Rudente: 'Quæ in mari fluctuoso Piscatu novo me uberi compotivit.' Et potire, Amphitruone: 'Qui fuerim liber, cum nunc potivit pater servitutis.' *Colv.* *Compotiret.* Flor. Ven. Rom. et Ald. *voti competeret;* male. Adi Lipsium II. Elect. c. 21. cui debetur hæc emendatio. *Elmenh.* Verissimam hanc emendationem, a Colvio et seqq. receptam, juvant Pith. *comperiret,* D'Orv. Guelf. Pal. *competiret.* Immo videtur sic legisse Beroaldus, explicans 'compotem faceret.' *Oud.* *Voti compotiret*] Glossæ: 'Compuso,' (lege *Compotior,*) 'εὐχῆς ἐπιτυγχάνω.' *Pric.*

Ipsum Mithram decernit] Non temere *Mithram* sacerdotem appellat, sed mystico intellectu, alludens videlicet scite et callenter ad nomen Solis, qui Serapis et Osiridis est, quem *Mithram* Persæ appellant. Strabo in XV. 'Persæ,' inquit, 'cœlum Jovem putant: colunt Solem, quem Mithram vocant. Item Lunam et Venerem, et ignem et tellurem, et ventos et aquam.' De hoc intellexit Papinius in I. Thebaidos illo versu: 'Indignata sequi torquentem cornua Mithram.' Ubi Lutatius interpres inquit: 'Sol apud Achæmenios Titan, apud Assyrios Osiris, apud Persas (ubi in antro colitur) Mithra vocatur.' Hostanes quoque refert, Solem proprio nomine *Mithram* dici. Persarum mos est, ut *per Mithram,* id est, Solem jurent: sic apud Plutarchum Artaxerxes jurat, νὴ τὸν Μίθραν, id est, 'per Solem.' Suidas inquit, *Μίθραν νομίζουσιν οἱ Πέρσαι εἶναι τὸν ἥλιον, καὶ τούτῳ θύουσι πολλὰς θυσίας*: id est, 'Persæ autumant Mithram esse Solem, cui multas hostias sacrificant:' hinc 'Mithriaca' sacra dicuntur Osiridis, sive Solis sacrificia, de quibus Helius Lampridius in vita Commodi sic scribit: 'Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat.' Scitissime igitur *Mithram* Lucius appellat sacerdotem primarium, quasi Solis Lunæque antistitem, quorum Deorum numina et sacra inter se cognata sunt, et communia. 'Mithrax' Persarum gemma est, contra Solem varie refulgens. *Beroald.*

Ad receptaculum] Sive cubiculum, ut explicat ipse Auctor, et domicilium ædi Deæ contiguum, sive intra conseptum. L. I. in f. 'Ecce illud cubiculum, honestum receptaculum.' Plin. Paneg. c. 50. 'Clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur.' Solin. p. 38. de Basilisci nido: 'ubicumque forale sortitur receptaculum.' Sidon. l. V. Ep. 17. 'Nunciatum est, hora monente, progredi Episcopum de Receptorio.' *Oud.*

PAG. 255 *Cubiculo suo commodum prodeuntem*] Supra lib. IV. 'Qui com-

modum domo, &c. processerat.' *Pric.*

Quem propitia voluntate Numen augustum tantopere dignatur] Hoc est quod Ephes. 1. 6. et Luc. 1. 28. χαριτοῦν et χαριτοῦσθαι. 'Propitiam voluntatem' etiam in Excerptis Floridorum dixit. *Idem.*

Quid, &c. stas otiosus, teque ipsum demoraris] 'Quæ te tam sera moratur Segnities? Quid tibi nunc obstas, aut cur tua vota moraris?' Horatius: 'Eripe te moræ.' Accius: 'Sed memet calvor.' (i. e. moror.) Plautus Mercat. 'Me moror cum hic adsto.' Idem Epid. 'Tibi moram facis.' *Id.*

Adest tibi dies votis assiduis exoptatus] Ammianus lib. XVI. 'En' (inquit) 'diu speratus præsto abest dies.' Terent. Hecyr. 'Hunc videre sæpe optabamus diem.' Supra hic; 'Jam tibi providentia mea dies salutaris illucescet.' Ferrandus in Epist. ad Fulgentium: 'Jam hora exoptata cunctis advenerat:' quæ et nota de baptizandis dici. *Idem.* *Votis assiduis exoptatus*] Seneca Œdipo: 'Adest petitus votis omnibus Creo.' Sallustius Catilinario: 'En illa, quam sæpe optastis, libertas.' *Idem.*

Deæ multinominis, &c.] Ipsa supra hic: 'Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deum matrem,' &c. hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam,' &c. cum seqq. Eidem πολυωνυμίαν tribuit et Callimachus Hymn. 1. *Idem.*

De opertis adyti profert quosdam libros, &c.] De his iisdem Martian. Capella lib. II. 'Erantque quidam libri sacra nigredine colorati, quorum litteræ animantium credebantur effigies. Quasque librorum notas Athanasia conspiciens, quibusdam eminentibus saxis jussit adscribi, atque intra specum per Ægyptiorum adyta collocari.' *Colv.*

Litteris ignorabilibus prænotatos] Literas ignorabiles vocat hieroglyphicas. Philo libr. I. de vita Moysis: Ἀριθμοὺς μὲν οὖν καὶ γεωμετρίαν, τήν τε ῥυθμικὴν καὶ ἁρμονικὴν, καὶ μετρικὴν θεωρίαν καὶ μουσικὴν σύμπασαν, διά τε χρήσεως ὀργάνων, καὶ λόγων τῶν ἐν ταῖς τέχναις καὶ διεξόδοις τοπικωτέραις Αἰγυπτίων οἱ λόγιοι παρέδωσαν. καὶ προσέτι τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις ἱεροῖς γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς τῶν ζώων ἀποδοχῆς, ἃ καὶ θεῶν τιμαῖς γεραίρουσιν. Vide Laur. Pignorium in lib. de Characteribus Ægyptiacis p. 5. *Elmenh.* *De opertis adyti profert quosdam libros literis ignorabilibus prænotatos*] Achilles Tatius lib. III. Ἔρχεται δέ τις ἱερεὺς Αἰγύπτιος βιβλίον ἐξ ἀδύτων φέρων, &c. Hujusmodi non pauca librorum millia etiamnum Cairi superesse, magnaque ab ignaris Turcis superstitione adservari, narrat Kircherus p. 512. de Lingua Coptica. *Pric.*

A curiosa profanorum lectione munita] Ammianus lib. XXII. de Ægyptiis: 'Initia prima sacrorum caute tuentur, condita scriptis arcanis.' *Idem.*

Indidem mihi prædicat quæ forent ad usum teletæ necessario præparanda] Tertullianus Apologetico: 'Volentibus initiari moris est, prius patrem illum sacrorum adire, quæ præparanda sint describere.' *Idem.*

Et aliq. liberalius, partim ipse, partim per m. socios] Isidis Deæ sacris mox inaugurandum Lucium, ipsummet huc illuc discurrisse ad conquirendum, comparandum, quæ ad teletæ, et expiationis usum sacerdos summus requisierat, vix mihi fit verosimile: eoque subdubitare cœpi, essentne a sciolo adhibita, invito Appuleio, illa, [*partim ipse*,] qui existimaret particulam *partim*, sine iteratione consistere non posse: quæ res in errorem quoque pellexit magnum Galliæ virum in emendatione legis Pandectarum. Semper autem a Jureconsultis quoque hanc quasi dialysim non servatam testatur textus Instit. De testament. ordinand. §. Sed illa. 'Quod vero per æs et libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen partim

et hoc in usu esse desiit; sed prædicta quidem nomina,' &c. Idemque obvium in constitutionibus Imperialibus non uno loco. Similiter et Ciceronem usurpare memini: 'partim ex illis distracti et dissipati jacent; qui vero et his et omnium scelerum principes fuerunt.' lib. II. de Legibus. Itidem lib. I. Officiorum. Item et in Verrem: 'Statuæ in locis,' inquit, 'publicis positæ, partim etiam in ædibus.' Lucretius: 'Et partim plano scatere, atque erumpere campo.' Quin ipsum potius Apuleii testimonium proferamus, Sallustii et reliquorum prætermissis, lib. septimo de Asino: 'cuncti denique, et prorsus omnes sepulti jacebant, partim parati morti.' Similiter hac voce usus prima Apologia sua, et Apol. secunda. Suetonius Augusto c. 49. 'Partim in urbis, partim in sui custodiam,' animadversum in duobus codicibus membraneis abesse illa *partim in urbis.* Miror vel retinere, vel mutare alios voluisse *in urbis partim, partim in s. c.* Liquidum certe ex præcedentibus, istiusmodi emblemate Suetonium facile cariturum. *Stewech.* Stewechii conjecturam magno opere firmat codex Fuxensis, in quo illa *partim ipse* haud comparent. Ac sæpe semel *partim* omitti solere, docuimus quoque ad l. v. p. 79. 'partim gladiis armati.' Citatus enim a Stewechio locus e l. VII. p. 141. in mendis cubat; et in Suetonio *partim in urbis* adesse debere, ut agnoscuntur a Mss. O. docent ibi sequentia et historia. Codd. illi, quibus desunt, non sunt membranei, sed Edd. primæ. Ratio vero, cur Stewechius has voces deleri vellet, falsissima est. Nam sive bis *partim* sive semel ponatur, idem tamen sensus manet loco. Si enim *partim per socios* coëmenda curavit, restat, partim sive per alios sive per se quædam esse procurata. Sic l. VIII. p. 157. 'Partim per semet usum, partim per ceteros familiares ac necessarios.' L. XI. p. 259. 'partim apud sensum meum disputo, partim sacratorum consiliis examino.' Jam autem satis temporis et facultatis ei potuit intercedere, ut partim ipse hæc emere potuerit. In confinio scilicet templi: ubi sine dubio ullo, quæ ad usum teletæ necessaria erant, venalia proponebantur: immo citius per se, quam per solos socios, hæc res peragi poterat. Oxon. dat *liberalis p. i. p. meos socios* sine τῷ *per*, quæ præpositio abest quoque a Guelf. et Palat. *Oud.* *Partim ipse, partim per meos socios coëmenda procuro*] Lib. VIII. de Thrasyllo: 'Partim per semetipsum, partim per cæteros familiares ac necessarios,' &c. *Pric.*

Tempore, &c. id postulante, stipatum me religiosa cohorte, deducit ad proximas balneas] Supra lib. IX. 'Universa nos jumenta, id hora jam postulante, ad lacum proximum, &c. prominabat.' *Idem.* *Stipatum me, &c.*] Vide supra p. 20. dicta. *Idem.*

Præfatus Deum veniam, purissime circumrorans abluit] Supra hic: 'Solennissimas preces, &c. præfatus, quam purissime purificatum, Deæ nuncupavit.' Fiebat autem, tanquam a prioris vitæ sordibus sacrandorum ablutio ista. Vide Grotium ad Matth. 28. 19. *Idem.*

Circumrorans abluit] Aquæ rore circumlavans. Vide supra p. 14. notata. In Glossario: 'Περιπλύνω, circumlavo.' *Idem.* *Circumrorans*] Ovid. 'Roratis lustravit aquis.' M. Tull. in Legibus præcipit, ut casti divos adeamus, et aspersione aquæ labes eluamus: quod et ad animos purificandos refertur. Ex instituto priscorum, sacrificaturus diis superis, corporis ablutione purgatur: cum vero inferis litandum esset, sola aspersione utebantur. *Beroald.*

Voce meliora] Rectissime Fulvius, *voce majora sunt.* Sciopp. in Symb. Perperam. Græcismus est, τὰ λόγου κρείττω, ut et adlevit Casaubonus. Sic

'Alexander Fortuna melior' Flor. N. 7. l. VII. p. 135. 'Virum ipsa morte meliorem.' In Pandectis, 'sensu melior.' Intelligit sanctiora, quam ut dicantur, et in vulgus efferantur. Vulgatum bene quoque vindicavit Pricæus. *Oud.* Gruterus Suspic. Ined. suspicatur: *quæ voce nequiora sunt:* adducens Martial. lib. VI. Ep. 21. 'Hæc coram domina: sed nequius illud in aurem:' ut sit sensus: secreto in aurem mandasse sacerdotem ut a re omni Venerea abstineret, sed ceteris cunctis palam audientibus imperasse solummodo ut a vino et animatis abstineret. *J. Bosscha.* *Quibusdam quæ voce meliora sunt*] Græcismus, ut supra VII. 'virum morte meliorem.' Decepti et decipientes ergo qui *majora* reponebant. *Pric.*

Præcipit, decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coërcerem] Cheræmon apud Porphyr. π. ἀποχ. de Ægyptiis: Ὁ δὲ χρόνος οὗτος ὁπότε συντελεῖν τι περὶ τὴν ἱερὰν μέλλοιεν θρησκείαν προλαμβάνων ἡμερῶν ἀριθμὸν, οἱ μὲν δυοῖν καὶ τετταράκοντα, οἱ δὲ τούτων πλείους, οἱ δὲ ἐλάσσους· οὐδέποτε μέν τις τῶν ἑπτὰ λειπομένας. Vide Beroaldum: τὸ *illis* περισσεύειν otiose moneam, adeo passim hoc in Opere abundat. *Id.*

Pag. 256 *Invinius*] Onomast. vetus: 'Invinius, ἄοινος.' Sic, ἀΐχθυς, ὁ μὴ ἰχθὺν ἐσθίων, apud Hesychium. *Id.*

Et Sol curvatus intrahebat vesperam] Senarius, quales multi alii latenter his in libris sparsi. *Idem.*

Muneribus honorantes] Iidem, *onerantes.* Colv. Bert. *onerantes.* Elmenh. Vulgatum quod erat ante Colvium *onerantes,* hic facile locum tueri potuisset. Passim enim dicitur, 'onerare laudibus,' 'donis,' 'honoribus,' præsertim *alienis.* Cic. Phil. II. 10. et creberrime hæ voces confunduntur. Vide Comment. ad Auson. Protrept. vs. 96. Burm. ad Phædr. F. 86. Bouhier. ad Petron. c. de B. Civ. vs. 157. Arntzen. ad Plinii Paneg. c. 24. Infra ad Flor. N. 1. 'Quercus cornibus onerata.' Quia tamen Mss. ceteri, et Ed. Junt. post. *honorantes* dant, istud etiam prætuli. Ac certe mutare non debuerat Acidal. in Vell. l. II. 124. 'Nomen divinis honoribus honoratum:' ut multis docuit Cl. Drakenborch. ad Silium Ital. l. III. 15. 'Aras onerat donis:' et Heinsius ad Virg. Æn. X. 558. 'onerabit membra sepulcro.' *Oud.* *Variis quisque me muneribus honorantes*] Notabis κυριολογίαν istam. Aristoteles Rhetor. I. 5. Δῶρα παρ' ἑκάστοις τίμια, καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι, &c. τιμῆς σημεῖον. Sirachid. XXXVIII. 1. Τίμα ἰατρόν. et statim, δόμα λήψεται. Matth. 15. 6. Καὶ οὐ μὴ τιμήσει τὸν πατέρα. pro quo apud Marcum, καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν τῷ πατρὶ ποιῆσαι. Sic Act. 28. 10. post πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς, sequitur, ἀναγομένοις ἐπέθεντο τὰ πρὸς τὴν χρείαν. De legatorum honore ad Apologiam diximus. *Pric.*

Sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia] Æn. III. 'Meque ad tua limina, Phœbe, Ipse manu multo suspensum Numine ducit:' quæ etiam de Sacerdote dicta. *Idem.*

Dicerem, si dicere liceret] Paulus II. Cor. 14. 4. Ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Pausanias in Atticis, ubi de Eleusine: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ, τό τε ὄνειρον, ἀπεῖπε γράφειν, καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν, ὅσων θέας εἴργονται, δῆλα δήπου μηδὲ μυθέσθαι μετεῖναι σφισίν. In Apologia: 'Nullo unquam pacto adducar, quæ reticenda accepi, hæc ad profanos enunciare.' *Idem.*

Parem noxam contraherent aures et lingua temerariæ curiositatis] Lysis Pythagorice apud Jamblichum cap. 17. Meursio corrigente: Οὐ θέμις ὀρέγειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα, οὐδὲ γὰρ βεβάλοις τὰ τῶν Ἐλευσινίαιν Θεαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι, κατ' ἰσότητα δὲ ἄδικοι καὶ ἀσεβεῖς ἀμφότεροι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες. Apud Synesium in περὶ προνοίας, de silentio

mysteriis debito: "Ο τε ἐκφήνας, ὅ τε ἰδὼν νεμεσᾶται παρὰ τοῦ θεοῦ. Lucianus in Deorum Dialogis: Σιώπα, εὐφήμει· οὐ γὰρ ἀσφαλὲς σοὶ λέγειν, οὔτ' ἐμοὶ ἀκούειν τὰ τοιαῦτα. cui simile illud Senecæ de Tranq. 'Auscultatio, et publicorum secretorumque inquisitio: et multarum rerum scientia, quæ nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur:' et istud Salviani: 'Spectaculorum impuritates unum admodum faciunt et agentium et aspicientium crimen:' de Gubern. lib. VI. *Idem.*

Audi igitur, sed crede quæ vera sunt] Isocrates in de Permutat. Ὡς ἀκουσόμενοι τὴν ἀλήθειαν, οὕτω τὸν νοῦν προσέχετε. 'Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.' Ovid. 'Accipe cum vera facta relata fide.' *Idem.*

Accessi confinium mortis, et calcato Proserpinæ limine, &c.] Pindarus: Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα Κοινὰν εἶσ' ὑπὸ χθόνα. Οἶδε μὲν βίου τελευτὰν, Οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν. *Idem.*

Nocte media vidi Solem, &c.] 'Candidior media nox erat illa die.' Dio Chrysostomus Orat. XII. ubi de mysteriis initiato: Πολλὰ δρῶντα μυστικὰ θεάματα, πολλῶν δὲ ἀκούοντα τοιούτων φωνῶν· σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ αὐτῷ φαινομένων, ἄλλων τε μυρίων γινομένων. Vide quæ plura Meursius cap. 11. Eleusiniæ. *Idem.*

Accessi coram] Id est, ut I. Cor. 13. 12. πρὸς πρόσωπον. Infra hic de Osiride: 'Non in alienam quampiam personam reformatus, sed coram suo venerando me dignatus affamine:' adde Arnobium jam statim adducendum. Ovidius II. 8. de Ponto: 'Fælices illi qui non simulacra, sed ipsos, Quique Deum coram corpora vera vident.' *Idem.* *Accessi coram, et adoravi de proximo*] Arnobius μιμητικῶς lib. VI. 'Ut eos' (Deos) 'possimus coram et cominus intueri, affari de proximo:' ubi et *affari* est quod hic *adorare*. Ovidius: 'Hac prece adoravi Superos ego.' Supra hic lib. III. 'Sic populum adorat.' *Idem.*

Quæ quamvis audita, ignores tamen necesse est] Oxon. et tres alii Mss. plenius, et (ut putamus) sincerius: *Q. q. audita ignores, tamen credere necesse est.* Idem.

Quod solum potest sine piaculo ad profanorum intelligentias enunciari, &c.] Julianus VII. Orat. Περὶ ἀῤῥήτων οὐ χρὴ λέγειν, &c. ὑπὲρ δὲ ὧν εἰπεῖν τε καὶ ἀκοῦσαι θέμις, καὶ ἀνεμέσητον ἀμφοτέροις ἐστὶν, &c. *Idem.*

Mane factum est] Sic Judith. XIII. 1. apud Latinum, 'Ut sero factum est.' *Idem.*

Duodecim sacratus stolis] Vide Beroaldum. *Idem.* *Duodecim stolis*] Attende, hic *stolas* accipi pro vestibus sacerdotalibus: sicut hodie stolas induunt nostri sacerdotes, quod et *orarium* vocant. Hinc illud XXIII. Di. scriptum est: 'Ecclesiastica institutione præfixum novimus, ut omnis sacerdos cum ordinatur, orario, utroque humero ambiatur: nec ad solennia sacrificia accedat, nisi orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter et utrunque humerum premat.' Alias *stola* dicitur vestis matronalis: unde 'stolatus pudor,' pro matronalis. Valerius Max. 'Te custode matronalis stola censetur:' ideo autem videtur dixisse 12. stolis se sacratum processisse, propter duodecim signa zodiaci. Namque in mysteriis Judaicæ cerimoniæ duodecim panes in mensa positi significabant circulum duodecim signorum, atque annum duodecim mensibus divisum: septem vero lucernæ, in ipso candelabro, septem planetas indicabant. In sacris literis numerus duodenarius refertur ad duodecim tribus Israëliticas: et in Apocalypsi Joannis legimus, amictos stolis albis nuncupari puros, et candore mentis immaculatos. Lego apud auctores Græcos pulcherrimum esse somnium, ferre στόλην λευκὴν, id est, stolam candidam: contra stolam purpuream porten-

dere, longum morbum: ornari stola regia signat λύσιν ἐλπίδων, id est, spei solutionem. *Beroald.*

In ipso ædis sacræ meditullio, ante Deæ simulacrum, &c.] Vide supra p. 60. dicta. *Pric.*

Floride depicta veste conspicuus] Plinius XXI. 8. 'In odoratis floribus unguento vicisse Naturam gaudens luxuria, vestibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur.' Ad rem Clemens autem Pædag. II. 10. Αἱ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαι ἐσθῆτες Βακχικοῖς καὶ τελεστικοῖς καταλειπτέαι λήροις. *Idem. Floride d. v. conspicuus*] Lib. X. 'Flavis crinibus usquequaque conspicuus.' *Idem.*

PAG. 257 *Circumnotatis insignibar animalibus*] Vide in π. ἀποχ. 4. Porphyrium. Ammianus lib. XIV. 'Tunicæ effigiatæ in species animalium multiformes.' *Idem.*

Gryphes Hyperborei] Servius ad Eclog. VIII. 'Gryphes, genus ferarum, in Hyperboreis nascitur montibus,' &c. Vide III. 14. Philostratum. *Idem.*

Flammis adultam facem] Eleganter. Sic legerim Nazarii Panegyrico. (c. 21.) 'Nam cum introitus vi, manu quæreretur, et portarum inflammatio ignem late distulisset, cujus facilis per adjuncta contagio partu pestifero valescebat, maxima benignissimi Imperatoris fuit cura, non modo ut incendium non adultum senesceret, sed oppressum emori posset:' ubi vulgo, *incendium non adjutum.* Colv. Adde Stephan. ad Saxon. Gramm. p. 127. 'Adultas oleo lampades.' Sed vide tamen Heins. et Drakenb. ad Silium Ital. l. VII. 355. 'Adjutæ pinguescere flammæ Cœpere.' Hic vero optime dicitur *adultam*, pro quo in D'Orvill. est *adulteram.* Huc pertinet Ovidii locus l. I. Am. II. 9. 'Vidi ego, jactatas mota face crescere flammas, Et vidi nullo concutiente mori.' Quamquam illic ex uno Cod. Burmannus præferebat *surgere:* ut Nostro l. VII. p. 146. 'Enutritus ignis surgebat in flammas.' Sed alia illic res est. Sallust. B. Jug. c. 4. 'Flammam in pectore crescere.' Hinc passim 'ali,' 'nutriri,' 'pasci' dicitur ignis; eique 'alimenta,' 'cibus,' &c. adscribuntur. *Oud. Ad instar Solis*] Servius ad Æn. VI. ex Probo, ait *instar* præpositionem non recipere. *Pric.*

Exornato, et i. v. s. constituto, r. v. r. i. a. populus errabat] Fux. *populi errabant.* Roald. Quidam: *sic ad in. Sol. exornatus.* Mira locutio, et forsan multis nova. Ad instar Solis me exornato, errabam, pro ego exornatus. Sic supra emendavimus etiam lib. VII. 'Meque protinus pernici fuga concitato, perque prona non tantum pedibus, verum etiam toto projecto corpore, propere devolutus, immitto me campis subpatentibus.' *Populi errabam.* Vulgo, *populus errabat.* Vide quæ supra de velis. *Colvius. Populi errabam.* In eodem lib. Bertin. *populus errabat.* Nempe ut adspicerent Apuleium exornatum. *Wower. Adornato me, &c. populus errabat.* Ita Bertin. nisi quod in eo est *adornatum et invicem.* Sciopp. Susp. II. 4. et Symbola. Flor. et Bertin. *exornatum populus errabat.* Ald. *exornatus.* Bert. *adornatum.* Elmenh. Quoniam in Mss. Florent. Pith. Bert. Edd. primis, Ber. Bas. pr. habetur *exornatum et constituto*, in ceteris vero omnibus Mss. et Edd. (si Junt. et Ald. *exornatus et constituto* excipias) sit *exornato*, ut et Beroaldus conjecerat, satis videtur patere, Auctorem dedisse, *exornato me et constituto*, quod voluisse cum Schickerado videtur Scioppius. Certe nequaquam hæc in Nominativum sunt mutanda. Nam etiamsi mox verbum primæ sequatur personæ, nequaquam insolens est Græcissantibus auctoribus Ablativo absoluto uti pro Nominativo: ut bene advertit Colvius, et sæpius fecit Appuleius. Adi me ad l. X. p. 218. 'Ad istum modum seniore adorante placuit.' Facillime

ergo prima persona *in adspectum populi . . . bam*, quæ est in Mss. O., etiam Fuxensi, non *errabant*, præter Flor. Bert. Pith. in quibus legas *populus errabat*, quod est quoque in Edd. usque ad Colv. sive Lips. in Elect. l. II. c. 18. Verum neutra lectio potest esse vera. Quomodo enim Lucius 'in vicem simulacri constitutus' potest dicere, se 'in adspectum populi errasse,' sive per medium populum ivisse, ut ubique se conspiciendum præberet? Hinc varias conjecturas tumultuario adscripsit Cl. Wasse. Sive *emicabam* ad instar Solis, sive *oriebar*; ut apud Senecam de Clem. I. 8. 'prodire te putas? oriris de Nerone.' Pricæus conjecit, *Adspectum populi inerrabam*, quod exhibuit Floridus. Mihi potius excidisse videtur vox, et rescribendum: *in adspectum populi oculis errabam*, sive circumspiciebam. Sic autem malo, quam *oculi errabant*; quia prior lectio corruptioni videtur fuisse facilior. Quod vero ad alteram pertinet lectionem, *populus errabat*, ista certo certius est falsa. Populus enim, avide conspiciens unum Lucium, non potest dici *errare in adspectum*. Hinc Clar. Wasse adscripsit *ruebat*, vel *inhiabat*. Alii, *horrebat*, sacro scil. horrore. Vide omnino Misc. Obs. vol. II. p. 400. 401. Ego tunc mallem *hærebat*. Verba enim hæc alibi quoque confunduntur. Vide ad l. I. p. 3. Et passim *hærere* in alicujus adspectu dicitur quis, avide et cum stupore intuens. Adi Burm. ad Ovid. lib. I. Am. 9. 24. 'Hæsit, et in vultu constitit usque tuo.' Lib. III. Met. 419. 'vultuque inmotus eodem Hæsit, ut e Pario formatum marmore signum.' x. 359. 'Patriisque in vultibus hærens.' Claud. I. in Ruf. 139. 'Oculisque diu liventibus hæsit.' Eligat lector. Mihi prior conjectura præplacet; ut Apuleius de se solo, non de populo loquatur. Ceterum Stewechius ad lib. x. p. 229. legi rursus volebat, *et vicem simulacri const.* sine præpositione. Sed confer notata ad l. I. p. 9. *Exornatum*] Lege, *exornato*, ut constructio congrua sit: se autem exornatum dicit ad instar Solis, quia coronatus erat corona palmacea, cujus folia radios Solis repræsentabant. *Beroald.*

In aspectum populi errabam] In Codd. quibusdam, *populus errabat*; in aspectum Appuleii nempe: tale illud x. 'Multæ civium turbæ confluebant, non tam Thyasi divitiis dantes honorem, quam mei conspectus cupientes.' Mihi neutra istarum lectio probatur: utraque veriorem puto, *aspectum populi inerrabam*: eodem lib. x. 'Decoros ambitus inerrabant:' et supra hic, 'Diversos lucos inerrans.' *Pric.*

Natalem sacrorum] Vide Casaub. ad Spartianum, Lindenbrogium ad Censorinum. Servius ad III. Eclog. 'Natalis, apud Majores, plenum nomen: posteritas 'natalis dies' dicere cœpit.' Glossæ: 'Natalis, γενέθλιος.' i. e. ἡμέρα γ. *Idem.*

Suaves epulæ, et faceta convivia] In quibus joci liberales, ut supra lib. II. locutus. *Idem.*

Jentaculum] De jentaculis Deorum, Plaut. Curcul. 'Me inferre Veneri votivum jentaculum. PA. Quid antepones Veneri a jentaculo?' *Brant.*

Irremunerabili q. beneficio pignoratus] Lib. III. 'Tuumque mancipium irremunerabili beneficio sic tibi pignora.' *Pric.*

Detrusis] Lego, *detersis*: id est, abstersis. *Beroald.*

Singultu crebro sermonem interficiens] Lib. II. 'Voce, &c. assiduis singultibus impedita.' Statius Theb. II. 'Tandem hæc singultu verba incidente profatur.' Calpurnius Ecl. VI. 'Expellis male singultantia verba.' Quintilianus x. 7. 'Intersistunt, offensant, et singultantium more verba ejiciunt.' Adde quæ plura supra p. 97. dicta, et quæ de voce *interficere* p. 90. notata. *Pric.*

Nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum] Plinius Trajanum celebrans, 'Quod momentum, quod immo temporis punctum, aut beneficio sterile, aut vacuum laude?' Ovidius de Sexto suo: 'Tempora nam nostræ complectar ut omnia vitæ, A meritis ejus pars mihi nulla vacat.' Plinius alter XXII. 12. de divino Numine: 'Ut non sit satis mirari ingenium ejus, disponentis auxilia in causas, in tempora: ut aliis prosit atque aliis horis, diesque nullus prope sine præsidiis reperiatur.' De eodem Philo, lib. περὶ ζώων εἰς θυσ. Τὰς εὐεργεσίας ἀπαύστως καὶ ἀδιαστάτως τῷ τῶν ἀνθρώπον γένει χορηγεῖ. et Jeremias III. 23. Οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ καὶνοὶ εἰς τὰς πρωΐας. Et certe ita concepta est oratio ista, ut nec sanctissimo ipsi Augustino dedecori esset, ac proinde qua verissimum et potentissimum Numen oretur sit dignissima. Videtur autem hoc κείμενον effictum ex Virgilii illis: 'Nec requies, quin aut pomis exuberet annus, Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi.' *Quietem* hic *noctem* dixit. Servius ad Georg. I. 'Somni, noctis: nam ab officio temporis ipsum tempus ostendit.' Seneca Epist. 125. lucifugas describens: 'Lucet? somni tempus. Quies est? nunc exerceamur, nunc gestemur.' *Idem.*

Depulsis vitæ procellis] Gloss. 'Ἀλεξίκακος, depulsor.' *Idem.*

Salutarem porrigas dextram] Sic, τὴν χεῖρα σωτήριον ὀρέγειν, Philo, de Deo loquens, lib. quod D. immutabilis. Æneid. VI. 'Da dextram:' ubi Servius: 'Præsta auxilium.' *Idem.*

Quo Fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia] Supra hic: 'Ultra statuta fato tuo spatia vitam mihi prorogare licere.' Retractas, retrahis, differs. Glossæ: 'Retractas, διαλογίζου, ἀναβάλλῃ.' *Idem.*

PAG. 258 *Luminas solem, regis mundum*] Initio hujus libri apprecatur Proserpinam, seu Phœbi sororem. Eandem nunc quoque fusis precibus invocat. Quare scribendum: *illuminaris a Sole: retegis mundum:* ut est in Palat. Cod. Nam quod in priori oratione, sive hymno: 'Solis ambagibus dispensans incerta lumina,' nunc denuo exprimit. *Wower.* Rittershus. *luminaris a Sole.* Bene. *Retegis mundum.* Alii, *regis m.* Elmenh. Cl. Rittershusius mens mavult *eluminas*, aut, si tu mavis, *deluminas.* Præter enim quod ipsa vox, *luminat*, rara, etiam barbara videtur, correctionem sensus postulare videtur ipse: Hoc enim in vulgus notum, Lunam Solis obscurare potius lumen, et eclipsin causare, quam ut ei lucem commodet. *Piccart.* Peric. Crit. c. 16. 'Luminas an radiorum repercussu?' ἡλίου τε φῶς Eurip. Phœniss. Pene scripserim cum Sidonio lib. VIII. Ep. 11. *eluminas:* nam, ut Noster supra p. 239. 'Solis ambagibus dispensat incerta lumina.' *Wass.* Ab Auctoris scopo valde aberrarunt docti viri, qui existimarunt, aliquid in eo esse mutandum. Nam parum ad Isidis laudem pertineret, si vel ipsi opus esset Solis lumine, vel si ipsa eum obscuraret, et sic tenebris orbem terrarum involveret. Auctor hic non considerat Isidem, ut Lunam, sed ut Venerem, quæ etiam Isis, cujusque stella, aliis Venus, aliis Isis, aliis Magna Mater, aliis Lucifer dicta est, et ut Sol alter diem maturat, teste Plinio ibidem. Quæ etiam sequuntur omnia, ad potentiam Veneris, ut 'Genetricis, Reginæ, Omnipotentis et Omniparentis Deæ,' uti in priore hymno p. 239. 242. passim h. libro, referri possunt. Erratque insigniter Wowerius, rescribens quasi e Cod. Palat. *retegis*, cum ille Cod. habeat *regis cælum*, e glossa scil. pro *mundum*, qui poëtis et Nostro sexcenties *cælum* significat. Neque opus est cum Elmenh. et Scriv. Edd. refingere *illuminas.* Nam præterquam quod alii simplex *luminare*

adhibuerint, quos vide apud G. Vossium ad Vellei. l. II. c. 35. et in Fabri Thes. ipse Auctor dixit l. IX. p. 185. 'Male luminati:' et in Herm. Trismeg. p. 96. Ed. Elm. 'qui me divinitatis luminasti lumine.' Gloss. 'Lumino, φωτίζω.' In Pal. Guelf. *lumine Sol.* Beroaldus rectius existimat, Isidem hic considerari, ut Naturæ parentem, sicut supra quoque. Sed meam explicationem veriorem opinor: *regis mundum, calcas Tartarum* absunt a Guelf. *conculcas* Palat. *Oud.*

Luminas Solem] Evidenter ostenditur Deam hanc esse, intelligique parentem rerum naturam, ac opificem Deum summum, cujus nutu cuncta fiunt; qui principia, fines, et media rerum omnium penetrat: qui illustrat Solem, rotat Mundum, quem patrem et architectum hujus Orbis pronunciant. Alioqui Lunæ non convenit, ut Solem illuminare dicatur, cum ipsa a Sole lumen mutuetur: nec Luna rotat Orbem, sed ipsa in Orbe statutis motibus rotatur: denique Lunæ majestati ista non conveniunt, quæ hic explicantur, nisi mystico intellectu perpendantur. Itaque hæc omnia ad ultramundanum Deum referenda sunt, qui genitor rerum omnium est beatificus, optimus, maximus, indicibilis, innominabilis: qui sive masculino genere, sive fœminino dicatur, nihil refert, cum in rebus divinis non sexus, sed potestatis majestas quærenda sit. *Beroald.*

Tibi, &c. redeunt tempora, serviunt elementa] Lucretius ad Eandem: 'Tibi suaves dædala tellus Summittit flores, tibi rident æquora Ponti, Pacatumque nitet diffuso lumine cœlum.' Virgil. 'Tibi pampineo gravidus autumno Floret ager.' Serv. 'In honorem tuum exultat,' &c. *Pric.*

Tuo nutu, &c. germinant semina, crescunt germina] Supra initio libri: 'Nec tantum pecuina et ferina, verum inanima etiam divino ejus luminis numinisque nutu vegetari.' *Idem.* *Flumina*] Speciosior lectio est *flamina*: ut dicat *flamina*, hoc est, ventos Deæ nutu spirare. Non ignoro, et ex fluminibus auras spirantes sentiri: unde Homerus et Plinius auras antelucanas e flumine semper insalubres esse tradiderunt. De Nilo auctores annotaverunt, quod contra fluminum naturam nullas spiret auras, quasi anauros, id est, sine aura sit. *Beroald.*

Tuam majestatem perhorrescunt, &c.] Φρίττουσι, eam vocem enim Jacob. 2. 19. ita verterim, *majestatem ejus perhorrescunt.* Glossarium: 'φρίττω, horreo, horresco:' supra hic lib. VIII. 'Prædo famosus ille, cujus totæ Provinciæ nomen horrescunt:' et IV. de Cupidine: 'Quem tremit ipse Jovis, &c. Fluminaque horrescunt, et Stygiæ tenebræ.' *Pric.*

Aves cœlo meantes, feræ montibus errantes, serpentes solo latentes, belluæ Ponto natantes] In Græco 4. 17. Deuteronomii: 'Ομοίωμα κτήνους, &c. ὁμοίωμα ὀρνέου πτερωτοῦ, &c. ὁμοίωμα ἑρπετοῦ, &c. ὁμοίωμα ἰχθύος, &c. Jacob. 3. 7. Φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων. *Idem.*

Nec mihi vocis ubertas, ad dicenda quæ de tua majestate sentio sufficit] De Deo, at ad Deum Arnobius lib. I. 'De quo nil dici et exprimi mortalium potest significatione verborum: qui, ut intelligaris, tacendum est: atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino muttiendum.' *Idem.*

Vel indefessi sermonis, &c.] Scribendum potius dixerim, *indefecti*: sic in libro de Deo Socratis: 'Vivacitas æterna, et indefecta.' *Idem.*

Numenque sanctissimum, intra pectoris mei secreta conditum, &c.] 'Εν πνεύματι, &c. προσκυνήσω, ut Joh. 4. 24. *Idem.*

Meum jam parentem] Ex antiquo Augurum instituto sic eum vocat, qui ipsum 'inauguraverat.' Hunc enim cooptatus in collegium 'parentis loco'

colere debebat, ut ait Cicero in Brut. nisi imitatus sit Christianos, qui sic Apostolos, a quibus ad veram persuasionem erant permoti, *patres* vocabant, ut censet Cuperus in Epist. ad Dalenum p. 516. Huc etiam refer παλιγγενεσίαν et 'renatos' p. 284. ubi tamen vide Pricæum, item 'natalem sacrorum' p. 257. *Oud.* *Complexus Mithram sacerdotem, et meum jam parentem*] *Parentem*, quia secundo eum genuerat, i. e. mysteriis initiaverat: ita Paulus de Onesimo, ὃν ἐγέννησα, &c. Nota et loquendi genus, 'meum jam parentem.' In Minucii Octavio: 'De providentia fateor, et Deo cedo, et de sectæ jam nostræ sinceritate consentio:' ita et Servius capit hæc Virgilii de Orpheo loquentis, 'Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa Immemor heu, victusque animi, respexit,' &c. at rectius illi qui τὸ *jam* non ad *suam*, sed ad sequentia retulerunt. *Pric.*

Quod deum] Legendum puto, *eum*: ut ad sacerdotem referatur, cujus beneficiis remunerationem condignam negat se posse rependere. *Beroald.*

Gratiarum gerendarum, &c.] Loquendi modus insolentior, nec solo tamen hoc in Scripto repertus: nam et 'gratias Deo gerere,' in oratione sub martyrii horam, B. Cyprianus dixit: et, 'desideria conjugalia sibi gerere,' (i. e. *reddere*) Scriptor de cleric. singular. cum eodem Cypriano excusus. *Pric.*

Colloque ejus multis osculis inhærens] Luc. 15. 20. Ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν κατεφίλησεν. *Inhærens*, ut in illis Heliodori, περιφῦσα τοῦ αὐχένος (αὐτοῦ) ἀπρὶξ εἴχετο, καὶ ἐξήρτητο. *Idem.*

Deæ potentis instinctu, &c. Romam versus profectionem dirigo] Paulus Act. 20. 22. Δεδεμένος τῷ πνεύματι πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλήμ. ubi hunc locum Appuleii produximus. *Idem.*

Raptim constrictis sarcinulis] Supra lib. IV. 'Raptimque constrictis sarcinis,' &c. *Idem.*

Tutusque prosp. ventorum ferentium] Plinius Panegyrico ad Trajanum p. 30. 'Ut inde navigia inania et vacua, hinc plena et onusta, et qualia solent venire, mittantur, conversoque munere maris hinc potius venti ferentes et brevis cursus optentur.' Val. Flacc. Argonaut. l. VI. p. 150. vs. 326. 'Non nos aut levibus componere brachia remis Novimus, aut ventos opus exspectare ferentes: Imus equis, qua vel medio reget æquore pontus, Vel tumida premit Hister aqua.' *Elmenh.* Forte leg. *jutusque*. Tacitus Annal. XIV. 4. 'Placuit solertia, tempore etiam juta.' Ita Lipsii Mss. et Ryckii editio. Sic *jutura* Columel. Hort. 2. Mss. Palladius Mart. 10. circa finem: 'Stercorati et humoribus juti:' et sic 2. Ms. cccc Bibl. Pub. Cantabr. Lactantius de Opif. Dei c. 10. 'Juta offensione dentium.' Codex Thersben. Leodiensis male *artata*, Bononiensis *adjuta*. Nepos, Milt. 1. 'Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate adjutus est.' Cod. Trin. *usus est*. An et ibi *jutus*? Wass. Placet omnino *jutusque*, in quo Wasseum prævivit Pricæus, conjiciens *adjutus*. Posset etiam *fruitusque* vel *ususque*; ut alias in Nepote legebat Wasse. 'Ventos ferentes' pro secundis passim dixerunt. Exempla sunt ὅσα κόνις. Vide ad Val. Flacc. I. 266. et Nostrum l. V. p. 97. 'Venti ferentis.' *Oud.*

Augusti portum celerr. ac d. c. pervolavi] Ibidem vulg. *hausi portum*. Interpres vetus Juvenalis in illud e Satyra XII. 'Tandem intras positas inclusa per æquora moles:' 'Portum Augusti dicit, sive Trajani.' Hic portus Ostiæ ad Tiberim, de quo nos monuit doctor noster doctissimus Lipsius. *Colv.* In vulgatis *hausi portum*. In Bertin. *hauxi portum*: nisi fallor, non rejicienda erat tam facile hæc lectio. Nam 'haurire portum' dixit,

ut Petron. 'libare limen.' Aristophanes, γεύεσθαι τῆς θύρας. *Wower.* Bertin. *hauxi portum.* Vulgo, *hausi portum.* Sicut Petron. 'Vix dum libaveram cellulæ limen.' Sed puto quid latere. *Sciopp. Susp.* II. 4. et *Symbola. Hausi.* Retinui lectionem Bertin. et Rom. codicis. In aliis est *Augusti portum.* Vide Indicem. *Elmenh.* Nihil nisi Pricæi scrinia compilavit Floridus, bene cum ceteris advertens, sensu idoneo et plana syntaxi carere orationem, prout a Lipsio et Colvio est constituta. Burmannus etiam exponit *hausi portum*, tenui, occupavi, ad Virgil. l. IV. Georg. 427. 'cælo et medium Sol igneus orbem Hauserat.' i. e. tenuerat, ut ait Nonius p. 319. Ed. Merc. et Philargyrius, vel invaserat ac penetrarat. Verum rectius interpretaberis perfecerat, consumserat medium iter. Quomodo Stat. lib. I. Theb. 369. 'haurit iter:' ubi omnino vid. Barth. Ut passim *haurire* pro consumere ponitur, ac de incendio, de prodigiis, &c. crebro occurrit. 'Haurire portum' pro eum intrare, tenere, Latinum nego. Præterea Mss. optimi, Florent. Pith. Lips. D'Orv. Fux. Reg. Pal. Oxon. Par. constanter præbent *Augusti portum.* Quare amplius puto locum esse corruptum, mendamque latere in *ac*, pro quo Pith. dat *ad*. Sed scribendum opinor: *Aug. p. celerrime nactus, dehinc carpento pervolari:* constructione facillima, sensuque perfectissimo. 'Nancisci litus,' 'terram,' 'portum,' obviæ sunt locutiones, Ovid. l. XIV. 440. 'nactusque hoc litus adhæsi.' Cum *nactus* corruptum fuit in *ac*, fecerunt facile *hausi* ex *Augusti*, vel vice versa. Ostiam vero *Portum Augusti* dictum fuisse, abunde demonstrarunt viri docti. Vide Cluver. Ital. Antiq. l. III. c. 3. p. 876. Vulp. in Latio Prof. lib. XI. c. 2. Hennin. ad Bergierium de Rom. Imp. viis l. IV. 49. Male autem quidam eum confundunt cum portu Julio per Augustum apud Baias effecto, de quo agit Sueton. Aug. c. 16. *Oud.*

Tutusque prosperitate ventorum ferentium, Augusti portum celerrime] Ovidius: 'Ventisque ferentibus usus, Applicor in terras Œbali Nympha tuas.' Plura hic de *ventis ferentibus* Elmenhorstius, Sciopp. ad Miles. v. et nos ad illum ipsum locum p. 97. adnotavimus. Pro *tutusque* videndum, an qui Codices *adjutusque* legant, quod nec tamen obtrudo. *Augusti portum* (quod e Lipsii Codice primus Colvius edidit) habet et Oxon. Ms. at neque hic ullam syntaxin ea scriptura constituit, nec video cur *hausi portum*, antiquissimarum editt. lectio, non optime satisfaciat nobis. *Portum* κατ' ἐξοχὴν vocat Ostiæ portum. Sic in Actis Ignatii Martyris a Reverendiss. doctissimoque Præsule Armachano editis: 'Navigantes in portum, &c. milites quidem pro tarditate offendebantur:' ita enim, extrito τῷ *Romanorum*, legendum forsan, cum et sequatur statim, *Expulsi a vocato Portu*, et hic in Appuleio etiam eminenter *Portus* vocetur. 'Haurire portum' nil aliud est quam 'penetrare.' Quadrigarius Gellii IX. 13. de Manlio Torquato: 'Hispanico' (gladio Galli) 'pectus hausit.' Virgilius: 'Exultantiaque haurit Corda pavor.' Idem: 'Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum:' quæ tamen aliter scio a Scaligero Poët. IV. 16. exponi. *Pric.* *Prosperitate ventorum*] Gloss. 'Οὖρος, ὁ αἴσιος ἄνεμος, prosper ventus:' et, 'Οὐρία ἐπὶ πλοίου, prosperitas venti.' *Idem.* *Hausi portum celerrime, ac dehinc carpento pervolari*] Plinius X. Epist. 16. 'Sicut saluberrimam navigationem usque Ephesum expertus, ita inde postquam vehiculis iter facere cœpi,' &c. Achilles Tatius II. Πάριμεν ἐπὶ τὴν πόλιν, καὶ εὐθὺς ἐπὶ τὸν δρόμον ἐποιούμεθα. *Idem.*

PAG. 259 *Sacrosanctam istam civitatem*] Romam. Sic in Floridis de Carthagine: 'Sanctissimam istam Ci-

vitatem ingresso,' &c. Non ergo apud Hebræos solos iste mos loquendi. Merito autem *sacrosanctam*, de civitate quæ Deorum sedes existimata, et cujus verum nomen nec in sacris eloqui licitum. Vide Servium ad Eclog. I. et Æneid. I. *Idem.*

Supplicare summo Numini Reginæ Isidis, quæ de templi situ sumpto nomine, Campensis, &c.] Idem ad III. Æneid. 'A locis Numina frequenter nomen accipiunt.' Vide hic Beroaldum. *Id.* *Compensis*] Minutulus error syllabæ unius, literæve, interdum magis obturbat ac remoratur commentatoris intentionem, quam dictiones totæ universæ atque præposteræ, qualis est hic locus, qui (ut verum fatear) diu me torsit, vexavitque; cum emendatio congruens non suppeteret, et dictio barbara illiterataque cognosceretur. Tandem re etiam atque etiam agitata, inspecta, perpensa, videor (ut mihi blandiar plausibiliter) aperuisse verbum prorsus Appuleianum, ut scilicet legas *Campensis*, intellectu historico, et verbo: nam in campo Martio Romæ erat templum Isidis, unde a loco sumpsit nomen ut *campensis* diceretur: quod autem in campo Martio templum Isidis fuerit constitutum, præter alios ostendit poëta Satyricus, cum ait: 'A Meroë portabit aquas, ut spargat in ædem Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.' Namque hoc versu evidenter videtur, ædem Isidis fuisse proximam ovili: ovile autem fuisse in campo Martio, tradunt omnes, et inprimis Strabo scribit lib. v. dictatorem Syllam Marianos ad quatuor fere milia, quia arma projecerant, in campo Martio ad ovilia coactos, immissis militibus triduo jugulasse. Livius quoque ovile indicat fuisse in campo Martio, volumine ab origine urbis XXV. Quin etiam Servius grammaticus, septa et ovilia in campo Martio inclusa tabulatis tradit, quamvis parum explicate: ut in notis Servianis coarguimus. Lego apud Josephum lib. XVIII. Antiquitatum, templum Isidis funditus eversum esse Romæ, jubente Tiberio, statuam Isidis in Tyberim fluvium projectam, sacerdotes Isiacos in cruce sublatos, ob scelus quo matronam adultero tanquam Deo Anubidi prostituerant. *Beroald.*

Cultor assiduus] Contrarius apud Horatium: 'Parcus Deorum cultor et infrequens.' *Pric.*

Fani quidem advena, religionis autem indigena] *Advena* quoad locum, *indigena* quoad sacrorum participationem. Notanda autem oppositio ista: sic supra I. 'Advena studiorum, Quiritium indigenam sermonem, &c. excolui.' Interpres vetus Josuæ 8. 33. 'Ut advena, ita indigena.' Salvianus l. v. 'Suscipiuntur advenæ, fiunt præjudicio habitationis indigenæ.' *Idem.*

Signifero circulo] Gloss. 'Signifer, ζωδιακός.' et in alio, 'Ζωδιοφόρος, signifer.' *Idem.*

Sol magnus annum compleverat] *Sol magnum a. comp.* Ald. inemendate, et contra fidem. *Roald.* Scilicet Juntæ, Ald. et Colin. expresserunt conjecturam Beroaldi, qui sic reponi posse judicaverat ex noto Virgilii versu. 'Interea magnum Sol circumverterat annum:' de quo vide in Dogm. Plat. p. 592. Et adjuvatur hæc conjectura a Coll. Voss. male tamen. *Sol magnus* dicitur, quia jam in occasum vergebat annus; ut 'Sol,' 'dies magnus' post meridiem. Gell. lib. III. cap. 2. 'Post meridiem Sole magno.' Adde omnino Meursium Exercit. Crit. pag. 228. Vel etiam *magnum* vocat, quia jam ante oculos habet 'Deum magnum, deumque summum parentem Osirim,' de quo mox aget. *Oud.* *Sol magnus*] Potest legi *magnum*, juxta illud Maronianum: 'Interea magnum Sol circumvertitur annum.' Annus enim Solis *magnus* dicitur, comparatione lunaris anni, qui est menstruus. De magno anno, et maximo, doctissime inter cæteros auctores scribit

Censorinus libro de Die natali. *Beroald.*

Et quietem meam rursus interpellat, &c. rursus teletæ, rursus sacrorum commonet] Seneca Natur. Quæst. VII. 31. 'Non semel quædam sacra traduntur.' Aristides ἱερ. λόγ. δ. Τριῶν ἢ τεττάρων ἡμερῶν διαγινομένων, φωνὴ δι' ὀνείρατος γίνεται, ὅτι πέρας τε ἔχοι, καὶ ἐπανήκειν δεῖ, ἦν οὖν οὐ μόνον τελετῇ τινι ἐοικὸς, &c. *Pric.*

Mirabar quid rei tentaret] Oxon. *reptaret*, unde forsan *restaret* legendum. *Idem.*

Novum mirumque] Gellius XVI. ult. 'Novum et mirum facinus.' Tacitus Annal. XIII. 'Vallum fossamque quasi nova et mira viserent:' et V. 'Prompti Græcorum animi ad nova et mira.' *Idem.*

Ad] Lege *at:* ut sit particula adversativa, quæ tamen ab Antiquis per *d* scribitur. *Beroald.*

Dominique] Legi potest *Deumque*, pro Deorum. *Idem.*

Artio] Corrige, *ratio:* menda est ex transmutatione literarum, quales errores subinde scaturiunt in codicibus impressis. *Idem.*

Sublata est ergo, &c.] Glossæ: 'Ἀνῃρέθη, sublata est.' *Pric. Sublata est ergo post tam manifestam Deum voluntatem ambiguitatis tota caligo*] Claudianus: 'Quis jam post talia segnis Ambigat, aut cœlo dubitet parere vocanti?' *Idem.*

Summo studio, &c.] Melius, *ex summo studio:* l. VII. 'Ex summo studio fugiens immanem ursam:' et IX. 'Cujus faciem ex summo studio videre cupiebam.' *Idem.*

Percontabar, s. et qui vestigium similis, ut somnium] Observandus erat Lucio in ordine sacratorum similis, qualem illi visio nocturna proposuerat, ac designarat, hoc est, cunctabundo gressu incedens, et in pedis sinistri talo paululum reflexo. Hinc credes, nisi valde erro, præcedentia probe a me restitutum iri, *perscrutabar singulos, eccui vestigium simile sit, nec fides abfuit.* quæ inseruntur [*ut somnium*] ea ab aliena manu esse mihi persuasissimum est. Adhibeo, ut et tibi persuadere valeam, subsequentia ipsius Auctoris, quæ stabiliendæ conjecturæ arbitror: *nec fides abfuit. Nam de Pastophoris unum conspexi statim præter indicium pedis, cætero etiam statu atque habitu, examussim nocturnæ imagini congruentem.* Stewechius. Fux. *et qui vestigio similis.* Roald. *Ecqui vestigio similis, ut somnium?* Vulgo, *ecqui vestigium similis, ut somnium.* In Ms. etiam pro *somnium*, *summum* legas. *Colv.* Flor. *et qui vestigium similis, u. s.* Bert. *et quam vestigium similis. ut s.* Stewech. *eccui vestigium simile sit. Nec f. a.* Elmenh. *Et qui* Mss. tantum non omnes, et Edd. pp. ac Ber. de more. *Vestigio* habent quidem D'Orv. et Oxon. quoque cum Edd. a Colvio usque, eaque voce caret Palat. Sed priores cum Flor. Pith. Bert. Petr. *vestigium*, sive pedem; quem accusativum, amatum ab Appuleio, ut ceteris poëtis et historicis, per Græcam synecdochen, forsan non debuerant immutare. Quis nescit pervulgatum illud: 'Os humerosque Deo similis.' Vide etiam ad Sil. Ital. l. XII. 227. 'gratior ora' et in f. ad p. 262. 'personam reformatus.' *Simul* D'Orv. Pith. *Ut summum* est itidem in Fux. Palat. Guelf. Facile potuit pro glossemate fuisse adjectum, uti Stewechius censet. Nam ceteræ ejus conjecturæ sunt inanes. *Oud.*

Nec is defuit] Vetustiss. editt. Rom. et Vicent. *nec fide abfuit:* unde *n. fides a.* Beroaldus. Tacitus Annal. XIII. 'Nec defuit fides:' melior tamen posterior conjectura ejus, *nec is defuit.* Lib. IX. 'Nec defuit qui manu super dorsum meum injecta,' &c. et supra hic: 'Nec deerat ille qui magistratum fascibus purpuraque luderet.' *Pric.* *Fide abfuit*] Lego, *nec fides abfuit.* Potest et legi, *nec is defuit:*

utroque intellectu lectioneque planissima. *Beroald.*

De pastophoris unum conspexi statim, præter indicium pedis, cætero etiam statu atque habitu nocturnæ imagini congruentem] Apud Ovid. Metam. VII. 'Qualesque in imagine somni Visus eram vidisse viros, ex ordine tales Aspicio, agnoscoque.' Confer in Basilii vita Amphilochium cap. 5. Act. Apost. 9. 12. et quæ inibi notata. *Statum* hic pro *statura*, ut supra lib. I. *Pric.* *Asinium Marcellum*] Asinii Marcelli, Pollionis pronepotis, meminit et Tacitus Annal. 14. in rebus Neronis.

Asinium Marcellum] Forsan intelligitur filius *Q. Asinii Marcelli*, cujus nomen crebro in operibus doliaribus occurrit, et quidem sub Pætino et Apromano Coss. cap. 123. Hadriano Imperante. Vide Murator. p. 321. 11. 498. 2. 2014. 9. Gorii Inscr. Hetr. t. I. p. 442. Ex posteris scil. *Asinii Marcelli*, tempore Neronis, cui Asinius Pollio fuerat proavus, teste Tacito l. XIV. Ann. c. 40. et Asinius Marcellus Æserninus pater. Vide Senec. Controv. l. IV. præf. *Oud.* *Asinum Marcellum*] Lego, *Asinum*: siquidem Romanum nomen est *Asinius*, ut apud Catul. 'Marrucine Asini manu sinistra Non belle uteris.' Celebrati sunt inter oratores Asinius Pollio, et Asinius Gallus. In patria mea gens Asiniorum fuit olim florentissima, opulentissimaque: a qua turris in minusculo foro constructa convisitur, quam a conditoribus in hodiernum usque cognominant turrim Asiniorum, quæ altitudine structuræque æquilibrio est Bononiæ spectatissima. *Beroald.*

Deformationis meæ, &c.] Ita et Oxon. melius alii *reformationis*: sic lib. VIII. 'in lemures reformari.' *Pric.*

Alienum nomen] Legendum putamus, *Non alienum nomen*: dicit enim, Asinium Marcellum habuisse nomen non alienum a sua reformatione, qua in asinum fuerat demutatus: namque inter asinum et Asinium cognatio est et proximitas: igitur congruenter illi, qui asinus fuerat, per Asinium sacra ministrantur. *Beroald.*

Circa votum] Corrige, *contra votum.* Idem.

Juriculas patrimonii] Legendum est, *viriculas*: hoc est, pusillas vires, a viribus ὑποκοριστικῶς inflexo vocabulo. Dicimus autem eleganter *viriculas patrimonii*, pusillum patrimonium sive facultatem, et reculas. in Apologia scribit patrimonium a se imminutum modice esse, partim peregrinationibus, partim liberalitatibus, dum amicis opitulatur, et magistris gratiam refert, quorum filias etiam dote auxit. *Idem.* *Viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensæ*] Supra lib. IV. 'Totis patrimonii viribus,' &c. Seneca I. 7. Controvers. 'Petitur unde tantas patrimonii vires habeas.' Ind. 22. § ult. Cod. de administr. tutor. 'robur patrimonii' dicuntur. Plinius Panægyrico: 'An tantas vires habeat frugalitas Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat.' Sic et *vires*, in l. XXI. Cod. Theod. de Præt. et Quæst. 'Vires hæreditatis,' in l. XLII. ff. mandati, &c. *Vires opum* apud Nostrum, libello de Philosophia: et, 'Viribus' (i. e. opibus) 'Principis illudere,' apud Tacitum XV. Annalium. Τὸ *attriverant* a Suetonio est. In Galba ille, 'Attritis facultatibus:' et in Augusto, 'Attrito bellis civilibus patrimonio.' *Pric.*

Et erogationes Urbicæ pristinis illis provincialibus antestabant] *Urbicæ*, est, Romanæ civitatis. Seneca μιμητικῶς Epist. L. 'Non ego sumptuosus, sed urbs ipsa magnas impensas exigit.' Gloss. 'Ἔξοδος, ἀνάλωμα. erogatio, expensa.' In vetere Onomast. 'Urbanus, urbicus, ἀστυκός.' *Idem.*

Duritia paupertatis, &c.] 'Duris urgens in rebus egestas.' *Idem.*

Inter sacrum et saxum positus] Proverbium hoc difficultatis est, et peri-

culi :· cui consimile est illud vulgi sermone protritum, inter calces et parietem: hoc autem maxime Plautinum est ex Captivis: 'Nunc ego inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam scio:' sumptum autem videtur a fœdere faciendo, cujus hæc erat formula. Fecialis sacerdos sumpto in manu saxo, porcoque adhibito, post recitatas ex tabula leges: 'Audi,' (inquit) 'Jupiter, si illis legibus Pop. Romanus prior defecerit publico consilio, dolo malo, tu illo die Pop. Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque.' Ubi id dixerat, porcum saxo silice percutiebat: ex hac solemnitate fœdus Grammatici dictum esse interpretantur, a porca fœde et crudeliter occisa. Igitur cum porcus ille inter sacrum fœderis, et saxum fecialis sacerdotis staret periculo proximus, fœdamque mortem jamjam subiturus, ubi nullum erat effugium; inde factum est proverbium de hominibus in periculo et difficultate positis, ut dicatur, 'Inter sacrum et saxum positus est.' Haud longe dissimilis sententiæ est παροιμία illa Græcorum τῶν ὤτων ἔχω τὸν λυκόν: Latine dicitur, 'auribus lupum teneo:' cujus Terentius, Suetonius, Hieronymus meminerunt. Quoniam incidimus in mentionem lapidis sacrificalis, non ab re fuerit hoc potissimum loco annotatiunculam conficere, enarrareque, quid sit Jovem lapidem jurare: nam et apud M. Tull. quæri solet, quid significet in epistolis ad Trebatium: 'Quomodo tibi placebit Jovem lapidem jurare:' et apud Gellium: 'Jovem lapideum,' inquit, 'quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare.' Hoc anxie quærens, legi jampridem, quod ad hanc rem facit apud Festum Pompeium, scriptorem promiscuum, sic tradi: 'Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, ita me Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.' Verum cum hoc Grammatici interpretamentum non plenum esse mihi videretur, neque desiderio faceret satis, in evolvendis voluminibus incidi in Polybium Megalopolitanum, qui fusius uberiusque explicat, quid sit Jovem lapidem jurare: cujus verba, ut res planius noscatur, apposui ex libro III. historiarum, quæ sunt hæc: 'In primo fœdere jusjurandum factum accipimus: primum Carthaginenses Deos patrios jurati sunt: deinde Romani per lapidem, secundum vetustissimum ritum, Martis Quirinique numinibus additis, jusjurandum præstiterunt: ritus vero lapidis fuit hujusmodi. Fecialis sumpto in manus lapide, postquam de fœdere inter partes convenerat, hæc verba dixit: Si recte ac sine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta fœlicia præstent: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidet: nec plura locutus, manu lapidem dejecit.' Hactenus Polybius. *Beroald.*

Veste ipsa mea, &c. distracta, &c.] Ad impensas teletæ solvendas. Apud Aristophanem in Nubibus ille, Τὸ θοιμάτιον ἀπώλεσας. Respondet alter, Οὐκ ἀπολώλεκ', ἀλλὰ καταπεφρόντικα. Ad quæ Suidas, Εἰς τοὺς φροντιστὰς ἀνάλωσα, εἰς τὴν παίδευσιν καταδεδαπάνηκα. *Pric.*

Sufficientem corrasi summulam] Bene *corrasi*, ut rei difficultatem notaret: sic supra x. 'summulas corradere.' Donatus ad I. 1. Phorm. 'Apta in verbo difficultas, ut in Adelph. Minas decem corradet alicunde.' *Idem.*

Et id ipsum præceptum fuerat specialiter] Sic 'rescriptum ab Imper. specialiter emissum,' in Cypriani

Passione: quæ tamen Vir insignis expungenda censet. *Id ipsum*, ut apud Gellium XX. 1. 'Sed enim id ipsum vide:' ubi male in editis, 'S. e. ipsum vide.' Idem I. 19. 'Atque id ipsum denuo placide rogavit.' *Idem.*

An tu (inquit) si quam rem voluptati struendæ molireris, laciniis tuis nequaquam parceres? nunc tantas cerimonias aditurus? &c.] A minori ad majus argumentatio. Ovidius, si memini: 'Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes, Arida nec sitiens ora levabis aqua. Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?' E converso a majori ad minus IV. Reg. 5. 13. 'Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi, lavare, et mundaberis?' 'Cærimoniæ, τελετὴ,' ut optime in Onomastico. *Idem.*

Nunc tantas cerimonias aditurus, impœnitendæ te pauperiei cunctaris committere] Basilius Homil. de Avarit. Καὶ σὺ μικροπρεπὴς εἶ περὶ τὰς δαπάνας, τηλικαύτης μέλλων δόξης ἐπιβήσεσθαι. Tertullianus Apologetico: 'Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, quicquid pietatis nomine fit.' 'Pauperies impœnitenda,' ut II. Cor. 7. 10. σωτηρία ἀμεταμέλητος. Infra hic argum. simili: 'Nec hercules laborum me sumptuumque quidquam pœnituit.' *Idem.*

Comitem] Legitur et *committere*. Beroald.

Inanimis] Illustravi hunc locum in Commentario Minutiano fol. 52. et seq. *Elmenh.* *Inanis contentus cibis*] Lego, *inanimis:* hoc est, inanimatis. Dicit enim se in hac quoque cerimonia auspicanda abstinuisse ab esu animalium per decem dies, sicuti et Isiacis quoque mysteriis factitaverat. Trismegistus: 'Hoc optantes convertimus nos ad puram et sine animalibus cœnam.' Denarias cerimonias prisci dixere, (ut jam docuimus,) quibus sacra adituro decem continuis diebus certis quibusdam rebus et cibis erat temperandum. *Beroald.*

PAG. 261 *Quæ res summum peregrinationi meæ tribuebat solatium*] Lib. IX. 'Quæ res optatissimam mihi vindictæ occasionem subministravit.' *Pric.*

Spiritu, &c.] Benigna aspiratione. *Idem.*

Imperiis domini] Jussu Osiridis. Vel lege *Deum*, pro Deorum: cujuscemodi error frequenter obrepsit. *Beroald.*

Teletam suscitare] Malim, *susceptare.* Wower. Omnino cum Pricæo veram puto Wowerii conjecturam, *susceptare.* Eodem modo hoc verbum corruptum erat lib. II. p. 41. 'Vicariam pro me lanienam susceptavit:' ubi vide. In Oxon. *sciscitare.* Oud. *Tertiam quoque teletam suscitare*] Placet Wowerii conjectura, *susceptare.* Supra lib. II. 'Vicariam pro me lanienam susceptavit.' *Pric.*

Oppido suspensus animi] Lib. X. 'Ingenti angore oppido suspensus.' *Idem.*

Mecum ipse cogitationes exercitius cogitabam] Nullus librorum editorum non hanc præfert scripturam, mihi tamen videtur legendum *consulebam:* supra lib. VI. 'Sic ipsa suas cogitationes consuluit.' *Idem.*

Traditioni] Sacrorum traditioni scilicet. *Idem.*

Sacerdos utrique] Fux. s. *uterque.* Roaldus. Ms. *sacerdos uterque.* Scіopp. in Symb. Expressi hic *sacerdos uterque* cum Mss. plurimis et Ed. Junt. post. Quia tamen in Flor. Bert. et Edd. Vett. ad Vulcan. sec. usque vitiose exstat *sacerdos utrique*, non alienus sum a vulgari jam lectione, *sacerdotes utrique*, quam primi tacite invexerunt Mercerus Lut. A. 1601. et Wower. apud Froben. 1606. De eo numero ad lib. I. p. 15. 'Comites utrique.' Eadem confusio apud Veget. lib. III. c. 18. et sæpe. *Oud.* *Sacerdotes utrique*] Oxon. et Fuxens.

Mss. *Sacerdos uterque*. Pric.

Cogitationis æstu fluctuantem] Vide supra p. 83. 213. notata. *Idem.*

Ad instar insaniæ percitum] Fortasse melius hoc modo, *Et ad instar insani p.* Idem.

Nihil est quod numerosa serie religionis, quasi quidquam sit prius omissum, terreare] In de Deo Socratis: 'Ut plerumque in somniis, et vaticinationibus, et oraculis comperimus sæpe indignata Numina, si quid in sacris socordia vel superbia negligatur.' Plutarchus in Coriolani vita, de Romanis: Μίαν θυσίαν τριακοντάκις ἐποίησαν, ἀεί τινος ἐλλείμματος ἢ προσκρούματος γίνεσθαι δοκοῦντος. In Oxon. (et solo, quod sciam) *numerosa scientia.* Idem.

Lætum capesse gaudium] *Capesse*, sume. Gloss. 'Capessit, λαμβάνει. Nec *gaudium*, sed *lætum gaudium*. i. e. Stoicorum ἡδονήν. sive *lætitiam*, quam Cicero in Bruto 'quasi gestientis animi voluptariam elationem' interpretatur: sic Gell. III. 15. 'lætissime gaudere.' *Idem.*

Teque de isto numero merito præsume beatum] Alludit notam formulam, τρὶς μάκαρες. *Idem.*

In eodem fano] Fux. *solo*. Roald. Forte rectius in Pal. *in eodem solo dep.* Wower. B. M. *solo*. Putean. Adde Oxon. Par. D'Orv. Reg. quod merito rectius judicarunt Wower. et Pricæus. Intelligit autem *Pastophorium*, sive ædis Isidis, Serapis, Osiridis, &c. sacrarium seu cubiculum et cellam, in qua recondebantur sacræ et Olympiacæ stolæ et chlamydes floribus bestiisque sacris per varios colores depictæ, Græce παστοὶ seu περιπετάσματα ποικίλα καὶ ἀνθινὰ, vel κατάπαστοι χιτῶνες; ut Aristidi t. I. p. 231. Ed. Angl. quas, non thalamos, seu ædiculas, initiati, ut sacris Deæ desponsi (vide Pric. p. 683.) gerebant, quasque in Pastophorio, cujus et custodes erant, deponebant; at- : tali stola initiati vocabantur *Pastophori*. Et similia aliorum templorum, etiam Judaici, conclavia παστοφόρια dicuntur. Vide omnino p. 250. 256. 257. Joseph. l. III. Ant. c. 6. IV. B. Jud. c. 9. ibique Comment. ac Græcos Grammaticos. Ruf. in l. II. Hist. Eccl. c. 23. Trigland. Diss. de Dod. p. 324. Cuperi Harpocr. p. 124. &c. 258. Bapt. Pium t. I. Thes. Crit. p. 498. &c. Salm. in Plin. p. 856. Wesseling. ad Diod. Sicul. lib. I. cap. 29. Mire et varie in describendo *Pastophorio*, ipsisque *Pastophoris*, errant viri docti, quos hic recensere longum foret. Me verum sensum ejus vocis vidisse, patet clare ex verbis celeberrimæ Inscriptionis, quam vide apud Bemb. Epist. Ital. t. II. Grut. p. 84. 3. ibique Comm. Pignor. Mens. Isiac. p. 64. Spon. Itin. t. II. p. 460. Ursat. Mon. Pat. p. 263. Cuper. Harp. p. 126. Moynium de Melanoph. post Cuper. Harp. p. 258. Maff. Mus. Veron. p. 37. 68. Τὴν κονίασιν τοῦ Παστοφορίου, καὶ τὴν γραφὴν τῶν τε τοίχων καὶ τῆς ὀροφῆς, καὶ τὴν ἔγκαυσιν τῶν θυρῶν, καὶ τοὺς προμόχθους τοὺς ἐν τοῖς τοίχοις, καὶ τὰς ἐν αὐτῷ σανίδας ἀνέθηκεν Σαράπιδι, Ἴσιδι, &c. Collegii autem Pastophorum sex, præter Nostrum p. 250. 262. meminere, Clem. Alexandr. Strom. l. VI. p. 758. qui omnino est consulendus, Diodor. Sic. l. I. c. 29. Industriensis in Mus. Taurinensi apud Maff. in Mus. Veron. p. 230. Feminam παστοφόρον vidimus supra. 'Isidis' et 'Serapis collegii' non infrequens quoque est mentio in Inscript. Vide Gruter. p. 83. 14. Spon. Misc. p. 68. Reines. Cl. XIV. Murat. p. 178. Acta N. Lips. A. 1748. p. 503. *Oud.*

Perseverare] Sive permanere: quo sensu verbum de re usurpatum rarissime occurrit. Vir doctus margini exemplaris mei Ed. Junt. post. adscripsit, ἴσως *perservari*. Idem. *Exuvias Deæ, quas in Provincia sumpsisti, in eodem fano depositas perseverare*]

'Exuvias' stolam vocat, qua indutus teletam susceperat:' hæc (inquit) *in eodem solo* (ita rectius enim Oxon. Palat. et Fuxenses membranæ legunt) deposita remanere debet. Illustrant hunc ritum Aristophanis ista in Plut. ΚΑΡ. Τὸ τριβώνιον δὲ, τί δύναται πρὸς τῶν θεῶν, Ὃ φέρει μετὰ σοῦ τὸ παιδάριον τουτί; φράσον. ΔΙΚ. Καὶ τοῦτ' ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν. ΚΑΡ. Μῶν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα. ubi vetus Scholiastes: Ἔθος ἦν ἐν οἷς τις ἱματίοις μυηθείη, εἰς θεοῦ τινος ταῦτα ἀνατιθέναι, ὥσπερ δηλοῖ καὶ Μελάνθιος ἐν τῷ περὶ Μυστηρίων. Πάτριόν ἐστι ταῖς θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες. *Pric.*

PAG. 262 *Initiare*] Onomast. vetus: 'Invio' (lege *initio*) 'τελέω, μυῶ.' *Idem.*

Nec deinceps postposito, vel in supinam procrastinationem rejecto negotio, &c.] Paulus Act. 26. 19. Οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ. In Glossario: 'Εἰς αὔριον ἀναβάλλομαι, recrastino.' Ibidem: 'Ἄνευ ἀναβολῆς, sine dilatione, sine procrastinatione.' *Id.*

Deus Deum magnorum potior] Ex exemplis per Pricæum allatis videtur concludi posse, illum distinxisse hoc pacto, *Deus Deum, magnorum potior.* Atque sic olim malui distinguere; monuique in Observat. Miscell. vol. IV. p. 139. ubi vide, et ad Suet. Calig. cap. 5. Ita 'Deus Deorum Janus' Macrobio l. I. c. 9. Plura vide apud Haverkamp. ad Tertulliani Apolog. l. I. c. 11. sive potius Spanhem. Dissert. VIII. de Numism. t. I. p. 465. &c. Nunc vero nihil in distinctione mutandum reor. Nam potius videtur per totam descriptionem usque ad *regnator* quasi per paraphrasin expressisse id, quod significat alioquin simpliciter 'Deus Deum,' ut 'βασιλεὺς βασιλέων, rex regum.' De Genitivo casu, comparativis juncto, dixi ad l. III. p. 51. 'Mei majoribus:' et alibi. *Oud.* *Domini*] Osiridis: vel dic *Deum* pro Deorum, ut sæpe. *Beroald.* *Deus Deum magnorum potior, et majorum summus, et summorum maximus, et maximorum regnator Osiris*] Diodorus Siculus lib. I. Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις. Paulus I. 6. 15. ad Timotheum: Ὁ μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ Κύριος τῶν κυριευόντων. *Pric.*

Per quietem præcipere visus est, quam nunc incontanter, &c.] Non male, fortasse tamen melius, *jam nunc incontanter:* lib. I. 'Faxo eum, &c. statim, imo jam nunc,' &c. Supra hic, 'Cibis profanis ac nefariis jam nunc temperare:' et v. 'Jam nunc subsistite.' *Idem.* *Recipere*] Lego, *præcipere:* est enim visus præcipere et monere. *Beroald.*

Malorum disseminationes] Oblocutiones. 'Pusillorum ac malevolorum obtrectationes,' Cicero v. 9. Famil. dixit. In quibusdam, (etiam Mss.) male hic, *dissensiones.* Spartianus: 'Etiam hi qui Julianum odisse cœperant, disseminarunt prima statim die,' &c. Glossarium: 'Disseminat, διασπείρει, διαδίδωσι.' Cyprianus ad Demetrianum: 'Adversum nos odia tuis maledicis vocibus seminando.' Hoc Joanni Epist. 3. com. 10. πονηροῖς λόγοις φλυαρεῖν. Sic, 'seminarium malorum,' Noster in Apologia. ὑποσπείρειν διαβολὰς, Plutarchus in de amici et adulat. discrim. et ἀροτριῶν ψεῦδος, VII. 13. Sirachides. *Pric.*

Doctrina ibi deserviebat] *Exercebat* non tam Pricæi, quam Wowerii est lectio, tacite ab ipso intrusa. Mordicus Mss. corruptum e seq. versu *deservirem* verbum *deserviebat* retinent. Quid, si legas *differebat*, sive *differri*, i. e. spargi et disseminari calumnias *faciebat*. Eo enim sensu *differre* frequentissime sumitur. Vide Comm. ad Suet. Cæs. c. 33. 'fama distulit.' Burmann. ad Val. Flacc. lib. I. 753. 'Regemque fragor per mœnia differt.' Vel *ibidem serebat*. Nequaquam

infrequens est Appuleio, jungere primitivam ac derivatam vocem. Adi me ad libri huj. p. 246. 'Cupidus cupidissime.' De verbo *serere* vide ad lib. I. p. 1. *Oud.* *Studiorum meorum laboriosa doctrina*] De seipso in Apologetico: 'Unis studiis literarum ex summis viribus deditus, &c. impenso labore,' &c. De studiorum *labore* vide supra p. 212. dicta. *Pric.* *Deserviebat*] Emendo, *disserebat*: hoc est, disseminabat: præmisit enim disseminationes malevolorum: nam rumusculi et maledicta invidorum disserebantur, id est, disseminabantur, divulgabanturque: cum gloriosa doctrina Lucii rumperentur, et hominis virtutem ferre non possent: invidet enim nemo nisi superiori. Sententia Plautina est: 'Malim mihi invidere inimicos meos, quam me inimicis meis.' *Beroald.*

Quam raro capillo] Pricæi scrinia de more compilavit Floridus. Isidis etiam sacerdotes non erant *raro capillo*, sed penitus *deraso*: unde p. 245. 'Capillum derasi funditus:' ubi vide, et Casaub. in Lamprid. Comm. c. 9. 'Isidis sacra coluit, ut et caput raderet, et Anubin portaret.' Tale Isiaci rasum caput vide apud Gorium in Etrusc. Inscript. t. I. p. 373. Licet igitur Mss. O. retineant *raro* cum Edd. pp. Colv. Vulc. Merc. Elm. Scriv. omnino Beroaldum, ceterosque bene emendasse *raso* existimo. In ea tamen lectione obstat mihi, quod vocula *quam* pro 'omnino,' 'valde,' jungatur participio, licet aliis adjectivis positivi gradus crebro adponatur: de quo alibi. Gruterus conjecit *quamquam*; quod non intelligo. Cum itaque Mss. Flor. Bert. Fux. Reg. Pal. Oxon. D'Orv. habeant *qua raro*, opinor dedisse Auctorem, *quaqua raso* c. i. undique, funditus, adusque, et *calvitio quoquoversus obvio*, ut subdit. ubi in D'Orvil. *quo versus*. Ea enim locutione gaudet Appuleius, ac crebro in his et similibus semel excidit vocis pars. Vide ad lib. II. p. 22. et Ind. Comm. ad Liv. lib. II. 2. l. XXVII. 28. In Palat. est *capilli*. Oud. *Quam raro capill.*] Legi etiam potest *quam raso*, ut dicat capillis bene derasis ex instituto rituque cerimoniæ se peregisse munia et officia, pertinentia ad collegium pastophororum, quod Syllanis temporibus conditum fuisse designat. Cujus rei nulla sane extat historia, nec refert, neque enim res hæc est digna historico stylo, cum auctore Cornel. Tacito ex dignitate R. P. repertum sit, res illustres scribendas annalibus mandare: minuta vero et vilia, qualia sunt hæc de collegio pastophororum, diurnis urbis actis tradi. *Beroald.* *Quam raro capillo*] Martialis: 'Raros colligis hinc et hinc capillos.' Beroaldus *raso* tamen, quod non improbo. *Raripilum* non fuisse Appuleium prolixe vel ex Apologetico constat. *Pric.*

Hæc habuimus quæ post tot alios possemus hos in libros annotare: majore forsan conatu quam successu: erat aliquid agendum autem, si quod alios juvaret minus, certe mœrorem meum de infelicissima conceptum patria levaret falleretque. Mœstitiam (inquam) de patria obortam, non quod causæ peculiares desint, sed quod publicis attonito malis domestica non intueri vacat. Quæ in reliqua Appuleii Opera, in Apologiam autem vulgatis triplo auctius congessimus, quæque in Gellium ultra mensuram Commentarii istius collecta in scriniis adservantur nostris, æternis tota ea tenebris (quod sciam) obruentur; nam et oculi præcario serviunt, unde pristinus noster vigor elanguit, fertque animus, quod vitæ superest, impendere Libro N. T. alii illustrando; meminens ea parte tentata nobis nec olim magno Grotio improbata, nec nunc omnimodis displicere Hieronymo Bignonio; cujus immensam doctrinam ut stupeo, honoremque amicitiæ veneror, ita faxit Deus,

ad sanctissimæ vitæ ejus exemplum (quod semper, quod ubique imaginor) me formem componamque. *Idem.*

Sub illis Sullæ temporibus] Pal. *Syllæ.* Elmenh. Forte *ipsis.* Brant. Mss. de more *sillæ* vel *silæ.* In D'Orv. *sub illis sille trapibus.* Nihil vero usquam de Pastophorum collegio Romæ Sullæ tempore condito legitur. Neque etiam tunc potuisse condi, videtur colligi posse ex eo, quod, licet privatim nonnulli coluerint sub libera rep. Isidem, et tunc aliquoties vetuerit eum cultum Senatus, ut patet ex Dione lib. XL. p. 142. XLII. p. 197. Tertull. Apol. c. 6. publice Isiaca religio non fuerit admissa, nisi A. U. DCCXI. sub Triumviris; quando Sarapi et Isidi templum est decretum apud Dion. lib. XLVII. p. 386. Hinc queritur id Lucan. lib. VIII. 831. 'Nos in templa tuam Romana accepimus Isin.' Scriverius edidit, *et Sibyllæ t.* Sed cur non *et sub Sibyllæ t.* id est, antiquissimis. Hoc enim videtur velle Appuleius. Verum majori hæc egent indagatione. *Oud.*

Explicit] Hanc vocem Antiqui solebant in fine librorum ponere. Hieron. ad Marcellam parte 2. Tractat. 5. Epistol. 64. Editionis Basileensis Anno MCCCCXCVII. 'Scire debemus, apud Hebræos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut *Amen* scribant, aut *Sela*, aut *Salom.* Igitur ut solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere *Explicit*, aut *Feliciter*, aut aliquid istius modi; ita et Hebræi, ut, quæ scripta sunt, roborentur, facere solent, ut dicant *Amen*, aut *in sempiternum*, et scribenda commemorant, et ponant *sela*, aût transacta feliciter protestantur, pacem in ultimo subnotantes.' Nugas igitur agunt, qui hoc verbum tanquam novitium et adulterinum fastidiose rejiciunt. *Elmenh.* Vide Du-Cangii Glossarium. Occurrit in admodum vetustis etiam auctorum membranis. Sed truncata est vox ex *explicitus*; ut docet Medic. Virgilii Codex. Vide Heinsii dissert. de eo Cod. In Fux. libro est: *Lucii Apuleii Platonici Madaurensis Metamorphoseos liber decimus et ultimus feliciter explicit.* At in Cod. Fr. Pithœi uno ductu sequuntur *Ut ferme religiosis*, et demum post Florid. N. 9. legitur: *Explicit lib.* XI. *Metamorphoseon Apuleii Incip*, XII. et sic porro post N. 15. *Explicit lib.* XII. et sic porro post N. 15. *Explicit l.* XII. *Metamorphoseon Apuleii. Incipit liber tertius decimus:* post N. 17. *Incipit Lib. quartus decimus M. Ap. Madaurensis.* Oud.

EXCERPTA

EX

JANI GRUTERI

SUSPICIONUM.

LIBRIS INEDITIS.†

LIB. X.

Cap. v. Scribitur in Lycia locus esse, qui perforato solo flammas evomat, quæ tamen innoxiæ porro serpant, nec herbis floribusve ullum inferant damnum. Ad eam faciem et hæc mea est scriptio: licet enim viridaria bonorum auctorum Critico igne ustulare videantur, non tamen ustulant; vi tantum remissa et languida refulgent: ipsis suus manet color, suus vigor. Scribitur Appuleio, lib. vi. Metam. [p. 410.] 'Sic turris illa vel propitia vaticinationis munus explevit:' nescio an probe, probabiliter hercle emendare videbar: *turris illa belle propitia.* Deinde [p. 411.] 'ante pedes ejus residens humilis, et cibario pane contenta Veneream pertulit legationem, statimque secreto repletam conclusamque pixidem suscipit.' miratur alibi Veneris istius filius tantum inferre doloris aculeo suo pusillam apem: licet et nos miremur leve punctum turbandæ Appuleianæ sententiæ. Sane illud *secreto* apice suo privabitur, fietque nomen, si mihi quidem obaudiet; hoc modo, *statimque secreto repletam.* Vocat *secretum* divinæ illum pulcritudinis thesaurum, quem a Psyche conspici Venus nolebat: haud secus Petronius: 'Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis inter duos periturum tam horribile secretum.' Post aliquam multa [p. 415.] 'Jupiter sic enunciat: Dei conscripti Musarum albo, adolescentem istum, quem manibus meis alumnatus sum, profecto scitis omnes:' scilicet Jupiter non solum Cupidinis hujus nutricius, sed mortalium omnium: docet satis cognomen, quo vocatur Alumnus, erutum mihi ex Augustini libro vii. cap. 1. de Civit. Dei: 'dixerunt Jovem Victorem, Invictum, Opitulum, Impulsorem, Statorem, Centupedam, Supinalem, Tigillum, Alumnum, Ruminum, et alia, quæ perscribere longum est:' ita enim ibidem lego cum plerisque manuscriptorum, non *Almum,* nec *Alinum:* removerunt vocem germanam homines, qui *alumnum* de eo solum dici sciebant, quem alimus: perperam: nam et eum comprehendit, qui nutrit. Isidorus lib.

† Jani Gruteri Suspicionum libri, præter jam editos, exstant aliquot in Bibliotheca Remonstrantium Amstelodamensi; quibus utendi copiam mihi fecit Humanissimus M. Stuartius, Vir Venerandus: ex his descripsi quæ ad Appuleium pertinerent, quatenus temporis et vermium vestigiis non prorsus erant deleta. Non ingratum autem me facturum putavi Appuleii studiosis, ea integra huic Editioni adjicere. *J. Bosscha.*

x. Origin. 'Alumnus ab alendo vocatus: licet et qui alit, et qui alitur, alumnus dici potest; id est, et qui nutrit, et qui nutritur:' prorsus clare: unde et Martianus Capella lib. I. de Nuptiis Philologiæ: 'Cum his grata Ceres, admodum gravis femina, alumnaque terrarum ac nutrix mortalium videbatur.' Quare ne dubitemus corrigere illud Nonii Marcelli: 'Alumnos, consuetudo quos alas, vel educes, vel eos qui aluntur, dici vult:' inepte: legatur meo periculo, *qui alunt, dici vult*. Nam plane hunc locum tangit Nestor quidam, non ille triseclus, sed vocabulista dictus, cum scribit Marcellum utraque significatione *Alumnum* interpretari. Et hanc Nonii maculam non eluisse nuperum correctorem miror.

Cap. VII. Ea est antiquitatis apud me reverentia, ut nihil in libris mutem, etiam vitii manifesti, nisi et idem totius Musicæ cohortis communi improbetur calculo. Quare cum sequentia hæc vix a quoquam ullius accusentur criminis, absit ut quid de eis statuam durius. Loquitur Appul. lib. VI. [p. 418.] 'Ecce confecto nescio quo gravi prælio latrones reveniunt onusti: nonnulli tamen, imo promptiores vulneratis domi relictis et plagas recurantibus ipsi ad reliquas,' &c. Cum quidvis suspicari liceat, graviter suspicor omnia multo belliore sensu et distingui et rescribi posse: *reveniunt onusti: nonnulli tamen imo promptiores, vulnerati; iis domi relictis, &c.* illis enim maximum in præliis periculum qui promptissime ideoque et proxime adversarios adgrediuntur: quod et Lucius noster fatetur libro proximo: 'Cognito quosdam, imo vero fortissimum quemque variis quidem sed inpigris casibus adoppetisse,' &c. Habemus consequenter [p. 421.] 'et ipse mecum: Quid stas Luci; vel quid novissimum exspectas?' sic edendum curavit Beroaldus. Veteres habebant: *Quid istas Luci*. Ex eo prompte fecerimus; *quid hic stas*, vel *quid restat Luci*. Sed jam nimius fui intra lineas.

Cap. IX. Miseris me cruciant modis verba lib. VI. Appulei [p. 421.] 'Nam et illa ipsa præclara magia tua, non vultum laboresque tibi tantum asini verum corium non asini crassum, sed hirundinis tenue membranulum circumdedit:' nec enim in animum induco hirundinibus teniorem cutim quam cæteris avibus: id certe nusquam memini legere. Ne itaque diutius tamquam in eculeo torquear, libet locum hunc, tamquam conclamatione depositum, nigra insignire theca: fors fuat ut præsentior aliquis Æsculapius artis suæ faciat periculum, corpusculumque istud, postliminio mortis animet. Ego tantum tentabo magna disciplinæ vi, num momentaneum aliquem flatum inspirare valeam rescribendo: *Verum corium non asini crassum, sed hirudinis stimulo membranulum pervium, dedit.* Si sic longius disceditur ab literarum apicibus, concinnare quis queat: *sed et hirudini tenue membranulum circumdedit*, h. e. membranam circum dedit, quæ vel ipsius hirudinis confessione tenuior: divisim scripsi *circum dedi* quia minus eleganter dici putabam 'circumdare vultum,' 'circumdare labores alicui.' Sed absistam melius est; ne etiamsi quid præstem operæ pretium, alterius tamen incurram fidiculas, tamquam reus, videlicet vetitæ artis. Per me igitur locus iste maneat potius funus, quam ut ego deinde fiam: eo quoque magis, quod leviter nimis sperem, ut medicorum aliquis jam cadaver fartum ad momentanea vitæ reducat officia.

LIB. XI.

Cap. II. Res mira: etsi longo mihi situ obsoletus atque hebetatus animus, spero nihilominus fore, ut hi mei diurnent libelli. Discit enim citius, meminitque libentius illud, quod

quis deridet, quam quod probat et veneratur: sane alterius generis ista non sunt. Sed quid ni et ego chartas perdam, cum tot sint quos sequar?

Illud Appulei Metamorph. lib. VII. non est sollicitandum [p. 440.] 'Cognitoque quosdam, imo vero fortissimum quemque, variis quidem sed impigris casibus, adoppetisse, suadet tantisper pacatis itineribus, omniumque præliorum servatis induciis,' &c. Nam vult pacata itinera hæc, cum a viatorum expugnatione ac spoliis abstinetur. Subjicit quippe quasi horum verborum interpretamentum, 'omniumque quoque præliorum servatis induciis.' Statim in oratione illa, minus quam, si Diis placet, honesta: 'Eique suasisse, ac denique persuasisse, ut manus hebetatas diuturna pigritia tandem referret ad frugem meliorem; bonoque secundæ dum posset frueretur valetudinis: nec manum erogandæ stipi porrigeret:' 'Erogare stipem,' idem quod exorare, videor odorari ex alio loco libri v. 'Supplicis anxiæ piis precibus erogatur, germani complexus indulge fructum.'

In subsequis [p. 442.] 'Sed plane centunculis disparibus, et male consarcinatis semiamictum: inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabant:' ingenue fateor, me nescire, quid postrema vox sibi velit, veniebat mihi in mentem *relucebant*, sive, quod minus remotum a publicato, *relucitabant:* frequentativum scilicet a *reluceo;* tamquam pectus et venter, præ sordium continua illuvie, quasi tectorium aliquod splendicaverint. Sententiæ facit Agellius lib. II. cap. 6. 'Quicquid nimis incultum obsitumque aliqua re erat et incuteret visentibus facie nova horrorem, id squallere dicebatur. Sic in corporibus incultis squamosisque alta congerie sordium, squallor appellabatur.' Sequitur aliquot interjectis: 'Cum præsertim vobis, si sententia hæc mea displicuerit, liceat rursus ad asinum redire:' aut hoc, *redire ad asinum*, speciem præfert proverbii, significatque redire ad priorem sententiam, (de quo, quantum memini, nihil legi), aut commode restituamus, *ad armillum redire*, quod jam bis usurpatum Nostro.

Suspicor autem deformatum in *asinum* ab iis, quibus in memoria erat illud hujus libri infra: 'quid si quodammodo cæteri latrones persenscrint, non rursum recurras ad asinum et rursum exitium mihi parabis?' Sed forsan proprie minus, quam ibidem Asinus secum loquitur ex rei veritate, quæ narrata superiore libro, hic, ut idem locum habeat, dubito.

Cap. IV. Si non solum militat, qui in acie stat, et hosti congreditur, sed etiam qui vigilias obit et armamentario præest, aliaque munia minus periculosa fungitur; quidni et ego quoque intra militantes pro decore Scriptorum Veterum stipendio dignus, quamvis tantum de iis unus qui impedimentis relictis custos? quibus ne quid pereat deinceps curiose prospiciam. Illud tamen Appulei l. VII. [p. 452.] 'Ut mihi merito subiret vituperatio totius sexus; cum viderem puellam probi juvenis amore nuptiarumque castarum desiderio simulato lupanaris spurci sordidique subito delectari nomine:' illud, inquam, Appuleii in statione sua remanere jusserim, licet non ignorem Marcelli et Servii distinctiones inter *simulare* et *dissimulare.* Nam Auctor hic noster amat aliquando peculiariter loqui, quamquam et alios est reperire qui sic loquantur; etiam Ciceronem lib. I. de Officiis: 'De Græcis autem dulcem, et facetum, festivique sermonis, atque omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus.' Sic in vulgg. legitur et consentiunt quotquot sint descripti manu; at εἴρων omnino dissimulator, quomodo et hic

se accipere vel ipse fatetur Tullius, cujus de hoc ipso Africano ista sunt verba l. II. de Oratore: 'Urbana etiam dissimulatio est cum aliter sentias ac loquaris: in hoc genere Fannius in Annalibus suis, hunc Æmilianum fuisse, et eum Græco verbo appellat εἴρωνα; sed, uti ferunt qui melius hæc norunt, Socratem opinor in hac εἰρωνείᾳ dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus præstitisse:' hæc iterat idem, lib. IV. Tuscul. Quæst. quæ habeo monstratore Aldo Manutio nepote, viro doctrina hac utiliore ac delectabili, cura memoriaque multa. Sequuntur in Madaurensi [p. 454.] 'Et ingressus insigni facunditate gnaviter cuncta præministrat.' Suspectum hoc mihi, tanquam si proditorum quid sub eis latitaret: nec enim video, quid opus, ad coquitandum, ad secandum, *facunditate:* ariolabar, *insigni secunditate,* quasi scilicet illi omnia feliciter sub manu succederent: nec adhuc pœnitet conjecturæ: haud tamen diffiteor, non minus efficaciter legi posse, *insigni famulitate*, quæ vox apud Nonium. Accius Andromeda: 'Nam postquam parvos vos oppressit famulitas.' Pacuvius Atalanta: 'Quas famulitas, vis, egestas, fama, formido, pudor.' Non procul inde [p. 457.] 'Et servulus suspicionem mihi fecit, quasi soporiferum quoddam venenum cantharis immisceret illis. Cuncti denique sed prorsus omnes vino sepulti jacebant, omnes partim parati morti:' non reprehendo aliorum correctiones: tantum velimus doctiores quoque judicare habeant tolerarine posset: *vino sepulti jacebant omni ex parte jam parati morti:* hoc est, nullis non obnoxii quorumlibet injuriis. Sic libro VIII. 'Conspicatum se quippe, supinato illi, et jam ex maxima parte consumpto, immanem draconem.' Quod vero post multa sequitur [p. 461.] 'Placuerat uni, domi me conclusum et otiosum ordeo lecto fabaque et vicia saginari.' Minime sollicitandum arbitror: nam non putaverim secari hordeum, fricari et quassari scio: unde statim postea: nam 'ordeum meum frictum et sub eadem mola meis quassatum ambagibus, colonis proximis venditabat.' Id ipsum vocat tunsum lib. IV. 'Ego vero, quamquam alias ordeum tunsum minutatim et diuturna resectione, virulentum semper eserim:' nec tamen istud pro ipso fecerit, quod hic resectionis mentio: bene enim Lipsius ita dictum ait, quia vetus, et diu a stipula recisum. An eadem ratio molendi olim, quæ hodie, alias latius: nunc adducatur tantum Isidorus lib. XV. cap. 6. Origin. 'Pistrinum quasi pilistrinum: quia pilo antea tundebant granum; unde et apud Veteres non molitores sed pistores dicti sunt quasi finsores,' (melius *pinsores*) 'a findendis' (forte *a pinsendis*) 'granis frumenti: molæ enim non usus erat, sed granum pilo tundebant, unde Virgilius:' 'Nunc torrete igni fruges nunc frangite saxis.''

CAP. VII. Totus inibi eram, ut curate evolverem Appulei scripta. Jamque adeo volitabant literæ, quæ mihi a Lipsio Giselium illud impetrarent manuscriptum exemplar. Enim ecce ex Dousæ mei scriptione intelligo, id jam pridem ablatum a Nobiliss. Hieronymo Groslotio, eumdemque insuper sedulam huic nostro dare operam. Equidem destiti libens merito: quandoquidem, ut mea fert opinio, stultitia atque insipientia insulsa atque maxima hæc sit, me ire in opus alienum. Tu ita, mi Grosloti, perge bonis avibus, et istæc interim vide, num aliqua proposito tuo serviant: in iis si quidem hærebam, ut tu vel cunctationem regeres, vel ignorantiam instrueres, quorum alterum ut facias, unice te quæso; maximum enim quid de te fama sibi præscripsit, tu ne fallas vide.

Habemus apud Madaurensem illum lib. VII. [p. 465.] 'Sic apud histo-

riam de Rege Thracio legerant, qui miseros hospites equis suis lacerandos devorandosque porrigebat adeo præpotens ille tyrannus, sic parcus ordei fuit, ut edacium jumentorum famem corporum humanorum largitione sedaret.' De mendo suspectum mihi, *sic parcus ordei:* quoniam minus respondere præcedenti membro videtur. Nam vix est, ut *adeo*, et *sic*, ejusdem hic sunt notionis et juris. Constituebam Plautina voce, *adeo pr. i. tyrannus triparcus ordei fuit;* quæ si cui minus placet, is, me volente, particulam *sic* foras ejiciat. Post plura orditur oratione falsa pessimus puerorum probissimi asini accusationem, [p. 471.] 'Videtis istum pigrum tardissimumque et nimis asinum me præ cæteris flagitiis, nunc periculis etiam angit.' Et quidem non satisfaciunt mihi, *præ cæteris flagitiis:* quam magis considero sententiæ compositionem, tam fidentius arbitror reponi posse, *me præteritis flagitiis:* et hanc conjecturam docto alicui approbaturum me, non levis est animo meo suspicio. Jam eadem oratione quod narrat, [p. 473.] 'Et festivus hic amasio, humo sordida prostratam mulierem, ibidem incoram omnium, gestiebat inscendere, quod nisi ploratu femineo conclamatum viatorem præsidium accurrisset,' &c. Scio quid pro recepta lectione dici posset. Sed enim cum non satis arrideat gestus iste femineus, non erit mihi fraudi, spero, suspicari legendum, *lessuque femineo*, quod sane nihil aliud, quam ejulatus et lamentatio, non sine planctu, licentiosior: de eo sic Cicero Tuscul. Quæst. 'Ingemiscere nonnumquam viro concedendum est; idque raro: ejulari ne mulieri quidem: et hic nimirum est fletus quem XII. tab. in funeribus adscribi vetuerunt:' quo loco, vidi qui vice *fletus* substituerent *lessus:* quoniam fletus illæ tabulæ nusquam meminissent; quarum hæc verba, ut quidem citat idem Tullius lib. II. de Legibus, MULIERES GENAS NEC RADUNTO NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO: quin imo magna præterea quæstio, num fletus ullus illa lege inscriberetur, cum sint, qui vestimenti genus aliquod excludi asseverarent: quod subsequa Ciceronis satis probant, narrantis: 'Hoc veteres interpretes Sextus Ælius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt: sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris. L. Acilius lessum quasi lugubrem ejulationem, uti vox ipsa significat; quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat:' in quibus tamen verbis sic obiter adjuvo sententiam: *dixerunt: Sext. suspicari vest. al. g. funebris: L. Acilius lessum quasi, &c.* ut prior interpretatio sit Sexti Ælii; quod pronomen, quia non integre perscriptum erat, depravatum in *sed.* Verum ad Appuleium redeo, et stabiliendæ suspicioni hæc ceperim ejusdem lib. VII. infra 'interim dum puerum illum Parentes sui plangoribus fletibusque quærebant.' Sed quid, si aliquis affirmaret Lucium nostrum per gestum femineum subindicare nobis voluisse ipsum lessum? equidem tacerem, et desultorie ad scriptorem Noctium Atticarum transirem, similemque ei vocem redonarem: nam quod habetur lib. X. cap. 18. 'Is Mausolus, ubi fato perfunctus est, et inter lamenta et manus uxoris funere magnifico sepultus est; Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans, ossa cineremque ejus, mista odoribus, contusaque in pulveris faciem, aquæ indidit, ebibitque:' prorsus non intelligo, quomodo dici possit Mausolus inter uxoris suæ sepultus manus: itaque libens ea mutaverim in *lausus;* quod hoc consignasse capite jus atque fas, opinor, permittit: nec enim quidquam decerno.

CAP. IX. Equidem, me tyrunculum erroris atque inscitiæ crassis admodum circumvolvi tenebris necesse

est, dum a viris, criticarum artium peritis, nulla mihi fax longius ab ipsis posito. Sed nec muti magistri, libros dico, ullo clarore adminiculantur: adeo non minor hisce locis eorum quam vivæ vocis inopia. Ergo fiat quod solet; hoc est magis ac magis nugarum intricer nebulis; fors erit, ut aliquando aliquis Castor aut Pollux splendidam desuper producat lampadem. Quod dum exspecto, ingenue fateor me non percipere, quid sibi velint homines verbis illis, quæ apud Appuleium lib. VII. Metamorph. [p. 475.] 'Nam corium affirmatum cineris inspersu dominis referemus, ejusque mortem de lupo facile mentiemur.' Video quidem velle eos, carne asini consumpta, cineribus corium ipsius deturpare, ut videretur vexatum a lupo. Sed an ei rei vox *affirmatum* faciat, adhuc quæro. Interea substituerim, *corium informatum*, hoc est, omnino deforme redditum. Glossarium vetus: 'Informe, maleforme: Ἄμορφον, δύσμορφον.' Statim, ubi rusticus declamat: 'Nefas tam bellum asinum sic enecare, et, propter luxuriam lasciviamque amatoriam criminatum, opera servitioque tam necessario carere:' postrema dictio forsan spuria est: nec enim congruit præcedentium verborum connexioni, nisi accipiatur pro privari, de quo disputent alii: legitima, meo saltem animo, efficeretur, si transpositis literis talem assumat figuram, *tam necessario arcere*. Plane vult homo iste indignum esse facinus, si asinum tam bellum ipsa morte necessariis subducant ministeriis, cum castratione vitiis ejus mederi aliquis queat, atque ut de hoc nimis non contenderim, ita affirmaverim prorsus idoneam et aptam sententiam contineri hisce 'Possum spatio modico interposito ad vos actutum redire, trucemque amatorem istum atque insuavem dissitis femoribus emasculare:' disseruntur enim femora, cum in diversas distinentur partes, qui facilius inguinum auferatur pondus: est metaphorica locutio, cujus proprietas requirenda est a Varrone lib. V. de Ling. Lat. at ut femora dissecentur, omnino videtur ineptum: quamquam tamen nec de eo nimis pugnaverim; cum ei rei numquam interfuerim spectator. Non longe [p. 478.] 'Jamque de cujusdam vastissimæ ilicis ramo pendulo destinato, paululum viæ supergressus ipse:' fuerit forsan planius; *jamque me cujusdam*: hoc est, ut me ilicis ramo allegarat. Sic lib. IV. 'me ante ipsas foras loro valido destinato.'

CAP. XI. Exili impellor suspiciuncula ut verba Appulei lib. VII. Metam. leviter depravata arbitrer [p. 479.] 'Pastores enim mei perditam sibi requirentes vacculam, variasque regiones peragrantes, occurrunt nobis fortuito statimque, me cognito capistro, prehensum attrahere gestiunt.' Quid enim? ut capistrum magis indicium fuerit asini quam ipse non fit verisimile, et posset quidem translata distinctione hic emergere sensus, postquam me cognovissent, capistro prehensum attrahere gestiunt, ut *me cognito* sit ablativus absolutus, sed tamen inclino magis legere: *Statimque me cognitum, capistro prehenso attrahere, &c.* Deinde quod sequitur: 'Et illico detractus ad terram, pugnisque pulsatus et calcibus contusus, infit dejerans: nullum semet vidisse ductorem, sed plane concinnatum, solutum et solitarium, ob indicinæ pretium occupasse, domino tamen suo restituturum:' prope dixerim scire me excidisse voculam scribendumque, *Et ille illico detractus.* Nihil profecto usitatius, quam ut similitudine literarum sic altera alteri noceat. Mox quod conspicitur, *Sed plane concinnatum*, minus etiam videtur opportunum: in codice manu exarato est *concinatum:* nihil facilius quam reponere nativam lectionem

plane concitatum. Cursu, inquit, vehementer insistebat asinus cum eum apprehendi. Denique *tamen* hic secretæ est notionis, idemque signat, quod *tandem*, de quo plura prioribus libellis. At quod deinde habetur: 'Atque utinam ipse asinus, quem numquam profecto vidissem, vocem quiret humanam dare meæque testimonium innocentiæ perscribere posset,' &c. audacter dico; aut *quiret* hic abundat, aut *posset:* quare qui mihi auscultabit alterum ablegabit in pessimam rem: nisi si quis scrupulosior putarit prius *quiret* transformandum in novam faciem, hoc pacto, *mi e re humana.* Sic locutus præter alios Terentius: 'nam mi e re quemdam offendi ibi militem ejus noctem orantem.' Iterum sectorem ago in iis quæ sequuntur: 'Meum vero Bellerophontem, abactorem indubitatum, cruentumque percussorem criminantes, ad casas interim suas vinctum perducunt: quoad re nascenti die sequenti deductus ad magistratum pœna redderetur:' supervacua plane videtur vox *sequenti*, et merum glossema, superpictum voci priori, quod faxo magis appareat, si literas binas ei addidero quæ dissiluerant, *quoad renascenti die deductus.* Quid enim aliud 'dies renascens,' quam ille, qui proxime sequitur?

Cap. xiv. Non proletariæ est significationis illud *cæterum* Appulei lib. Milesiar. fabular. vii. in ipsa calce [p. 486.] 'Donec solo quod restabat præsidio nisus, liquida fimo strictim egesta, faciem atque oculos ejus confædassem; qua cæcitate atque fœtore tandem fugata est a me pernicies; cæterum titione delirantis Altheæ Meleager asinus interisset:' idem enim notare debet quod *cæteroquin*, id est, alioquin, si modo tolerabilem aliquam amamus extricare sententiam. Exemplum simile non est jam ad manum, nisi si eo trahamus illud Proculi lib. ii. Epistolarum: 'Vinum cum vasis legavit: negat Trebatius quod in doliis sit deberi: et sensum testatoris alium putat esse, verborum alium. Cæterum dolia in vasis vinariis non essent.' Verum de eo loco nihil contenderim, cum sciam, quam sit litigiosus: sufficit, saltem non promiscuum adverbii hujus adnotasse usum.

LIB. XII.

Cap. ii. Debebam quidem imitari ursam: utque illa fœtum informem atque ineffigiatum lambendo sensim figurat; sic et ego libellos hos; qui cum præ festina immaturitate tantum abest, ut vivant, ut ne palpitent quidem, sed adhuc nil nisi rudis sint sanies; sic et hos inquam debebam assiduo in cubatu calefacere et fovere, donec tandem in formam aliquam reducerentur. Verum enim vero qui id agam? aliorum est cogitationum ista mens: trudantur potius foras et suscipiat, qui non novit. Ego ad quædam Appuleii lib. viii. Metam. persananda, si quid sit operis, Dii dabunt, festino: ait [p. 492.] 'Nonnumquam etiam cœna poculoque communi carior cariorque factus in profundam romam cupidinis sese paulatim nescius præcipitaverat.' Verba hæc varias peperere conjecturas. Invidia mihi aberit, opinor, si et ego cum aliis collineem ad scopum, quidque mihi quoque videatur aperiam: nempe levi apicum divisione rescribi posse *in profundam roinam*, prisce pro *ruinam;* idque fuit loco contaminando: nec quicquam vetat, quin sic Latine dicatur, cum reperiamus apud Tacitum in vita Agricolæ: 'Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur:' item planius apud Mamertinum Panegyrico dicto Imperatori Juliano: 'in miserandam ruinam coinciderat Eleusina.' Videamus sequentia [p. 497.] 'Tunc etiam

inermes atque immuniti tegumentis frondis et arboribus latenter abscondimus.' Nemo non videt substituendum, *tegumentis frondeis et arb. lat. abscondimur:* adhuc statim: 'Quin equos inscendimus? quin ocyus indipiscimur? et cape venabulum et ego sumo lanceam:' interpunxerim: *et, Cape venabulum, et Ego sumo lanceam, &c.* Hoc etiam quod ipso statim libri quasi limine de Thrasyllo dicitur: 'Sed luxuriæ popinalis, scortisque et diurnis potationibus exercitatus, atque ob id factionibus latronum male sociatus, nec non etiam manus infectus humano cruore:' aliquanto magis placeret, transposita una atque altera litera et mutato *e* in *c*, legere, *latronum clam sociatus.* Scilicet hisce sumptibus superesse non poterat, quin clam quoque latrocinaretur, nam verisimile non est eum vulgo talem palam habitum, sed famam id tantum mussare solitam.

CAP. IV. Quotiescunque hæc meæ chartæ illino, toties fere subit animum, neminem umquam futurum tam jejuni oris, qui genuinum in me destringat; cum et ætas et tirocinium in multis patrocinari possint erratis: et quidni insuper causæ meæ serviat philosophicum hoc: quod quemadmodum ad pœnam sufficit meditari punienda, sic etiam satis sit ad laudem conari prædicanda. Verum de eo viderit Sors et Eventus. Nam hæc qualiacunque sint, nemo, me suasore, nedum impulsore, alienis inseret scriptis: quandoquidem vix sit felicissimi ingenii, nulla manuscriptorum allucente facultate, veram et genuinam indagare scriptorum mentem; utique in tantis et talibus antiquitatum tenebris. Interea hic persequamur Appuleium: lib. VIII. Metam. exstat [p. 505.] 'Thrasyllus præceps et temerarius, priusquam dolorem lacrymæ sedarent, et pertitæ mentis resideret furor, et in sese nimietatis senio facesseret luctus,' &c. probatur satis, *in sese senio nimietatis facessere*, at quid tamen vetat divinare, *et inde se senii nimietate facesseret;* ut *senii nimietas* sit, idem quod nimium senium, quomodo pari forma dixit lib. III. 'Hi gaudii nimietate gratulari,' hoc est, præ nimio gaudio. Sed hoc leviter defenditur, paucis interjectis [p. 506.] 'Tunc inter moras, umbra illa misere trucidati Lepolemi sane cruenta, et pallore deformem attollens faciem, quietem pudicam interpellat uxoris:' nec quis negare ausit germanius videri quod scribam, *Lepolemi sanie cruentam et pallore deformem, &c.* Nam vult faciem notabilem partim fame, partim recenti cæde, partim pallore. Quæ proxime sequuntur, plane intricata nobis apparent: 'Mi conjux, quod tibi prorsus ab alio dici non licebit, et si pectori tuo jam permanet nostri memoria, vel acerbæ mortis meæ casus fœdus caritatis intercidit, vel quovis alio felicius maritare,' &c. ego nihil expedio. Videtur tantum post *licebit* excidisse vocula aliqua, puta, *audi*, vel *accipe*, vel simile quid: vix tamen ambigam quin consequenter reponendum: *memoria, nec acerbæ mortis meæ casu, fœdus, &c.* quod si admittimus, non erit necesse confugere ad minus aptas *intercidendi* interpretationes, aut etiam id aliud antiquius transformare. Non ita longe, [p. 510.] 'Nec isto sermone Thrasyllus sobriefactus, vel saltem tempestiva pollicitatione recreatus, identidem pergit linguæ sauciantis susurros improbos invergere.' *Invergere susurros*, probe dictum: forte ita etiam reponendum Propertii lib. I. Elegia 16. 'Utinam trajecta cava mea vocula rima Percussas Dominæ vertat in auriculas.' Unius literæ mutatu fieret *vergat:* ut scriptum fuerat primum *vercat*, more prisco, quod detortum postea a librariis in *vertat.* De quo arbitrentur docti. Statim: 'Tunc anus de jussu dominæ blandi-

ens ei, furtim depromtis calicibus et œnophoro, quod immixtum vino soporiferum gerebat venenum, crebris potionibus avide et secure haurientem, ... facile sepelivit ad somnum.' Saperet meo magis palato, *ubertim depromptis calicibus ex œnophoro quod, &c.* nec enim opus erat secreto aut furtim implere calices; quandoque dein nulla illi de soporifero veneno suspicio.

CAP. VI. Post gravem, me Hercule, et acerbam orationem, qua insectata est mariti interfectorem Charite, subjicit Appuleius, lib. VIII. [p. 515.] 'Acu crinali capite deprompta, Thrasylli convulnerat tota lumina: eumque prorsus exoculatum relinquens, dum dolore nescio crapula, dum somno discutit.' Scopæ prorsus dissolutæ. Habent olim vulgati, *crapulam cum somno,* quod non flocci-fecerim, sed cum reliquis ad istum concinnaverim modum: *dum dolore nescius, crapulam cum somno discutis:* 'nescius dolore,' pro 'doloris:' nec enim video quomodo hic 'nescius dolor' consistat, nisi si dolere possimus, nec id tamen persentire: quod si proprie loqui amamus, vix est, ut contingat. Properemus ad exultationem bacchantis feminæ: 'Vindicavi mei mariti cruentum peremptorem, punita sum funestum mearum nuptiarum prædonem:' absunt quidem verba quinque postrema manu descriptis membranis; sed de iis tamen nihil temere statuerim: nam rei oppido serviunt, redolentque præterea merum antiquitatis thymum. Phrasis *punita sum,* non quotidiani odoris pro *punii;* de qua venuste admodum Quintilianus lib. IX. cap. 1. Orat. Instit. Sequitur statim: 'Valvis super sese diligenter obseratis, inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.' Mira hæc forsan iis, quibus ignota sepulcrorum apud Veteres ratio, atque eam, ut spero, graphice nobis brevi depictam dabit meus ille Lipsius. Ego nunc tantum producam Arbitri aliquot verba, quæ huc spectant: 'Jacuerunt ergo una non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die, præclusis videlicet conditorii foribus.' Quod hic *conditorium* vocat Petronius, id aliquoties *conditivum* est Senecæ Epist. LXI. 'Vivit, qui sentitur, qui vero latitant et torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo:' item Epist. LXXXIII. 'Delicati timent mortem, cui vitam suam fecere similem: multum interest inter otium et conditivum.' Statim Appuleius: 'Hic ille longo trahens spiritu, et nonnumquam illacrimans, graviter affectis rusticis annuntiabat.' Calamo exaratus Codex, *Hoc ille longos trahens spiritus:* et sane bene, nisi si forsan prima vox formanda ad vulgatam: *trahere* enim *spiritus* idem prorsus quod suspirare, cujus sententiæ auctorem dabo poëtarum verissimum Propertium Eleg. 22. lib. II. 'Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat Spiritus:' nec longe dissimiliter lib. I. Eleg. 16. 'Non tamen illa suos poterit compescere ocellos. Surget et invitis spiritus in lacrimis.' Deinde: 'Lupos enim numerosos et vastis corporibus sarcinosos, ac nimia ferocitate sævientes:' equidem videtur hic tolerari posse, *sarcinosos:* ut veluti a 'farcio,' 'farcino,' et 'farcinatum' formatur; unde Terent. Andr. act. IV. sc. 5. 'suffarcinata illa anus:' sic et a 'sarcio,' 'sarcino,' 'sarcinatus,' et 'sarcinosus' commode deriventur. Si sic, 'lupi sarcinosi' hic erunt crassi et pingues: tanta scilicet corporis obesitate, ut videantur sub onere aliquo incedere.

CAP. VIII. Improbum facinus narratur Appuleio lib. VIII. Metam. De Lupis [p. 520.] 'Jamque ipsas vias obsidere, et in modum latronum prætereuntes aggredi: imo vero vesana fame finitimas expugnare vil-

las: exitiumque inertissimorum pecudum ipsis jam humanis capitibus imminere.' Novi quibus postrema ista nec sana, nec constituta: ab iis ego dissentio. Hic enim sensus iis subest; eo rem devenisse, ut jam ipsis hominibus metuendum veniat ovium timidissimorumque animalium fatum. Non ita dissite: 'Sed nequicquam frustra timorem illum satis inanem perfuncti, longe pejores inhæsimus laqueos.' Nescio an suspicari debeam, vocem *frustra* supervacaneam et à mala librariorum manu tamquam prioris interpretamentum. Ut ut sit, suspicor eam sine sententia noxia de alta aliqua suspendi posse cruce.

Cap. x. Nescio iterum qua animi propensione suspectum habeam sequentia Appuleii lib. viii. Metam. [p. 535.] 'Servulum nudum, ac totum melle illitum firmiter alligavit arbori ficulinæ; cujus in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant et ultro citroque commeabant multijuga scaturigine, quæ simul dulcem ac mellitum corporis nitorem persentiscunt:' et licet in istis sensus talis, ut eum nemo sanus cum irrisu explodere aut ausit aut debeat, tamen nec Appuleio indignum erit, quod cogitabam: *mellitum corporis nidorem: nidor* persentiscitur ut puto, non etiam *nitor*, qui in oculos incurrit citius quam nares. Ita stercoris odorem appellat lib. iv. 'alios putore nidoris fœtidi a meis jam quassis scapulis abegissem.' Aliquot interjectis: 'Sed illa fortuna mea sævissima, qua per tot regiones jam aufugiens effugere vel præcedentibus malis placare non potui, rursus in me cæcos detorsit oculos.' Scio equidem exoculatam fingi fortunam ac pingi; verum hic ei attributos velim oculos ut legeretur: *in me scævos detorsit oc.* quamvis præterea non me lateat, quæ habentur lib. iv. 'Enim vero Alcimus solertibus cœptis tamen scævum fortunæ nutum non potuit abducere:' item lib. vii. 'Sed in rebus sævis adfulsit fortunæ nutus hilarior:' item lib. xi. 'Sed utrumque fortunæ cæcitas, dum se pessimis periculis discrutiat, ad religiosam istam habitudinem improvida produxit malitia:' quibus locis data quasi opera refugisse videtur loqui de ejus impotentis Deæ oculis; scilicet ea figura, qua rebus etiam inanimatis visus attribuitur, eadem et huic, quamvis cœcæ, attribui posse nemo negabit. Verum inquiet aliquis, cui bono tanto molimine dicere nugas? Equidem nulli; itaque retineo vulgatum, et sileo.

Cap. xii. Flagitioso sensu usurpatur a præcone Appuleii lib. viii. [p. 542.] 'Nam si faciem tuam mediis ejus feminibus immiseris, facile periclitaberis videns, quam grandem tibi demonstret patientiam:' ad quam fere faciem accepit etiam cavillator ille Trinum. Sc. *minus quindecim:* 'Tum autem Syrorum, genus quod patientissimum est Hominum, nemo extat, qui ibi sex menses vixerit, Ita cuncti solstitiali morbo decidunt. Ph. Credo ego istud Stasime ita esse: sed campas genus Multo Syrorum jam anteit patientia.' Nec aliter Seneca lib. i. cap. 16. Natural. Quæst. 'Est aliqua etiam prostitutis modestia, et illa corpora publico objecta ludibrio, aliquid quo infelix patientia lateat ostendit.' Atque inde est, quod idem in Epistolis deteriorem hominem sexum pati natum graviter exprobret. Jam quod continuo sequitur: 'At te, inquit cadaver surdum et mutum delirumque præconem omnipotens et omniparens Dea Syria, et Sanctus Sabadius, et Bellona, et mater Idæa, cum suo Adone Venus Domina cæcum reddant.' Non ita accipiendum, mea quidem sententia, tamquam si optet, ut præco iste cadaver fiat surdum et mutum; non; collocetur post vocem *cadaver* distinctio hoc modo,

at te, inquit, cadaver, surdum, &c. nam *cadaver* improprium in deformem aut senem. De sene Appuleius lib. IV. 'Etiamne tu busti cadaver extremum et vitæ dedecus primum:' item Portius Latro apud Senecam lib. I. controvers. 8. 'Abdicato non permittam exire, injiciam manus, tenebo; novissime ante limen exeuntis cadaver hoc sternam; ut ad hostem pervenias patrem calca.' Unde eleganter senis corpus, jam morti proximum, vocat *pollinctum,* tamquam jam funus et unctori tradendum. Valer. Maximus lib. VII. cap. 7. 'Spernis,' inquit, 'quos genuisti; nobis effœta: testamenti ordinem violento animo confundis; neque erubescis ei totum patrimonium addicere, cujus pollincto jam corpori marcidam senectutem tuam substravisti.' Sic circumspecte restituit auctoritate vett. exempl. exactæ diligentiæ, et absolutæ eruditionis Stephanus Pigius. Nec aliunde senes iidem dicti *capulares,* quam quod mox capulo, hoc est, Sarcophago includendi. Plautus Mil. Glor. 'Cohibete: Quid es tu? Itane tibi ego videor oppido Acheruntieus capularis?' Sed de ea voce latius cum Nonio Fulgentius. *Acheruntico* interpretando unice faciunt ista Val. Maximi lib. VI. cap. 2. 'Helvius Mancia Formianus libertini filius ultimæ senectutis L. Libonem apud censores accusabat, in quo certamine cum Pompeius Magnus humilitatem ei ætatemque exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset,' &c. At cadaver, pro deformi hic, puto, locum habet: vero enim simile hunc præconem non ita fuisse decrepitum, quod omnia alioquin vitia, quæ sacerdos ipsi imprecatur, senium plerumque ultro assectari solent: sed et Terent. Hecyra sc. 4. act. III. 'at faciem ut noveris: magnus, rubicundus, crispus, crassus. PA. cadaverosa facies. Dii illum perduint:' sic *cadaverosam faciem* turpem esse et fœdam jure merito assentior acutissimo Turnebo, qui de hac ipsa consignate lib. XI. cap. 12. Adversar. Quare repetatur Appuleius, apud quem quod legitur *Sanctus Sabadius,* non opus id mutare in *Sabazius,* nam quocunque eum ciemus modo hilum non interest. eumdem quippe Sabadium nominat Macrob. lib. I. cap. 18. Saturn. 'item in Thracia eumdem haberi Solem, atque Liberum accepimus; quem Sebadium nuncupantes, magnifica religione celebrat,' &c. quin et Arnobius lib. V. advers. gent. 'Ipsa novissime sacra, et ritus initiationis ipsius, quibus Sebadius nomen est, testimonio esse possunt veritati:' itaque nihil temere vel isthic mutaverim, quamvis Græci alioquin *sabazium* præferant; nam ζ in δ familiaris omnino plurium gentium transmutatio. Non ita longe præcedit: 'Tunc præco diruptis faucibus et rauca voce saucius, in meas fortunas ridiculos construebat jocos:' cum hic Auctor dicat, *saucium rauca voce,* jam certe elevaverim fidem, si qua modo fuit conjecturæ meæ lib. I. cap. 5. quæ injuste suspecta habebat ista lib. V. Metam. 'fauces diutina fame saucias, et araneantes vehementer exerceo:' etsi enim *fame fatuas,* quod ego volebam, oppido hic conveniebat, quid tamen præscribamus Appuleio loquendi formam? præscribat ille potius, quam sequamur, nobis.

CAP. XV. Etsi his observationibus nihil est ejusmodi obsoniorum aut condimentorum, quod palato magis sit irritando, quam saburrando ventri; imitor tamen Apicios et varietate, licet viliorum, gratiam aliquam assector, quam si modo consequor, satis est. Scribitur lib. VIII. Metam. [p. 551.] 'Quæ res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem, videnti et vulneribus largiter profusum cruorem, ne quo casu Deæ peregrinæ stomachus ut quorumdam hominum lactem sic illa sanguinem conspiceret

asininum.' Sensum Auctoris assequitur Beroaldus, rescribendo, *concupisceret. asininum;* nescio an etiam germanum Appuleii verbum. Cum intentius apicum considero ductus, libido fit exsculpere: *concupiret asininum,* quod ejusdem cum verbo Beroaldi notionis: usus eo Ennius apud Ciceronem lib. I. de divinat. ubi de Romulo et Remo: 'Curantes magna cum cura concupientes Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.' Non longe abiero: 'Probeque disposita cœnula, balneas obeunt, ac dein lauti, quemdam fortissimum rusticum, industria laterum atque imis ventris bene præparatum, comitem cœnæ secum abducunt.' Dii Deæque fœdissima illa propudia! Scilicet draucos istos in balneis legebant, quod multis firmavit testimoniis meus ille Douza ad Petronium, quibus accedant et ista Juvenalis Satyra VI. 'Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat Balnea, nec dubie custodem vitis et horti Provocat, a Domina factus spado.' Martialis lib. I. Epigram. 97. 'Rogabit unde suspicer virum mollem. Una lavamur; aspicit nihil sursum, Sed spectat oculis devorantibus draucos, Nec otiosis mentulas videt labris:' iterum ejusdem libri Epigr. 'Invitas nullum nisi cum quo Cotta lavaris, Et dant convivam balnea sola tibi. Mirabar quare numquam me Cotta vocasses: Jam scio me nudum displicuisse tibi:' præterea lib. VI. Epigram. 81. 'Iratus tamquam populo Charideme lavaris: Inguine sic toto subluis in solio. Nec caput hic vellem sic te Charideme lavare; Et caput ecce lavas; inguina malo laves:' duo quippe facete ejus tangit vitia, quæ non nomino.

CAP. XVI. Maledicos invidosque hujus non facio. Novi enim ipsos crocodilis similes: fugaces scilicet audaci, timido audacissimi. Itaque resto fortiter, sciens præterea, in prædam eosdem sæpius cedere Delphinis, placidis illis et morsu innoxiis animantibus. Habetur Appul. lib. VIII. Metam. [p. 554.] 'Nec diu tale facinus meis oculis tolerantibus porro quirites præclamare gestivi; sed viduatum cæteris syllabis ac literis præcessit o tantum sane clarum ac validum:' reperi ista citata in Brissonii formulis ad hanc faciem, *o tantum sive clarum;* quoniam novi eum secutum Codicis alicujus auctoritatem, suspicabar, sic rescribendum, *præcessit o tantum fine clarum, &c.* ut dicat, sese *o* finale vocis *porro* vehementi proclamasse sonitu. Non longe: 'Deaque vehiculo meo sublata et humi reposita, cunctis strumentis me renudatum, &c. pene ad extremam confecerat necem:' *strumentum* hic capi pro eo, quod injectum asino certum est: itaque libet suspicari *strumentum* et *stramentum* usurpatum Priscis pro eodem: quasi tamen hoc a *sternendo*, illud vero a *struendo* factum videatur. Agam exemplis. Tertull. lib. de Resurrect. Carnis: 'Ne somno quidem libera; quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque strumentis lancinata.' Sane ipsa strata, aut certe eorum farcturam, instrumentorum insignit nomine Plinius lib. X. c. 22. ubi de plumis anserum: 'Eoque delitiæ processere, ut sine hoc instrumento durare jam ne veterum quidem cervices possint:' quomodo et ante ipsum Seneca cap. 25. lib. de vita beata: 'Pone in instrumentis splendentibus et delicato apparatu, nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum; quod purpura convivis meis substernetur:' nam sic 'instrumenta splendentia' nihil aliud quam stragulæ pretiosiores, quæ culcitis superinjectæ, vel etiam pulvinis. Sed et *strumentum* invenio pro quovis apparatu. Seneca Epist. LXI. 'Quamdiu unius mensæ frumentum multa navigia, et quidem non ex uno mari subvehunt:' ita in vulgatis; nulla

sententiæ elegantia, aut veritate: nam quid *frumenta*, longius advecta, ad luxum? Italica certe exteris quibusque æquiparata aut etiam meliora, Plinio non temere credimus, affirmanti lib. XVIII. cap. 7. Italicum frumentum a Sophocle in Triptolemo fabula, ante cuncta laudatum, eamdemque laudem etiam tunc peculiarem Italiæ. At videtur sententiæ nostræ turbandæ, quod alibi scribit idem Seneca Epist. CXV. 'Unum putas videri ventrem, cui et in Sicilia et in Africa seritur?' At non est: ibi quippe haud agit de conviviorum luxuria, sed de immodica hominum cupidine, quæ tam late et longe sereret, tamquam eis non unus, sed innumeri pascendi ventres, nec ad breve tempus, sed perpetuo. Et cur tanto commeatu illis splendidioribus opus, satis liquet ex eadem Epist. XVII. 'Si navigandum est, non perstrepunt portus, nec unius comitatu inquieta sunt littora; non circumstat illa turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda felicitas.' Denique quid faciat iterum frumenti mentionem cum proxime præcedat: 'Quamdiu sationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet?' His ita constitutis, facile inducor, ut loco *mensæ frumentum* restituatur membranarum lectio *mensæ strumentum;* ut eo comprehendantur longinqui littoris pisces peregrinæque regionis aves. De quibus hic ipse ad Elbiam matrem: 'Non est necesse omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere. Dii Deæque perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. ultra Phasin capere volunt, quod ambitiose popinam instruat: nec piget a Parthis, a quibus nondum pœnas repetimus, aves petere. Undique convehunt omnia vota fastidienti gulæ; quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano.' Similia hic habet Epist. XC. etiam cap. 3. de Providentia; cap. 11. de vita beata, &c. Verum ad *strumentum* quod attinet: cum sumitur pro eo, quod corpori nostro substruitur vel instruitur, vulgatius venit *stramenti* appellatione. Seneca Epist. LXVIII. 'Ita est, mi Lucili! jam ætas mea contenta est suo frigore. Vix media regelatur æstate: itaque major pars in stramentis degitur:' nec enim verisimile *stramentum* hic esse Senecæ, quod Plauto Trucul. Sc. *quis, illic est:* et tamen eo loci repræsentat *noctem instrumentis* Camerarii editio, ut dubium vix sit, quin et ibi divisim legendum sit, *in strumentis;* ita tamen ut sumantur *strumenta* hæc pro *stramentis*, super quibus dormire se malle affirmet Strabax, quam in meretricis convenire lectum: quomodo forte etiam accipitur Horatio l. II. Sat. 3. 'Age, si et stramentis incubet unde-Octoginta annos natus, cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.' Si quis quærat, quomodo *stramenta* vocari possint stragulæ quæque vestes; respondebo eodem plane modo, quo etiamnum *torus* dicitur qualiscunque incubitus materies, cum tamen antiquis *torus* non nisi e stramentis vel tortis herbis, ut dixit Varro lib. I. de vita Populi Romani, Plin. lib. VIII. cap. 48. aliasque. Scilicet, ut innumeris prisci ævi, ita et hic, re sublata, mutatave, nomen tamen prius mansit.

LIB. XIII.

CAP. II. Sunt in Appuleio plura, quorum sanitas corrupta mihi videtur. Verum quandoquidem eam tuto satis curaturum me polliceri non audeam, utinam aliquis accedat melioris fortunæ Machaon, nam ego nunc solum visendi causa adsum. Et quidem de se ait, lib. IX. Metam. [p. 564.] 'Solitariæ fortunæ munus au-

plexus, super constratum lectum abjectus, post multum equidem temporis somnum quievi humanum:' lepide dictum. Scias sani et sobrii asini sententiam; at arrogantius paulo Neronis hoc, quod Suetonius refert in vita ejus cap. 31. 'Auream domum cum dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse.' Paulo post: 'Quanto me felicior Daphne vicina, quæ mero et prandio matutino saucia, cum suis adulteris voluptatur:' ita restituit ex auctoritate scripti libri Colvius: antea visebatur, *volutatur;* verbum non vilis alioquin pretii. Et sæpius mecum et cum animo meo cogitavi, num idem hic retineri posset: præcipue enim sunt huic stabiliendo illa Ciceronis lib. III. de Legibus: 'Cupido autem et expetenti et libidinoso et volutabundo in voluptatibus:' item Fulvii Sparsi apud Senecam lib. I. controvers. 4. 'portant in spolia viri fortis volutantes adulteros:' præterea Senecæ filii Epist. CXV. 'Nec illi tam gratum est abundare jucundis quam acerbis, quod non omnem illum apparatum per gulam ventremque transmittit; non cum omni exoletorum fœminarumque turba convolutatur:' denique Petronii: 'Subduxit mihi nocte puerum, et in lectum transtulit suum, volutatusque liberius cum fratre non suo, sive non sentiente injuriam sive dissimulante:' et mox: 'contemplatusque fœdissimam volutationem jacentium,' &c. Sed tamen, quam magis attendo rei, de qua agitur, tanto inclinatior sum reddendo, et hic Appuleio, et forsan quoque Fulvio ac Senecæ, *voluptantis* verbum. Petronii certe priori loco id omnino dandum, arguunt hæc, *sive non sentiento;* sensisset quippe sine controversia volutationem; quin etiam similem vocem libenter affinxerim Propertio lib. II. Eleg. 29. 'Apparent non ulla toro vestigia presso. Signa, voluptatis non jacuisse duos:' scripserim, inquam, *signa voluptantis.*

CAP. IV. Si fortissimorum quoque corporum eduratio a lacte et a cunis duxit initium; quidni et sua concedatur studiis infantia, in qua sit jus ac fas incerta loqui voce, et nutabundo incedere per auctorum hortos gressu? Abite igitur Lividi, abite: nam ego me oppido puerum in literis fateor, imo profiteor: quique ideo magis opus habeam manuductore quam eversore, doctore quam carptore. Sane doceri velim num ista Appuleii lib. IX. Metam. integri sint vigoris, [p. 575.] 'Si prælium capessiturus, vel latronum factionem persecuturus, utiles necne processus sciscitaretur; additam victoriam forti præsagio contendebant.' Sermo est de Isidis nequam sacerdotibus: itaque fere est, ut suspicer, emendandum, *victoriam sortis præsagio contend.* nisi si scriptum fuit *Fortis præsagio,* quod verius puto: nam *Fors Fortis* ejusdem fere cum *sorte* significatus, unde et ejusdem cognominis fortuna, quo incertos casus Quirites significarunt, ut explicat Cicero lib. II. de legib. Aliquot interjectis; 'Nec isto saltem tam nefario scelere impuratissima illa capita confutari, terrerive potuere, sed mendoso risu cavillantes,' &c. aliud quid reponendum videri in locum *mendoso risu,* docti censent: etiam ego: nisi fortassis *mendosus risus* hic idem denotet, quod simulatus et mendax: nam plane reperi in Glossis antiquis: 'Ψεύστης, mendax, medosus,' fortean *mendosus.* Sed nihil hic certum dicere ausim, quod non meminerim apud alium scriptorem exemplum simile: quæramus tamen. Post multa: 'Dii boni, quales illi homunculi, vibicibus livedinis totam cutem depicti.' Nihil suspicor verius, quam reponendam vocem veterem, *vibicibus livedineis:* vult enim eis totum corium maculosum a plagis. *Livedineus* nihil aliud quam lividus, de qua voce

aliqua multa lib. I. cap. 12. Deinde 'Cum qua protinus jentaculo et dehinc vino mero mutuis vicibus velitatas cœnas fraudulentas in exitium miserrimi mariti subdolis ambagibus construebat:' quid alii hic videant, ignoro: ego, una litera minus conabar aptam reducere sententiam, *Vicibus velitata cœnas fraudulentas*: nam vult uxorem pistoris cum anu illa etiam post jentaculum largiter se invitasse poculis, ac demum cœnas comparasse plane saliares in juvenculi amatoris gratiam: 'velitare mutuis vicibus mero' idem signat quod illud lib. II. 'Sequens et tertium inter nos vicissim et frequens alternat poculum:' quod idem non absimili metaphora profert hoc eodem libro: 'Jam his in poculis mutuis altercantibus, mirabile prorsus evenit ostentum;' si quidem ut hic petita est figura a pugnantibus, sic illic a velitantibus. Nonius: 'Velitatio dicitur levis contentio, dicta ex congressione velitum. Turpilius Lividia, verbis velitari: ad rem redi.'

Cap. VII. Nescio an commoda satis subsit sententia his Appuleii lib. IX. [p. 599.] 'Ei amorem suum aperit et supplex eum medelam cruciatui deprecatur, nam sibi statutam decretamque mortem proximare, ni maturius cupito potiatur.' Ut verba sonant, hoc vult, non procul abesse quod mortis accersito genere se perimat: at interim suspicabar, scribi posse, *sibi statutum, decretumque mortem proximare*: ut 'proximare mortem' dictum sit, eam accelerare, seu potius ad eam accedere, et ut id verbi accusandi jungatur casui; nihil novum Nostro. Sic enunciat lib. VI. 'Jamque fores ejus dominæ proximanti occurrit una de famulatione Veneris:' item lib. XI. 'inter hæc, et festorum votorum tumultum, paulatim progressus, jam ripam maris proximamus:' atque hæc dicta sint, ut nihil tamen injuriæ adferant vulgatæ scripturæ. Nam et *proximare* dandi casui sæpius junctum inveniri non nego. Apud eundem lib. III. 'et verentes scilicet cibariis suis, ut me præsepio videre proximantem,' &c. nec non lib. VI. 'Nec ullam vel dubiam spei melioris viam volens omittere, sed adire cujusque Dei veniam, sacratis foribus proximat.' Habemus consequenter: 'Commodum novis amplexibus Amori rudi litabant, commodum prima stipendia veneri militabant novi et nudi milites, et contra omnium opinionem improvidus maritus assistit.' Si mei sit arbitrii legerem: *milites; en, contra.* Non longe: 'Hac opportuna fallacia vigorati juvenis inductus, imo sublatus, et ad crudelitatem delapsus Barbarus, postliminio domum regressus,' &c. Correxeram olim de conjectura: *imo os oblitus, et a crudelitate delapsus, &c.* Verum ut animadverti multæ diligentiæ et lectionis Stewechium hæc omnia sic legere, *imo os sublitus et ad credulitatem delapsus*, vix est, ut id non impense placeat præ meo, utique cum in Lipsii Ms. diserte extet *credulitatem.* Statim: 'At ego misella, molæ etiam sonum, et cœcæ illius scabiosi asini faciem timentem familiarem incidi adhæc anus.' Ita me Charis, ita me Venus non despuat, ut hic non magis video quam Luscus ille, cui exsculpserat oculum Ulysses. Videbar tamen exuere tolerabilem sensum, et huic aptum locum, refingendo; *faciem timeo ceu familiarium insidias: ad hæc anus*: hoc est, asinum illum adæque metuo, atque si sub ejus corio nescio quis tegeretur familiarium, a quo observarer. Deinde: 'At pudica uxor statim cœnas saliares comparat. Vina pretiosa defæcat, pulmenta recentia tucetis temperat, mensa largiter instructa. Denique ut Dei cujusdam, sic adventus expectatur adulteri:' turbidum hic quiddam, quod eliquabit distinctio mea, *mensa largiter instructa de-*

nique, ut Dei: ut *mensa instructa* auferendi sint casus.

Cap. ix. Plurium admisit conjecturas locus Appuleii, lib. ix. [p. 609.] 'Sed ut primum occursoriam potionem et inchoatum gustum extremis labiis contingebat adolescens,' &c. ita conceperunt manuscripti: quare, cum aliis non fuit, nec mihi etiam fraudi erit, spero, recentem, si non probandam, certe examinandam oggerere suspicionem; quæ hæc: non inepte hic scribi posse *accensoriam potionem*: ut eam videlicet intelligat, quæ esset Veneri incendendæ: quam rem sic extulit, lib. x. 'Nam et vino pulcerrimo atque copioso memet madefeceram, et unguento fragrantissimo proluvium lubidinis suscitaram:' idem sibi volunt illa lib. ii. 'et grabatulum meum assistit mensula, cœnæ totius honestas reliquias tolerans, et calices bini, jam infuso latice semipleni, solam temperiem sustinentes; et lagena juxta orificio sensim dehiscente patescens, facilis hauritu prorsus gladiatoriæ Veneris antecœnia.' Sed ne meam dissimulem sententiam, si Grammaticis *occursoriæ potionis* nomine ea venire potest, quæ pruriginem et hinc et illic suscitet, membranarum sane lectio retineri potest. Nam non absimile illi videatur istud Sutrii Comœdiarum scriptoris introducentis scortum, ita loquens: 'Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occursem fortiuscula.' Verum hoc leviter mihi arridet: discutiant tamen docti: ego dixi quod scivi. Mox etiam quod habetur: 'Tunc uxor egregia, diras devotiones in eum deprecata, et crurum ejus fragium abominata, exangui formidine trepidantem adulterum,' &c. Non ignoro sæpius maledicta bonis omnino in speciem jaci verbis. Sed vereor tamen, ut hic ambiguitas vocis *deprecata* ansam dederit sententiæ corrumpendæ. Itaque, si licet aliquantulum insanire, rescripserim unius literulæ minima reformatione: *in eum deprecata et crurum ejus fragium adominata*: nam *deprecata* ceperim pro valde precata, ut præpositio *ad* augeat cumuletque, quod etiam non nevult Gellius lib. vi. cap. 16. Noct. Att. cæterique passim. De *crurifragio* nemo quod sciam aliquid certius dixit, et putent forsan alii pertinere fractionem hanc crurum ad suspendiosos; sed eis an assentiri debeam, dubito. Suspicor potius peculiare genus fuisse supplicii, idque alias, cum Deo, probabo. Nunc tantum dispiciant doctiores hæc Senecæ lib. iii. cap. 32. de Ira: 'Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus: quid properamus verberare statim, crura protinus frangere?' &c. atqui mortem hinc consequi solitam innuunt ejusdem mox sequentia: 'Ad ferrum venimus, ad capitalia supplicia, et vinculis, carcere, fame vindicamus rem castigandam flagris levioribus:' quibus confirmandis fecerunt hæc Ammiani lib. xiv. 'Post multorum clades, Apollinares ambo, pater et filius, in exilium acti, cum ad locum Crateras nomine pervenissent, villam scilicet suam, ut mandatum est, fractis cruribus occidantur:' nec minus ista Polybii lib. i. 'Singulorum manus præcedunt membra dilacerata et ad extremum fractis cruribus adhuc vivos in scrobem quamdam conjiciunt:' ita habet versio Perotti, nam Græcus textus non mihi ad manum; loquiturque auctor de Carthageniensibus septingentis qui cum Gescone perierunt: hocque tantum ceu inusitatum arguit quod, antequam expirassent, terra conderentur. Meminit et Suetonius Octavii cap. 67. 'Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.' Sed et de hoc viderint doctiores, nam nunc, lector, hic nisi de opinione certum nihil dico. Quid opinione? suspicione dictum

volebam: nam summæ edepol fuerit temeritatis fidentius paulo de iis eloqui, de quibus literarum senatus nihil dum determinavit.

CAP. XI. Juris legumque pertæsus amœniore lectione ingenii recreo vires, more eorum, qui patrium aërem extraneo mutant, animi oblectandi. Utque hæc percurrebam Appuleii lib. IX. [p. 610.] 'Adulterum alveo ligneo quo frumenta purgari consueverant, temere propter jacenti suppositum abscondit:' recordabar illius Ovidii lib. I. Amorum Eleg. 14. 'Tunc quoque erat neglecta decens, ut Thracia Bacche, Cum tenere in viridi gramine lassa jacet:' sic quoque in emendatissimis legitur libris, et quamvis meum non esset, summis auctoribus loquendi formam præscribere, at arbitrabor tamen hic melius lectum iri, *cum temere:* quo pacto et ante Horatius lib. II. Od. 11. 'Cur non sub alta vel platano, vel hac Pinu jacentes sic temere,' &c. Quod vero attinet ad angustias latebrarum, non tam arcte forsan concludebatur ille qui a matrona, morbum simulante, jam ante arcessitus erat, de quo Juvenalis Sat. VI. 'Advocat Archigenem onerosaque pallia jactat: Abditus interea latet et secretus adulter Impatiensque moræ pavet et præputia ducit:' quod edepol fieri solitum satis docet Ovidius III. de arte amandi: 'Cum quoties opus est fallax ægrotat amica, Et celet lecto quemlibet ægra suo.' illud tamen *et secretus* semper mihi suspectum fuit: hariolabar, *latet arcessitus adulter:* nam cum præcedat, *Abditus*, non video quod hic omnino *secretus* faciat. Sequitur aliquot interjectis in Appuleio: 'Nihil triste de me tibi, fili, metuas: non sum barbarus nec agresti morum squallore præditus: nec ad exemplum machinæ truculentæ, sulphuris te lethali fumo necabo:' de mendo fatentur docti. Aliter tamen festinant ad reformationem quam ego velim. Nam si consideres modo intentius sententiæ nexum, vix est, ut non assentiaris mihi fingenti, *ad exemplum naccæ truculenti.* Ut dicat pistor, non esse quod metuat, quod eum maneat exemplum juvenis illius, quem fullonis superventus acerrimo sulphuris pütore excruciarat; et sane hæc non absurde ei dicat, cum potuerit deprehensus iste totam fabulam de uxore fullonis exaudire. *Nacca* idem qui fullo; quo nomine eum quoque insignivit Noster antea: 'nam et opportune maritus foris apud naccam proximum cœnitabat.' Postea in descriptione maleficæ: 'Lurore buxeo macieque fœdato et discerptæ comæ semicanæ, sordentes inspersu cineris pleramque ejus anteventulæ contegebant faciem:' vulgatum *discerptæ comæ*, non facit meo palato. Præoptem *et dispretæ comæ semicanæ:* hoc est, disjunctæ et inordinatæ, nam si *discerptæ*, non jam in capite esse poterant, quod tamen postulant verba sequentia. Infra etiam quod est: 'Ad hoc matutino lutum nimis frigidum geluque præacuta frusta nudis invadens pedibus enitebar.' Non paulo malim, *lutum nimis rigidum;* nisi si præstet, *lutum hyemis vi rigidum geluque.* Sane lutum, si induretur, amittit nomen suum, et alterius cujusvis potius appellatione venit quam luti. Sed hæc talia leviter mihi videntur; nec enim pudentis est, quicquam in suspicionem trahere tam levibus de argumentis.

CAP. XIII. An et ea ipsa aliis negotium facessant, quæ mihi, haud equidem scio. Hoc scio, diu fuisse quod me tamquam in eculeo torserat Appuleii lib. IX. [p. 631.] 'Una de cetera cohorte gallina, per mediam cursitans aream clamore genuino velut ovum parere gestiens personabat: eam suus dominus intuens, o bona, inquit, ancilla et sane fœcunda, quæ multo jam tempore quotidianis me partubus saginasti:' semper enim suspectum habui dictionem *ancilla*,

videbam, quomodo recte ita appellaretur gallina, quocirca mira fingebam verborum monstra, quæ priori edecuriatæ succenturiarentur. Nunc pudet me suspicionis; nam a Planto hæc vox: quippe ovem similiter *ancillæ* ornat cognomine. Locus est Mercatoris Sc. *Amice amico*, quem sicuti emendandum putem, proponam: 'Ovem etiam tibi ancillam dabo natam annos sexaginta peculiarem:' perperam hactenus legitur in vulgatis, *Quum etiam tibi ancill.* nam de ove eum loqui arguunt, quæ subjiciuntur. 'PA. mi senex, tam vetulam? LY. generis Græci est. Eam si curabis, perbona est, tondetur nimium scite:' quod si quis quærat causam, cur animalibus istis tale communicetur nomen, ingenue fateor, me ignorare, nisi quod hominibus qualicunque sint usui; nam de eo certe nihil scio, nisi hoc Festi apud Paulum: 'Ancillæ dicuntur ab Anco Martio: quod is bello magnum feminarum numerum ceperit; sive ideo sic appellantur, quod Antiqui anculare dicebant, pro ministrare; ex quo Dii quoque ac Deæ feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculæ:' item istud Isidori lib. IX. cap. 4. 'Ancillæ a sustentaculo vocatæ. ἄγκων enim Græce cubitus dicitur unde et anconem dicimus.' Porro, quod de sexaginta annis dicit senex; vult ei, puto, ab ætate conciliare dignitatem. Interim numerum hic certum pro incerto poni, fidem abunde fecerit illud quod extat Mostellar. Sce. *Habeo Neptune:* 'Tu somnis? TR. mirum quin vigilanti diceret Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.' Nam profecto absit, ut ego ibidem aliquid mutem, vel etiam tot annos tribuerim, sive Theuropidis extremæ senectuti, sive adeo Tranionis perturbationi. Suspicor potius voluisse servum augere rei absurditatem tam grandi numero. Atque de hac re sic est sententia, in quam si quis alius animo iverit, næ illo multum lætabor socio, quisquis tandem erit.

CAP. XIV. Hæreo in uno verbo Appuleii lib. IX. tamquam si laqueus esset: nam, ubi inquit [p. 637.] 'Canes pastoricios villaticos, feros atque immanes, adsuetos abjecta per agros exicare cadavera,' &c. non satis percipio, quid sibi velit *exicare;* hoc præsertim loco: probabili ducar forsan suspiciuncula, si rescripsero, *per agros esitare cadavera.* Post aliqua multa; 'Fruere exitio totius nostræ familiæ, et sanguine trium fratrum insatiabilis tuam crudelitatem pasce, et de prostratis tuis civibus gloriose triumphandum scias: licet privato suis possessionibus paupere fines usque et usque proterminaveris, habiturum se tamen vicinum aliquem:' fieri potest, ut hæc lectio recte se habeat, nec alia sit admittenda; nequeo tamen, quin proponam meum somnium: id amplectetur qui velit; invito non obtrudam: legebam: *de prostratis tuis civibus gloriose triumpha; dum scias (licet privato s. p. p. f. u. et u. proterminaveris) habiturum te, &c.* eum sane sensum pleniorem planioremque longe imaginabar, quam qui e vulgata scriptura elicitur. Paulo post: 'Nec tamen sui molliorem provocaverat, quippe insperato, et longe contra ejus opinionem resistens juvenis,' &c. *sui mollior* elegantis est locutionis, quæ et in usu aliis. Periclitatur capitis apud Tacitum lib. v. histor. ubi agit de Tito, postea Imperatore: 'Majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis atque ipse, ut superior sui jam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat.' Videtur enim Cornelius idem hic dicere, quod alibi sic effert lib. III. Annal. 'Brutidium festinatio extimulabat, dum æquales deinde superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat.' Non longe: 'Currit ad extre-

ma subsidia; simulansque ad commovendam miserationem genua ejus velle contingere:' in Mss. et aliquot editis restat, *simulans quærere ad, &c.* Cui in mente erit cognatio literarum *R* et *S;* adstipulabitur mihi legenti, *simulansque sese ad.* Statim: 'Nec defuit vicinus perfidus, qui nos illico occultari nuntiaret:' abscindatur litera, nata ex alterius verbi initio, fiatque, *qui nos illic occultari.*

LIB. XIV.

Cap. i. Dicitur esse alicubi in Hispaniis mons ex mero sale; ei quantum palam demas, tantum occulte accrescit. Mirum ni similis etiam ingenii Appuleius; cui licet assidua eruditorum manus ingentes dernat mendarum cumulos, at nihil apparet nitidior: vel illud lib. x. Metam. quam non est defæcatum [p. 656.] 'filium procreaverat alium, qui jam adæque duodecimum ætatis annum supergresserat.' Nec enim assentior eis, qui ultimam vocem positam putent pro *supergressus erat;* nam etsi Veteres activo usi sint in passivi locum, at sane non etiam dixere *supergressi;* sed vel *supergredivi*, vel *supergradivi;* quare forsan volente magis Auctore legerimus, *annum supercreverat*, hoc est, jam annum excesserat xii. nec verbum facile exuatur, quod proprius absit a literarum vestigiis. Supra quoque quod extat: 'Post dies plusculos ibidem designatum scelestum facinus memini, sed ut vos etiam legatis, ad librum profero:' nihil fere causæ est, cur non reponatur mea suspicio, *ad librum proferó.* Non ita longe: 'Sed juvenis modo istud, modo illud causæ faciens execrabilem frustratur ejus aspectum, quoad illa nunciorum varietate, pollicitationem sibi denegatam manifesto perspiciens,' &c. vix est, ut non emendandum sit, *execrabilem ejus affectum, quoad illa mendaciorum varietate;* nam præsentem fuisse adolescentem, ex circumstantiis facile est haurire. Sententiam similem sic exprimit Apolog. ii. 'Verum enim vero, variis frustrationibus nuptiis eludit,' &c. *Affectum* hic vocat amorem, quomodo fortassis quoque accipit Solinus Polyhist. cap. 30. 'Monstra hæc si bibant, clementius feriunt; habent affectus: non temere, nisi conjuges evagantur, capto altero vel occiso uter superfuerit, efferatur:' id ipsum Noster *affectionis* nomine plerumque exprimit lib. vii. 'nec te conscientia stimulat, sed affectione calcata inter lanceas et gladios istos scortari libet:' iterum lib. viii. 'novæque atque gliscentis affectionis firmissimum vinculum non posse dissociari perspiceret:' atque ita quoque plus millies in Epistolis Symmachus. Sequitur: 'ac mox eodem ocius ab itinere regresso, personata nimia temeritate insimulat, privigni veneno filium suum interemptum:' conabar, *personata nimis temeritate.* Vulgatum minus hic convenire videtur. Mox 'nec ad instar barbaricæ feritatis vel tyrannicæ impotentiæ, damnaretur aliquis inauditus, et in pace placida tam dirum seculo proderetur exemplum:' ultimum hoc a Plauto videri queat, apud quem Sc. *Ita me Dii* Pœnulo 'servile esse duco, festinaverim currere, Præsertim in re populi placida, atque interfectis hostibus.'

Cap. v. De Hernicii saltus avibus fabulantur, pennas earum emicare et interlucere, quamvis intensis tenebris. Atque unam equidem illarum velim et mihi, ut ejus saltem indicio per Appuleianam noctem, vespertinus erro, tutius progrederer: nam valde profecto opacum illud, quod l. x. ubi asinus publico destinatur spectaculo [p. 698.] 'Et quoniam neque egregia illa uxor mea propter dignitatem, neque prorsus ulla alia inveniri poterat; grandi pretio vilis quæritur aliqua sententia præsidis

bestiis addicta.' Nec enim perspicio quid hic opus fuerit pretio et quidem grandi; nam, si mulier ista feris destinata erat, ad quidvis cogi poterat: ad hæc cui bono præmium illud morituro? an forte ad heredes transferrent? nugæ magnæ: nam, etsi id largiar, non est tamen, quod ideo patientius et modestius asinum admitteret, utique cui nihilominus semper ante oculos præsens exitium. Quid ergo? conabar medicinam affere huic loco dispunctiunculæ hac mutatione: *poterat grandi pretio;* *vilis quæritur, &c.* quia, inquit, matrona illa, quæ mecum antea consueverat, nulla pecunia sollicitari potuisset, quod a se satis esset dives, aliam, quamvis grandi pretio quæsiverunt, quæ sui faceret copiam: ea nusquam inventa, ad id adigitur vilis ista. Præcesserat modo: 'At ille nequam ut posset de me suave provenire, lucro suo tantum contentus annuit:' prope est, ut fecerit, *lucro summo tandem contentus:* nam deinde de eadem re dicitur: 'nec gravatim magister meus voluptates ex ejus arbitrio largiebatur: partim mercedes amplissimas acceptando, partim novum spectaculum præparando.' Cur ita gravatim tale aliquid concesserit asini altor, elicere est ex hac ipsius Asini ejulatione: 'heu me qui dirupta nobili femina bestiis objectus, munus instructurus sum mei domini:' quod propemodum innuitur a Luciano; ait enim: hæc a liberto unicam noctem impenso paciscitur pretio, qui parum curans mei jacturam nummis acceptis,' &c.

Cap. vii. Aut vitiosum est, aut certe obscurum quod habetur lib. x. Appuleii Metam. [p. 706] 'qua mira desperatione truculentæ feminæ repente perturbatus medicus, excussusque toto consilio, et ob angustiam temporis spatio cogitandi privatus:' *desperationis* vox jam plures fecit de loci hujus desperare salute, etiam me: veniebat quidem in mentem *mira dissertatione*, item *mira disputatione*, quorum utrumque videbatur sic satis convenire sententiæ. Sed quis in hisce ambiguis aliquid affirmet? at enim cum in Mss. extet *depperatione*, fere dederim talentum meum in alterius nummum æreum, fuisse prius *deproperatione:* et mira medius fidius erat deproperatio; quod et esse nimis quam sentiebat, medicus; ut verba quæ descripsi denotant. Deinde 'confestim cubiculariis mulieris attractis vi tormentorum veritatem eruit:' assentior amico, non tortos in caput Domini servos. Haud tamen putarim locum ipsum egere correctiuncula, nam non tam hic cubicularii contra dominum, quam pro ipso torquentur domino, quem veneno extinxerat uxor; huicque unice accommodaverim, quæ recitat Papinianus lib. xvi. responsionum: 'de quæstione suppositi partus vel si petat hereditatem quem cæteri filii non esse fratrem suum contendunt; quæstio de servis hereditariis habebitur, quia non contra dominos cæteros filios, sed pro successione domini defuncti quæritur: quod congruum ei, quod D. Hadrianus rescripsit. Cum enim in socium cædis socius postularetur, de communi servo habendam quæstionem rescripsit, quod pro Domino fore videretur.' Postea: 'Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyda sinistrum tegebat humerum:' recte his chlamys personæ regiæ tribuitur. Sic Seneca Epist. lxxvii. 'Nemo ex istis, quos purpuratos video, felix est, non magis quam ex illis, qui sceptrum et chlamydem in scena fabulæ assignant,' &c. Porro quod addit, *ephebicam* et *chlamydem* Noster innuit etiam fuisse puerilem, qualem fortasse Andromache dabat Ascanio iii. Æneid. Nec alterius putarim notæ eam, de qua sic Suetonius Tiberii cap. 3. 'Munera quibus a Pompeia, Sexti Pompeii so-

tore, in Sicilia donatus est, chlamys et fibula, item bullæ aureæ durant, ostenduntur que adhuc Baiis.' Meminit et puerilis chlamydis Ulpianus noster lib. XLIV. ad Sabinum.

CAP. X. Aut Hypsæa cæcior sum, aut non modo vehementior inquinatus est, sed etiam infectum unum de hisce mellitis verbis Appuleii lib. X. [p. 719.] 'Quam quidem laciniam, curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat, ut dimota pateret flos ætatulæ, nunc luxurians aspirabat, ut adhærens pressule membrorum voluptatem graphice laciniaret:' vox enim postrema nescio quid habet maculæ, quod nec toto eluerim oceano. Bene fors, ad sensum, non item ad verba, *graphice linearetur*, quod esset, delinearet et exprimeret: nam vult idem, quod Horatius lib. I. Sat. 2. 'Altera nil obstat: Cois tibi pene videre est. Ut nudam, ne crure malo ne sit pede turpi, Metiri possis oculo latus.' Scilicet per ventum ita astringebatur vestis corpori, ut singulos exhiberet artus, etiam eos, circa quos Amor excubat. Aliquis de amatorum juvenantium cohorte suspicari possit, me sane applaudente, fuisse prius *graphice lacunaret*, ut velit Appuleius: dum ventus vesti incumbit, lacunam quamdam quasi vallem factam, et leviter impressam ei parti, quæ inter crura; non quidem divisionem sed sinum. Planius id explicare possem, nisi jam quid velim cogitatione satis assequatur lector: de voce 'lacunare' dicemus ad hunc Auctorem infra. Et de pellucidis quidem istis vestibus, nimia pulcra habeo conlectanea, sed quam alii reservo commoditati.

CAP. XII. Ita est: hisce periculum facio, famæ et quasi calumniæ tento vadum. Si aliqua spes se ostentat veniæ, optime, agitur mecum: si non: at ne sic quidem a professione discedam, sed quibusdam olim succidaneis impetrare conabor quod opto. Longe enim ab eis absum annis, quos pugiles observant, et intra quos nisi palmam adipiscuntur, eam postea despexerant, quare instemus Appuleii lib. X. [p. 725.] 'Et influunt innuptarum puellarum decoræ soboles: hinc Gratiæ gratissimæ, inde Horæ pulcerrimæ, quæ jaculis floris serti et soluti Deam suam propitiantes, tristissimum construxerunt chorum dominæ voluptatum Veneris coma blandientes:' numquam æque temerarius aliquid feci, atque nunc: suspicor enim ultima vitii damnanda et sic rescribenda, *chorum omni voluptatum genere come blandientes:* atque ut hanc conjecturam asseverare ausim; sic correctiunculam leviter vendito: quod tamen prioribus aliam litem intentaverint; nollem factum. Itaque quod unum queo ex summis viribus contra ibo: perquam enim religiosa sermonis lautitia flores, qui gratulabunde undique a Gratiis et Horis in Venerem mittebantur, jacula floris appellat ab eo scilicet, quod jaciebantur. Excerpta ex veteri Lexico Latino Græco: 'Jacula missilia, πεμπόμενα βέλη;' atque hinc 'rete jaculum' Plauto dicitur, quod dicitur ad discrimen verriculi, quod trahitur: uti prodidit acutissimus Turnebus lib. XVIII. cap. 26. sed et ab eadem significatione dicimus 'jacere' et 'jaculari verba;' Virgilius 'voces in vulgum jacere ambiguas;' Lucretius 'Aut, quod in ambiguo verbum jaculata reliquit.' Quin imo *jaculari* simpliciter invenio pro præcipitare aut immittere. Solinus cap. 13. Polyhist. 'Ex istis rupibus Ino se cum Palæmone filio in profunda præcipitem jaculata auxit maris numina:' nec aliter ubi de Arione agit Gellius lib. XVI. cap. ult. 'Sed inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus et indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat, exsilisse:' quod ipsum ita prius reddiderat: 'Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuque

omni, sicut stabat canebatque, jecit sese procul in profundum:' non longe secus Florus lib. I. cap. 14. 'Alter quasi monitum Deorum capite velato primum ante aciem Diis manibus se devoverit, ut in confertissima se hostium tela jaculatus, novum ad victoriam iter sanguinis semita aperiret.' Hinc quod apud abbreviatorem Festi legitur: 'Inicessere, immittere ac jactu vel verbis petere:' non damnaverim prorsus, quod in aliis Codicibus, *immittere jaculo vel verbis.* De floribus sertis et solutis satis enucleate dictum est ante me: locus tamen adhuc ille l. II. Metam. suspectus mihi de mendo 'Commodum cubueram et ecce Fotis mea jam domina cubitum reddita, jacta proximat rosa serta, rosa soluta in sinu tuberanti:' liquet sensus, qui vult adventasse Fotidem sinu repleto rosis textis ac solutis: at verba laborant; conabar: *Fotis mea, jam domina cubitum reddita, lecto proximat rosa serta.*

INCERTI LIBRI

CAP. XII. Integer mihi videtur locus lib. VI. Metam. Appuleianæ [p. 423.] 'At illa, quamvis humi prostrata, tamen tenaciter loro inhærebat; ut, me procurrente, aliquantisper tractu sui sequeretur:' itaque nihil in eo cum aliis mutaverim. Non enim longe aliter Gellius lib. XVI. cap. 16. 'Quamobrem postea cum prælio Populi Romani victus, in ultima regni confugissetis et mori,' &c.

FLORIDORUM LIB. I.

Florida] In his libellis mira grataque varietate philosophiæ commendationem prosequitur: incipitque a religione de re sacra dicturus apud Carthaginenses. *I. Pyrrhus.* Sunt hi Floridorum libri nihil nisi mera fragmenta, ab aliquo Appuleii studioso ex diversis ejus libris in unum comportata, tanquam ἐκλογαὶ et floridiore dicendi genere expressa. *Sciopp. in Symb.* Floridorum hi libri recitati videntur, distinctique per dies, et ex variis mixti argumenti, ut Galli dicunt, *du cocq à l'asne.* Brant. Viri docti recte observant Florida hæc mera esse fragmenta, ab imperitis et oscitantibus librariis perperam in libros IV. distributa; quorum sententiam in illis distinguendis, lubens merito secutus sum. *Elmenh.* Hæc esse luxata membra et mutila fragmenta ex Appuleii Orationibus excerpta, et quasi selectos *flores* et ἀνθολογίαν (vid. ad Catal. Burm. t. I. p. 573.) censuit Wowerius in Præf. cui plerique sequentes editores adsensum præbuerunt. Mihi magis placet sententia Maussaci, hæc ἀνθηρὰ χρήσιμα esse ipsius Appuleii, more oratorum, florida quædam et exculta loquendi genera verborumque emblemata parata habentium, quibus uti possent cum tempus dicendi veniebat, adeoque et integras periodos, exordia, epilogos et omnigena dictionum schemata. Vid. ad Harpocrat. p. 5. Casaubonus non quatuor Floridorum libros sed tres fuisse putabat, initio Apol. sed minus bene olim connexa fuerunt, quæ separanda erant et contra: frustraque Vincentius Contarenus in digerendo horum librorum ordine sudavit, irritumque laborem insumsit, Var. Lect. I. 4. In Ms. Lipsii, ut notavit Hier. Groslot. Lislæus, per capita erant distributi hi libri. Numerali ordine itaque singula cum aliis distinximus, sed librorum numeros, facilitatis in citata loca quærendo causa, retinuimus. Vane igitur, quis illorum primus fuerit excerptor, anquisiverunt viri docti. Barthius Advers. l. XVI. c. 8. omnino credit, fuisse Fulgentium Placiaden, quia in Floridorum antiquo codice, a se Venetiis emto, titulum Fulgentii Floridi invenit. In Ms. Pithœano uno ductu post Metamorph. hæc sequuntur, et in margine, *incipit Floridorum.* Oud. [Excerpta esse sive fragmenta dissertationum et declamationum a studiosis Appuleii collecta, quales Anthologiæ, Electa, et quocunque nomine insigniantur, aliorum circumferuntur, cum Wowerio censet Anonymus in Obs. Misc. vol. V. t. III. p. 148. ubi turpem Gundlingii errorem perstringit, qui Hist. Liter. p. 324. scripserat, inter Appuleii opera tractatum unum esse *de Floridis.* J. Boss.]

NUM. I. *Religiosis viantium moris*] I. e. religiosis viatoribus, per Græcismum: cujus genitivi exempla supersunt innumera. Verum ille mos, quem narrat, vix potest dici proprius esse solis religiosis. Potius enim est omnibus apud Ethnicos viatoribus, qui modo ignorantes ea loca non transcurrunt, vulgaris. Adi commentarios VV. DD. hic loci et ad Minuc. Fel. c. 3. 'In lapides effigiatos sane et unctos et coronatos.' Quare fere accedo Becichemo arbitranti esse legendum *religiosi*, Ep. 96. Quomodo edidisse

etiam video Scriverium. 'Mos religiosus erat viantium:' statim, 'religiosa mora.' *Oud.*

Aliquis luc. a. aliquis loc. s.] Codex pervetustus Fr. Pithœi dat *aliqui*, utrobique: vid. Gronov. Obs. in Eccl. auct. c. 21. p. 230. ad Gell. l. xi. c. 13. 'aliqui vestrum:' ut 'aliqui sonitus,' pro, *aliquis:* item l. xv. c. 2. 'aliqui pudor.' Noster infra e Mss. 'orator objecerit aliqui,' de Deo Socr. Sic et Mss. optimi apud Cic. l. iii. de Off. c. 7. 'aliqui casus,' vid. Comm. Duk. ad Flor. l. i. c. 18. § 20. De *luco* et *loco* junctim vid. Abram. ad Cic. de prov. Cons. c. 14. *Idem.*

Veniam postulare, donum apponere] Hæc est vera lectio corruptissimi loci: vel potius, ut Fulvius, *ven. post. votum app.* Mos religiosorum et adorantium, veniam postulare, votum apponere, paulisper assidere. Hunc legem sacrorum implet Apuleius præfatione veniæ, habita oratione, et inhibita properatione. Et votum apponere, quod Tertull. de oratione, 'adsignare orationem.' 'Adsignata,' inquit, 'oratione, adsidendi mos est quibusdam.' Nam vota seu preces tabella conceptas et obsignatas statuis adfigebant, idque vota signare, adsignare. Apuleius, votum apponere. *Wower.* *Votum postulare, portum apponere,* veterum Edd. constans est lectio, in qua cum sensus videatur nullus, variis modis viri docti tentarunt sanitati suæ restituere. Et primo, sine ulla litterarum mutatione placebat Ampl. Rutgersio lib. v. Var. Lect. c. 5. ordinem verborum modo inverti, scribendo *portum postulare, votum apponere,* quo loco multa habet de votorum in ceratis tabellis conceptorum adfixione. Et sane 'ponere,' 'adponere,' 'adfigere vota,' &c. obvium est. Intelligit ergo vota pro felici itinere, sive, ut occurrit aliquoties in Inscriptionibus PRO SALUTE ITUS ET REDITUS. Verum, præterquam quod dura sit catachresis in terrestri itinere facere mentionem portus, hæc respondere debent sequentibus 'mihi præfanda venia, et habenda oratio est.' Rectius ergo Ursinus, Wowerius, Sciopp. et J. Rycquius reponere tentarunt *veniam postulare, votum adponere.* Quod ad primum attinet, iis cum Salmasio Epist. 87. facile accedo, tum quia in Cod. Pithœano sit *natum post:* tum quia sic soleat loqui Appul. ut jam monuit Sciopp. Sic lib. vi. p. 384. 'editis precibus veniam postulabat,' et l. xi. p. 808. 'colloque ejus inhærens veniam postulabam.' Theod. vero Sellius 'votum postulare' sumit eodem sensu, quo 'preces precari' apud Catonem de Re Rust. c. 134. 'Te hoc ferto obmovendo preces precor.' Nec opus est, ut cum Salmasio hinc faciamus *veniam tum.* Sequentia vero variis conjecturis vexant viri docti. Id vero, quod a Scaligeri usque editione vulgo receptum est, est conjectura Lipsii El. ii. 18. 'donum apponere' ex Apol. 'si posueris donum aliquod,' &c. 'Donum promittit' in voto Petron. c. 88. Verum ea nimis vaga est. Becichemus Ep. 96. ait in Mss. suis esse *servum:* unde emendat *sertum,* multisque exemplis ararum coronatarum adstruit: atque ita, non nominato eo, omnino legi vult Salmasius, eique adsensum præbet J. F. Gronov. Diatr. Stat. p. 131. sic statim: 'ara floribus redimita.' Quid, si propius ad litteras, cum G. Vossio scribamus *serviam?* quod ei incidisse suspicor e Plinii loco l. xxi. c. 2. 'cum vero e floribus fierent serta a serendo serviæ adpellatæ sunt:' at locus is mihi suspectus. Mss. Urs. et var. lect. Florent. cum Edd. vett. dant *portum:* unde satis inepte vir doctus (A. Gronovius) in Miscell. Obs. vol. v. t. iii. p. 168. conjecit *pothon,* herbam scilicet quamdam. Probare saltem debuisset, eam herbam in sacris fuisse adhibitam vel votivam fuisse. Olim ego ex ea ve-

tione refingebam *fertum* sive, antiquitatis more, *fortum* vel *ferctum*. Vide Festum v. *fertum* et *struferta-rius*, Isidori Gloss. Salm. ad Solin. p. 891. Casaub. ad Persii Sat. II. 48. 'Extis et opimo vincere ferto.' Item Neap. et Burm. ad Ovid. l. I. Fast. vs. 276. Schœtgen ad Caton. l. laud. Comm. ad Gell. x. 15. 'cum strue et ferto,' et deinceps vidi id jam ante me in mentem incidisse Th. Sellio Observ. c. 14. (Atque hinc putem corrigendum Festum vel Paullum in 'Silicernium genus farciminis, quo fletu familia purgabatur.' Leg. *quo ferto*. Fruter. *quojus esu*.) Verum nunc eam conjecturam plane damno. Unde enim viatori tam cito in ipsa via et itinere tale libi genus? quod et de aliis conjecturis dici potest. Verisimilior ergo est lectio Mss. 2. Florent. Lips. Pith. et Ed. Junt. post. *pomum*: quod placuit Joan. Pyrrho, pro re qualibet, sacrificii caussa oblata: verum id si præferas, *vel pomum sertis adponere* proprie sumi debet. Sacris enim coronis adhibebantur etiam poma. Sic Met. lib. XI. p. 759. 'corona totis floribus, totisque constructa pomis.' Immo Diis vialibus Priapo, Silvano, Laribus ruralibus et compitalibus, de quibus omnibus ut itinerum ducibus adi Ev. Ottonem de diis vial. c. 9. 10. solebant *poma* offerri. v. carm. Priap. c. 53. Propert. l. IV. 2. 'Insitor hic solvit pomosa vota corona:' plura vid. apud Broukh. ad Tib. I. 1. 17. et seqq. 'Et quodcunque mihi pomum novus educat annus Libatum agricolæ ponitur ante Deo.' Gor. Inscr. Etr. t. I. p. 181. Ut verum tamen fatear, nec hoc mihi satisfacit. Opponi enim hic omnino videntur *habenda oratio*: quare agendum et hic esset de *verbis*. Immo J. Rycquius Primit. Ep. 88. divinavit *preces adpon*. Cur non potius in sing. *precem*? Sed, omnibus his conjecturis posthabitis, retineo adhuc Ursini, Scioppii, Wowerii, Rutgersii lectionem *votum adponere*: pro felici itineris sui cursu, quorum votorum exempla in scriptoribus et lapidibus sunt innumera. *Oud.* [Vid. ad Met. p. 786. et seqq. *J. Bosscha*.]

Paulisper assidere] Ritus adorationis et eorum qui precabantur Deos. Tertullianus de Oratione: 'Porro cum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.' Et: 'Quod, assignata oratione, assidendi mos est quibusdam.' Propert. lib. II. 'Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit.' Item supplicum, et eorum qui tutelæ sui causa confugiebant ad Deum aras. Lysias Apologia: ἱκέται ἐπὶ τὸν βωμὸν ἐκαθέζοντο. Plautus Rudente: 'I sane in Veneris fanum huc intro: Sedentem flentemque opprimes.' Teles περὶ αὐταρκίας, vetus scriptor apud Stobæum: ὥσπερ οἰκέτης τὸν κύριον ἐφ' ἱερὸν καθίσας, δικαιολογεῖται τί μοι μάχῃ; μὴ τί σοι κέκλοφα; Parthenius Erotic. cap. 18. καὶ ἐπειδὴ αὐτὴν ἐζήτει, ὁ δ' ἱμερόεν ἱκέτης προσκαθίζετο ἐπὶ τῆς ἑστίας τῆς ἐν τῷ πρυτανείῳ. *Colv.*

Spelunca frondibus inumbrata] Ut apud Virg. Æn. VI. Ex speluncis enim reddebantur oracula, ut Delphis. *Pyrrh.* Ms. Cod. *floribus inumb.* Seneca Epist. XLI. 'Et, si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit, non manu factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excavatus, animum tuum quadam religionis suspicione percutiet.' Observemus hinc etiam olim specus et speluncas antiquas, quemadmodum lucos, sacras et Diis dicatas fuisse. *Colv.* Vide Porphyrium de Nympharum antro, p. 20. *Elmenh.* Male Ms. Pith. Lips. *floribus*. Talem speluncam nobis exhibet Auctor noster Met. lib. II. p. 93. de Dianæ antro: 'pone tergum Deæ saxum insurgit, in speluncæ modum muscis et herbis, et foliis et virgulis, et sicubi pampi-

nis, et arbusculis alibi de lapide florentibus,' ubi vide. *Oud.*

Quercus cornibus onerata] Cervorum et id genus ferarum cornua de arboribus sacris suspensa numinibus dedicabant, et Dianæ in primis. Propert. lib. II. 'Ipse ego venabor. Jam nunc me sacra Dianæ Suscipere et Veneri ponere vota juvat. Incipiam captare feras, et reddere pinu Cornua, et audaces ipse monere canes.' Ovid. Met. [XII. vs. 266.] 'Telique habet instar, in illa Quæ fuerant pinu votivi cornua cervi.' Mnesalcus poëta vetus Epigr. Gr. lib. VI. Τὰν ἔλαφον Κλεόλαος ὑπὸ κναμοῖσι λοχήσας, Ἔκτανε Μαιάνδρου πὰρ τριέλικτον ὕδωρ Θηκτῷ σαυρωτῆρι, τὰ δ' δικτάῤῥιζα μετώπων Φράγμαθ' ὑπὲρ κραναὰν ἄλλος ἔπαξε πίτυν. Scribit etiam Quæstion. Rom. Plutarchus, templis omnibus Dianæ cornua cervorum adfigi moris fuisse. Scias et ad aliorum numinum fanorum limina id ipsum factitatum. Quod indicat Symmachus lib. V. Epist. 63. 'Nam ut honori numinum datur cornua sacrare cervorum, et aprinos dentes liminibus affigere: ita amicorum cultui dedicantur libamenta silvarum.' Simmias: Δέρμα δὲ ὀργυιαῖα κέρα βοὸς ἐκ βασιλῆος Ἀμφιτρυωνιάδα κεῖμεθ' ἀνὰ πρόπυλον. De Plutarchi Symmachique loco monuit amicissimus Lipsius, et benignissime nobis communicavit. *Colv.* Hostiarum cornua suspendi aris testatur Plutarch. in problematis: dum quærit cur in Dianæ templis cervorum cornua affigantur. Alio vero pacto apud Mart. dicitur: 'cornibus ara frequens.' *Pyrrh.* Non sequor illos qui rescribunt *coronis ornata.* Scholiastes Aristophanis: ἔθος ἦν τοὺς θηρῶντάς τινα ἄγραν, μέρος τι τοῦ θηρωμένου, κεφαλὴν ἢ πόδα προσηλοῦν πασσάλῳ ἐπί τινος δένδρου εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος. Inde et prædator Jupiter cultus, cui pars prædæ debebatur. Serv. III. Æneid. Liminibus templorum Dianæ etiam cornua affixa. Symmachus lib. V. epist. 66. Allusit Propert. lib. II. el. 11. *Wower.* Ful. Q. *coronis ornata,* minus recte, ut Wowerius notat. *Elmenh.* Primo F. Ursinus mavult *coronis.* Verum errare virum doctum patet satis e notis Colvii, Wowerii et Scotti Observ. Poët. lib. I. cap. 12. docentium, venatorum morem fuisse, cornua captorum cervorum ex arbore suspendere. Idem vero Ursinus pro *onerata* mallet *ornata,* Scottus *honorata.* Et sane pondus ingens multorum cornuum esse debuerit, ut inde quercus *oneretur.* Nisi potius *onerari* notat honoris magnitudinem et gravitatem quacunque in re. Certe hinc frequentissima est confusio horum verborum. Vide ad Met. 803. b. *Oud.*

Fagus pellibus coronata] Olim ut cornua, sic etiam pelles ferorum animalium quorumlibet ad arbores Diis suspendebant venatores. Quod etiam ex iisdem Epigrammatariis Græcis observamus. Paullus Silentiarius: Σοὶ τόδε, πενταίχμοισι ποδῶν ὡπλισμένον ἀκμαῖς Ἀκροχανὲς φονίῃ κρατὶ συνεξερύσας, Ἄνθετο δέρμα λέοντος ὑπὲρ πίτυν, αἰγιπόδη Πὰν, Τεῦκρος Ἄραψ καὐτὴν ἀγρότιν αἰγανέην. Alius vetus ibidem poëta, Zonas: Τοῦτό σοι, ὑλειῶτα, κατ' ἀγριάδος πλατάνοιο Δέρμα λυκοβραίστης ἐκρέμασεν Τελέσων. Ubi hic Pani Deo lupi in platano, ille leonis in pinu pellem dedicat consecratque. Ab hac similive dedicatione arbores tales Sacræ erant, et ita dicebantur; ad quas in via oblatas gradum sistebant, ut Noster hic indicat, et vota reddebant religiosi viatores. De his etiam sensit D. Augustin. de Tempore Serm. 241. 'Quicunque in agro suo aut villa, aut juxta villam aliquas arbores aut aras vel quælibet fana habuerit, ubi miseri homines solent aliqua vota reddere; si non eas destruxerit vel succiderit, in illis sacrilegiis quæ ibi facta fuerint, sine dubio particeps erit.' Sed aliis multis modis olim arbores fiebant Sacræ.

De quibus pluribus agere hoc temporis supersedebimus. *Colv.* Lactantius ad illa Statii Thebaid. IX. 'Seu jam culmine fixus Excubat, antiquo seu pendet gloria luco. De venatione gloria, aut feræ magnitudine, quæ rura oviliaque vastaverat. Luco vero Dianæ aut Silvani alia sunt quæ figuntur, alia quæ a pastoribus templorum tholis suspenduntur, dentes et cornua figuntur, pelles et alia suspenduntur.' Ita hæc verba ex V. C. restituenda. *Wower.* Præter Colv. Wower. Vide ad Arnob. I. p. 22. Pricæum ad Apol. p. 134. Burman. ad Ovid. Met. VIII. vs. 723. adde vs. 745. Longi Pastor. p. 58. ἔθυσέ τε ταῖς νύμφαις καὶ κρεμάσας (hircum) ἀπέδειρε, καὶ τὸ δέρμα ἀνέθηκεν. *Oud.*

Colliculus sepimine consecratus] Bidental, id est, fulmine tactum locum intelligit, quem religioso sepimine a profanorum contactu et pressu defendebant sacerdotes et Diis ita consecrabant. Elegans locus, qui huc spectat, Apollinaris Sidonii carm. 9. ad Felicem consulem, sed qui hinc etiam, veterum tamen librorum fide, emendandus legendusque ad hunc modum: *Nec quæ fulmine Thuscus expiato Septum numina quærit ad bidental.* nam male editus vulgo, *sextum num. q. a. b.* In hoc aræ exstructæ, et hostiis omne genus factum. Memini me aliquando plura hanc in rem ad locum illum Sidonianum notasse quæ jam non ad manum. Sed adi interim Festum, Bidental, et tersissimas Jos. Scaligeri castigationes. *Colv.* Omnia hæc de superstitione paganorum et idolis corumdem accipienda sunt. Nihilominus uno loco correctionis lima indigent. Quæro anne genuinum sit, *colliculus sepimine consertus,* vel, quod malim, *conseratus.* Nam ut in sequentibus, *dolamen, libamen* et *unguen* ad formam, item hic *sepimen,* cujus munus in includendo non in consecrando positum. Extremum illud, de lapide dictum, ad simulacra traho, quæ inungere illi soliti, qua de re etsi nos alibi, testimoniis tamen ea antiquitas illustranda est, in primis Arnobii ex primo adversus gentes: 'Si quando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine ordinatum' (corrigo *exornatum*) 'tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco.' Item Minucii Felicis: 'Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos sane, et unctos, et coronatos.' Apuleii locus nequaquam mihi prætereundus, is in prima Apol. 'negat vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.' Ut in præsens *unguen,* itidem alibi hic Auctor cum Plauto et aliis usurpat, 'unctum,' 'unctulum,' et 'unctiusculum.' *Stewech.* Ineptit Stewechius, aiens sepiminis munus non in consecrando sed includendo positum esse; adeoque legit *consertus* vel *conseratus,* Marcilius ad Persium pag. 61. Ed. Morell. etiam *conseptus,* falli aiens eos, qui ad fulgurita trahunt. Sed nihil certius est, quam Auctorem hic non agere nisi de locis rebusve consecratis; ac bene Colvius docuit, *bidental* seu locum fulmine tactum intelligi. Vide eum et notas ad Lucan. l. I. 608. 'datque locis numen,' ac l. VIII. in f. 'Inclusum Tusco venerantur cespite fulmen:' de Deo Socr. p. 677. Ed. Flor. 'Tuscorum piacula, fulguritorum bidentalia,' ubi plura Elmenh. aliique. *Oud.*

Truncus dolamine effigiatus] Stipitem finalem intelligit, quem polite exasciare, floribusque ornare sueverant Veteres. Prudentius: 'Deasciato supplicare stipiti, Verris cruore scripta saxa spargere.' *Colv.* Vide P. Pithœum Adversar. Subsec. l. II. c. 14. *Brant.* Cic. in Acad. 'aut e robore,' inquit, 'dolatus.' Ut pudendi Dei effigies, de quo Polit. *Pyrrh.*

Cespes libamine humigatus] Floren-

tin. *Cespes l. fumigatus:* quod etiam in mentem venit Pyrrho. *Elmenh.* In levitico de more sacrificiorum fere similia reperies. Pro *humigatus* fortasse leg. *fumig.* unde adolere aræ dicuntur. *Pyrrh.* [Vid. ad Met. l. VIII. p. 533. a.] Optimus codex Florent. item J. Pyrrhus præbent *fumigatus*. Vere, ni fallor. Aram intelligit ex cespite (de qua vide Elmenh. et Pricæum l. VII. p. 139. 'aram cespite virenti faciunt') thuris et id genus libaminis fumo vaporatam. Adi VV. DD. ad Calpurn. Ecl. II. 62. 'Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus.' Hor. III. O. 8. vs. 2. 'positusque carbo in Cespite vivo.' 'Fumigatos parietes' in Apologia dixit Auctor noster. *Oud.*

Lapis unguine delibutus] Apologia I. 'Negavit vidisse qui fuere unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.' Siculus Flaccus de conditionibus agrorum: 'Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant.' Hinc proverbialis sermo apud D. Clementem Alexandr. l. VII. Stromat. Οἱ αὐτοὶ δ' οὔτι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες. Arnob. l. I. 'Si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine ordinatum.' Ubi putabam forte scribentum *ex ol. unguine irrigatum*. B. Augustin. de Civ. Dei l. XVI. c. 38. 'Nec, more idololatriæ, lapidem perfudit oleo Jacobi, velut faciens illum Deum: neque enim adoravit eundem lapidem vel ei sacrificavit.' Unde notandum lapides hos, i. e. terminos, non simulacra e lapide, quod alii volunt, oleo ungi moris fuisse. Et ex his omnibus palam est Veterum superstitio, ut qui quodlibet in via temere oblatum, sacrum aliquo modo esset, id venerarentur: sive ara, seu lapis, seu stipes esset. Præter Nostrum etiam ejus rei index Xenophon: Καὶ τοὺς μὲν οὐθ' ἱερῶν, οὔτε βωμῶν, οὔτε ἄλλων τῶν θείων οὐδὲν τιμᾶν, τοὺς δὲ καὶ λίθους, καὶ ξύλα τὰ τυχόντα, καὶ θήρια σέβεσθαι. Propert. l. I. 'Nullas illa suis contemnet fletibus aras, Et quicunque sacer qualis ubique lapis.' *Colv.* Vide notata ad Arnobii l. I. p. 22. *Elmenh.* *Lapis*] Sive terminus itinerarius; sed et agrarius. Vide Becichem. Ep. 96. B. Pium t. I. Th. Crit. ubi agit de lapide præconis. Adi omnino P. Pithœum l. II. Subs. c. 14. *Oud.*

NUM. II. *At non itidem*] Transit ad philosophicas recitationes. Sententia hæc est vulgatissima: 'ex sermone homines agnosci.' Est namque oratio vitæ speculum et animi indicium. Plaut. in Trucul. *Pyrrh.* Hic incipit aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.*

Major meus Socrates] Scil. auctor sectæ Platonicæ. Sic apud Agell. l. XI. c. 9. Musconius Athenienses majores suos vocat. Vide Lactant. l. II. c. 7. Casaubon. ad Strabonem p. 22. *Elmenh.* Risum mihi movent, qui quærunt cur Socratem majorem suum appellet, auctorem scilicet sectæ Platonicæ. Gellius lib. XIX. cap. 1. 'majores nostri conditores sectæ Stoicæ.' Apud Æneam Gazæum de immortalitate animæ Plato πρόγονος, ob eandem caussam. Ita in Apolog. Apul. 'Majores meos Aristotelem dico, et Theophrastum, Eudemum ceterosque Platonis minores.' *Wower.* Minus bene hic quoque Sopingius margini adlevit *mei*. Per *majorem* intelligit vel auctorem sectæ Platonicæ Socratem, ut capiunt Wow. Elmenh. Flor. vel potius magistrum unde didici quidquid sciam. Sic in Apologia Aristotelem et Theophrastum vocat *majores* suos; atque ita quoque capio locum Met. l. III. pag. 193. 'statuas et imagines dignioribus, meisque majoribus reservare suadeo:' ubi vide. *Oud.*

Cum Plautino milite] Stratophane, Trucul. [II. 6. 8.] *Colv.*

Pluris est oc. test. un. &c.] Vide Polybium Hist. lib. XIII. fol. 668. *Elmenh.* Addit Erasmus illas geminas portas, quæ finguntur et ab Homero et a Virg. quod per corneam, i. e. ocularem, veræ umbræ egrediantur: per eburneam, i. e. per auditum, falsæ. *Pyrrh.* Dio Chrysost. Olymp. *Wower.*

Longule dissita] Remota ab oculis nostris. *Pyrrh.*

Poëta egregius] Hom. tertio Iliados: *Τόσσον τις ἐπιλεύσσει ὅσον τ' ἐπὶ λᾶαν ἵησιν.* Et alia quæ de offuscatis oculis scribit, quemadmodum ubi in bello milites pulvere offusi vix hostem cernunt: vixque ad lapidis jactum vident. *Idem.*

Aquila enimvero] Auctor incertus de natura animalium: *Ὁ παμμέγιστος ὀρνίθων ὄντως ἄναξ, Ὑψιδρόμων πάντων γε ἀετὸς πέλει· Καὶ ὀξυδερκὴς ὢν μὲν ὁ πτηνοκράτωρ, Καὶ μεχρὶ σητὸς ἐκ νεφῶν πάντα βλέπει. Τούτου δὲ καὶ τὸν ῥοῖζον ἀκούσας δράκων Ἔπτηξε παραχρῆμα καὶ συνεστάλη, Κεὶς χηραμοὺς ὑπῆλθε τοὺς ἀποκρύφους, Μὴ θᾶττον αὐτὸν συλλαβὼν διασπάσῃ. Θηρᾷ δὲ καὶ τὸν χῆνα, καὶ τὴν δορκάδα, Καὶ τὸν λαγωὸν, καὶ τὸ τῶν ταύρων γένος, Καὶ ἄλλα πολλὰ, ὧν τροφὴν οἱ παρέχει. Elmenh.* Haliæetus est, ut Plin. scribit, inter aquilas oculorum acie clarissima: quæ inplumes etiamnum pullos percutiens, subinde cogit adversus intueri Solis radios, nec eos educat quibus firma acies non steterit. Hic autem egregie rem describit, et ita facile ut quivis intelligat. *Pyrrh.*

Tanta mole] Scribo *tota mole*: namque libenter *totus* pro *omnis* hic collocare solet. Lib. VII. de asino: 'et tunc quidem totarum mulierum secta moresque de asini pendebant judicio.' Simile et l. III. de asino: 'totasque artes, manus machinas omnes ardenter exercet.' Simile apud Minut. Fel. 'plures totis hominibus Deos haberemus.' *Stewech.* Stewech. *tota mole.* Elmenh. Non male Stewech. et Floridus rescribunt *tota mole*, quæ ubivis variantur. Vide ad Met. lib. XI. p. 793. b. *Oud.*

Velificatas] Optime docet, quod identidem Plin. ait, milvos remigandi et navigandi artem docuisse. Aquilam nonnulli ab acuto visu denominatam putant. *Pyrrh.*

Pinnarum] Pinnæ sunt pennæ et quidem duriores: plumæ verbo molliores. Pinnæ etiam cristæ sunt quæ a militibus aut gladiatoribus gestantur. *Idem.*

Simul campis] Aquila cum quibuscunque animalibus pugnat, et cum draconibus, et Ganymedem ad Jovem rapuisse fingitur. *Idem.*

Simul homines urbibus] Cur non *simul urbibus homines?* ut, 'simul campis pecua,' 'simul montibus feras.' Dubito an *simul* pro *cum* positum a casu suo divelli possit. Consule loca citata a VV. DD. quos laudo ad Cæsar. p. 954. 'simul armatura levi.' Burm. ad Val. Flac. IV. 89. Drakenb. ad Sil. VIII. 396. Mela lib. II. cap. 2. 'simul ebrietate,' vulgo, *ebrietati*, vel alii, *similis*. Virg. Æn. V. 356. 'simul his dictis.' *Oud.*

Agnum incuriosum] Unde Plaut. in Comœdia Aulularia 'agnum curionem' vocat. *Pyrrh.* Beroal. *a. curiosum.* Elmenh. Scribit Beroald. *agn. curiosum. Curiosus* illi *agnus*, qui *curio* Plauto, Aulularia. *Colv.* Aiunt a Beroaldo legi *curiosum*, male. Ridicule etiam Floridus interpretatur, quod subripuit tamen Fruterio l. II. Veris. c. 17. vel Becichemo, Ep. 68. pinguem, non macrum, curis, quia apud Plautum Aul. III. 6. *agnus curio* ad risum movendum exponitur qui curia macet. At hic *incuriosus agnus* est, qui nullas cavet insidias, et sine cura in prato oberrat, atque hinc facile ab aquila capitur.

Leporem meticulosum] Nemesianus Cynegetico: 'Nos timidos lepores,

imbelles figere damas, Audaces lupos, vulpes captare dolosas.' Artemidorus p. 233. Καὶ τὰ δειλὰ καὶ δρομικὰ καὶ ἀνελεύθερα δειλοὺς ἢ δραπέτας παριστῶσιν, ὡς ἔλαφος, λαγὼς, κύων. *Elmenh.*

NUM. III. *Hyagnis*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Hiagnim primum tibia cecinisse: deinde filium ejus Marsyam, tum postea Olympum ait Plutarch. de Musica (pag. 1132.) *Pyrrh.* Plutarch. περὶ μουσικῆς. Suid. ὄλυμπος. Plato III. de Legib. Hyginus, 165. Anthol. εἰς αὐλήτας longe aliter Marsiæ fabulam referunt; nec Hyagnin primum tibia cecinisse, sed Sceriten Numidam Athenæus tradit. *Wower.* De eo vide, quos laudant Wowerius, Salm. ad Solin. p. 84. 87. Ez. Spanh. ad Callim. pag. 296. et Munkerus ad Hygini Fab. 165. ubi vulgo 'Marsyas Œagri filius' dicitur. *Oud.*

Rudibus a. Musicæ sec.] Vide Plinium Natur. Hist. lib. XVI. cap. 36. *Elmenh.*

Solus a. a. cantus canere] I. e. canebat. quo sæpe utitur: sic et Livius frequenter. *Pyrrh.*

Flexanimo sono] Sic recte Scaliger et Lipsius. Flor. 2. 'infixa anima.' Aldus *infessa anima.* Martianus Cap. de Nupt. Philologiæ lib. IX. p. 307. 'Orpheus, et Amphion, Arionque doctissimi, aurata omnes testudine consonantes flexanimum pariter edidere concentum.' *Elmenh.* *Infixa animo sono*] Scriptam lectionem expressimus, quam etiam margo Basil. 1. agnoscit. 2. vero, *indefessa anima sono*, et alias, *infexa animo s.* quod et in Romano Cod. est. Unde faciebam, *inflexa an. son.* Lipsius vero *flexanimo sono.* Colv. Alias *infexa an. s.* Unde Lipsius *flexanimo sono.* Ego, *inflexanimo sono*, ut in Asino sæpe præpositio *in* nominibus et verbis addita. *Brant.* *Infessa.* Valde fessa anima, spiritus flando fessus. *Pyrrh.* Lipsii emendationem recepere Scalig. Elmenh. et Florid. At mihi sese non probat, abit enim longius a Mss. et aliud quid voluit Auctor. Mss. Florentini, Lips. et margo Bas. pr. cum Colv. Vulc. dant *infixa anima sono.* Pith. Edd. Rom. Vicent. Ven. *infexa anima sono.* Edd. Junt. pr. Bas. pr. *infessa anima s.* interpretante Pyrrho, *valde fessa*, at tum saltem debuit dici *soni.* Contra Aldi Junt. post. *indefessa anima sono*: unde Scriv. fecit *indefessæ animæ sono.* Ineptius Wower. *infixo animo sono.* Bene viderunt VV. DD. *animam* hic notare spiritum, quo flamus: propiusque verum conjecit Colvius *inflexa anima.* Nam et Becich. Ep. 96. ait in vet. lib. esse *inflexa animæ*, idque magis congruum ait epith. Musicæ, sed omittit *sono.* Scribendum est, ni valde fallor, *inflexæ animæ sono*, i. e. spiritus variatos sonos et diversos tonos edentis ac, quod subdit, 'pluriformes modos.' Statim: 'duas tibias uno spiritu animare.' Arnob. l. VI. p. 196. 'buccinarum animantes tortus intestinis et domesticis flatibus.' Est autem idem, quod Plautus in re tibicinii vocat 'animam vertere,' ut bene observat post Salmasium Plin. Exerc. p. 85. Broukhus. ad Tib. I. 8. 37. 'Ille liquor docuit voces inflectere cantu; Movit et ad certos nescia membra modos:' ubi vide de *flectere* et *inflectere* hac in re plura. Athen. lib. XIV. p. 617. ex Telesti: νομοαίολον ὀρφνὰ πνεύματος αὔραν ἀμφιπλέκων καλάμοις. male ibi ὀρφναὶ vulgo sine sensu. ὀρφνὰ est obscure. Cicero de Or. II. 46. 'inflexa ad miserabilem sonum voce.' [Add. Ernesti in Cl. v. *flexio.* J. B.] Unice hanc flexionem hic in animo habuit Auctor, non autem tam amabilem sonum, qui auditoris animum flectat. Imo verum sensum vidit Salmasius, sed id non notat 'flexanimus.' *Oud.*

Multiforatili] Statius Thebaid. VIII. pag. 283. 'Et moderata sonum vario spiramine buxus,' Scholiastes: 'Ti-

biam significat varie foratam.' Noster lib. x. Metam. 'Jam tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter consonant.' Avienus, sive alius quis auctor in Catalect. vett. poëtarum: 'Quod foraminibus tibia mille sonat.' *Elmenh.* V. *multiforabili:* tibia multiforatilis, αὐλὸς πολύτρητος. *Wow.* Flor. Lips. et Edd. O. *multiforatili.* Vid. ad Met. lib. x. p. 745. a. *Oud.*

Commodum] Tunc, ut sæpe alibi. 'Nemo repente fuit turpissimus,' ut Juv. ait. *Pyrrh.*

Nec quicquam est quod possit in prim. s. perfici] Cicero in Bruto: 'nihil est inventum simul et perfectum.' Ausonius ad Symmachum: 'alius alio plura invenire potest, nemo omnia.' *Elmenh.*

Stridenti miserum, &c.] Carmen Virgilianum Bucol. [Ecl. III.] *Pyrrh.*

§ 2 *Paulo largius*] Malim: *longius.* Sciopp. in Symb. Male Scioppius. *Largiter* hic notat 'abunde,' 'magnopere.' Lib. XI. Met. p. 792. 'largiter succedere.' *Oud.*

Promovisse] Promotus esse. *Pyrrh.*

Mos fuit una tibia] Horatius in Arte Poët. 'Tibia non ut nunc orichalco juncta, tubæque Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco.' Vide Tzetzen in Chiliad. Histor. p. 8. *Elmenh.* *Una tibia* exsulant a coll. Voss. Lips. *Oud.*

Primus Hyagnis] Tzetzes Chiliad. Histor. XV. *Elmenh.*

Manus discapedinavit] Distinxit, discrevit. *Pyrrh.*

Lævis] Sinistris. Tibiarum species cum a plerisque tum a Cœlio describuntur. *Idem.*

Gravi bombo] Bombus et gravior et crassior sonus. *Idem.*

Concentum musicum] Harmoniam ex variis sonis compositam. *Idem.*

Phryx cetera et barb.] Elegans locutio, qua saepe utitur. Phryges autem contumaces esse testatur adagium, 'Sero sapiunt Phryges.' *Idem.* Ac si diceret, homo nihili, stupidus, sordidus. Cum enim hominem ineptum, rudem et imperitum Veteres indicare vellent, Mysum aut Phrygem dicebant. Cicero Oratore: 'Quomodo igitur modo audiretur Mysus aut Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes agitetur putidus?' Et ad Q. Fratrem: 'Nisi forte me Paconii, nescio cujus hominis ne Græci quidem, at Mysi aut Phrygis potius querelis moveri putas, aut Tuscenii hominis furiosi ac sordidi vocibus.' Innominatus scriptor apud Suidam: Φιλοσοφοῦντος οὐκ ἔστι μαντικὴν ἐπαγγέλλεσθαι καὶ προσφέρειν. οὐδὲ τὴν ἄλλην ἱερατικὴν ἐπιστήμην χωρὶς γὰρ τὰ τῶν φιλοσόφων καὶ τῶν ἱερέων ὁρίσματα, οὐδὲν ἧττον ἢ τὰ λεγόμενα Μυσῶν καὶ Φρυγῶν. Hi etiam olim funebri pompæ, ob vocem barbaram et asperam luctui ciendo idoneam, adhibebantur. Æschylus Persis: Καὶ στέρν' ἄρασσε κἀπιβοᾶ τὸ μύσιον. Ubi Scholiastes: Οἱ γὰρ Μύσοι καὶ οἱ Φρύγες μάλιστά εἰσι θρηνητικοί. Et proprie de Phryge, barbarus. Phryges enim κατ' ἐξοχὴν Barbari dicti, et Phrygia, Barbaria. Barbarica amicula, id est, Phrygia. Noster supra lib. x. Met. 'Et in modum Paridis Phrygii pastoris, Barbaricis amiculis humeris defluentibus pulcre indusiatus.' Horatius lib. I. Epist. 2. 'Græcia Barbariæ lento commissa duello:' et Epod. 9. 'Sonante mixtum tibiis carmen lyra, Hac Lydium, illis Barbarum.' Virgil. XI. Æn. 'Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.' Sic apud Lucret. lib. II. 'Barbaricæ vestes,' a quarum confectione Barbaricarii dicti l. I. 1. 10. Cod. tit. lib. x. C. Donatus in Virgilium: 'Barbaricarii dicuntur, qui ex auro exprimunt hominum formas et animalium, et aliarum specierum imitatam subtilitate veritatem.' Phryges acu pingendarum vestium arte celebres, quam etiam ibi repertam scribit in III. Æneid. Servius. Unde Phrygiones. Sed hæc jam institutum Notarum modum excedere

videantur. *Colv.*

Hispidus] 'Hispida membra quidem et duræ per brachia setæ Promittunt atrocem animum.' Juv. XXI. Sat. 2. *Pyrrh.*

Illutibarbus] Sic disertim scriptum in veteri nostro. Vulg. *multibarbus.* Legi aliquando, *squallibarbus.* Infra enim: 'Laudans sese, quod erat et coma relicinus, et barba squallidus.' Sed Illutibarbus, id est, illuta et sordida barba præditus. Sic Plauti Pœnulo: 'Nam quæ elauta est, nisi Perculta est, meo quidem animo quasi illauta est:' melior vetus scriptura, *quasi illuta.* Ita quoque fortassis, 'odor illutibilis' accipiendus Menæchmis: 'Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili.' *Colv.* *Multibarbus* legit Aldus. Philostratus junior Imaginibus de Marsya, pag. 887. *ἀναβλέπει δὲ ἐς τὸν Μαρσύαν, γλαυκιῶν τὼ ὀφθαλμὼ, καὶ κόμην τινὰ διανιστὰς, ἀγρίαν τε, καὶ αὐχμῶσαν.* *Elmenh.* Ita alii ex libris antiquis. Hispidus, illutibarbus, hoc est, ut ipse interpretatur, pectore hirsutus, barba squallidus. Philostrat. Icon. Marsiæ tribuit *κόμην ἀγρίαν τε καὶ αὐχμῶσαν.* Antipatro et Alcæo Anthol. Phryx et Satyrus, *σατύρου αὐχμηρὸν τὸ εἶδος,* ait Callistratus, unde et spinis obsitum dicit. Nam quæ Juvenalis Sat. II. 'duras setas,' Apul. 'spinas' vocat. Horat. Epod. et ex eo Ausonius: 'Horrens capillis ut marinus asperis Echinus.' Eodem sensu: nam et echinis ἀκάνθαι. III. Æneid. 'dira illuvies promissaque barba Consertum tegmen spinis.' In Glossis: 'Illubies, ἀλουσία.' Pacuv. apud Nonium conjunxit, 'squalem, scabiem, illuviem:' inde Plauto Menæch. 'odor illutibilis.' In iisdem Glossis: 'Elludies, ἀρουσία.' Lege: *Illuvies, ἀλουσία.* Eluvies, sordes. Firmicus VI. Astron. 'Quorum corpora hircini odoris eluviem evaporant.' V. Metam. 'enormis eluvies squallentium fœderum insuave fastidium.' Glossæ:* 'Eluvies, σέλματα, ἀνοδία.' Scribe: *Eluvies, τέλματα, ἀνοδία.* intelligit loca in agris, in quæ uligo et sordes defluunt: ita Juven. Sat. III. 'eluvies, cloaca.' Patet igitur unde Apuleius illutibarbum dixit: non discesserim tamen a vulgata lectione: 'hispidus, multibarbus. δυσωπόγων, μεγαλόθριξ.' *Wower.* *Illutibarbus,* id est, squalida et illota barba, atque ita præter Ms. Lips. unde hanc vocem reposuit Colv. exhibent Mss. Florentini. Sic 'inlutis pedibus' Gell. lib. XVII. c. 5. in f. Adi Colv. et Wower. cui ut et Florido non displicebat vulgata lectio *multibarbus,* ut 'multiforatilis,' 'multijugus,' 'multivius.' Pith. *illutibarbarus.* *Oud.*

Spinis] Sive setis, ut bene Wower. supra. Cic. de Nat. De. lib. II. c. 47. 'Animantium aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ.' Adde, quæ citat N. Heinsius ad Ovid. Met. XIV. 166. 'Spinis conserto tegmine nullis.' *Idem.*

Cum Apolline certavisse] Vet. al. *concanisse.* Si quid mutemus, scribendum erat *concanuisse.* Servius II. Georg. 'Sic etiam ab eo quod est Cano non cecini, sed canui dicebant. Unde Sallustius: cornua occanuerunt.' Priscian. lib. X. 'Quidam et occano, occanui protulerunt; ut Sallustius in I. Historiarum: Metelli cornicines occanuere.' Si in Apuleio hoc non censeamus reponendum; notemus saltem novitatem in hoc verbo apud Sallustium, non semper ad Grammaticorum regulas locutionem suam examinantem. *Colv.*

Thersites cum decoro] 'Quo non deformior alter Venerat ad Trojam, linguave protervior alter:' de quo Homerus Iliad. II. *Αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε. φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα· τὼ δέ οἱ ὤμω Κυρτὼ, ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε· αὐτὰρ ὕπερθε Φοξὸς ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.* *Pyrrh.* Quidam, *turpis cum decoro.* Colvius. Flor. II. 'teter cum decoro.' Ther-

sites erat acuti capitis, lusciosus, claudus, et gibbosus. Tzetzes lib. VII. hist. 151. *Elmenh.* Vitii hic subesse aliquid, cuivis attento patet satis. Claudicat enim comparatio, in qua nomen proprium opponitur communi. Hinc ab editore Junt. post. videtur e conjectura repositum *turpis cum d.* At optime Florent. cod. *teter cum decoro,* ut et emendavit Barth. ad Stat. l. I. Theb. 708. De externa oris fœditate sæpe Nostro *tetrum* dicitur, ut et aliis. In Apol. p. 409. ed. Flor. 'ne qua visatur tetra labes sordium:' et 'teterrimum os,' 'teterrima facies,' in eod. lib. Alioquin cum viro docto lege *Thersites cum Nireo,* vel, si malis, cum Ill. Heinsio ad Ovid. Art. II. 109. *Thersites teter cum decoro Nireo;* mihi prius *teter* placet. *Oud.*

Musæ cum Minerva dissim. gr.] Ceteri auctores, qui hujus fabulæ meminerunt, judices hujus certaminis fecere *Musas,* non *Minervam:* immo mox Auctor ipse solummodo ait: 'risere Musæ.' Unde vehementer placet lectio Codicum Becichemi Ep. 96. ex quibus hausisse videtur Vir Doctus in Misc. Obs. vol. V. tom. III. p. 110. *sus cum Minerva.* Præsertim cum id desumtum videatur ex Theocriti Idyll. V. vs. 23. ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισεν. Vide Scholiasten et Meursii Spicilegium, ac notas ad Ælian. V. H. l. XIII. 25. Quod si recipias, *Musæ* inserendum ante vocem *dissimulamenti.* Male enim idem Vir Doctus hanc sollicitavit vocem. Joci caussa, ait Auctor, Musas se finxisse esse judices, quæ tamen satis sciebant, Apollinem sine dubio victurum esse. Ut in Apol. p. 96. Ed. Pric. 'dissimulamenti caussa et deridiculi:' quem locum alius esse sententiæ male statuit V. D. Secus patere ei poterat e seqq. hic verbis 'non intelligens se deridiculo haberi.' Auson. perioch. V. 'per deridiculum.' Vide de hoc composito Dukerum ad Liv. l. XXXIX. c. 25. 'alterum deridiculum esse.' Præterea non Latinum videtur id, quod reponere tentat, *dicis tamen Musæ gratia.* Velim enim mihi dari exemplum, quo *gratia* hoc sensu a substantivo divellatur per alium casum. Si vera est lectio *sus cum Minerva,* subjungendum, *Musæ dissimul. gr.* quam vocem Becichemus non audens inserere veriorem credidit vulgatam lectionem. Ampliandum tamen adhuc censeo. Vulcanius male quoque margini adscripsit *delectamenti,* non capiens vim vocis *dissimulamenti.* *Oud.*

Coma relicinus] I. e. recrispus, incomptus, reflexis in occipitium capillis; et hoc postea utitur in alio libro. *Pyrrh.* Glossa vetus. 'Licinus ἀνάθριξ.' Servius autem Honoratus in lib. de Serm. Lat. qui est post Isidor. 'Licivi,' inquit, (scribo ego *licini*) 'boves dicuntur, qui sursum versum cornua habent.' *Groslot.* Immo vide Serv. et Phylarg. ad Virg. Ge. III. 55. 'Coma relicinus,' i. e. sursum crispata et erecta. Capit. in Alb. c. 13. 'capillo renodi et crispo.' Nemo melius hæc explicuit Meursio Exerc. Crit. p. 227. ubi vide. Mox de Alexandro: 'relicinæ frontis.' Quod Ælianus ait l. XII. V. H. c. 14. αὐτῷ ἡ κόμη ἀνασέσυρται. si tamen sana est lectio. Vid. A. Gronov. *Oud.*

Genis gratus] Fuit cum mallem *genis rasus et c. gl.* Nota lex XII. Tabul. MULIERES. GENAS. NE. RADUNTO. Hoc calumniabatur in Apolline Marsias, non quod revera ita esset, qui enim imberbem rasum dicamus? sed quia videretur et turpe ac indecorum olim radi. *Colv.* Male. *gratus* opponitur *squallido,* notatque *nitentem*; sic passim 'color gratus.' *Idem.*

Glabellus] Sine pilis, delicatus, quem Græci γλάφυρον dicunt. *Pyrrh.*

§ 3. *Præmulsis antiis*] Anterioribus capillis in ordinem dispositis; quales fœminæ habent, quas gallica voce grenas dicunt. *Idem.*

Promulsis caproneis] Alii libri habent *capronis*, capillis dependentibus, quasi a capite pronis. Agathias de gestis Gothorum refert reges Franciæ hac coma usos fuisse. *Idem.* *Præm. ant. et prom. capr.*] Copulam *et* ignorabant vulgati Codd. omnes. 'Antiæ,' inquit Festus, 'capilli muliebres demissi in frontem.' Glossæ veteres: 'Antiæ, *κόμαι διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικεῖαι.*' Et aliæ: 'Κόμαι τῶν κροτάφων, Antiæ.' Tertullianus de pallio: 'Hiatus crinibus infarsos, genuinos inter antias adumbratos, ne tota oris contumelia mugiret.' De leone ab Hercule domito. Legi commodius posse aliquando visum, *præmissis antiis*, sed abstineo. 'Capronæ,' verba Nonii, 'comæ quæ ante frontem sunt, quasi a capite pronæ.' Lucilius Satyrarum lib. VII. 'Aptari caput, atque comas fluitare capronas Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.' Ex his needum discriminare possis, quid Antiæ, quid Capronæ. Non enim satis diligenter Grammatici illi notasse videntur. *Colv.* Notat Colv. non satis discrimen nosci inter *antias* et *capronas;* atque ita Broukhus. quoque ad Propert. lib. II. El. 18. 9. 'crines puris in frontibus errant,' ait, istos prominulos capillos a Veteribus vocatos fuisse *antias* et *capronas*, quasi sine ulla distinctione; adeoque horum duorum unam esse sententiam vulgo cum Lexicographis existimat, atque ita etiam Dacerius ad Festum, ubi e Mss. et Edd. vett. leg. *dimissi* non *dem.* Floridus tamen distinctionem facit: vide ejus notam. N. vero Heinsius ad Ovid. Met. v. 450. hunc locum sic citat: *promissis antiis et prominulis caproneis*, additque: 'quæ quid sibi velint, nemo nos docuit. Puto, *prolis missutiis an. et prominulis caproneis.* Promittere crines, elegans.' Hæc ille; quæ non capio et typographicis vitiis infecta suspicor. Colvius etiam olim conjecit *præmissis antiis*, ut et Bourdelot. ad Petron. c. 126. p. 780. et Lipsius, qui etiam adlevit *promissis*. Errant autem vehementer Viri Docti. Nam *antiæ*, quas memorat etiam Mart. Cap. l. II. p. 42. sunt crines *διὰ τῶν κροτάφων*, ut aiunt Grammatici Græci, sive per tempora, adeoque etiam in fronte, et hinc ad aures et genas pendentes; quales Ausonio intelliguntur Mos. 236. 'aut frontis ad oram Vibratos captat digitis extendere crines.' (sic malim, quam, *vibratis cæptat.*) eædemque quæ in columnis Ionicis sunt *volutæ;* ubi *cymatia* et *incurpi* referunt *capronas*. V. Vitruv. lib. IV. c. 1. Isidor. lib. XIX. Orig. c. 31. 'Antiæ sunt cincinni dependentes prope auriculas, Græco vocabulo ab auribus.' f. *oris*. Aristæn. l. I. Epl. 11. *ἡ κόμη περικειμένη μὲν τῷ μετώπῳ, συγκατιοῦσα δὲ τῶν ἰούλων παρὰ τὸ οὖς.* V. Varron. in *παπαπάππω* citatum Colvio ad l. II. Met. p. 110. b. Sunt igitur *antiæ* capilli in anteriore parte capitis, et *anteventuli* atque *antependuli*, in oppositionem crinium, qui pererrant cervicem, et hinc *retropenduli* Nostro dicuntur lib. v. Met. *Capronæ* vero, vel potius *capronæ*, ut esse in aliis testatur J. Pyrrhus, sunt crines in frontem proni, ut diserte apud Nonium in hac voce docet Lucilius, a Colvio jam adductus: 'comas fluitare capronas Altis frontibus immissas.' Sic enim leg. non *altas*. 'Comas priores' vocat Lucan. lib. v. 142. vid. et Schol. Lucan. ad lib. II. 355. *Antias* autem, deductas ab *antibus* sive oris et extremitatibus, tales esse, quos dixi, crines, luculenter jam olim docuit Salmas. ad Tertull. Pallium: 'Genuini inter antias adumbrati,' i. e. dentes leonis inter cincinnos ab utraque aure dependentes inserti. Ibique simul nostrum locum explicat citans, quasi ita in suo haberet libro: *remulsis antiis et promulsis capronis.* Verissime. Sic enim omnino legi debet, vel sine copula *et*, ut habent Edd.

Colvio priores. 'Remulcere, καταψήχειν' Græcis et Polluci, ut puto, lib. IV. § 152. est leniter retrorsum, ne nimis propendeant, reflectere. 'Promulcere, παραψήχειν' ibid. ita, flectere ut propendeant. Hinc bene etiam legas in Flor. N. 15. 'crinibus a fronte parili separatu per malas remulsis.' Mart. Cap. lib. III. p. 58. 'Vore constricto labrisque promulsis exhibetur.' Sed ibi in Mss. multis antiquissimis *prominulis:* quod et hic idcirco cum Heinsio malim. De τοῖς *remulcere* et *promulcere*, vide ad Met. VII. p. 478. a. et de re ad Suet. Cæs. cap. 45. Verum, ne quem sua laude defraudem, discrimen tamen vidit quoque inter *antias* et *capronas* Elmenh. in Indice scribens, *antias* esse cinnos circa aures, capronas in fronte. Porro Apollo talibus *antiis* circa aures usque ad humeros demissis erat celebris. Unde Ovidius docens puellam facie rotunda non ornandam esse antiis, quas bene illic describit Heinsius, ait: 'Exiguum summa nodum sibi fronte relinqui, Ut pateant aures, ora rotunda volunt. Alternis crines humero jactentur utroque. Talis es, adsumta, Phœbe decore, lyra.' De antiis quoque intelligendus Val. Flac. l. VI. 62. de capillo Auchi: 'dat longior ætas Jam spatium triplici percurrens tempora nodo:' et vs. 563. 'intortos per tempora nodos.' Quid plura? *Remulsas* Apollinis *antias* et *promulsas capronas* egregie videre potes in tabella, qua ipse Broukhusius ornari jussit Tibullum p. 318. *Promulsis* etiam non mutandum in *promissis*, uti et facit Bourdel. ad Petron. d. l. Amat enim Auctor vehementer idem verbum jungere, variatis præpositionibus, ut 'demeare,' 'remeare;' 'evadere,' 'pervadere:' 'exhibere,' 'prohibere:' 'deferre,' 'proferre:' et alia innumera. Vide lib. I. p. 14. lib. VI. p. 111. 128. lib. VII. p. 138. lib. VIII. in f. lib. X. p. 209. 212. 225. 234. Met. Ed. Pric. *Oud.*

Antexentuli et prop.] Exponit priora verba. *Pyrrh.*

Fulgurat] Candidat, variegat: hæc facilia sunt, quia hoc loquendi genere passim utitur Apuleius. Marsyæ fabula egregie descripta est ab Ovidio in VI. Met. et in Fastis lib. VI. 'Provocat et Phœbum, Phœbo superante pependit, Cæsa recesserunt a cute membra sua.' *Pyrrh.*

Gemmis variegat] Hoc verbum nusquam ita usurpat Auctor, licet sæpissime adhibeat, ut ex indice videre potes. Quare malim *variegatur* cum Ill. Heinsio ad Ovid. Met. XI. 167. de Apolline, 'Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis.' Creberrime nota τοῦ *ur* in Mss. omitti solet; ut et alibi notavimus. Active tamen pro *variare* usurpat etiam Auson. in præf. Cent. *Oud.*

Circa corp. sui qual.] Varie hæc explicant leguntque Viri Docti. Floridus satis ridicule suam correctionem exponit. Rycquius in Primit. Ep. 88. p. 162. maluit, *citra c. s. squalitatem*, et Brantius *contra c. s. squalitatem;* ut est apud Lucil. pro *squalore*. Est etiam qui conjecit *circa c. s. qualitatem operosi*, quod vix intelligo. Placuit tamen Viro Docto in Misc. Obs. vol. V. t. III. p. 110. Omnes nodum in scirpo quærunt. In Msto Florent. est *cetera*. Lips. *intra*. Bene; atque ita jam edidit Scriverius, et probarunt Colvius et Becichemus Ep. 96. Dicit Marsyas: Hæc luxuriæ in Apolline blandimenta præ se maximam speciem ostentare, sed esse tamen *intra* qualitatem corporis sui, sive minora. Hæc enim vis est præpositionis *intra*, vel, si mavis, *infra*. Utriusque exempla vide ad Sil. l. XV. 107. et Cæs. l. VI. B. G. c. 28. 'Hi sunt magnitudine paullo infra elephantos.' Vell. lib. II. c. 127. 'infra aliorum æstimationes se metuentem,' ubi Burm. præfert *intra*. Quare hanc lectionem elegantem retineo. Quia

tamen in Mss. Fulvii, Bembi, Becichemi, et Pith. scribitur *contra*, quod sexcenties apud Nostrum abiit in *circa*, non displicet mihi conj. Vincentii Contareni, quæ constructionem et sensum efficit faciliorem, lib. I. c. 5. Var. Lect. § 4. *contra c. s. q. per se m. s. ost.* G. Vossius etiam suæ Ed. margini adscripsit 'l. *contra*.' Hoc sensu *contra* est adv. Ut dicat Marsyas: Hæc Apollinis blandimenta luxuriæ accommodata esse; at e contrario sui corporis qualitatem ostentare maximam speciem *per se*, i. e. nullo lenocinio aliunde arcessito. Alterutra harum lectionum unice vera est. *Id.*

In pœnam cecinit et cecidit] Pith. *et p.* Male Edd. Vulc. pr. et Wow. *in pœna*. Valet, ut puniretur. Talia passim occurrunt lib. III. Met. p. 47. ed. Pric. 'porrectis in preces manibus,' i. e. ut precaretur. Adi me ad Lucan. lib. II. vs. 151. et in Misc. Obs. vol. V. t. II. ad Avieni vs. 1190. 'in fluctus qui cymbam navita texit.' Bouhier. ad Petron. carmen de B. Civ. p. 103. 'in Venerem fregere mares.' Restituendum etiam hoc Plinio lib. XXXV. c. 10. 'pinxit et Alexandrum fulmen tenentem in templum Dianæ Eph. 20. talentis. Cornua vel cornu ac digiti eminere videntur.' Sic enim Mss. 2. vetustissimi Leidd. non *templo*. *Cornua* vel *cornu ac* e conj. Vulgo inepte *auri*. *Digiti*, vel ejicitur vox *auri*, quæ tamen est in Mss. Iidem libri antiquissimi *auria*. Pinxit Apelles eum ut filium Jovis Ammonis, de quo alibi latius. Hinc forsan sequendi Codd. quos inter etiam 4. Leidd. apud Florum lib. II. c. 15. 'In armorum officinas aurum et argentum pro ære ferroque conflatum est.' Vide tamen illic Dukerum. *Idem.*

Tam hum. vict. puditum] Puduit: pulchra et licentiosa locutio. *Pyrrh.*

NUM. IV. Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb. Antigenidas*] Iste dicebat bonos modulatores juvenibus jucundiores fore, si malos prius audissent. Ita bonos præceptores pluris æstimari aiunt ab his qui malos habuerint; hoc audito tibicine Alexander raptus est, ut Plutar. refert. *Pyrrh.* Dio Oratione XLIX. fol. 539. Ismeno hoc attribuit: ἔφη δέ τις τῶν ὀλίγῳ πρότερον φιλοσόφων οὐ φαύλων τὸν Ἰσμῆνον τοῦτο μάλιστα ἀγανακτεῖν, τὸ καλεῖσθαι αὐλητὰς τοὺς τυμβαύλας. οὐ παντελῶς οἷον δὲ ὂν ἐμοὶ δοκεῖ. οὐ γὰρ βλάπτουσιν οὐδὲν οἱ τυμβαῦλαι τοὺς νεκρούς, οὐδὲ ἐνοχλοῦσι. τῶν δὲ προσποιουμένων φιλοσόφων ἔνιοι καὶ πολλὰ χαλεπὰ ἐργάζονται. *Elmenh.* De illo vide quæ laudantur ad Gell. l. XV. c. 17. Salmas. in Plin. Exerc. p. 83. seqq. Quod Noster Antigenidæ, id alii Ismeniæ tribuunt. Vide H. Valesii Emend. lib. II. cap. 22. ejusque editorem. *Oud.*

Omnis modi perit. modif.] *Omnimodis* adverbialiter hic præferunt Mss. quod sciam, omnes, et Edd. vulgares, præter Floridum, qui, fraudulenter secutus Salmasii emendationem dicto loco, edidit *omnis modi*: quod ante illos jam occupavit Ed. Junt. post. Bene; nisi præferas *omnibus modis*, ablativo juncto τῷ *peritus*, pro genitivo, cujus constructionis exempla apud optimos exstant. Adi ad Hirt. B. Afr. cap. 31. 'mirabili peritus scientia bellandi.' Gronov. ad Gell. lib. IV. cap. 8. 'militari disciplina peritus.' Burm. ad Suet. Claud. cap. 42. Arnob. lib. II. p. 49. 'omni genere studiorum et disciplinarum peritos:' ibid. p. 55. 'rerum experientia non peritum:' ita enim ibi leg. cum Fulvio, non *paratum*, de quarum vocum confusione vid. Burm. l. c. Cum accusativo usurpavit Auson. Epigr. 137. 'arma virumque peritus.' Male viri docti hoc loco conjecturam suam firmant lib. VII. Met. p. 479. 'Omnimodis ille deterrimus:' ibi enim ex Mss. legi debet *omnibus ille det.* Hic autem intelligit *modos* musicos sive τρόπους, quos mox recenset. *Id.*

Æolium] De his canendi generibus ait Erasmus legendum esse Platonem et Plutarch. de musica. Ego dixi nonnulla in lib. de saltatione. Ait autem Plutarch. in politicorum lib. Lydium et Phrygium cantum adolescentibus adimi oportere, quod alter luctu atque conquestionibus animam dejiciat atque affligat, alter ad libidinem luxuriamque irritet. *Pyrrh.*

Phrygium religiosum] Aristot. de Republ. lib. VIII. cap. 7. ἐνθουσιαστικῶς δὲ ἡ Φρυγιστί. Lucianus in Harmonide : Καὶ τῆς ἁρμονίας ἑκάστης διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίου τὸ Βακχικὸν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. *Elmenh.*

Monumentarii ceraulæ] Qui ad monumenta canunt : alii libri habent *momentarii*. *Ceraulæ*, i. e. viles cornicines. Ceraulæ enim sunt qui cornu inflantur : sed prior expositio est melior, ut Cælius docet. *Pyrrh.* Male habitus, male etiam vulgo intellectus hic locus. Quidam libri, *cæraulæ*; alii, *choraulæ*. Ms. *cenule*. Rectam lectionem suo tempore vidit maximus Italorum Angelus Politianus, dum ait in sua Lamia: ‘ Ferebat Antigenidas parum æquo animo, quod monumentarii ceraulæ tibicines dicerentur.’ Ceraulæ οἱ κεραῦλαι, κερατaῦλαι, Latinis, ‘ cornicines.’ Restituendum hoc Orosio, probo scriptori, l. VII. ubi de Nerone hunc in modum scribit : ‘ Si quidem percitus petulantia omnia pæne Italiæ ac Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam varii vestitus dedecore, ceritos, citharistas, tragœdos, et aurigas sæpe sibi superasse visus est.’ Legendum enim etiam, *ceraulas, citharistas*. Immo jam ne dubitem ullo modo de veritate hujus emendationis facit Jo. Salisburiensis, qui lib. VIII. cap. 18. de Nugis Curial. hunc ipsum locum Orosii etiam laudat. Ubi est : ‘ cericas, id est, cornicines :’ procul dubio interpretamentum germanæ lectionis, quam jam reposuimus. Conjecturam nostram juvare etiam videatur Statius Thebaidos lib. VI. ‘ Cum signum luctus cornu grave mugit adunco Tibia.’ Porro quod hic Noster de Antigenida, fere idem Dio Chrysost. de Hismenia refert. Cujus verba Latine ponam, quandoquidem Græce ea unde describam exemplar mihi nullum. Sententia ejus igitur Oratione nona : ‘ Dixit autem ante hæc tempora Philosophorum quidam non malus, Ismenum ob hoc maxime indignari solitum, quod siticines appellarentur tibicines. At nequaquam res est indignatione digna, ut mihi quidem videtur, nihil enim mortuis detrimenti afferunt siticines, neque illis sunt molesti.’ Sed Græca videto, quicunque potes : nam magis illa ad hunc locum facere nostramque de eo conjecturam, non dubito. *Colv.* *Monumentarii ceraulæ* sunt τυμβαῦλαι et *siticines*. (vid. Gell. lib. XX. cap. 2.) *Oud.*

Munera nostra] In Bemb. Cod. *vestra* exstans probat Vincent. Contarenus lib. I. V. L. cap. 5. Intellige ergo, Carthaginiensium, qui muneri gladiatorio fuere perquam dediti. V. Orbis descript. sub Constantio cap. 53. et ibi Gothofred. ubi Carthag. μουνέρων mentio. Ceterum ineptissime Floridus notat in muneribus Gladiatoriis præsedisse Lanistam : cum nihil notius sit, quam præsedisse semper vel principem, vel magistratum, munera edentem ; immo Lanistas ipsos fuisse gladiatores modo, sed vel rude donatos, vel arma præ ceteris edoctos, ut magistrum in reliquos agere possint. *Idem.*

Togam quoque parari] Pallium et toga pace gerebantur, magistratibus et philosophis apta vestimenta. Locus orationi dat authoritatem, ut et Quintilian. docet. *Pyrrh.* Ex more Romanorum hoc dicit, qui mortuos vestibus obvolvebant. Juvenal. Sat.

III. vs. 172. 'Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit nisi mortuus.' Basilius Magnus homil. contra divites. Chrysostomus de festis diebus tom. VI. fol. 13. Hieron. in vita Pauli Eremitæ. *Elmenh.* Toga voto paratur, cum Virilis sumitur: funeri, cum ea cadaver involvitur, qui ei proprius in Italia amictus. Juvenalis Sat. III. vs. 172. Et candida ea quidem, ut ex Plutarcho et Artemidoro observavit Elector. lib I. Lipsius. Quod etiam notat Lucianus de Luctu: Λαμπρῶς ἀμφιέσαντες ἵνα μὴ ῥιγῷεν δηλονότι παρὰ τὴν ὁδὸν, μηδὲ γύμνοι βλέποιντο τῷ Κερβέρῳ. Et post: Ὁ δὲ εὐσχήμων καὶ καλὸς, καὶ καθ' ὑπερβολὴν ἐστεφανωμένος, ὑψηλὸς προκεῖται καὶ μετέωρος, ὥσπερ ἐς πομπὴν κεκοσμένος. Hinc clara mens Paulli nostri in lib. XIX. D. de In rem verso: 'Filiusfamilias togam emit: mortuo deinde eo, pater ignorans, et putans suam esse, dedicavit eam in funus ejus.' Nam togam in funus alicujus dedicare nihil aliud est, quam in id eam dare, ut ea mortuus involvatur. *Colv.*

Pallio cadavera operiri] Græcorum more. *Idem.*

NUM. V. *Mimus*] Mimus a μιμοῦμαι, id est ab imitando, dicitur effictor, qui gesticulationibus hominem ac rerum naturas effingens populo risum excitabat. *Pyrrh.*

NUM. VI. *Indi gens*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* India orientis regio Asiæ pars vastissima, procul a nobis, id est, ab Africa. *Pyrrh.*

Oceani reflexus] Lege, *Oceani refluxus.* Elmenh. Ex Lindenbrogio id sibi arripuit Elmenh. Sed caussam non video cur ille maluerit *refluxus*, quæ vox non magis alibi reperitur quam *reflexus*. Nihilominus Scriver. jam edidit *refluxus*. Sed *flecti* cum compositis passim dicitur de mari, cum se in alteram regionem versus agit, et circumfundendo se flectitur circum terras: ut hic ab Oriente versus Septentrionem vel Meridiem. Avien. Descr. Orb. vs. 140. 'Se marmora fundunt In Boream Zephyrumque dehinc deflexa.' vs. 537. 'In jubar Eoum rursus se cernua flectunt Æquora;' ut scribendum conjeci in Obs. Miscell. Substantivum *flexus* in hac re Avien. rursus vs. 173. 'flexu lubricus errat Gurges:' de flumine Lucan. lib. X. 290. 'cursus in occasus flexu torquetur, et ortus.' Mela lib. III. c. 7. 72. 'flexibus fluminis Indi.' *Oud.*

Ægyptios eruditos] Ab his et Pythagoras et Socrates et Plato et plerique summi viri artes didicere. De his etiam dicit in ultim. lib. de asino aureo, quos vocat prisca doctrina pollentes: hi geometriam invenere, ac ut nonnulli sentiunt astrorum scientiam. De his et Herodot. Diod. et permulti. *Pyrrh.*

Judæos superstitiosos] Ut apud Juven. in Sat. XIV. de qua re Josephus multa. Tiberius Cæsar Ægyptios Judaicosque ritus compescuit. *Idem.*

Nabathæos] De Nabathæis meminit Juven. Sat. XI. Plin. lib. VI. et Ptolomæus eos esse ait in Arabia Felice. *Idem.*

Arsacidas] Id est, Persas, ut Persicus apparatus. Scythia inclyta est. *Idem.*

Ityræos] Auctor Strabo, Ityræos esse populos maleficos in Laodicea apud Libanum montem. Virgilius II. Georgic. 'Ityræos taxi formantur in arcus.' Lucanus lib. VII. 'Et Creta Cydonas Misit: Ityræis cursus fuit inde sagittis.' *Colv.*

Odorum divites Arabas] 'Arabs odoratus.' Constantin. Imp. in Constit. ad Agriculam. Tzetzes Chil. VIII. hist. 252. Ἡρόδοτος, Διόδωρος, Κτησίας, πάντες ἄλλοι λέγουσι τὴν εὐδαίμονα τυγχάνειν Ἀραβίαν, Ὥσπερ καὶ γῆν τὴν Ἰνδικὴν εὐωδεστάτην ἄγαν Ἀρώμασιν ἐκπνέουσαν, ὡς καὶ τὴν γῆν ἐκείνης Καὶ λίθους κοπτομένους δὲ ταύτης ἀρωματίζειν.

Τοὺς δὲ ἀνθρώπους τοὺς ἐκεῖ λυθέντας εὐωδίαις, Ὀστᾶ τινὰ, καὶ κέρατα, καὶ φύσεις τὰς ὀζώδεις Τότε καπνίζεσθαι λοιπὸν, καὶ ἀνακτᾶσθαι πάλιν. Vide Heliodorum in Æthiopicis pag. 494. *Elmenh.*

Ganges] Verg. carmen, de Gange et Indorum moribus lege Plin. lib. VI. et Ovid. IV. Metam. ait: 'Decolor extremo quæ cingitur India Gange.' *Pyrrh.*

Regnator aquis] Dicitur ut 'rex aquarum.' V. Heins. ad Ovid. Met. IX. 17. *Oud.*

Valles] I. e. alvei, ut bene Floridus. Adi Cl. Burmann. ad Ovid. Met. lib. II. vs. 256. 'septem sine flumine valles.' Apud Statium, quem ibi laudat, inveni ipse quoque in 2. Codd. *vitrea de valle.* Sic capiendus Ovid. Metam. vs. 266. lib. XV. 'Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit:' ubi male Burm. quem vide etiam ad Val. Flac. lib. VII. 391. sed ibi tamen nihil mutem. Quinctil. lib. V. Inst. Orat. c. 14. 'ut latissimi amnes, totis vallibus fluat.' *Idem.*

Oraque centum] Errat Auctor. Ganges uno tantum ostio in mare influit. Adi Broukhus. ad Propert. III. 21. 16. *Idem.*

Immensi drac. c. imm. eleph.] Plinius lib. VIII. c. 11. 'Elephantes fert Africa, &c. sed maximos India, bellantesque cum iis perpetua discordia dracones tantæ magnitudinis ut et ipsos circumflexu facili ambiant, nexuque nodi præstringant. Commoritura dimicatio: victusque corruens complexum elidit pondere.' *Pyrrh.*

Indepti] Forte potius legendum, *implexi.* Infra lib. III. 'adhuc manus voluminí implexa, adhuc os recto libro impressum.' *Colv.* Recte Floridus: vide Indicem. Plaut. Asin. II. 2. 13. Quare contra Mss. nil temere mutem. Colvius tamen non male; at N. Heinsius volebat *impeditos* vel *voluminum impeditu* ad Ovid. Met. lib. IV. 361. 'elabique volentem Inplicat.' Verum ipsa illa notio inest τῷ *indepti:* nam et participium *aptus* passim significat colligatum, vinctum, ut infra N. XV. 'cithara baltheo apta.' De Deo Socr. 'animalia pinnulis apta.' V. Broukh. ad Tibull. I. 10. 70. Cerd. ad Virg. G. I. 168. Drak. ad Livium I. 46. Pro *revinciunt* coll. Lips. Voss. *revincunt.* Oud.

Est apud illos gens] Hæc Solinus sic expressit cap. 53. 'Indorum quidam agros exercent, militiam plurimi, merces alii, optimi ditissimique remp. curant, reddunt indicia,' &c. *Brant.* Florent. *est a. i. genus hominum quod.* Elmenh. Ms. *sunt.* Colvius. Pith. *gens qui.* Vulgo Edd. etiam Elmenh. dant *gens quæ novere,* pro *norit;* sed ed. Vicent. *qua.* Verum Ms. Florent. recentior *genus hominum, qui,* non *quod,* ut ait Elmenh. at in vetustissimo Florent. *genus qui,* et ita jam edidere Junt. post. Scriv. et Flor. Optime. 'Genus' et 'genus hominum' passim de gente usurpatur. Adi ad Cæsarem lib. IV. B. G. c. 3. Solin. c. 17. 'gens, &c. Hyperboreis similes: dicunt Arimpheos.' Sic leg. e Mss. Præterea ubivis obvia est ea synthesis 'genus qui novere.' Vide ad auct. de bel. Hisp. p. 951. 'genus, quibus,' &c. Flor. N. IX. 'hoc quoque genus invenitur, qui meliores obtrectare malint.' Ovid. Met. VII. 656. 'parcumque genus...et qui quæsita reservent.' Infra N. XXII. 'Servitium ejus hilares sunt atque epulantur.' Auson. Griph. Tern. vs. 45. 'Humanæ efficiunt habitacula ter genus artis. Parietibus qui saxa locant, qui culmine tigna, Et qui supremo comunt tentoria cultu:' uti locus ille e Mss. est restituendus. Statim 'genus præstabile,' eadem est confusio. *Oud.*

Bubulcitare] Plaut. docet me amare et te bubulcitare. Politian. in Lamia bovatim loqui ait. Hos esse puto quos Plin. buzas appellat: est autem

bubulcitare bubulcum agere. *Pyrrh.*

Et mutandis mercibus] Alii, inquit Plin. tellurem exercent, alii militiam capessunt, merces alii suas evehunt, resque externas invehunt. *Idem.*

Eminus, cominus] Nostra vocabula a longe et prope. *Idem.*

Gymnosophistæ] Philosophii Indiæ nudi philosophantes, de quibus Hieron. in prologo bibli, qui dicebant colendos esse Deos, nil mali agendum, mortem contemnendam, de quibus multi scripsere. *Idem.* Augustin. de Civ. Dei lib. XIV. 17. lib. XV. c. 20. *Elmenh.*

Incolendæ arboris] Emaculo, *inoculandæ arboris.* Arbores inoculare, quod significat inserere, Plinio, Columellæ quoque in usu fuit. *Stewech.* Inoculandas arbores dixit post Varronem, Columellam, Plinium. Est autem inoculatio insitio, quum unius arboris oculi trunco scisso inseruntur, vel cum aperiuntur arborum oculi, ut Plin. lib. XVII. In ficis et malis hæc fuit inoculatio antiqua, et Columel. lib. XII. 'His diebus arbores ficorum inoculantur.' *Pyrrh.* Male in v. *inculcandæ.* Arbores inoculare, ut Græci ὀφθαλμοὺς ἐντιθέναι. Hippocrates de natura pueri: germen insertum ὀφθαλμὸς eodem loco. Plinius eleganter adulteria arborum vocat. *Wower.*

Aurum colare] Id est, purgare, nitidius reddere. Tertullianus de anima: 'nec beryllis ideo aquosa materia est, quod fluctuent colato nitore.' Paullo post: 'certiora et colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus:' id est meliora, selectiora. *Colv.* *Colare* usurpant vett. de melle, aqua, et ceteris liquidis, quæ destillando a fæce purgantur, ut præsertim de vino, quod pressum eliquatur. Sed velim mihi exemplum dari, ubi *colare* proprie sumtum occurrat de auri, argenti, vel similis rei solidæ purgatione. Non video quoque, qui hic mentio fieri queat auri, cum agat tantum de rusticis operibus. Mihi nullum dubium est, quin de colatione vini loqui voluerit; adeoque lego *uvam colare.* Passim occurrit 'colare vinum,' scilicet per *colum* sive præli vas, per quod vinum passum guttatim defluit. Adi Glossas, Elmenhorstii Indicem, et Heinsium ad Ovid. Met. XII. 487. *Oud.* *Sapientiam percolunt*] Unde Plin. lib. VI. de his loquens, 'Quintum,' inquit, 'genus Indorum celebratæ illic et prope in religionem versæ sapientiæ deditum est,' &c. *Pyrrh.*

Magistri] Mos optimus Gymnosophistarum exigendi a quolibet discipulorum diei pensum atque rationem. De moribus istorum habes apud Hieron. contra Jovinianum, apud Gellium et li. antiquarum lectionum, et permultos alios. *Idem.*

Magistri perr.] Marcilius ad Pythagoram p. 47. *Elmenh.*

Denique ceteri commemorant] Ultimum verbum glossam esse marginalem suspicor cum Tollio. *Oud.*

Habet adferre] Vide Strabonem Georg. lib. III. f. 116. *Elmenh.*

NUM. VII. *Alexandro*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Hæc Alexandri historia sic a Plutarcho traditur. Corporis staturam egregie a Lysippo factæ statuæ declarant, a quo solo dignum duxit effingi: et plura inibi de hac re. De Alexandri fortuna scribit Plutar. lib. eleganter a Budæo versum. Hic autem miror Apuleium nominasse Polycletum et Apellem et Pyrgotelem, nec meminisse non a Polycleto effigiatum Alexandrum ipsius jussu fuisse, sed ut Plutar. et Plin. volunt a Lysippo, qui cum Alexand. fuit. Hic enim, ut Plin. ait lib. XXXIV. fecit Alexandrum magnum multis operibus, a pueritia ejus orsus, quam statuam inaurari jussit. Nero delectatus admodum illa, Alexand. amicorumque ejus imagines summa omnium similitudine expressit, quas et alii quondam fece-

re: ut Chæreas Plin. teste. Polycletus autem iste fecit talis ludentes nudos qui vocantur astragalizontes: et multa præclara opera: ac, ut nonnulli voluere, Ephæstionem Alexand. amicum: quem alii ad Lysippum referunt: lege omnino de hac re Plin. in memorato lib. cap. 8. et Plutar. de fortuna ejus, qui de Polycleto non meminit, sed de Apelle et Lysippo. A Pyrgotele autem solo annulo sculpi voluit, ut Plin. lib. XXXVII. refert. *Pyrrh.*

Alexandro illi l. o. excellentissimo regi, cui c. m. i. e. placuit, ne iste unus eam gl. ad. s. l. umq. nom. &c. Ejus igitur Al.] Pessime hunc locum interpolaverunt Viri Docti. Primum enim in nullo Ms. aut Ed. vet. est τὸ *placuit*; quod e Colvii conjectura primus recepit Vulcanius. *Cui* delendum placuit Viro Docto in Misc. Obs. l. c. Ed. Junt. post. habet *Alexandri illi* (antique pro *illius*, vide Ind. Not.) *l. o. excellentissimi regis* (*cui, &c.*) *Ejus igitur Al.* neque aliter e conj. legit Ill. N. Heinsius ad Ovid. Met. lib. III. 454. et jam olim Becich. Ep. 96. nisi quod *illius* scribant. Sane sic solet Noster post longam parenthesin repetere primam vocem. Met. l. I. init. 'Thessaliam (nam, &c.) eam Thessaliam.' Infra N. IX. 'si qui forte (quoniam, &c.) si qui igitur.' N. XXII. 'sicuti navem, &c. eam navem.' N. XVII. in f. 'ex plurimis, quæ, &c. ex his plurimis.' De Deo Socr. p. 673. Ed. Flor. 'non usque adeo (respondebit enim, &c.) non usque adeo.' Sic quoque sæpe Gellius lib. XVIII. 7. 'Domitio (homini, &c.) ei Domitio.' Vid. notas ad Cæs. B. G. I. 35. Drak. ad Sil. l. XII. 441. At optime Vincent. Contar. l. I. V. L. c. 5. simpliciter τὸ *placuit*, temere a Vulcanio intrusum e conj. Colvii, delet per anacoluthon, ut quasi sui oblitus fuerit App. Sic infra N. XV. 'Brachmanas (hi, &c.) eorum igitur Brachmanum.' In Ms. Lips. pro *illi* est *olim*. Dein pro *ne iste unus eam*, quod reposuit Elmenhorstius, Edd. vett. habent *ne vir unicam*, sed Mss. Florent. Pith. Lips. Edd. Colv. Vulc. Scal. Wow. *ne nisi unicam*. Ms. Bemb. *ne ubi vir unic. g.* Pro *unquam* in Ms. Lips. est *nunquam*. Hinc Gruterus et Wower. conjecere, expressitque cum Elmenh. Scriverius: *næ* (Elm. *ne*) *iste unus eam gl. adeptus ut* (caret Ed. Elmenh. et Scriv.) *s. l. nunquam nom.* quod perplacet Viro Docto Misc. Obs. d. l. Sed omnino male. Alius, *ne nisi unus eam gl.* Multo melius Vincent. Contar. d. l. maluit: *ne, uti vir unicam gl. ad. s. l. unquam n.* N. Heinsius ibid. revocavit simpliciter veterum Edd. lectionem: *ne vir unicam gl. adeptus s. l. unquam n.* Adsentiente quoque V. D. in Miscell. Lips. Nov. vol. IV. t. IV. p. 747. Quia tamen in Mss. est *nisi*, non displicet *iste* vel *uti* pro, utpote. Ideo ei cognomen Magno inditum est, ne unquam sine laude nominaretur. Si *ne nunquam* scribas, duæ negationes vehementius negare debent, *ne nunquam sine laude*, i. e. ut semper cum laude. Vide Ind. Not. Sed Codd. Florentini retinent *unquam*. Nequaquam certe *unicam gl.* erat mutandum, sive talem, quæ similem non habet, excellentissimam, ut ibid. clare docent Heinsius et V. D. in Misc. N. Lips. Immo sic Noster sæpe. L. II. Met. p. 106. 'unica cura.' L. III. p. 193. 'splendidissima et unica Thessaliæ civitas.' L. VII. p. 458. 'unicæ fidei femina.' V. ad Sueton. Titum c. 8. Solin. c. 5. 'laudata unico soli temperamento:' ut habent optimi quique Mss. In aliis erat *egregio*, in Edd. vett. mire turbatum. *Oud.*

Quant. h. memoria exstat] Sive post hominum memoriam. *Idem.*

Inexsup. Imp] Nempe quamdiu viveret Alexander, in imperio suo invictus fuit. Nihili ergo scrupulus Heinsii faciendus, qui suspicatur hic vitii quid subesse, quia statim ab ex-

cessu ejus dirutum et dissipatum est. Unde mallet, timide tamen, *inexæquiparabili*, i. e. cui par vel simile non erat. *Idem.*

Fortuna sua major] 'Quam solus omnium mortalium in potestate habuit.' Q. Curt. l. x. *Brant.*

Successusque ejus] Solinus cap. 14. 'Ita enim affluenter successus ejus ampliandis opibus proficiebant, ut ante omnes Apollini Delphos, Jovi Elidem statuas aureas dono miserit.' *Idem.* Ampl. W. Gœsius adscripsit oræ libri sui: '*Ejus* pro *suos* hic positum videtur.' At intellige 'successus Fortunæ suæ.' *Oud.*

Superavit ut melior] Sic 'morte melior' vii. de asino, pro mortis contemptore, ut ad Apolog. vidit Casaubonus. *Brant.*

Polycletus] Error memoriæ. Lysippus fuit. Plutarchus de Fortuna Alexandri: Διὸ καὶ μόνον Ἀλέξανδρος ἐκέλευε Λύσιππον εἰκόνα αὐτοῦ δημιουργεῖν. Horat. 'Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem, Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra Fortis Alexandri vultum simulantia.' *Colv.* Lege cum Pyrrho [supra] et Colvio, *q. s. e. Lysippus æ. d.* Plinius libro vii. cap. 37. 'Alexander Imperator edixit ne quis ipsum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex ære duceret: quæ artes pluribus inclaruere exemplis.' Tzetzes Chiliad. ii. historia 369. ὁ βασιλεὺς ὁ μέγιστος Ἀλέξανδρος Φιλίππου Γλαυκὸν τὸν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχειν θρυλλεῖται πᾶσι, Τοιοῦτον καὶ ὁ Λύσιππος ἐκεῖνον ἐχαλκούργει. *Elmenh.* Inducenda vox *sæpe.* Hoc vero Alexandri plurimi scriptores prodiderunt. Cicero lib. v. Epist. ad Lucceium, iv. Academ. Quæst. Val. Max. lib. viii. Horat. ii. Epist. Plutarch. Alexand. et περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης, Plin. lib. vii. et xxxvii. At hi omnes de Lysippo, non de Polycleto narrant. Ære ducere, Varro ærifice, ducere. Cicero, ære fingere, χαλκοτορεῖν. *Wower.* Suspicor tantum legendum, *quid ni solus:* vel hoc modo, *quippini solus.* Obvia hæc vox apud Plautum Bacchid. Menæch. et alibi apud Terentium. Immo Apuleius ix. de asino: 'cœnam,' inquit, 'apponebat ei propere quamvis invita, quippini destinatam alii.' Alterum apud eundem xi. de asino: 'Nec hercules me laborum aut sumptuum pœnituit: quidni, liberali Deum providentia jam stipendiis forensibus bellule fotum.' *Stewech.* Edd. ante Elmenh. habent, *quin sæpe solus eam:* nisi quod in Ed. Junt. post. legatur *quin ipse s.* atque ita voluit Epist. 96. Becichemus, et cum eo ex Ms. Lipsii Colvius: unde quoque id recepit Scriverius: τὸ *sæpe* audacter ejecere Wower. Scioppius, Elmenh. et Flor. Malebat Ursinus *quin se solus P.* Rectius Ill. Heinsius *quippe solus.* At jam olim vere, ni fallor, correxit Stewechius *quidni*, vel potius, *quippeni.* Vide eum et nos ad Met. l. iv. p 290. a. *Polycletus* e memoriæ lapsu vitium est pro *Lysippo:* ut Pyrrhus, Colv. Wower. multis demonstrarunt. Male vero Elmenhorstius reponi voluit *Lysippus.* Oud.

Apelles] Hic fulminiferum Alexandrum ita expresse et concinne pinxit, ut vulgo dicerent duos Alexandros esse, unum Philippi nulla vi superabilem, alterum nulla arte imitabilem. *Pyrrh.*

Pyrgoteles] Convenit quod Plin. scribit lib. xxxvii. Alexandrum vetuisse in gemma se ab alio sculpi quam a Pyrgotele, non dubie artis ejus clarissimo. *Idem.*

Cælamine excuderet] Male quidam, *excluderet.* Colvius. Aldus, c. *excluderet.* Vide Indicem. *Elmenh.* Membranæ Lips. Pith. et Edd. ante Colvium *excluderet.* Cave iis credas, ut temere fecit Stewechius ad Arnob. p. 70. *Excludere* dicitur de avibus pullos foventibus ita, ut ex ovis exeant; sed *excudere* idem est, quod 'exsculpere,' 'elaborare.' Consule

Salmas. ad Solin. p. 63. 'Excuduntur coraliis multa gestamina:' ubi eundem errorem erravit Stewech. cum aliis. Ibid. p. 82. 'Nam illinc excuduntur signa:' ut in Mss. optimis. Auson. præf. ad Cent. 'Opusculum, quod nec labor excudit, nec cura limavit, sine ingenii acumine.' *Oud.*

Et toreumatis] Cælaminibus aut vasis cælatis, est Græca dictio. *Pyrrh.*

Relicinæ frontis] Ut prius hoc verbo est usus, *recrispæ*. Ut est apud Calepinum a recello dictum. *Idem.* Sopingius ad Hesychii v. ἀνασεσυλιᾶσθαι malit *resillinæ*, i. e. refugo capillo nudæ. Schlæger in nummo Alex. M. p. 16. negat Latinum esse 'frons relicina.' Hinc legit *reclinæ*, ut tacite edidit etiam Wower. Sed nihil mutandum. 'Frons relicina' est alta, capillis recrispis. Vide supra ad N. III. et Alexandri faciem in nummis. *Cilunculi* et *cilones* vocantur, quibus ejusmodi frons est. Vide omnino Heraldum ad Arnob. lib. III. p. 108. *Oud.*

Philosophiæ] Invehit in Pseudophilosophos, qui solo pallio et barba philosophiam colunt: omnis enim iste contextus historiarum et finis lib. est de philosophiæ commendatione, ut prædixi. *Pyrrh.* Confer Agellium lib. IX. c. 2. *Elmenh.*

Contemplarent] Vulg. *contemplarentur*. Colvius. Colvium secuti sunt seqq. editores, et, si excerptis habenda fides, habent ita Mss. Florent. Lips. Pith. atque ita Plautus, Ennius, aliique apud Nonium. De similibus conjugationis activæ verbis adi ad Met. lib. I. p. 74. a. Aliis locis tamen Auctor *contemplari* scripsit, uti hic etiam Edd. priores *contemplarentur*. Oud.

Rudes, sordidi] Sordidi animo et corrupti, ut apud Jurecons. sordes præ corruptione. Philosophi officium est ut bene honesteque vivere, ita probe neque maledice loqui: de qua re plurima scripsimus in nostro philosopho, in eo loco ubi declamavimus in detractores et ubi honesti præcepta collegimus ex philosophia simul et jurisprudentia. *Pyrrh.*

Pallio tenus] Vide lib. II. de As. Meminit et Plinius quorumdam, 'qui sapientiæ studium habitu corporis præ se ferunt,' lib. I. epist. 22. Et Symmachus lib. I. epist. 29. 'qui philosophiam fastu et habitu mentiuntur.' Vide eundem lib. II. epist. 61. Adi et si libet Agell. lib. IX. cap. 2. Quanto rectius de Christianis Q. Minutius Felix: 'Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus: non eloquimur magna, sed vivimus.' *Brant.*

Alter ex al. c. alter.] Lectio Cod. Florent. non spernenda est: immo sic adscriptum margini a Lipsio. Neutrum genus crebro subjicitur feminino. Vide ad Cæs. lib. I. B. Civ. c. 7. et ad lib. III. c. 1. ad Suet. Claud. c. 38. 'Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque excusavit.' Vitruv. l. I. 1. 'de duabus rebus, &c. ex his unum et alterum.' Vell. Pat. lib. II. c. 49. 'gravis vir Pompeii partes laudaret, magis prudens sequeretur Cæsaris, et illa gloriosa, hæc terribiliora duceret:' quod non esse sollicitandum recte vidit Wopkens. Misc. Obs. vol. VIII. p. 53. [item Ruhnken. quem vide.] Adi et Burmann. ad Vell. lib. I. c. 16. cf. lib. II. c. 58. Auson. Grat. Act. in f. 'ut sellam curulem, &c. ut prætextam meam, &c. ut trabeam, &c. quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares.' Cic. de Off. III. 6. 'Bonitas, Justitia, &c. quæ qui tollunt.' Noster de Phil. Mor. p. 627. Flor. 'domos et possessiones habeant, &c. quæ quidem nec immensum augeri sinit.' In aliis Mss. et Edd. Vett. est *alter ... alter*. Oud.

§ 3 *Qui vos arbitr. maledictis o. c. g.*] Boni viri maledictis atque male au-

ditis non gaudent. In hanc sententiam infinitæ autoritates adduci possunt a quolibet legentium. *Pyrrh.*

Rupiconibus] Ms. *rupicoribus*. Colv. Rusticis: quos rupicos vocat Politianus a rupibus colendis dictos. *Pyrrh.* Rupicones qui *rupices* Tertulliano Apologet. et lib. de anima. Vide Festum dicto: 'Petrones.' *Brant.* Gell. l. XIII. c. 9. 'veteres nostri non usque eo rupices et agrestes fuerunt.' *Oud.*

Tabernariis] Nonius Marcellus: 'Popinones, vel hi, quos nunc dicimus Tabernarios, vel luxuriosos, qui se popinis dedunt.' Tertullianus de fuga in persecutione: 'Nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum et curiosorum, inter tabernarios, et lanios, et fures balnearum,' &c. Hinc tabernariæ blanditiæ, id est, absurdæ, triviales, sordidæ. Apologia II. 'Cur autem tam absurdis tamque tabernariis blanditiis subagitarem, quem iidem aiunt versibus amatoriis satis scite lascivire?' *Colv.* Vilibus et mechanicis hominibus, sicut Togatarum fabularum quædam sunt, quæ Tabernariæ dicuntur ab humilitate personarum et argumentorum: ubi nec reges nec magistratus, sed humiles personæ inducuntur. Tabernæ sunt officinæ a tabulis dictæ. *Pyrrh.*

Bajulis] Bajuli qui sint vulgo notum est, qui onera gestant, quos Græci *βαστάζοντας* appellant. *Idem.*

NUM. VIII. *Hic e. plus tibi debet*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.*

Calceatu] Ne calceus pedem excedat, quod Græci in proverbio dicunt, ne quis se magnificentius gerat quam pro suo honore suaque conditione, ut est apud Lucianum in imaginibus. *Pyrrh.* Nimis generaliter. Ut in vestitu, ita etiam in *calceatu* distincti erant Romani pro ordinibus. Alii calcei plebeiis, alii equitibus et Senatoribus, alii patriciis sive laticlaviis. Vide Ruben. de calceo p. 148. Balduin. p. 60. *Oud.*

NUM. IX. *Si quis*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Melius *si qui*, ut passim, quia mox, 'si qui igitur,' quæ initio connectenda sunt: nam cetera sunt in parenthesi. Vide supra ad N. VII. *Oud.*

Ex ill. invisoribus] Invidis, malignis, de quibus prius dictum. Nam artifex artifici, et faber fabro invidet, scilicet qui ab alterius vituperatione sibi laudem aucupari volunt. *Pyrrh.*

Quoniam in m. c.] Repone voculam ex Ms. *quoniam ut in m. c.* Sciopp. in Symb. Τὸ *ut* male abest a vulgatis. Diodorus Siculus in Eclogis Legat. Hæsch. pag. 172. Θαυμάσειε δ' ἄν τις τῆς τοιαύτης ἀβελτηρίας τὴν εἰς τὰ φαῦλα φιλοπονίαν, δι' ἧς τινὲς πειρῶνται ταῖς κατὰ τῶν ἄλλων βλασφημίαις ἰδίαν εὐδοξίαν ἀποφέρεσθαι. *Elmenh.* Fulviano accedunt Mss. Florent. Coll. Lips. Voss. et Edd. Wower. Scriv. cum Scioppio. *Oud.*

Libitinis] Putavi quondam restituendam, *si quis igitur ex illis libitinariis*, neque etiam nunc desisto. Nota Libitina Dea sepulchrorum a Pompilio instituta ex Odis Horatii, et juvat, quod paucis lineis insertis præmittitur, 'si quis forte in hoc pulcherrimo cœtu ex illis invisoribus meis malignus sedet.' Libitinarii isti non omnibus noti: erant autem, qui ad pompam funebrem necessaria procurabant. Glossæ antiquæ: 'Vespillones, νεκροθάπται, κοπιάται.' Iterum 'νεκροθάπτης, Vespillo, libitinarius.' Ulpianus: 'Si libitinarius, quem Græci κτεριστὴν vocant, Servum pollinctorem habuerit,' l. cuicunque. § idem. ff. de instit. actione: in qua l. pro κτεριστὴν reponendum νεκροθάπταν monuit V. C. Antonius Augustinus III. Observationum, cap. 16. Libitinam exercere triste opus, plebeium, sordidum fuit: hinc libitinariorum nomen adagione in momos Auctor torsit, quos ipsemet *tristiores* vocat lib. III. Flor. 'Nemo' (inquit) 'nemo

me ex illis tristioribus velit in isto vituperare, quod honorem meum non minus vereor, quam intelligo.' Si quis tamen aliter prædictum locum constituere velit, ac scribere ex illis *libidis*, quod valet, *liridis*, non me sentiet pertinacem. *Stewech.* Libitinariis, de quibus in pandectis titulo, de institoria actione, qui cadavera curabant: illicque Budæus plura. *Pyrrh.* Reposui olim, *linbidulis:* id est, *linvidulis.* Quædam editio vetus, *bitinis.* Unde etiam faciebam, *Vatiniis.* Catullus: 'Odissem te odio Vatiniano.' Sed neutiquam hoc jam probamus. *Colv.* Scriptus Fulv. *lividis.* Vere. nihil tamen mutare ausus sum. Notum Libitinam deam mortuorum præsidem: unde libitinarii, qui feralia officia mortuis præstant, quod Val. Max. lib. v. 'libitinam exercere.' Invisum hoc hominum genus, sive ob quæstum sordidum et abominandum, quo ex aliena morte lucrum captabant: sive contactum mortuorum. Nam a corporibus mortuis in modum Antiqui abhorrebant, cujus rationem reddidit Alex. Aphrodis. lib. II. Probl. LIII. Hinc ergo *libitinas* obtrectatores dixit Apuleius, viles, ominosos, et a quibus merito abhorreas. *Wower.* Flor. 2. *libidinis.* Gruterus, *livedineis.* Fulvii liber, *lividis.* Stewech. *libitinariis.* Vide Wowerium, qui vulgatam recte tuetur et explicat. *Elmenh.* Durissima foret vocis translatio et abusus, si cum Pyrrho, Wower. et Elmenh. libitinarios ab App. dictos censeamus *libitinas;* licet ipsa 'Libitina facere lucrum' apud Phædrum dicatur: ubi Dea et quæ ad ipsam pertinent intelligitur, vel locus, ubi funeralia vendebantur. Sic alii: 'Libitina mortuis non sufficit:' de quo vide ad I. Obseq. Rectius ergo Stewech. conjecit *libidis* pro *lividis*, quod diserte exstat in Cod. Fulv. et edidit Scriv. nam quod Colv. *linvidulis* vel *vatiniis*, nihili sunt. At cum in Mss. Flor. Pith. et Voss. aliaque Coll. Cod. Lips. sit *libidinis*, verissima est emendatio Gruteri Suspic. l. I. c. 12. et Salmas. Plin. Exerc. p. 89. *lividineis* vel *livedineis:* nisi malimus *livedinis*, ab adject. *livedinus:* ut 'cæruleus' et 'cærulus,' &c. Sic recte lib. IX. Met. p. 616. a. 'vibicibus livedinis.' Ubi Mss. quoque *libidinis:* ac Salmas. *livedineis.* De invidia passim *livor* et *livere* occurrere nemo nescit. *Lividinare* pro livore laborare dicitur Petronio cap. 138. si sana est lectio. *Oud.*

Auditorio] Frequenti et benevolo gloriatur Apul. quod et prius fecit: quod et Cic. sæpe facit. *Pyrrh.*

Cum animo] *Cum* sic sæpe Noster, Sallust. Plaut. Cic. alii. Vide ad Sall. B. Jug. c. 13. *Oud.*

Oppido] Hac voce usus est prius: qua et Plaut. et Cic. et Neoterici fere omnes passim utuntur pro valde: ex eo deductum quod rustici inter se confabulantes quantum quisque frumenti faceret, dicebant quantum oppido sufficeret. *Pyrrh.*

Hiscere] Depromere: quod tamen submissius timidiusque fit: ut est apud Plautum: 'ne hiscere quidem audet:' et 'raris turbatus vocibus hisco,' inquit Virg. *Idem.*

Solœcismum] Solœcismus et barbarismus hoc distant, quod solœcismus est vitiosa compositio verborum, ut 'verbero tibi' pro *te:* quam 'imparilitatem' vocat Gell. lib. v. Barbarismus vero est in dictione barbare vel scripta vel enunciata. *Idem.*

Delirantibus] Scil. vobis: tamquam ad stultos loquerer. *Oud.*

§ 2 *Cum torno et cothurno iterum comp.*] Ms. lib. *verum.* Colvius. Vetera exemplaria aliquot, *cum torno et cortino.* Unde non male Becichemus legere videtur, *cum torno et circino:* ut et Stewechius. *Id. in Add.* Flor. 2. *verum c.* Elmenh. *Cum torno et coth.* id est cum gravi censura: sicut postea dicit de socco et cothurno. Alii

libri habent *cum terno et quaterno:* quod potest teri cum ternione et quaternione. Ternio enim, ut Plut. ait de placitis philosophorum, intelligitur Trias: erat opinio et approbatio multorum: sed meliores libri habent *torno:* inde 'tornare versus.' *Pyrrh.* V. *cum t. et cortino.* Unde eruditi, *cum torno et circino.* Nihil mutandum. Nemo ignorat quid tornus. Horatius ad Pisones, 'Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.' Sidonius Epist. I. commendat Symmachi rotunditatem. Plutarchus περὶ τοῦ ἀκούειν: Plato, inquit, reprehendebat Lysiæ orationem ob turbatam dispositionem, τὴν δὲ αὐτοῦ ἐπαγγελίαν ἐπαινεῖ, καὶ ὅτι τῶν ὀνομάτων σαφῶς καὶ στρογγύλως ἕκαστον ἀποτετόρνευται. et lib. de aud. Poët. Euripidei oris rotunditas. Horatio ad Pisones, 'versus male tornati.' Propert. 'angusto versus componere torno.' Suid. τόρευε πᾶσαν ᾠδήν. 'Cothurnum' vero 'eloquentiæ' in Apol. dixit: ut Sidon. lib. IX. 'cothurnum Latiaris eloquii.' Ita Plinius lib. XXXV. de Nicophanis picturis: 'cothurnus illi et gravitas artis.' *Wower.* Lectio Becichemi et Stewechii non temere spernenda videri posset, nisi recte Wower. *cothurno* defendisset. *Cothurnus* enim ad orationis gravitatem et grandiloquentiam pertinet; *tornus* tantum ad elegantiam, qua in concinnum *orbem* bene exeat quæque periodus. Immo *tornum* operis levioris, *cothurnum* gravioris expresse opponit Propertius, unde sua hausisse videtur Appuleius; quodque miror neminem interpretum advertisse, lib. II. El. 25. vs. 43. 'Desine Achilleo componere verba cothurno, Desine, et ad molles membra resolve choros. Incipe jam angusto versus includere torno, Inque tuos ignes, dure poëta, veni:' ubi vide commentarios. Ceterum de *torno* pleraque congessit Bentlei. ad Horat. A. P. vs. 441. 'et male formatos incudi reddere versus,' quod cum Guieto præfero pro *tornatos* vel *ter natos.* Arnob. lib. VII. pag. 200. 'fornacibus incocta figulinis, ex incudibus et malleis nata, tornis rasa.' Vide et Burm. ad Virg. Ecl. III. 38. Pro *iterum* vero exhibent uterque Florent. Pith. et Lips. *verum:* unde recte G. Vossium conjecisse reor *ad verum.* Non enim antea semel ipsius verba cum rei, de qua disserebat, qualitate vel quantitate comparaverant, sed tum primum, cum illa audiverant. J. Capitol. in v. Anton. Philos. c. 20. 'requirens ad verum, quid quisque de se diceret.' W. Gœsius conjecit *verbum.* Oud.

Palliata mendicabula] Pseudophilosophi mendicantes. *Pyrrh.*

Cum proconsule] Velserus in Actis Afræ pag. 52. *Elmenh.*

De tabella legit] Moris de tabella sententiam legi, pronuntiari. Tertullianus Apologetico: 'Quid de tabella recitatis illum Christianum? cur non et homicidam?' *Colv.* Judices in tabulis sententias ferebant, ut et Demosthenes et Cic. et Asconius et Budæus in Pandectas docent. Unde sententiæ tabellariæ dicebantur, non autem vocales erant. *Pyrrh.*

Proc. tabella sent. est] Innuit morem antiquum, apud quos de tabella sententiam pronunciabant in noxios. Pontius Diaconus in vita Cypriani: 'Legit de tabella eam sententiam judex. His dictis decretum ex tabella recitavit, Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Sanctus Cyprianus hæc audiens dixit: Gratias ago Deo.' Acta Euplii Diaconi apud Baronium tom. II. annal. fol. 784. edit. Plantin. 'Calvisianus intra velum interius ingrediens sententiam dictavit, et foras egressus, afferens tabellam legit, Euplium Christianum edicta principum contemnentem gladio animadverti jubeo. Euplius lætus dicebat: Gratias Christo Deo,' &c. Unde sæpius in actis Martyrum legitur, 'dare,' 'dictare,' et 'acci-

pere' sententiam. *Elmenh.*

Recitata instrumento] In acta publica: de sententiæ mutatione aut minutione facienda nostri JCti differunt in plerisque locis. *Pyrrh.*

Excerptum ill. et lectum est] Non potuissent magis deformare vel ipsæ Harpyiæ, qua ab interpunctione, qua a scriptura: Verba autem Apuleii sunt scripta sua publice recitantis: ea sic emaculo: *nam q. protuli ad vos, exceptum illico, ut lectum est: nec revocare illud, nec inde mutare.* Cujus correctionis rationem reddendam non arbitror, quod per se satis liqueat. *Stewech.* Vulgo ante legebatur et in Ms. erat, *Nam q. protuli ad vos exceptum ilico et lectum est.* Unde Fulvius mavult: *ilico ac dictum est.* Sed et *nec autem mutare* legendum est. Sicut paulo superius: 'neque augeri litera una, neque autem minui potest.' Cicero: 'neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias: neque autem ego sum ita demens,' &c. Lucretius sic sæpe. *Sciopp. in Symb.* Ald. *exceptum.* Elmenh. Male Stewechius. Putavit scilicet *lectum* intelligi ab Appuleio: verum is non legebat orationes, sed agebat: hinc Fulvius conjecit *illico ac dictum est.* Mss. Flor. Lips. Edd. Bas. Vulc. Scal. Elmenh. cum Scioppio *excerptum.* Sed hoc quoque male. Recte Ms. Urs. et Edd. Vett. *exceptum illico et lectum est.* Quodcunque ego profero ore, illico notarii calamo *excipiunt*, et sic descriptum a vobis *legitur.* Sæpe hoc sensu occurrit τὸ *excipere*, et hinc notarii vocabantur *exceptores*: ut docti viri dudum alibi docuerunt. Unum addam locum Suetonii in Cæs. cap. 55. 'Orationem magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam.' *Oud.*

Religio] Observatio, metus: sicut religio est dicere, quod etiam piaculum significat. *Pyrrh.*

In Camœnis] Ut Plin. in Epist. ad Vespasianum ait, 'novitium Camœnis Quiritium tuorum opus.' *Idem.*

Hippiæ] Transit ad historiam Hippiæ philosophi: de quo in sequenti libro dicit. *Idem.*

Disputabo] Sequentia de Hippia pertinent ad ea quæ superiori (ut perperam distinguunt) libro ultimo leguntur. *Sciopp. in Symb.* Pith. *disputando.* Male autem separato libro hinc discreverunt sequentia: cum sensus ipse ostendat hæc connectenda esse, vel saltem non opus fuisse, ut sicuti reliqua fragmenta, ab hoc divellantur. Id quod bene Casaubonus in Apol. Scioppius, et alii monuerunt. *Oud.*

FLORIDORUM LIB. II.

Num. ix. *Hippias*] Hippiæ meminit Quintilianus lib. vi. ubi jurisprudentiam oratori necessariam esse ait: habes apud Platonem duos dialogos hujus nomine inscriptos. *Pyrrh.* Æneas Gazæus Theophrasto. Hieron. Epitaph. Nepotiani. *Wower.* Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: 'Apud Græcos Philosophus ille laudatur qui omne, quo uteretur, usque ad pallium, et annulum manu sua factum gloriatus est.' Dio Chrysostomus Orat. 54. et 70. Quintilianus lib. xii. cap. 21. Cicero 3. de Oratore. Plato in Hippia sive de falso fol. 368. *Elmenh. Brant.*

Venit Hippias, &c.] De hoc eodem sophista eadem fere Cicero lib. iii. de Oratore: cujus verba, quia iis hic usus, adscripsi: 'Ex quibus Eleus

Hippias, cum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta pæne audiente Græcia, nihil esse in ulla arte rerum omnium quod ipse nesciret: nec solum has artes quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Musicam, Litterarum cognitionem et Poëtarum, atque illam quæ de naturis rerum, quæ de hominum Moribus, quæ de rebus publicis dicerentur; sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse.' Adi et Platonem, Hippia minore. Celebrat et Lucianus Hippiam quemdam mechanicum, simul etiam et Sophistam. *Colv.*

Olympio] Olympicum certamen apud Pisam et Elidem singulis lustris celebrabatur in Jovis honorem. *Pyrrh.*

Secum quæ] Ἴσ. *quæcumque*, πάντα ὅσα. *Anonym.*

Tunicam interulam] Interiorem vestem. de vestium generibus et coloribus habes egregie apud Non. Marc. in fine operis ejus: habes etiam multa apud Lampridium et Spartianum. *Pyrrh.* Flor. 2. *t. interviam.* Elmenh. Capit Floridus hunc locum de tunica interiore, bis colore purpureo tincta. Et certe moris erat, purpura bis tingere. Vide N. Heinsium ad Ovid. Fast. II. vs. 407. 'Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam.' Mihi tamen aliud quid hic denotare videtur. Nempe ut dicat, tunicam fuisse textu seu *stamine* tenuissimo, sed *subtemine* trium *liciorum* seu μίτων Græce, quorum duo erant purpurea fila; adeoque vestem fuisse *virgatam* seu ῥαβδωτόν. Vid. Xenoph. lib. VIII. Cyrop. p. 215. Pretiosæ erant hæ vestes, intextæ purpura vel auro. De iis consule VV. DD. ad l. VIII. Met. p. 580. a. 'tunicas albas in modum lanciolarum fluente purpura depictas cingulo subligati:' et Ez. Spanhem. ad Callim. h. in Apoll. vs. 83. Notandum etiam in Mss. 2. Florent. pro *interulam* legi *interviam*: unde elegantissime inverso ordine posset scribi *tenuissimo textu, interviam triplici licio.* Has enim *virgas* Tibullus quoque vocat *vias.* Lib. II. El. 6. 35. 'Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias.' Ubi vide Broukhus. et Burm. ad Serv. Æn. VIII. 660. 'virgatis lucent sagulis.' Alii eas *lineas, tramites* vocant. Vid. A. Ruben. de re Vest. p. 15. Ed. Ald. *interuleam.* Alioquin de *tunica interula* omnia satis cognita. Eam Gell. x. 15. vocat 'tunicam intimam.' *Oud.*

Licio] Vide Nonium Marcellum: textorium vocabulum est. *Pyrrh.*

Cinctui] V. Stew. et Juret. ad Symm. l. III. Ep. 10. *Oud.*

Balteum] Habes apud Virg. lib. ult. de balteo Pallantis. *Pyrrh.*

In hac opera] Pro, in hoc opere, sive in hac operatione, et cura, qua agebat hoc opus. Quo sensu aliquando *opera* sumi videtur pro ipso opere. V. Vorst. et Græv. ad Justin. præf. 'otii operam.' Alioquin facile stylum Criticum quis stringere vellet legendo *in hoc opere:* præsertim cum vestis texta passim ἔργον et *opus* vocetur. *Oud.*

§ 2 *Palam*] Idem, *palic.* Num legendum, *paletam,* vel aliud quid? Certe Glossæ veteres: 'Paleta, σφενδόνη δακτυλίου, ὡς Ὑγῖνος ἐν τῷ.' quæ forte etiam ibi non sine mendo. Nihildum certi dispicere ausim. *Colv.* Palam anuli cum invertisset Gyges invisibilis fiebat, ut in Officiis refert Cicero. *Pyrrh.* σφενδόνην. Jun. tamen Philargyrius in Virgilium scribit, eam partem anuli, quæ gemmam cohibet, *paleam* dici propter similitudinem, cum paleæ proprie in bove sint, quæ collum amplectuntur, quæ Virg. 'palearia' vocat. Cic. 'cum paleam anuli ad palmam converterat.' Sic citat Philarg. vulgo, *palam.* Sciopp. in Symb. Alii lib. *patelam:* alii, *paletam.*

Jun. Phylarg. in III. Georg. 'Palearia: unde et paleæ, quæ collum amplectuntur: et ea pars annuli, quæ gemmam cohibet, propter similitudinem palea dicitur.' Cicero de Officiis III. 'cum paleam ejus annuli converteret.' Sex exemplaria Ciceronis antiquissima *palam*, non *paleam* legunt. Pala, πύελος. Pollux. *Wower.* Flor. I. *Et paleam clauserat*, alter *paliem c.* Pyrrhus *palam c.* Venetus *pallam cl.* Unde firmatur Junii Phylargirii conjectura legentis *paleam*. Pollux libro VII. p. 368. δακτύλιος, δακτυλίδιον, καὶ τοῦ δακτυλίου τὸ μὲν ὁ κύκλος, τὸ δὲ ἵνα ὁ λίθος ἐναρμόζεται, πύελός τε καὶ πυελὶς, ὡς ἔφη Λυσίας. *Elmenh.* Σφενδόνη hæc sive funda annuli, in qua gemma includitur, apud alios etiam Gr. dicitur πυελὶς vel πύελος vel πυέλη. Hanc Græcam vocem suo more hic ab Appuleio adhibitam puto, *Pyelen*, nempe. Ut 'bamma,' 'sphæra,' 'morsima,' 'teleta,' 'grammata,' et plura in Metam. Sed *pala* est apud Cic. lib. III. de Off. cap. 9. 'cum palam annuli ad palmam converterat.' E Glossis dubie conjecit Colv. *paletam*. Sed ibi Cujacius quoque legit *palam;* ut ibidem paullo superius. At vero Salmasius in Plin. Exercit. p. 290. et 847. omnibus his modis putat vocem esse adhibitam, scil. *palam* et *paleam*, derivatas a πυέλη, *paletam* et *paledam*, fictas ex Gr. πυελίδα. *Oud.*

Amp. Oleariam] Olearii vasis genus quo in balneis utebantur. Sicut strigiliculam dicit qua distringuntur balneorum sordes. Cic. de fin. bon. 'Si ad illam vitam quæ cum virtute degatur ampulla aut strigilis accedat.' Strigilis enim erat et strigicula illud ferreum instrumentum quo raduntur balnea, per quam defluit sudor, ut hic describitur. Et veteres balneis crebro utebantur. Strigilem quoque Aug. habuit, ut Suet. refert. *Pyrrh.* Vet. *amp. quoque olectriam.* Non est quod aliud quid latere suspicemur sub hujus lectionis involucro, quam id quod palam est. Ampulla olearia, in qua oleum, quo se in balneis ungebant olim: quæ eleganter et graphice hic describitur. Supra monui de ea capiendum Planti Mercatore: 'Tollo ampullam, atque hinc eo.' Subjungitur Strigilis, qua se post unctionem fricabant, ut supra ad lib. IV. Metam. notavimus: quæ etiam eleganter nobis hic descripta. Unde Ampulla et Strigilis sæpius conjuncta apud Veteres. Aristophanes apud Suidam: Οὐ δ' ἔστιν αὕτη στλεγγὶς, οὐ δὲ λήκυθος. Plutarchus de Irascentia: Οὕτω δὲ καὶ πρὸς ληκύθους ἔχουσι καὶ πρὸς στλεγγίδας, ἀγαπῶντες ἐκ πασῶν μίαν. Plautus Persa: 'Cynicam esse gentem oportet parasitum probe. Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium, Marsupium habeat.' Ad cujus loci lucem facit Pollux lib. IV. τοῖς δὲ παρασίτοις πρόσεστι καὶ στλεγγὶς καὶ λήκυθος, ὡς τοῖς ἀγροίκοις λαγωβόλον. Putem ideo hæc balnearia, ut insignia, parasitis attributa, quod semper ad balnea, dein convivia obeunda parati essent, qui etiam inde αὐτολήκυθοι Græcis veteribus dicti. Plutarchus de discernendo amico ab adulatore: Ἀλλὰ μὴ, καθάπερ οἱ πολλοὶ, τοὺς αὐτοληκύθους τούτους καὶ τραπεζέας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χείρων ὕδωρ ἀκουομένους, ὥς τις εἶπε, κόλακας νομίζομεν, ᾧ ἐν μιᾷ λοπάδι καὶ κύλικι μετὰ βωμολοχίας καὶ βδελυρίας ἡ ἀνελευθερία γίνεται κατάδηλος. Lucianus Lexiphane: Ἔστιν ἦ δ' ὃς, ἐν τοῖς σκειραφείοις ἐγκαψικίδαλος ἄνθρωπος, τῶν αὐτοληκύθων, καὶ τῶν αὐτοκαβδάλων, ἀεὶ κυριῶν, ἐνδρομίδας ὑποδούμενος ἢ βαυκίδας, ἀμφιμάσχαλον ἔχων. Unde etiam postea vilissimorum genus hominum quodlibet, pauperes, nihili, αὐτοληκύθους iisdem Græcis vocatos arbitror; quamvis paullo aliter Grammaticos eorum, Hesychium, Harpocrationem, Suidam sentire sciam. Sed fortassis inde etiam nominis hujus origo, quod ipsimet instrumenta sua balnearia ferre cogerentur, nullo

eos servo, utpote pauperiores, qui ea adportaret, sequente. Nam ita solebat. Supra Noster lib. III. Metam. 'Et, jussis balnearibus adsequi, producit ad proximas balneas.' Horatius: 'I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.' Hi Ampullam, Strigilem, Lintea, et id genus alia tenebant, si quando dominis eis usus esset. Petronius: 'Video Gitona cum linteis et strigilibus parieti applicitum, tristem confusumque; scires non libenter servire.' Seneca Epistolis: 'Vetemus lintea et strigiles Jovi ferre, et speculum tenere Junoni.' Hos opinor *στλεγγιδοληκύθους* esse, quorum mentio apud Jul. Pollucem sub finem lib. III. Observare etiam est, e ferro has strigiles fuisse. Indicat id manifeste Plautus Sticho: 'Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam, Parasitum inanem, quo recondas reliquias.' Plutarchus Laconicis scribit, Lacedæmonios non ferreis, sed arundineis, *καλαμίναις*, si recte memini, usos: Ælianus Agrigentinos argenteis. Ejus verba Var. histor. lib. XII. *Λέγει δὲ ὁ Τιμαῖος καὶ ὅτι ἀργυραῖς ληκύθοις καὶ στλεγγίσιν ἐχρῶντο. Colv.* J. Pollux l. x. c. 16. **Λήκυθος ἐλαιηρὰ**, qui ibidem et sæpissime cum Nostro, Plauto, aliisque, *ampullam* et *strigilem* et alia balnei utensilia jungit. *Oud.*

Strigileculam] Ita deminutive *στλεγγίδια* dixit Theopompus apud Athen. lib. XIII. c. 8. p. 605. *Idem.*

Clausulæ] Sive 'manubrii' et 'capuli,' ut mox ipse Auctor; quia finis et ultimum est strigilis. De hac locutione consule Salmas. ad Spartiani Hadrian. c. 10. 'capulo eburneo spatham clauderet.' Videtur autem fuisse ansatum capulum ex seqq. verbis 'ut ipsa in manu capulo moraretur:' sc. ut manus capulo fuerit inserta. Et sic *clausulæ* hic explicari debet; si tamen vera est Appuleii lectio: nam Mss. duo Florent. Lips. Pith. Ursini habent *cylaulæ:* sub qua corrupta voce non dubium est mihi, quin aliquid abstrusius lateat. Potuitne capulum, quo comprehendimus tale instrumentum, vocare *syllabum?* Vix puto, et statim demum *capuli* meminit. *Oud.*

Tubulatione] Tubulus est canale: ita hic dicitur canale seu rivulus ille. *Pyrrh.* Legunt quidam, *subulatione.* Sed scripsi de hoc loco supra ad lib. XI. Met. *Colv.* Habet strigilis formam parvæ *lingulæ* seu *ligulæ* (hoc enim idem notat teste Prisciano) introrsus *tubulatæ* seu instar tubi excavatæ, ut sudor ex ea *rivulo* delabatur; quod passim videre est in figuris, unde Lactantio in Sympos. c. 86. vocatur 'curva,' 'capax.' Inde patet, male a nonnullis scribi *subulatione;* sed et Colvium ad lib. XI. Met. p. 758. b. perperam sumere pro incurvatione sive tumore a 'tubere' vel 'tumendo:' quomodo etiam tentat Arnob. lib. III. p. 108. 'buccarum tubulatione acrivoces' pro *tumul.* Sed in Ed. Elmenh. jam legas *cumulatione saccibucces.* Oud.

Moraretur] Malim *motaretur* sive flecteretur crebro, quo usus poscebat. Sic video citari ab Heumanno ad d. Lactantii locum. *Idem.*

Sudor ex ea] Cui destringendo etiam serviebat. Seneca Ep. 123. 'Ut sudorem, quem moverunt potionibus crebris et ferventibus, subinde destringant.' Lucianus: *Ἐγὼ δὲ τὰ βάδην, τὰ δὲ ἀποδραμὼν οἴκαδε ἀπεστλεγγισάμην. Colv.*

Multiscium] Græci polyhistora dicunt: et *πολυμαθὴς* dicitur a Platone Dædalus. De Dædalo vide Ovid. VIII. Met. et Plin. lib. VII. *Pyrrh.*

Sellularias] Artes eas intelligit quæ sessitando fiunt. *Idem.* Vide Indicem. *Elmenh.*

Vestem de texterna] Pro textrina, ut suterna pro sutrina. *Pyrrh.* Ms. cod. *veste de textrina.* Forte scriptum fuit, *textrino.* Textrinum in lib. VI. c. de Muril. et Gynec. lib. XI.

accipitur pro loco ad vestes principis conficiendas constituto. Glossæ priscæ: 'Textrinum, Κουρεῖον.' et: 'Ἱστέων, Textrinum.' Tertullianus de Anima: 'Qualem habent, qui te solam habent illam ipsam de compito, de trivio, de textrino totam.' Sidonius Apollinaris Epist. lib. II. 'Hinc egressis frons triclinii matronalis offertur: cui continuatur vicinante textrino cella penuaria.' Isidor. Orig. lib. XIV. 'Navalia sunt loca, ubi naves fabricantur: hoc et Textrinum dicitur.' Idem Ms. *sutrina.* Legerim hic etiam, *sutrino.* Glossarium vetus: 'Sutrinum, Σκυτεῖον.' Seneca Ep. 90. 'Non multum abfuit, quin sutrinum quoque inventum a sapientibus diceret.' *Colv.* Aldus, *texterna et suterna.* Elmenh. *Textrina* et *sutrina* recte Mss. et Becichem. Ep. 97. cum Edd. Junt. post. Vulc. &c. Minus bene Sch. Canneg. Edd. ceteræ priores *texterna, suterna.* Non caussa etiam est, cur *textrino, sutrino* cum Colvio legeremus contra Mss. quia *textrinum* in neutro genere plerumque de taberna vel officina occurrit. v. Serv. ad Æn. II. 16. uti etiam vulgo apud Cic. Or. IV. in Verr. c. 26. et 46. At contra *sutrina* hoc sensu dicitur, non vero *sutrinum.* Quin et *textrina* ἱστουργεῖον in Glossis, ut et *sutrina*, aliisque. Recte et ἀναλόγως. *Textrinum* pro arte texendi est apud Suet. Gramm. 23. ubi tamen vide Stat. *Oud.*

Gemmam et aurum] Thomorus in hist. Utopiorum refert illic aurum et argentum instar plumbi esse. *Pyrrh.*

§ 3 *Radio*] Modo textorium instrumentum est: modo quo mensuræ complanantur et raduntur. *Subula;* qua sutores praforant calceos. *Torno;* quo signatur. *Idem.*

Poëmata o. g. apta virgæ] Olim poëmata Homeri, Hesiodi, aliorumque in theatris recitabantur ab actoribus lauri ramum seu virgam manu tenentibus: qui inde ῥαβδῳδοὶ seu ῥαψῳδοὶ dicti Græcis, et Homeri opus utrumque, per eminentiam, ῥαψῳδία. Eustathius in I. Iliados: Ὅτι δὲ καὶ παρὰ τὴν ῥάβδον ἡ ῥαψῳδία εἴρηται, οἱονεὶ ῥαβδῳδία τις οὖσα, φασὶ καὶ οἱ παλαιοὶ ἀκολουθοῦντες Καλλιμάχῳ εἴποντι· Τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον. Δαφνίνη δὲ ἦν ἡ ῥάβδος, ἣν κατέχοντες ἐποιοῦντο τὰς τοιαύτας ᾠδάς. Verius Diomedes Grammat. lib. III. 'Ῥαψῳδία dicitur ποιήσεως aliqua particula discreta atque divulsa, dicta παρὰ τὸ ῥάπτειν, quod versus in unum volumen velut consuantur et comprehendantur: vel quod olim partes Homerici carminis in theatralibus circulis cum baculis, id est, virga, pronunciabant: qui ab eodem dicti sunt Homeristæ.' De his etiam videndus Athenæus Deipnos. lib. XIV. Lucianus Jove tragœdo: Ναὶ ἀλλ' ἐποποιῶν, ὦ Ζεῦ, καὶ ῥαψῳδῶν τὰ τοιαῦτα, ἐγὼ δὲ ἥκιστα ποιητικός εἰμι. Adhibe Suidam et Hesychium. *Colv.* Olim in conviviis et theatralibus circulis carmina a pueris, ramum lauri aut myrti gestantibus, recitabantur. Isocrates Panathenaico fol. 236. Strabo Geograph. lib. I. Suidas in μυῤῥινᾶν. Colvius ad h. l. Lipsius Elect. I. cap. 28. *Elmenh.* 'Apta virgæ,' est, apta plectro, ac citharæ, ut opinor. *Oud.*

Griphos] Implicitos versus. *Pyrrh.* Ms. et vulgati plerique, *geryppos:* Bas. II. *gryphos.* Γρῖφος est nassa piscatoria, id est, vas vimineum multis nodis, multis laqueis textum et flexum, ad pisces capiendos, claudendos. Hinc perplexa et flexuosa dicta, ænigmata γρῖφοι vocata Antiquis, similitudine inflexæ illius et implexæ viminum texturæ. Suidas: Γρῖφος τὸ δίκτυον. λέγεται δὲ καὶ ὁ δύσκολος, καὶ ὁ συμπεπλεγμένος λόγος, ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον. Gell. Noct. Att. lib. I. cap. 2. 'Κυρτῶν τὰς σκαζούσας θεωρίας, aliosque id genus griphos, neminem posse dicens nisi se dissolvere.' Lucianus: τὰ αἰνίγματα

καὶ τοὺς γρίφους ἀκούσας. Parasitus in lapide antiquo: VIATORES OPTIMI, HIS NUGIS, GRIPHIS, AMBAGIBUSQUE MEIS CONDONATE POSCIMUS. Hi Griphi sæpius etiam versibus constabant, ut indicat lib. X. Athenæus. Unde poëmati Ausoniano index, GRIPHUS. *Colv.*

Historias] Prosequitur omne dicendi genus, in quo se præstantem aut exercitatum esse contendit *Pyrrh.*

Rationes] Oratorios locos, Dialogos: philosophi enim fere dialogis scripsere, præsertim qui de morali philosophia. *Idem.* Lego, *orationes.* Stewech. *Orationes*] Sic Bas. II. reliqui *rationes.* Colv. *Orationes* quoque Mss. Florent. Becich. Ep. 97. Edd. Junt. post. &c. Lips. et Pith. *rationes.* Oud.

Græca q. Latina] Ut Mar. Cic. in Off. ait se Græca Latinis conjunxisse. *Pyrrh.*

Sigillatim] Vulg. *singulatim.* Singulatim, Singillatim, Sigillatim, eadem sunt, et opposita Cunctim, idque genus aliis. Emendavi infra lib. de Deo Socratis: 'Sigillatim mortales, cunctim tamen universo genere perpetui.' Sidonius Apollin. lib. VIII. Epist. 'Qui non sensim singulatimque, sed tumultuatim petitus et cunctim.' Noster lib. VII. Milesiarum: 'Pedesque meos sigillatim alligans.' Et de Dogmate Platonis: 'Veluti sigillatim exæquatum cunctis partibus dividitur.'' Apologia I. 'Singillatim apprehendens omnem calumniæ textum.' Plautus Trinummo: 'Sin unum quidquid singillatim et placide percontabere.' Gellius lib. I. 'Non de unoquoque facto singillatim existimat, neque certis exemplorum documentis; sed generibus rerum summatim universimque utitur.' Sed hæc fortassis nimia in re tenuiori. *Colv.*

Penuria laudis] Cum ipse maxime laudem quærat, fingit se non appetere. *Pyrrh.*

Probatiorem] Pulchrum est enim a laudato viro laudari. *Idem.* [Cf. ad Plauti Captiv. II. 2. 29. *J. B.*]

Laudes] Ex amore laudatio erumpit, ex odio vituperatio, philosophi non irascuntur, non turbantur, non læduntur, sed omnia æquanimiter ferunt: neque vindictam quærunt, quamquam fuerunt, qui honestam vindictam constituerunt. *Pyrrh.*

§ 4 *Nam*] Philosophi publicum bonum privato commodo præponunt. Mire describit boni judicis partes et boni viri virtutes. *Idem.*

Blandusque vigor] Dousæ conjecturam [vid. VV. LL.] probat etiam Acidal. l. c. Verum hoc idem foret, ac 'mitis austeritas.' Sed ut priora ad mores, sic hæc malim referre ad actiones; ut Cl. Burmannus etiam locum Velleii capiendum docet. Negotia scilicet agebat cum *constantia;* sed *placida;* cum *vigore animi;* sed *blando.* De 'vigore animi' v. ad Hirtii B. Afric. cap. 11. et Drakenb. ad Liv. l. VII. 4. 'naturalis vigoris.' De 'vigore' et 'rigore' vide, qui citantur ad Sil. It. VI. 271. 'Gravitatis rigorem' dixit Arnob. lib. I. pag. 36. Forsan, ni majus lateat ulcus, e Mstorum lectione legas *blandique.* Oud.

§ 5 *Honorino*] Severianus iste proconsul Africæ plus honestate quam terrore domuit Carthaginensium animos, juxta illud Ennii: 'Quem metuunt oderunt.' De Æmiliano et Honorino legito Sabellicum ac historiographos. *Pyrrh.*

Minus sens. abs. t. quam ut te magis des.] Non alium hic sensum exsculpere potes, quam hunc: licet absens fueris, non amplius tamen desideramus te, quia præsens erat tuus filius: unde non sensimus te absentem. Verum hæc rustica nimis videtur allocutio. At in Mss. Flor. Fulv. Lips. Pith. non comparet τὸ *ut.* Hinc legit Ursinus *magis sensimus abs. t.*

quam te des. quod fateor me non intelligere. Sed verissima est Lipsii emendatio, jam a Scriverio in textum recepta. Sensus est: Quum filium tuum hic reliquisti, minus quidem sensimus tuam absentiam, sed tamen ideo te ipsum magis desideravimus, qui videbamus, quam esses egregius Proconsul, qui tam admirabilem juvenem nobis dedisses. Et hoc voluit etiam Wowerius, tacite edens *quamvis.* Sed alterum est verisimilius. Mos enim librariorum est, ex duabus paribus syllabis unam omittere, ut in 'utrum utrum,' 'unde unde,' et similibus; de quibus sæpe monui. Solet etiam τὸ *quamquam* cum subjunctivo construere Noster. Adi ad N. I. supra. *Oud.*

O cel. bon. hom. d.] Theodoretus sive alius quis auctor in VII. Synodo collat. 5. fol. 574. Edit. Ro. 'Boni et benigni ante tempus demigrant, mali multo tempore vitam producunt.' *Elmenh.*

Reversurus est] Sic Mss. Lips. Pith. et Scriv. cum Edd. O. ante Vulcanium, in cujus editionem, operarum, credo, vitio, irrepsit *reversus* sine sensu. Tuus filius legatus, jam missus ad præturam et consulatum, quo favor Cæsarum eum vocat, cito reversurus est ut Proconsul: quod didicimus tuo, Severiane, exemplo. *Mittitur* enim est pro *dimittitur*, Romam scilicet e provincia. *Oud.*

NUM. X. *Sol qui*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Invocatio est ex poëtæ Accii Phœnissis sumpta, ut Crinitus docet ex Prisciano, a quo citantur hi versus usque illuc, itemque luminis. Hic autem ait septem planetas erratica sidera et quosdam alios Deos esse omnium rerum ac elementorum auctores et gubernatores, ac illorum vi omnia moveri, de qua re cum permultos, tum Plin. lib. II. et Macrobium in Somnium legas, ubi de his rebus abunde. *Pyrrh. Sol qui micantem candido curru, atque equis Flammam citatis fervido ardore explicas.* Versus sunt ex l. Attii Phœnissis: quos ita ut expressos jam vides, scriptos repperi, et rectius quam apud hunc Nostrum, meo animo, in Prisciani libello de Metris. Vulgarii, *Sol qui candentem fervido cursu, &c.* Ms. ita: *Sol q. cadentem | Fervido cursu | Atque equis flammam citatis fervido | Ardore explicas.* Similis huic locus veteris poëtæ Theodectis apud Jo. Stobæum: Ὦ καλλιφεγγῆ λαμπάδ' εἰλίσσων φλογὸς Ἥλιε ποθεινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας, Εἶδες τιν' ἄλλων, &c. Cui non dissimile Cn. Mattii Mimiambis: 'Jam jam albicascit Phœbus, et recentatur Commune lumen hominibus voluptasque.' *Colv.* Flor. et Pyrrhi editio, *s. q. candentem fervido cursu.* Elmenh. Audacter Colvius primus hos Accii versus edidit, ut exhibentur in Edd. et Mss. Prisciani lib. de metris Com. pag. 1326. Ed. Putsch. Desumti autem sunt ex Euripidis Phœnissarum initio, ut jam vidit G. J. Vossius: Ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν, Καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις, Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα. Ubi videmus primum versum ab Accio Latine non redditum esse. Vehementer vero equidem dubito, an Appuleius ita hos reliquerit, et non sive memoriæ vitio, sive, Euripidis vestigiis potius ipse insistens, primum versum aliter expresserit; quemadmodum de Deo Socr. p. 666. Ed. Flor. e Catulli versu 'qui stellarum ortus comperit atque obitus' fecit Auctor, *qui signorum ortus atque obitus comperit.* Certe hanc opinionem confirmant Mss. O. ut Florent. Pith. Lips. et Edd. cunctæ priores, in quibus hoc modo: 'Sol, qui candentem fervido cursu atque equis.' Unde, quia sequitur *fervido,* corrigi posset *perdiu curru:* ut Ovid. l. IV. Met. vs. 629. vocat 'solis currus diurnos:' vel potius cum Viro docto ad marginem Ed. Junt. post. *pervio cursu:* quo exprimatur illud

Euripidis οὐρανοῦ τεμνὼν ὁδόν. 'Candens flamma' est fulgens. Vide ad Met. l. IV. p. 236. b. 'candens rosarium,' et Gell. l. XVII. c. 10. ad ista Virgilii 'candente favilla.' Becichemus tamen ait antiquos fere codices habere *punicantem*: atque inde facit *micantem*. 'Punicantes phaleræ' Auroræ equis tribuuntur a Nostro Met. l. III. init. Ceterum properante oculo Floridus inspexisse debuit Colvii notas, aiens: 'Colv. hos versus ex Prisciani libello de Metris Ms. paulo aliter refert, eidem tamen Accio tribuens: *Sol, qui cadentem fervido cursu atque equis Flammam cit. fervido ard. expl.*' In Ed. Elmenh. est *citatu* et *ardori*, quod ultimum vitium miror ab Scriverio et Florido, id retinentibus, non esse animadversum. *Oud.* *Ardori* antique est pro *ardore*. Vid. Voss. de Anal. I. 42. *J. B.*

Mediæ Deum pot.] Pith. *Deum mediæ.* De Deo Socr. p. 674. Flor. 'sunt quædam divinæ mediæ potestates.' Quos cum Plauto 'Medioximos' vocat de Dogm. Plat. p. 584. Ed. Flor. et ex Nostro Servius ad Æneid. III. 134. 'aras superorum Deorum, medioximorum, i. e. marinorum, focos:' ubi D'Arnaud. Var. Conj. p. 91. legit *aëriorum:* et ad Æn. VIII. 275. Cave vero, ne cum Sopingio eam vocem hic quoque intrudas. Pro medio etiam posuit Marbodæus poëta de Gemmis p. 9. Ed. J. Gron. post Gorl. Dactyl. 'Chalcedon lapis est hebeti pallore refulgens, Inter Hyacinthum medioximus atque Beryllum.' *Oud.*

NUM. XI. *Pariter*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.*

Scruposum] Flor. *scrupulo sum.* Elmenh. Met. lib. VI. p. 445. 'saxum scruposum,' ubi Edd. quædam *scrupulosum.* Lib. IX. 'iter arduum scrupis.' Accius [sive potius Pacuvius. vid. Priscian. lib. VI. *J. B.*] in Niptris apud Nonium v. *specus:* 'Scruposam specum.' Auson. Ep. 25. 58. 'juga per scruposa.' Amm. Marc. XX. 10. 'scruposa viarum difficultate.' Plura vide apud N. Heins. ad Valer. Flacc. lib. III. vs. 518. Verum in Mss. Florent. Lips. est *scrupulosum*, quod nolim damnari; sive parvis scrupis et lapillis plenum. Sic Amm. Marc. XVI. 12. 'scrupulosi tramites:' et XIX. 13. 'saltibus scrupulosis.' Nequaquam itaque mutes cum Heinsio in Glossis 'scrupulosum σηραγγῶδες,' in *scruposum*, quæ vox ibidem jam præcessit. Nec video caussam, cur contra omnes Msstos apud Cic. in Tusc. Disput. lib. IV. c. 14. ex *scrupulosis cotibus* legant quidam *scruposis*, alii *scopulosis loc. et cot.* sic *scrupulosus* abiit in *scopulosum* in Auson. Grat. Act. p. 724. in Ms. Leid. e quo ibid. pro *num* leg. *non.* Apud Ovid. Her. Ep. II. vs. 121. 'scopulos fruticosaque litora calco,' alii legunt *scruposa*, alii *scrupicosa:* quid si 'litoralem tractum' intelligit, quem amant myrti, ut patet ex lib. I. El. 1. Amor. in f. et ibi notis: *culmina* certe non placet: confer locum Lucani lib. VIII. 47. 'Rupis in abruptæ scopulos extremaque currens Litora.' *Oud.* [Ad locum Ovid. vid. omnino Cl. Lennep. *J. B.*]

In tesquis suis] Tesqua sunt loca aspera et difficilia, augurio designata, ut Festus ait. *Pyrrh.*

NUM. XII. *Instar illi minimo minus*] Non deficit hic locus, ut alii arbitrantur. Instar ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα. *Wower.* Id est, forma, imago ei paullo minor quam columbis, ut bene exponunt Casaubon. ad Apolog. p. 146. Vicent. Contar. lib. I. V. L. c. 5. Salmas. Exerc. Plin. p. 207. et Wower. Hinc passim Nostro *ad instar.* Male Lips. Cod. *istarum*, et Colvius hic aliquid deesse putavit. Ursinus pejus conjecit *avis est minimo minus, quam columba.* Valet autem *minimo minus τὸ fere:* ut lib. I. Met. init. 'minimo minus interii:' et sæpius. Vide Indicem. *Oud.*

Utrumque subluteus] Lege *utrinque*. Wow. Conjecit Lipsius et receperunt Wower. et seqq. *utrimque* sive ab utraque parte, ut exponit Floridus. Sed nullæ columbæ ab utraque corporis parte sunt luteæ vel subluteæ. Quædam sunt totæ candidæ ac lacteæ, plures vero lividæ. Nonnullæ quidem luteæ partim, sed multæ albo et livido mixtæ. Hinc Salmas. Plin. Exerc. p. 713. legit *utroque sublitus*, i. e. livido et albo colore tinctus, aut sparsus. *Oud.*

Color Psitt. viridis] Plin. lib. x. N.H. 'Viridis,' inquit, 'toto corpore, torque tamen miniato in cervice distincta:' id est, sanguineo, rubro. Luteus color est croceus, ut Virg. 'Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.' *Pyrrh.* Solinus cap. 55. 'India mittit Psittacum avem, colore viridi, torque puniceo.' *Elmenh.*

Extimis palmulis] Elegantius Lipsio visum, *parmulis*. Parmulæ recte dici videantur turgidiores illæ in Psittaco plumulæ, et in modum parmularum tumentes. *Colv.* Ita libri vulgares, et recte: alii, *parmulis*. Palmulis, ταρσοῖς. Notandum autem fere omnia, quæ Appuleius de Psittaco, apud Solinum iisdem pene verbis legi. Quod vero illos præstare ait, quibus in pedibus quini digiti, hoc Plinius lib. x. de picis, ut nonnulla alia, quæ Apul. de Psittacis. *Wower.* Male omnino hanc alteram vocem a Mss. et Edd. vetustis (nisi quod in Ed. Vic. sit *pamulis*) servatam sollicitant Viri docti. Ineptam Lipsii conjecturam temere secuti sunt Vulc. Scal. Nec melius Salmas. in vulgarem vocem *pinnulas* mutavit. Alas Noster vocat *palmulas* sive ταρσοὺς, quæ vox notat *pinnas* in ala, *remos* in navi, *digitos* in manu; quia hæc expansa eandem fere speciem referunt. Adi Suidam et Stephan. in Thes. p. 1311. Sic Ælian. Hist. An. II. 1. ταρσῷ τῶν πτερῶν. Jam autem *remi* et *alæ* πτερὰ millies de volatu vel navigatione confunduntur. Vide ad Met. lib. v. p. 366. a. 'Remigio plumæ raptum:' ubi in loco Propertii forsan *palmas* habemus de alis. Catull. IV. 3. 17. de navi: 'sive palmulis opus foret volare sive linteo.' cf. Festus in hac voce. Partes etiam gubernaculorum *pinnæ* vocantur teste Nonio cap. 2. in v. *Bipennes*. ubi Mss. *pinnari* f. *pinnarum*. Oud.

Circulo mineo] Ctesias apud Photium, fol. 67. αὐτὸ δὲ καὶ κυάνεον ὡς τὸν τράχηλον, ὥσπερ κινάβαρι. *Elmenh.*

Rostri prima duritia] Vide Solin. cap. 53. *Brant. Elmenh.*

Capitis ead. dur.] Vide Plinium lib. II. cap. 37. Solin. cap. 55. *Idem.*

Quæ rostri] Ed. Junt. post. *quæ rostro*, ex Plinii l. x. c. 42. 'capiti eadem duritia, quæ rostro.' Ex illo enim totum hunc locum desumsit Appuleius, ex Appuleio Solinus: ut bene docet Salmasius; non, ut inepte Harduinus ad Plinium, ex Solino sua hausit Noster, quod est summa ἀνιστορησία. Recte vero Salmasius monet, imprudenter Appuleium, dum descripsit Plinium, referre ad psittacum, quæ Plinius narrat de pica. Eundem tamen Nostro errorem commisit Solinus. *Oud.*

Ferrea clavicula] Solinus: 'caput tam valens, ut si quando ad discendum plagis sit admonendus, ferrea clavicula sit verberandus.' *Elmenh.*

Ferula] Adagium est, 'senex psittacus negligit ferulam;' est apud Hieronym. 'senis mutare linguam:' et eo utitur Hermolaus in quadam epistola, qua pulchre invehitur in eos qui negant Latinam linguam Juris ac Theologiæ studio convenire. Habes et jurisconsultum in tit. ad Syllanianum senatusconsultum dicentem: 'terreri solent impuberes, et habenula vel ferula cædi.' Convenit huic narrationi de psittaco, quod de eo Plin. scribit: ita ut alter ex altero sumsisse aut uterque ex eodem auctore videatur. Ait enim:

'Super omnia humanas voces reddunt psittaci, et quidem sermocinantes. Imperatores salutat hæc avis, et quæ accipit verba pronunciat, in vino præcipue lasciva.' *Pyrrh.*

Discit statim pullus] Solinus: 'Dum pullus est atque adeo intra alterum ætatis suæ annum, quæ monstrata sunt, et citius discit et tenacius retinet: paulo senior, et indocilis est, et obliviosus.' *Elmenh.*

§ 2 *Quini digituli numerantur*] Solinus: 'inter nobiles et plebeios discretionem digitorum facit numerus. Qui præstant binos in pede habent digitos, ceteri ternos.' *Idem.*

Lingua latior] Solinus: 'lingua lata, multoque latior quam cæteris avibus, unde perficitur, ut articulata verba penitus eloquatur.' *Idem.*

Verba hom. articulantur] Ctesias in Indicis apud Photium loco prædicto, ait, avem illam Indice loqui, imo et Græce, si docta fuerit. Olympiodorus fol. 112. λέγει δὲ περὶ ψιττάκου, ᾧ εἴκοσιν ἔτεσι συνδιῆγον, ὡς σχεδόν τε οὐδὲν τῷ ἀνθρώπῳ πραττομένων ἀμίμητον καταλιμπάνας. ὠρχεῖτο γάρ, καὶ ᾖδε, καὶ ἐκάλει ἐξ ὀνόματος, καὶ τἄλλα ἔπραττεν. Et Cælius Rhodiginus Antiq. Lect. lib. III. cap. 32. scribit se Romæ apud Ascanium Cardinalem vidisse psittacum, qui articulatissime continuatis perpetuo verbis Christianæ veritatis Symbolum integrum pronunciaret. Vide annotata ad Arnobii lib. II. et Plutarchum de Solertia Animalium fol. 972. *Idem.*

Id vero quod dicit, &c.] Postulat ipsa sententia, et quæ præmittuntur verba de psittaco, geminationem syllabæ, *quod didicit.* Martialis: 'Psittacus a vobis aliorum nomina discam.' Syllabas non geminasse librarios, quæ bis scribendæ essent, etsi ad eruendam verborum sententiam literæ sæpe turbato ordine trajiciendæ sint, notum ex textu Digestorum Florentino: ubi sæpe obvium SENTI*arum*, pro *sententiarum:* alia trecenta, quod tamen minus animadversum in Senatusconsulti formula l. I. ff. de adsignandis libertis: 'Solus ei patronus, solave patrona esset, perinde atque si ab eo eave libertatem consecutus, consecutave est:' utique scribendum enim, *consecutave* EST, pro *esset.* Superiora illa Appuleii de psittaco dicta, meo judicio jam recte constituta: etsi insuper emendanda, quæ de eadem ave præmittuntur: 'dum facile os uti conformetur, dum tenera lingua, uti convibretur:' mala scriptura vulgaris, *cum tenera.* Stewech.

Corvus] Persius: 'Quis docuit corvos nostra verba conari?' [V. Pers. Prol. 9. et 13.] et Plin. 'reddatur et corvis sua gratia,' et reliqua. Item de hirundinibus, cicadis, noctuis, et aliis avibus, habes plurima in eo Plin. lib. *Pyrrh.*

NUM. XIII. *Non enim*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.*

Hirundinibus matut.] Artemidorus p. 153. de hirundine: ὅταν δὲ τὸ ἔαρ παραβάλῃ, πρώτη πρόσεισιν, ὡς ἂν εἴποι τις ὑποδεικνύουσα τῶν ἔργων ἕκαστα, καὶ ὅταν γε φαίνηται, οὐδέποτε ἑσπέρας ᾄδει, ἀλλ' ἕωθεν ἡλίου ἀνίσχοντος οὓς ἂν ζῶντας καταλαμβάνοι ὑπομιμνήσκουσα τῶν ἔργων. Nonnus Dionys. lib. III. vs. 13. Ὄρθριον ὕπνον ἄμερσε λάλος τρύζουσα χελιδών. *Elmenh.*

Cicadis meridianum] Ambrosius Hexaëmeri lib. v. cap. 22. 'Quam dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena, quarum cantibus medio æstu arbusta rumpuntur, eo quod magis canoræ meridianis caloribus, quo puriorem aërem id temporis attrahunt spiritu.' *Idem.*

Noctuis serum] Ambrosius Hexaëm. lib. v. cap. 26. 'Habet etiam nox carmina sua quibus vigilias hominum mulcere consuevit. Habet et noctua suos cantus.' Auctor de Natur. Anim. Αἰμύλον ἡ γλαὺξ, ἡ φιλέσπερος φύσει. *Id.*

Bubonibus nocturnum] Vide Notata ad Arnobii lib. II. fol. 59. *Idem.*

Gallis anteluc.] Heliod. Æthiop. l. I. p. 36. Καθ' ὃν γὰρ καιρὸν ἀλεκτρύονες ᾄδουσιν, εἴτε (ὡς λόγος) αἰσθήσει φυσικῇ τῆς τοῦ ἡλίου καθ' ἡμᾶς περιστροφῆς ἐπὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρόσρησιν κινούμενοι, εἴτε ὑπὸ θερμότητος ἅμα καὶ τῆς περὶ τὸ κινεῖσθαι καὶ σιτεῖσθαι θᾶττον ἐπιθυμίας τοὺς συνοικοῦντας ἰδίῳ κηρύγματι ἐπὶ ἔργον ἐγείροντες, ὄναρ αὐτῷ θεῖον ἔρχεται τοιόνδε. Ovidius lib. IV. Met. fab. 5. 'Excubitorque diem cantu prædixerat ales.' Martial. lib. XIV. Ep. 223. 'Lucis aves.' Isidorus de natura rerum c. 3. 'Lucis prænuncios gallos' vocat. Antipater Thessalonicensis Anthologiæ l. VII. epigr. 162. Ὄρθρος ἔβη, Χρύσιλλα, πάλαι δ' ἠῷος ἀλέκτωρ Κηρύσσων, φθονερὴν ἠριγένειαν ἄγει. Ὀρνίθων ἔρροις φθονερώτατε, ὅς με διώκεις, Οἴκοθεν εἰς πολλοὺς ἠϊθέων δάρους. Γηράσκεις Τιθωνέ· τί γὰρ σὴν εὐνέτιν ἠῶ Οὕτως ὀρθριδίην ἤλασας ἐκ λεχέων; *Idem.*

Galli experg.] 'Hi sunt vigiles nocturni' (inquit Plin.) 'quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit.' *Pyrrh.*

Bubones] Est bubo funebris et abominatus, Plin. autore, nec cantu aliquo vocali sed gemitu. *Idem.*

Ululæ quer. noctuæ int.] Sic noctuas novem voces habere ait Nigidius, et Plin. noctuam, bubonem, et ululam distinguit; *Idem.*

Modo omni cana] Scribe meo periculo, *modo omni cata.* Varro lib. VI. de Serm. Lat. 'Catus Ælius Sextus non, ut aiunt, sapiens, sed acutus, et quod est, tunc cœpit memorari simul cata dicta accipienda, acuta dicta.' Arnobii lectionem editam, quæ lib. quinto adversus gentes, cum de fabula loquitur, non verear mutare: *Dicunt eam cati patres et superciliosæ perlegunt gentes:* nam vulgati libri habent *cuncti patres.* Plaut. Mostel. 'miror tam doctam, tam catam.' Non omnes hos catos accepere, pro Varronis animo: plerique enim et optimi scriptores usurparunt pro hominibus severis, seriis, sapientibus, quo modo Apuleius Athenienses vocavit catos, alii alios. *Stewech.* *Modo omnicana* lectio est Romani codicis. Ms. et alii *modo omni cana.* Legi aliquando una dictione, *modomnicana:* id est, omni modo canens. Vel potius forte scribere velis, *modo omnicanax,* aut etiam *modomnicanax.* Modomnicanax, vel omnicanax duntaxat, quæ modos omnes, vel omnia canit. Sic Canacius infra lib. III. 'Plenius gratias canaciusque libro mandabo.' Sed quod ante legimus, *tempore jugis,* idem scriptus liber pro eo habet, *tempore lucis.* Colv. Recte Mss. una voce *omnicana* πανῳδός. Ridicule locum tentavit Colvius. Frustra quoque est Stewechius. *Oud.*

NUM. XIV. *Hoc genus*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Omnino hæc subjicienda sunt extremis verbis Floridi quarti, ubi divitiarum contemtus et inutilis usus, exemplo navis atque ægrotantis. *Vir Doctus in Exempl. Colv. Bib. Reg.* Temere contra Mss. huc Elmenh. et post eum Scriv. ac Flor. transtulit aliud fragmentum, quod vulgo exhibetur lib. IV. n. 21. ante *sicuti navem;* eoque nos rursus demisimus. Nam quod hæc 2. fragmenta *Crates ille* et *Hæc atque hoc genus* de eodem Cratete agant, non satis caussæ est ut jungantur: imo pro uno eodem fragmento habeantur. Cur enim non potuit Auctor variis temporibus, variisque in orationibus, loqui de hoc tam celebri Philosopho, adeoque ex ejus scriptis duo excerpta esse fragmenta, multum a se distantia? Simili temeritate fragmentum XXII. ante *Hæc atque hoc gen. alia* ponere voluerunt Floridus et V. D. in Ex. Colv. Bib. Reg. quia priori *Crates ille* in argumento convenit. Rectius hinc advertissent revocandum esse fragmentum ad suum locum. *Oud.*

Alias] Tacite Appuleium rursus corrupit Wowerius, et cum eo Flori-

dus, habentes *alia*, cum in Mss. et Edd. prioribus, ut et Elmenh. ac Scriv. recte sit *alias*. Non sibi invicem respondent *hoc genus alia* et *alia*. Sed hoc genus alia didicit a Cratete partim, partim ipse sibi suggessit. *Alias* enim hic idem est, quod partim, alioquin; nec tempus, sed modum notat, ut lib. IX. Met. p. 667. 'Alias Latini sermonis ignarus.' Solin. p. 12. 'Coralium alias dicunt:' ubi in uno Cod. *aliter*, in Edd. aliquot *alii*. p. 30. 'alias ita pabulosa.' Sic Mss. et Edd. male Salmas. *alioquin*. Septim. de B. Troj. lib. III. c. 3. 'alias de tali negotio nihil se auditurum:' in Ms. Periz. *alioquin*. Vide Comm. ad Suet. Tib. c. 71. Charis. p. 173. Sæpius autem τῷ *partim* subjicit tale quid Noster. De Deo Socr. p. 664. Ed. Flor. 'partim visu usurpamus, alios intellectu vestigamus.' Vide ad Met. lib. IV. p. 287. b. *Idem*.

Adeoque ejus capiebatur] Locutio Græca: eo capiebatur et delectabatur et rapiebatur illius amore virgo nobilis Hipparche: alii Hipparchiam nominant, ut est apud Laërtium lib. VI. hæc historia. *Pyrrh.*

Virgo nobilis] Hanc Hipparchiam vocat Diog. Laërtius lib. VI. Noster Hipparchem. Sed Laërtii verba ad hunc locum: Οὐδενὸς μνηστευομένων ἐπιστρεφομένη, οὐ πλούτου, οὐκ εὐγενείας, οὐ κάλλους. Ex quo etiam alias sæpe in hisce Philosophicis scriptis verbatim multa Noster transtulisse huc videri potest; ut, si ætatem id ferre certo sciremus, id certo affirmare non dubitaremus: aut certe illum a Nostro quædam mutuatum, quod minus verisimile. Pluribus locis infra id probabimus. *Colv.*

Interscapulum] Sunt qui malint, *interscapilium*, teste Beroaldo in III. de Asino aureo. Glossarius liber: 'Interscapulum, Μετάφρενον.' *Idem.* Al. liber, *interscaplium*. Glossæ: 'Interscapulum μετάφρενον.' Hyginus Astron. in deformatione majoris ursæ: 'in summo interscaplio unam.' Ita passim. In figuratione canis: 'in pede priore tres, inter scapulas tres.' Forte, *interscapulo*. In deformatione Pegasi: 'in scapilio.' *Wower.* Florent. *inter scapulum*. Vide Indicem. *Elmenh.* Sic constanter Mss. Flor. Lips. et Edd. ante Vulcan. qui cum quibusdam jam Beroaldi ætate, sed refragante Becichemo Ep. 98. edidit *interscapilium*: quomodo est constanter in Mss. et Edd. Hygini sæpius in Astron. frustraque ibi Wower. voluit quoque *interscapulum*. Adi Munker. ad lib. III. c. 1. Non hic tamen *interscapilium* cum Vulc. Scal. Elm. Scriv. Edd. intruderem, vel *interscaplium*, ut alii volunt. Consule Wow. et Elmenh. Ind. Pith. *interscrapulum*. *Oud.*

Eamque supellectilem] Laërtius: Καὶ ἀποθέμενος τὴν ἑαυτοῦ σκευὴν ἄντικρυς αὐτῆς, ἔφη, ὁ μὲν νύμφιος, οὗτος, ἡ δὲ κτῆσις, αὕτη, πρὸς ταῦτα βουλεύου. *Colv.*

Conditionem accipit] Diogenes: Εἵλετο ἡ παῖς. Terentius Andria: 'Ita ut ingenium est omnium Hominum ab labore proclive ad libidinem, Accepit conditionem.' Sic semper Conditio, ubi de nuptiis et matrimonio sermo: apud Plautum centies. Aulularia: 'Tu conditionem hanc accipe, ausculta mihi, Atque eam desponde mihi.' Sticho: 'Nam me quidem hæc conditio nunc non pœnitet. Neque est cur nunc studeam has nuptias mutarier.' Trinummo: 'Habeo dotem, unde dein ut eam in se dignam conditionem collocem.' Unde in sponsalibus discutiendis formula solemnis; 'Conditione tua non utor.' Lib. II. D. de Divort. et Repud. *Idem.*

Dux Cynicus] Crates: quamvis et Diogenes Cynicus dux dicatur, ut apud Menandrum: 'mecum ambulabis pallio amicta, sicuti cum Crate Cynico conjunx.' *Pyrrh.* Cratem philosophum ab Hipparche puella efflictim adamatum narravit, ipsum eam-

dem dehortari conatum, amorem deponeret: se nimirum pauperem esse, ad hoc deformem: ut probaret utrumque, dorsum gibbosum in publico illi exhibuisse; supellectilem, et mundum philosophicum, pallium cum pera, et baculo humi proposuisse: his nihil commotam puellam respondisse, illo se marito contentam, ac subdidisse, duceret quo luberet. Ille conditione accepta, quam alii domum ducere solent uxorem, in locum publicum duxit, atque ibi accubuit. Imo quod proprium Cynicorum erat, novam nuptam in propatulo virginis nomen ponere voluit: et hinc est cur nomen Cynicis a canibus inditum, ut auctor Diogenes Laërtius in vita ejusdem philosophi. Ex quibus liquet, non abs re me emendasse superiora: *Duxit Cynicus in porticum, ibidem celebri loco, in coram, luce clarissima accubuit.* Stewech. Sic omnes libri, non bene tamen: emendo, *Duxit Cynicus in port.* Paulo aliter hæc cum paucis quæ sequuntur narrat Diogenes, qui ait: Καὶ ταὐτὸν ἀναλαβοῦσα σχῆμα συμπεριῄει τἀνδρὶ, καὶ ἐν τῷ φανερῷ συνεγίνετο, καὶ ἐπὶ τὰ δεῖπνα ἀπῄει. *Colv.*

Ibidem in loco cel. accubuit] Alii, *ibique in loco c. a.* Laërtius lib. VI. p. 427. εἵλετο ἡ παῖς, καὶ ταὐτὸν ἀναλαβοῦσα σχῆμα, &c. Lactantius de falsa sapientia lib. III. cap. 15. 'Quid ego de cynicis loquar, quibus in propatulo coire mos fuit?' Tacianus contra Græcos fol. 348. Isidorus Originum lib. VIII. cap. 6. Lucianus *peregrino* fol. 280. Ipse has nuptias κυνογαμίαν appellavit, ut notat Suidas. *Elmenh.* Vide ad Clem. Alex. Strom. IV. p. 619. Ed. Oxon. *Oud.*

Ni Zeno] Hæc non scribuntur Laërtio. Quod facit ut suspicer ex alio quopiam Veterum hausisse hæc Nostrum, e quo forte etiam multa in Vitas suas derivavit ille Græcus. *Colv.*

NUM. XV. *Samos*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Hæc est Samothracia in Ægæo mari, de qua, Tortellio teste, hic locus Apuleianus intelligi debet, quæ, Varrone et Lactantio testibus, Junoni natalis fuit et dicata, ubi templum erat Junoni sacrum, ubi a Samiis præ ceteris numinibus honorabatur. *Pyrrh.* Errant vehementer Tortellius et Pyrrhus, cum hunc locum capiunt de Samothracia in Ægæo mari, quæ sane nunquam 'Junonia Samos' dicta, nec vicina est Mileto, nec Polycrati tyranno subjecta fuit, uti nec Pythagoræ patria. Est Samos Ionica sive *prima* πρώτη Ἰόνων. Quæ præterea hic de Ionica Samo, memorantur et a Strabone l. XIV. p. 944. Ed. Amst. nec non Plinio l. v. 37. Pith. *Icaria.* Oud.

Exadversum Miletos ad Occ. ejus s.] Malim, *Mileto.* Sciopp. in Symbola. Ms. *exadverso:* ut et sequenti libro: 'sese quisque ex adverso quam proxime collocat.' Sed utrumque rectum. *Colv.* Sic quidem Mss. et Edd. O. præter Ed. Floridi; quæ si lectio ab Appuleio est profecta, gravis foret error. Tum enim scribere debuerat *ad Orientem:* quod substitui voluit Vinc. Contaren. l. I. V. L. c. 1. Sed leniori medicina Groslot. Sciopp. et Pricæus emendarunt, eosque secutus est tacite Floridus *Mileto,* ut Samos ad Occidentem Mileti dicatur sita. Vide ad Apolog. p. 19. 'exadversum soli.' Plerumque tamen vel absolute, ut Plin. l. VI. 16. vel cum accusativo construi videas. V. Salm. ad Solin. p. 827. nam Terentii locus in Phorm. I. 2. 38. incertus est, legine debeat *exadversum loco,* ut citatur a Gellio l. VII. c. 7. vel *ei loco,* an *exadverso ilico.* Oud. *Ex adverso* scribendum videtur Burmanno ad Sueton. Tib. c. 33. sed *exadversum* tuetur Oudendorp. ad Suet. Cæs. c. 39. *J. B.*

Dispescitur] Editur ante passim, *dispicitur.* Infra lib. de Deo Socratis: 'Cum et habitacula summa ab infimis tanta intercapedine fastigii dispes-

cant.' Plinius lib. v. 'Inde Africam ab Æthiopia dispescens.' Etiam corrigendus Martianus Capella lib. VI. 'Nam ab Europa Calpe, Africa Abyla monte dispescitur:' ibi enim vulgo legitur, *despicitur*. Colvius. Florent. Ald. et Rom. *despicitur:* male. *Elmenh.* Magis placet editio Basil. *dispicitur*. Macrobius: 'quod Rhegium a Messena dispicit.' Solinus: 'Africum limitem dispicit.' *Brant.* Recte hunc locum correxere Lipsius, Groslot. Colv. et Rob. Titius Controv. l. VI. c. 9. *Dispicitur*, quod est in Mss. Lips. Pith. et Edd. Vett. perperam corruptis Macrobii et Solini locis defendit Brantius. Adi Colv. et Salmas. ad Sol. c. 38. in fine. 'A Ciliciæ finibus Africum limitem dispescit:' id. Sol. c. 7. p. 17. 'quatuor non amplius milibus dispescens utrumque litus.' Martiani loco a Colvio correcto adde alium ibid. p. 201. 'quarum primam atque ultimam interruptio dissecat Oceani:' recte Grotius *dispescit*, ut clare in Mss. tribus antiquissimis Leidensibus legas. p. 221. 'Hermus Phrygiam Cariamque dispescit:' vulgo *dispartit:* alii *despicit*, *dissecat*, quod alioquin non damnem, ut p. 202. 'Sed prædictum latus a Pyrenei' (al. *Pyreneis*) 'jugis dissecatur.' cf. ad Met. lib. IV. p. 296. b. *Oud.*

Nec vinitori nec olitori] Ms. *oleri*. Sed forte potius legendum, *olivitori*. Scio olitorem alibi pro olerario a Lucio nostro etiam poni. Sed conjuncta hæc sæpius observavi, Vinitor et Olivitor: aut, Oliveta et Vineta. Sidonius lib. II. Epist. 'Colles ædibus superiores exercentur vinitori et olivitori.' Ulpianus Fragment. tit. VI. 'veluti si vineta et oliveta fecerit.' Synesius Epist. 67. *Δεσπότης τοῦ κτήματος ἐγένετο πρὸς τῷ λόφῳ καὶ τῶν ἀμπελώνων καὶ τῶν ἐλαιώνων. Colv.*

Secundo littore] Fortassis recte legas, *secundum littora*. Colvius. *Secundum littora* Colv. Pro vulgata tamen Sallust. Jugurth. 'Igitur ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa dividit, secundo mari prima Cyrene est.' *Brant.* Hæc est constans Mss. Florent. Lips. Fulv. et Edd. vett. lectio, quam e Colvii, sive potius Lipsii conjectura commutarunt in *secundum litora*, sive juxta litus et mare. Verum idem notat vulgata scriptura, ut bene vidit Brantius; et recte veterem lectionem revocavit Scriverius. Docuit id clare J. Wasse ad Sallust. B. Jug. c. 19. a Brantio cit. ubi *secundo mari est*, versus, secundum mare euntibus; quidquid obloquatur Cortius. Clare sic præter Orosium Cæsar l. VII. B. G. c. 58. de itinere terrestri, 'Exercitum transducit, et secundo flumine ad Lutetiam iter facere cœpit.' Ita enim Mss. O. præter unicum Norvic. e Glossa, ut cum Wassio jam vidit Davisius ad c. 60. Sic ergo hic *secundo litore*, i. e. versus litus euntibus. Scio, sæpius 'secundum mare,' 'secundum fluvium' dici cum agitur de navigatione, quæ fit secundo æstu, et secundo vel placido vento; cum navem quasi sequitur flumen vel mare, ut 'secundo Sole ventus est,' qui a Sole fertur. Vid. Salm. ad Solin. p. 890. Sed hoc locis adductis significare nequit. *Oud.*

Lancibus] In quibus exta, quæ aris Deorum imposita. Virgilius lib. II. Georg. 'Lancibus aut pandis fumantia reddimus exta.' Ubi Servius: 'Sacerdotum usus est verbo. Reddi enim dicebantur exta, cum probata et elixa aræ superponebantur.' Ovidius: 'Nec defensa juvent Capitolia, quo minus anser Det jecur in lances, Inachi, lauta tuas.' De speculis scripsi ad XI. Metam. *Colv.*

Batylli statua] Batyllus joculator, saltator quoque fuit, Samius adolescens, quem ob miram formæ speciem Anacreon Poëta fertur adamasse. Cum aspiratione scribi debere Tortellius voluit. Hujus et Juven. me-

minit. *Pyrrh.* Vide Anacreontem in Batyllum et Chrysostomum contra Gentiles fol. 42. Athenæum lib. XII. fol. 535. *Elmenh.*

Videor effectius] *Effectius* ἐξεργασμένον. quid si, *exactius?* Sciopp. in Symb. *Effectius,* i. e. elaboratius, perfectius et *exactius,* quod frustra substituere voluit Scioppius, sive *effigiatius,* ut male conjecit Colv. *Effectius* proprie de statua, quæ ab artificibus passim effici dicitur, cum elaboratur. Adi ad Met. lib. II. p. 92. a. Comparativus hic occurrit quoque in Flor. N. 16. 'Tum ego perfectius, cum vos effectius.' Adde Fabri Thes. *Affectatius* citat Britannicus ad Juven. S. XIII. 118. 'Effigies inter vestras, statuamque Vagelli:' ubi Mss. plurimi, et in his tres a me visi, *Bathylli.* Oud.

§ 2 *Pone autem coma*] Scriverius edidit *pone aurem.* Sed nulla mutatione opus est. Primo descripsit *antias,* ad malas et per aures remulsas ac dependentes; jam pergit depingere crines a capite promissos pone cervicem, sive *aversos,* quos *retropendulos* dicit l. v. Met. p. 161. Pric. *Id.*

Succi plena] Cf. Voss. Etym. in v. Terent. Eun. II. 3. 27. 'corpus solidum et succi plenum.' Arnob. adv. Gent. 5. 'quam cum Verveceus Jupiter bene validam, floridam, et succi esse conspiceret plenioris.' Appul. Apol. 'vide quam facies ejus decora et succi palæstrici plena sit:' p. 72. Pric. quem ibi vide. Respondet autem Græcorum ὑγιὴς ab ὕγω, proprie notans *succulentus, plenus succi,* quem bene valentes ex alimentis trahunt, (cf. Donat. ad Ter. l. c.) hinc demum *sanus.* J. B.

Malæ uberes] Perperam Floridus. *Malæ uberes* non quidem sunt buccosæ et nimis protuberantes, sed succulentæ, *plenæ,* nec macidæ vel *lapsæ,* de quibus vide ad Met. lib. x. p. 681. b. Sic 'equitem uberrimum et habitissimum' habemus apud Gell. lib. IV. c. 20. Has malas Anacreon Od. XXVIII. vorat ὅλην παρειάν. Noster de signo Mercurii in Apol. p. 72. Ed. Pric. 'facies ejus decora et succi palæstrici plena.' *Oud.*

Ac modico mento laculatur] Rom. ed. *at modico. Laculatur* ejusdem Rom. editionis scriptura, et Ven. item Ald. Alii *jaculatur.* Nihildum certi de hoc constituere ausim. Isidorus equidem Orig. lib. XIX. c. 22. 'Vestis laculata est, quæ lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos, aut additos acu.' Quod quomodo ad mentum trahi possit, nondum capio. *Colv.* Ignoro quis hunc locum constituerit, quem postremæ editiones ita legunt, *ac modico mento facies.* Romana et Veneta, *laculatur.* Aldina, *jaculatur.* Non invenio quid substituam, nisi legas, *ac modico mento acutatæ.* Vel potius, *acutulæ:* ita astutulus, stultulus in Apul. et apud Cic. III. de Nat. De. 'Zenonis conclusiones acutulas.' *Wower.* Manuscriptus Mangani: 'ac medio mento joculatur.' Quid si, *lacunatur?* Putean. Flor. 2. *at medio mento laculatur.* Aldus et Rom. *ac modico mento lacunatur.* [?] Latet quippiam. *Elmenh.* Veram lectionem nemo vidit præter unicum Er. Puteanum, cui tamen nemo paruit. Scilicet in Mss. Florent. et Edd. Vett. est *laculatur.* Pith. *lacullatur.* Bemb. *luculatur.* Mang. *joculatur.* Lips. Edd. Bas. Scriv. *jaculatur.* Pro *modico* in uno Florent. Bemb. Mang. Lips. est *medio.* Manganus conjecerat *ac medio mento laculatur.* A. Gronov. in Obs. Misc. vol. v. tom. III. p. 114. 'ac medium mentum ' e Varrone lib. III. de Re Rust. c. ult. 'loculatas arculas et loculatæ piscinæ:' in quibus multi loculi, seu separata a se invicem loca. Sed quid hoc ad *mentum?* Contarenus conjecit *ac modice mentum bucculæ* vel *laculatum.* Interpolate adhuc magis Floridus edidit *ac modica mento lacuna:* nam ut verum sit, cavitatem in me-

dio virorum mento, si modica sit, gratiam iis et venustatem adferre, et sine dubio id hoc loco voluerit Auctor, nimis hæc scriptura abit a Mss. Quam pulchræ autem sint 'genæ teretes modico mento acutulæ' Wowerius ipse viderit. Turpius adhuc locum interpolavit Vulcanius, pro *laculatur* supposito *facies.* Quare unice amplector Er. Puteani conjecturam *ac medio mento lacunatur* vel *ac modice medio mento lacunatur:* sed prius malo. *Lacuna* vocatur omnis cavitas, vel sectio, seu fissio in quacumque re. Hinc 'Lacunæ imaginum' Solin. p. 138. apud Salmas. 'Oculorum lacunæ' Plinius apud Salmas. Exerc. p. 290. De sulco aratri Varro lib. I. c. 29. De vulneribus Auson. Ep. IV. 82. De ore aperto Ovid. lib. III. Art. Am. 283. 'sint modici rictus, sint parvæ utrimque lacunæ.' Græce βόθρος dicitur. Vide Glossas. Vias incisas fossis vel rivulis sæpe Noster *lacunosas* vocat. Adi ad Met. lib. I. p. 33. b. Plura de *lacunis* vide apud Gronov. ad Gell. l. I. c. 3. *Lacunatur* est impersonaliter pro, est lacuna, adparet lacuna in medio mento. Atque hoc verbum restituendum puto Isidori loco a Colvio cit. ubi pro *laculata* leg. *lacunata*, quod patet e c. 12. 'lacunaria dicuntur quæ lacus quosdam quadratos vel rotundos ligno vel gypso vel coloribus habent pictos cum signis intermicantibus:' hinc enim adparet metaphoram esse desumtam: idque verbo *lacunare* expressit Ovid. lib. VIII. Met. vs. 563. Immo pro *concavatus* in re parva adhibuit Plin. lib. . c. 10. 'nucleos lacunatis toris inclusos.' Ceterum pro *ac* non male in Pith. et Ed. Rom. est *at.* *Laculari* defendi tamen posset a *lacus*, ut a 'pullus' 'pullulare,' a 'tubus' 'tubulari.' *Oud.* Cf. Vossii Etym. v. *lacus.* Lego tamen partim cum Florido: *Cervix succi plena, malæ uberes, genæ teretes, ac medio mento lacuna.* *Lacunatur* enim, sive *laculatur*, inpersonaliter hoc sensu mihi non placet. Sed tamen illud *tur* quod in Mss. sequitur, non pro nihilo habendum. Hinc V. Cl. D. J. Lennepius suspicatur legendum esse, *truncique* vel *trunci quoque prorsus citharœdicus status*, i. e. corporis præter caput, cujus descriptio præcesserat. *J. B.*

Tunicam pict. variegatam] Statius lib. VI. Theb. vs. 365. 'Differt avidas audire sorores: Dumque chelin lauro, textumque illustre coronæ subligat, et picto distinguit pectora limbo.' *Elmenh.*

Decoris instrumentis dependent] Vetus liber, *decoris histrii.* Putem scribendum, *cetera decoris striis.* Striæ, id est, cavaturæ, sulci, lacunæ, quæ in columnis. Sic etiam Varro lib. I. de Re Rustica: 'Qua aratrum vomere lacunam, striam facit, sulcus vocatur.' Sidonius lib. IV. Epistolarum: 'Quod possit aptari conchæ capaci: quæ per ansarum latus utrumque in extremum gyri arcta, fundi senis cavatur striaturis.' Hinc l. X. Metam. 'Senili tristitie striatam gerens frontem:' et XI. 'Serpens striato tumore sublimis.' Hæc ita scripseram: cum magis probare sese mihi cœpit Lipsii nostri conjectura, *cetera decoris histrici.* Instrumenta musica ad decorem histricum, seu histrionium pertinere ait. Adsentitur Arnobius lib. VI. 'Cum plectro et fidibus Delius citharistæ gestus servans cantaturi, et nænias histrionis.' *Colv.* In vet. *histriis.* Unde malim, *decoris in striis dep.* ut intelligat plicas vestimenti. *Wower.* *Decoris histrici* Lipsius elect. cap. 21. Florent. *d. histris.* Rom. et Ald. *d. instrumentis.* Colvius *d. striis*, et capit de plicis vestimenti. *Elmenh.* Lipsii conjecturam Vulcanius ceterique expresserunt, cum vulgo legeretur *decoris instrumentis.* De *Histricis* adi Beroald. t. I. Thes. Crit. pag. 263. Sed vellem nobis explicasset Lipsius, quæ illa *cetera decoris histrici* sint, quæ *dependent.* Colvius ait esse instrumenta musica ad decorem his-

trionium pertinentia. Atqui subdit Auctor, citharam balteo nexam strictim sustineri, et pectinem per adolescentis dextram citharæ admoveri, ac læva nervos citharæ tangi. Cum ergo in Ms. Lipsii sit *hystriis* (non *histrii*, ut apud Colv.) et in Florent. Cod. *histris*, nullum mihi dubium est, quin legi debeat cum Wowerio *decoris in striis*, ut diserte est in Pith. vel simpliciter *d. striis* cum Pricæo, ut recte Colvius conjecerat. Sic *striam*, vel *in striam* potius, abiit quoque in *histriam* apud Nonium e Varrone l. I. de Re Rust. cap. 29. ubi vide Gesnerum. Monui jam ad Suet. Aug. cap. 70. ubi vide. Intelligit autem, vestium sc. tunicæ et chlamydis 'cetera dependere decoris plicis' sive sulcatis rugis, quales in columnis Ionicis et statuis arte elaboratis visuntur in monumentis creberrime. Talis inprimis Ceres 'striata stola' adparet in prætorio Heemstediano. Loquitur hoc loco de palla citharœdica, qualis Apollini, et Arioni apud Ovid. Fast. II. 107. ut et Hygin. Astron. II. 17. De voce *striis* vide Vitruv. l. III. c. ult. et l. IV. c. 1. et præter Colv. h. l. Comm. ad Met. l. X. p. 683. a. 'striatam frontem:' et Pric. ad Apol. pag. 95. De his itaque nemo amplius dubitabit. *Histrici* lectio firmari alioquin posset, quia sic 'striculus' pro 'hystriculus,' 'strio' pro 'histrio,' 'storia' pro 'historia,' 'spania' pro 'Hispania' scribitur. Adi Salm. ad Tertull. Pall. p. 133. Spart. Hadr. c. 27. J. Capit. V. M. Anton. cap. 1. Munk. ad Fulgent. Myth. l. III. c. 7. et Corp. Epist. t. v. p. 417. *Oud.*

Balteo cælato apta] Id est vincta, connexa ad balteum cælaturis insignem. Vide supra ad N. VI. Noster in Apol. pag. 92. Pric. 'verba pinnis apta.' De Phil. pag. 600. Ed. Flor. 'Ita secum ex omni parte congruit, ut ex se apta sit:' ubi cf. Brant. de Mundo pag. 746. Ed. Flor. 'Mundi salutem tuetur Deus, aptam et vinctam sui numinis potestate.' Cic. de Off. I. 4. 'In vita omnia sint apta inter se.' *Idem.*

Manus ejus teneræ, procerulæ: læva] Vide Scaligerum ad Manilium. *Elmenh.* Ita hunc locum bene, nisi quod non accurate satis quidam distinguant, ediderunt Bas. sec. Colv. Vulc. utr. Wower. Scriv. atque ita exaratur in Mss. Florent. et Lips. In Edd. Vett. est *tenera procerule læva:* quasi dextera manus non esset tenera. In Mss. Fulv. Pith. Coll. Lips. habetur *tenera procerula.* Elmenh. et Florid. edidere *teneræ, procerula læva.* Sed et dextera, quæ tenet plectrum, quasi citharam pulsabunda, æque procerula debet esse ac læva. Ceterum hinc videmus, Veteres cithara quoque lusisse simul digitis et plectro, adeoque utraque manu, ut apud Virg. Æn. VI. 647. 'Jamque chelyn digitis jam pectine pulsat eburno:' sic enim malo cum Cuningh. vel *fidem* cum eodem et Markl. vulgo *eadem*, quod defendit Burm. Plerumque citharam tenebant manu sinistra, plectrum dextra, ut in Geminorum figura in Arateis et Hygino. Vel solo plectro cantabant, ut aliquoties apud Ovid. vel etiam solis digitis manus lævæ sine plectro, ut Musæ in Tabula Apoth. Homeri. Vide Scalig. ad Manilii Sphær. Barb. p. 376. *Oud.*

Suosabulum] Pectinem, quo pulsatur cithara, a suadendo fortasse dictum, id est movendo. *Pyrrh.* Lectio hæc veteris nostri cod. et Rom. item omnium reliquarum editionum. Sabulum instrumentum musicum fuisse arbitratur Varronianis Conjectaneis litteratissimus J. Scaliger. Lipsii conjectura, *suum sabulum*, vel, *pulsabulum:* ut legi posse notatum etiam ad oram editionis Germanicæ posterioris. Ego prima fronte scribendum putavi, *suscitabulum*, et non male sic plectrum ipsum appellari: ut Phonascus dicitur vocis Suscitabulum Varroni, Ὄνος λύρας: 'Phonascus adsum vocis sus-

citabulum, Cantantiumque gallus gallinaceus.' Sed venit nunc etiam in mentem scribi posse, si non esset remotius a veteri scriptura, *gestu suo tinnulum*: nam Glossæ Latino-Græcæ, 'Tinnulum, πλῆκτρον.' Quidsi etiam, *Fibulam*, legamus, ut Jul. Pollux Græcis ἐπιπόρπαμα Citharœdi instrumentum appellatum scribit lib. x. Ἐπιπόρπαμα δὲ κιθαρῳδοῦ σκεῦος, ὡς Πλάτων, Δότω τις ἔνδοθεν καὶ ἐπιπόρπαμα. Et certe Fibula hæc a similitudine quæ illi cum fibula vestium dicta videri possit. Quomodo sæpius ab eodem fonte petita vocabula Latinos pariter ut Græcos iisdem rebus indere videmus. *Colv.* *Pulsabulum cytharæ admovet* lego cum Flor. et Lipsio, alii, *suo suscitabulum cytharæ a.* vel *suo sabulum c. a.* Elmenh. Mss. Pith. Florent. Lips. et Edd. Rom. Vic. Ven. Junt. pr. Ald. Bas. *suosabulum*. Hac scriptura et memoriæ vitio deceptus J. Scaliger in Varron. Conj. pag. 121. putabat se aliquando legisse apud Appuleium *sabulum* de *instrumento musico*, quod plectro pinseretur: cum hic debeat intelligi ipsum plectrum. Colvii conjectura *suscitabulum* placuit Vinc. Contar. lib. I. V. L. c. 26. et W. Gœsio, eamque recepere Vulcan. et Scalig. sed qui male addiderunt *suo*, quod hic nihili est. *Suscitabulum* proxime accedens ad scripturam *suosabulum* adprime placet e Varrone, per Colvium citato. Sic 'incitabulum ingenii' est apud Gell. l. xv. c. 2. Interim tamen exhibui *pulsabulum*; quia ita e manu sec. legitur in Mss. Florentinis, editurque jam a Junt. post. e correctione scilicet Becichemi, antequam ita conjecerat Lipsius, quem secuti sunt Wower. et Scriver. qui recte non agnoscunt τὸ *suo*, quod ab Elmenhorstio sine ullo judicio retentum est, et unde Floridus ingenium suum ostentandi occasionem quærit. Pro *pulsabulum* non nemo legit *pulsitabulum*. Oud.

§ 3 *Anacreonteum carmen*] Anacreon enim amatorios versus fecit, qui Bathylli amator fuit, qui persæpe cava testudine flevit amorem, ut Horat. ait. *Pyrrh.*

Esto cujuspiam pub. qui Pol. tyr. dilectus, Anacreonta Teium am. gr. cant.] Hæc recentioris editionis scriptura: aliarum fuit, *Anacreonteum am. gr. cant.* Ms. *Anacreonte vel am. gr. c.* Scribo ex fide historica, *quem Polycrati tyranno dilectum, Anacreon Teius am. gr. cant.* Anacreon Teius Smerdiam, puerum amatum Polycrati Sami tyranno, versibus suis in cœlum tulerat: quod non tam amoris quam amicitiæ gratia faciebat, magisque indolem ingenii ejus, quam corporis formam eximiam prædicabat. Hæc ità apud Ælianum Variæ Hist. lib. ix. quem consule. Innuit Noster plures adolescentulos ab Anacreonte laudatos, inter quos etiam fuit quidam Bathyllus nomine. Horatius Epod. 'Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium.' Cujus etiam meminit ipse, si ego ipse recte memini, in suis Poëmatiis, quæ passim leguntur. *Colv.* Prave Florent. Ms. Edd. Scalig. Wow. Flor. habent *est*, quod contra Appuleii mentem est. Primo dixerat, Bathylli, Anacreontis amasii, statuam esse, si quidem ibi non e glossa vox *Bathylli* intrusa est. Ab hac ergo opinione jam recedit, et pernegans Pythagoræ statuam esse, concedit, posse etiam esse statuam *cujuspiam puberum*, quem Colvius et seqq. putant fuisse Smerdien, Polycratis amasium, et hinc ab Anacreonte cantatum. In Smerdiæ honorem carmina ab Anacreonte composita esse docent Ælian. lib. ix. V. H. c. 4. Max. Tyr. Diss. 10. Verum eo ille puer suspectus evasit Polycrati; adeo ut ille, Anacreonti cupiens dolorem facere, puero comas abraserit, ut præter Ælianum testatur Athen. lib. xii. p. 540. unde carmen in ipsum puerum, ita comas derasum, fecit Anacreon, ut ibidem Ælian. et Stob. Serm. 160. Hinc non videtur

mihi istum puerum, qui etiam potius *inpuber*, quam *puber* dicendus foret, tanto honore affecisse Polycrates. Ad hæc debuisset dici *cantillavit*. Præterea cum hæc statua sit 'psallentis gestu,' necesse est, ut expresserit aliquem, qui ipse canere solitus fuerat, non in cujus honorem, ut Bathylli vel Smerdiæ, alius carmen cecinit. Adeoque potius ipse esset Anacreon, nisi is *senex* fuisset. Adparet ergo, emendationem hanc falsissimam esse, quæ facta etiam est Mss. et Edd. veteribus invitis. In illis enim est *qui* (Mss. Pith. Lips. *quis*) *P. t. dilectus Anacreonteum cantillat*. Florent. quoque et Edd. Vulc. Scal. Wow. *dilectus Anacreon Teius*. Pessime. [Habet ita quoque Elmenh. Ed. sed in *Erratis* monuit legendum esse *quem Polycratici t. dilectum, Anacreon*. J. B.] Nam clare patet ex argumento Appuleii, quod Pythagoræ statua esse non possit, quia 'ille philosophus tyranno dilectus non fuit,' vocem *dilectus* pertinere ad eum, cujus hæc sit statua, non ad Anacreonta. Rectius ergo Edd. Junt. post. et Bas. sec. e conjectura Becichemi exhibent sic *qui P. t. dilectus Anacreonta Teium am. gr. cantillat*. Hoc sensu. Esto ergo statua cujuspiam puerum vel poëtarum, qui dilectus a Polycrate tyranno, utpote Musarum et Poëtarum amantissimo, si historicis fides est, et præsertim quia ille Anacreonta suum carminibus celebrarat, hoc statuæ honore a Polycrate insignitus est, et quidem eo gestu, ut nunc quoque Anacreonta cantillare videatur. Ut verum tamen fatear, malim ipsam veterum Edd. scripturam retinere *qui P. t. dilectus Anacreonteum am. gr. c.* Scilicet carmen Anacreonticis simile in honorem Polycratis ejusque amicitiæ gratia, qualia Anacreon multa composuit. *Cantillat* pertinere ad statuam non ad Anacreonta, tota descriptio luce clarius docet. Dicitur autem *Anacreonteum* sc. carmen, ut 'Æolium,' 'Dorium,' 'Lydium,' de quibus supra. Vir Doctus in marg. Ed. Colv. in Bib. Reg. legit *quos P. t. dilectos Anacreon Teius c.* Male. *Oud.*

Et natu Samius] Eusebius de præparat. Evang. lib. x. cap. 11. Tzetzes chil. II. hist. 366. Ælianus Var. hist. lib. IX. cap. 4. Laërtius in vita Pythagoræ. *Elmenh.* In Edd. nonnullis *natus*. Pith. *sanus*. Oud.

Sed haud ph. t. dil. fuit, &c.] Eum tamen per epistolam Amasidi, cum in Ægyptum proficisceretur, commendavit. Auctor Diog. Laërt. lib. VIII. *Colv.* In textu legitur *est*, ut ipse edidit Colv. *J. B.*

Mnesarcho] Pythagoræ pater ab aliis Mnesarchus dicitur, ab aliis Vescates, ab aliis Demarathus, ut Justinus ait, ab aliis Maramachus. Alii quoque a Polycrate dilectum fuisse atque ab eo Ægyptiis commendatum: de cujus vita plerique scripsere, et permulta a Laërtio scripta habes, et a Tortellio multisque relata omnia, quæ in justo commentario recenseri potuissent. Fuit autem Pythagoras et Theologiæ et Arithmeticæ (nam per numeros philosophabatur) et Geometriæ et Medicinæ et Astronomiæ ac omnium artium liberalium peritus. *Pyrrh.*

Gemmis sculpendis] Δακτυλιόγλυφον appellat Diogenes. *Colv.* Ald. *scalpendis*. Elmenh. Præter Ald. dant ita quoque Junt. post. et Scriv. auctore Diomede. Sed male. Supra de Hippia: 'gemmam insculpserat.' Vide ad Met. lib. IX. pag. 605. a. et Burm. ad Suet. Galb. c. 10. *Oud.*

Zoroastrem] Ad Zoroastrem Bactrianorum regem sideralis scientia referri solet, qui Nino æqualis fuit, unde non potuit Pythagoram docere. *Pyrrh.*

A q. Gillo] Qui hic Gillus dicitur, mendose fortassis, Γύλων vocatur a Themistio Euphrada, qui hanc historiam attingit, Orat. IV. Αὐτὸς δὲ γὰρ

ὁ Μνησάρχου τοσόνδε ἄρα ἀπέλαυσε τῆς πολυμνήτου σοφίας ὥστε μετανάστης ἀεὶ διεβίω διὰ τοὺς βασκαίνοντας καὶ κολούοντας ἐκ Σάμου μὲν εἰς Κρότωνα διὰ Πολυκράτην, ἐκ Κρότωνος δὲ εἰς Λόκρους διὰ Γύλωνα. *Colv.* Reliqui auctores hunc hominem vocant Γύλωνα, vel Κύλωνα, seu Κύδωνα, teste Menagio ad Diog. Laërt. lib. II. sect. 46. et VIII. sect. 49. *Oud.*

Numerorum vices] Forte, *vires*. Colv. Ita quoque legendum conjecere Gœsius, Groslot. et Scheff. de Philos. Pythag. cap. 5. quod non damnarem, si constaret, hic ante oculos Appuleium habere Astronomiam; quam certe in Ægypto quoque didicit Pythagoras. De *numerorum* vi hac in re adi ad Lucan. lib. I. vs. 640. 'quem non stellarum Ægyptia Memphis Æquaret visu, numerisque moventibus astra.' Auson. Parent. IV. 17. 'Tu cœli numeros et conscia sidera fatis Callebas :' sic leg. ex antiquissimo Cod. Voss. ut monuit alibi N. Heins. Verum cum hæc tantum sit pars Arithmeticæ potentiæ, eamque a Chaldæis dein acceperit, et Arithmeticam totam hic hauserit, malim retinere *vices*, i. e. computandi rationes, variationes et vicissitudines: ut exponit Vir doctus M. Jac. Bruckerus in Amœnit. Literar. tom. VII. p. 191. *Oud.*

Chaldæos] Laërtius lib. VIII. p. 596. *Elmenh.*

§ 4 *Sideralem sc.*] De errantium et fixorum siderum vi, ambitu, motu, lege Plin. pulchre in 2. lib. VIII. ubi hæc deridet. *Pyrrh.*

Medendi] Hæc ars lucrosa est Platone judice: sed mechanicam esse ait, estque a Chaldæis, Arabibusque olim maxime culta et in disciplinam redacta. *Pyrrh.*

Tormenta] Isti Brachmanæ gymnosophistæ philosophiam divinam et moralem tractabant, ut est apud Platonem, sicut et in Gallia Druides. *Idem.*

Pherecydes] Syrius a pediculis consumptus, lege Laërtium lib. I. Hunc Cic. ait primum animos sempiternos asseruisse: vir divinaculus erat, qui autore Plin. lib. XII. Cyri regis tempore prosam orationem primus condidit. *Idem.*

Syrio ex insula oriundus] Corrigendum, *Syria insula oriundus* ex mente Strabonis lib. X. *Stewech.* F. *Scyro.* Vide Ortelii Synonymam Geographicam. *Brant.* *Syro* non est in vet. cod. Bas. II. *Syria.* Insula Syria, ut Terra Gallia. *Colv.* Pith. *Stio.* Σύρα hæc insula dicitur Suidæ et Hesychio. Homer. Odyss. O. v. 402. eam vocat νῆσον Συρίην. In Ed. Junt. post. exstat *Scyro*, ut legi quoque voluit Brant. Sed perperam. Son enim *Scyrius* sed *Syrius* fuit Pherecydes. Isidor. lib. I. Or. c. 37. 'Pherecydes Syrus soluta oratione primus scripsit.' At *Syrus* sæpe corruptum fuit in *Scyrus.* Vide ad Theopomp. et omnino Menag. ad Diog. Laërt. lib. I. § 119. de nostro Pherecyde; item Pintianum ad Melam lib. II. c. 7. N. Heins. ad Ovid. Met. VII. vs. 465. *Oud.*

Passim verbis] Una dictione leviter mutata interpungendum, *scribere ausus est passis verbis, soluto.* Istiusmodi orationem hodie vulgus prosam vocat, Apuleius prorsam nuncupavit lib. III. Florid. 'et prorsa et vorsa facundia veneratus sum: ita ut etiam nunc hymnum ejus utraque lingua canam.' Ex quibus verbis convincitur, prorsam orationem recte dici posse; aut Latine nescisse Apuleium; quod indicare visum, quia vir celebris, et magni in literis nominis, id negavit. *Deam prosam* nominatam, quæ legitimo partui præesset, notum ex Cœlio. Hoc amplius reticendum non est, prosæ inventionem, atque adeo historiæ scriptionem Cadmo tribui: qua de re adeundus Suidas. *Stewech.* Restituo *prorsis verbis s. l. l. o.* Prorsa verba opposuit versuum nexui, ut perpetuo fit: ut, *prorsa et vorsa facundia veneratus sum:* hic lo-

cus me monet ut Pompeium Trogum seu Justinum vindicem a menda, quæ, et hoc miror, assiduos ejus vindices hactenus latuit illo loco in lib. XXXVIII. in Oratione Mitridatis. 'Quam orationem' (inquit) 'abbreviter dignam duxi, cujus exemplum brevitati hujus operis insererem, quam obliquam Pompeius Trogus exposuit: quoniam in Livio et Sallustio reprehendit, quod conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiæ modum excesserint.' Dii immortales, quid illud est *pro sua oratione?* et libros Livius et Sallust. suos quisque architectatus est, fortasse loqui didicere a Quadrigatio, a Pisone, ab aliis, nugæ. Ego scribo, *quod conciones directas prosa oratione, &c.* Bis κατὰ τοῦ αὐτοῦ idem dixit: nam prosa oratio directa est, quod est antitheton obliquæ, non vulgari sensu prosæ orationis, quæ vulgo, ut supra diximus, versibus opponitur, quanquam et ipsa *claudus pes* ab autore Queruli nescio quam recte appellata. Cæterum prosa oratio πεζὸς λόγος Græcis dicitur, quæ etiam καταλογάδην fieri putatur: eoque in verbo emaculandæ Glossæ Philoxeni col. 174. 'Prosa pexa tunica, πεζὸν κάτιον,' lego πεζὸς λόγος, 'Pexa tunica, ἱμάτιον κτενισθὲς' aut καινὸν, vel quid aliud. Nam ut καινὸν sit, ostendit locus Horatii, ad quem adscripta fuerat hæc glossa, 'Si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ.' *Pexum* enim opposuit *trito*, sed ad rem. *Roald.* Priores Editiones cum Ms. *passim verbis.* Unde supra scripsi, *passivis verbis.* Sed *passis verbis* jam non adeo displicet. *Colv.* Flor. pr. *passis versibus*, sec. *p. verbis.* Rom. et Ald. *passim verbis*, alii *passivis verbis.* Istiusmodi orationem hodie vulgo *prosam* vocant, Apuleius *prorsam* vocat, ut recte observat Stewechius. *Elmenh.* *Passis versibus*, non displicet: quia hos videtur opponere *versibus nexis*, quos memoraverat. Recte autem *passis* habent Mss. item Edd. Junt. post. Bas. sec. cum Stewech. Colv. Elmenh. Edd. vett. dant *passim.* Roaldus *prorsis* sive *prosis*, ut de Pherecyde lib. VII. c. 56. ait Plinius: 'prosam orationem Pherecydes Syrius condere instituit,' scil. philosophicam: idem lib. V. c. 29. Cadmo tribuit prosam scil. historicam, ut explicat Heum. in Via ad Hist. Litter. c. 3. § 10. Colvius olim voluit *passivis*, i. e. promiscuis, ut ineptissime explicat Floridus, licet *passis* edat. *Versus* vel *verba passa* sunt soluta, metricis pedibus non ligata, quomodi 'passi crines,' 'passæ manus,' &c. *Oud.*

Eum Pyth. &c.] Vide Laërtium p. 568. in vita Pythagoræ. *Elmenh.*

Infandi morbi putredine] Plinius lib. VIII. cap. 51. 'Ut Pherecydes Syrius copia serpentium ex corpore ejus erumpente expiraverit.' Sed qui isti serpentes? Nota novitatem significationis: pediculi sunt. Heraclides Περὶ πολιτείων libro: Φερεκύδης ὁ Σύριος ὑπὸ φθειρῶν καταβρωθεὶς ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησεν. Idem Ælianus Var. Hist. lib. IV. et Plutarchus in vita Sullæ de hujus Pythagorici præceptoris morte narrant. *Colv.* Helladius apud Photium f. 870. Ὅτι τρεῖς ἱστοροῦνται φθειριάσει τεθνᾶναι (ἔστι δὲ τὸ νόσημα μὲν τῶν σπανίων, γίνεται δὲ ὅταν εἰς φθεῖρας ἀναλυθῇ ἅπαν τὸ σῶμα) ἀλλὰ τῶν ἐκ τῆς νόσου ταύτης τεθνεώτων, τῶν μὲν ἡρώων, Ἄκαστός ἐστιν ὁ Πελίου. δεύτερος, ὁ Σύρος Φερεκύδης, ὁ τὴν γενεαλογίαν συγγράψας, ὃν καὶ λέγουσι γεννικῶς τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν. τρίτος, ὁ Ῥωμαίων πολλάκις ὑπατεύσας Σύλας, ἤδη σφόδρα γηραιὸς ὢν, ὡς καὶ Ἐπαφρόδιτος, διὰ τὴν τύχην ἐπωνομάζετο. Aristoteles tom. II. fol. 527. Pausanias libro I. Theod. Orat. I. Ælianus libro IV. Var. hist. cap. 28. dicit propter impietatem in Deos illum in infandum hunc morbum incidisse. *Elmenh.*

Scabrem] Sic correxi e libro scripto. Vulgo ubique *scabiem.* Varro Manio: 'Ager derelinqueretur, ac

periret squale scabreque: illuvie et vastitudine.' Virgilius Ciri: 'Quem te tam tristibus illis Sordibus, et scabre patiar tabescere tali.' *Colv.* *Scabrem* quoque legit Vossius in Etymol. ubi vide plura de voce 'scaures.' De 'scabie' aiunt in Fabri Thes. 'quod non conveniat cum serpentium cute.' Hoc non intelligo, quid velit. Vide ad Met. lib. IX. p. 604. *Oud.*

Leodomantem] Si Diogenem sequeris, scribes, *Hermodamantem.* Verba ejus jam notabo. *Colv.*

Creophyli discipulum] Ms. *erropoli.* Bas. 1. marg. *Creopili:* aliæ editiones, *Creophili.* Diogenes, Κρεοφίλου. Sed scribendum *Creophyli:* ut ibi bene notatum ab Isaaco Hortibono diligentiæ doctrinæque magno viro, et laudatus locus Callimachi: Ὁμήρειον δὲ καλεῦμαι Γράμμα· Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα. Noster Leodamantem Creophyli discipulum facit: Laërtius Hermodamantem ejusdem nepotem. Verba ejus ad hunc et præcedentem locum: Καὶ ἤκουσεν Ἑρμοδάμαντος τοῦ ἀπογόνου Κρεωφύλου. *Idem.* Certum igitur est, vel errasse Auctorem, vel, quod malo, ex Laërtio, Jamblicho, Porphyrio, &c. emendandum. Adi Menag. ad Laërt. lib. VIII. § 2. Rittersh. ad Malch. p. 3. lib. XIV. *Hermodamas* ille ab aliis etiam vocatur *Creophylus,* ut diserte ait Jamblichus. Quid si legamus ergo *Hermodamantem* vel *Leodamantem* (ut memoria deceperit Appuleium) *Creophylum dictum alii* vel *aliis.* Ceterum in Edd. vett. exstat *Creopili.* Al. *Creophili.* Pith. *Compili* et mox *Copilus.* Sed vide ibidem Menagium. Apud eosdem scriptores æque ut apud Nostrum Creophylus audit *Homeri hospes,* quod indicio est, hæc verba ab Auctore, dum scribebat, ex antiquiore scriptore excerpta fuisse. *Oud.* Si ab Appuleio profecta esset lectio, quam proponit Vir Doct. Auctor dixisset, puto, *Leodamantem, Creophylum dictum aliis, qui Leodamas, non, qui Creophylus.* Cum autem in ipso philosophi nomine errasse Auctorem constet, quidni et hic memoria deceptum fuisse dicamus? Ceterum de Pythagoræ præceptoribus vide Harles. ad Fabric. Bibl. Gr. I. II. c. 12. vol. I. p. 756. et peculialiter de Hermodamante s. Creophylo, qui ibi citantur, Stanlei Hist. Phil. p. VIII. c. 2. Brucker. I. p. 993. not. *g.* J. B.

§ 5 *Quæ volantia, &c.*] Tzetzes chil. x. hist. 345. Ὁ Ὅμηρος πτερόεντα τὰ ἔπη ὀνομάζει, Ἢ ὅτι ἡ φωνή ἐστί τις πλῆξις τοῦ ἀέρος. Τὰ πτερωτά τε πέτονται ὁμοίως ἐν ἀέρι. Εἴτε μὴν, ὡς ταχύτατα, πτερόεντα εἰρήκει. οὐ γάρ ἐστι ταχύτερον, οὐδὲ πτερὸν τοῦ λόγου. Εἰς γάδειρα πορεύσομαι, καὶ γὰρ καὶ πορρωτέρῳ Ἐν βραχυτάτῃ τῇ ῥοπῇ λέγειν εἰμὶ τοῖς λόγοις. Πόσαις δὲ ἡμέραις πτερωτὸν ἀφίκηται γαδείροις. *Elmenh.* Apol. I. 'Verba ita uti poëtæ aiunt, pinnis apta vulgo volarent.' Poëtam munit illum, 'quo minor est, quisquis maximus est hominum,' qui ἔπεα πτερόεντα, verba alata, dixit. Et Odys. Φ. τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος, id est, 'huic pennis dicta carebant:' hoc est, haud longius avolabant. Plautus Amphit. A. I. Sc. 1. 'Vox mihi ad aures advolavit. So. Næ ego homo infelix fui, qui non alas intervelli, volucrem vocem gestito.' *Brant.* Ex citato Nostri loco in Apol. patet non opus esse cum Rittershusio ibid. legere *poëta adpellat,* scil. Homerus. *Oud.*

Intra m. candentium dentium pr.] Adi Agell. Noct. Attic. lib. I. c. 15. *Brant.*

Sapientiæ rudimentum] Pythagoras a Leonte Phliasiorum tyranno interrogatus quisnam esset: *philosophum* se esse respondit, cum id genus studii homines prius *sapientes* vocarentur, cujus disciplinæ ac institutionis ordinem eleganter habes a Gellio traditum Noct. lib. I. cap. 9. Hi autem qui taciturnitatem discebant ἀκουστικοὶ dicebantur, i. e. auditores: nec minus tacebant quam biennium:

et plurima de hac re Gellius, ac permulti alii. *Pyrrh.*

Vocem desuescebant] Vide Nonium, 'desuevi.' *Brant.* Scil. Pythagoras, pro desuefaciebat. Sed perinde est. Adi Fabri Thes. in vocibus 'adsuesco,' 'consuesco,' 'desuesco.' *Oud.*

Quinq. exilio vocis pun.] In Margarita Poëtica legitur, *in exilium vocis pun.* bene: id est, in modum exilii cujusdam: qualem locutionem notavimus latius supra ad lib. II. Metam. *Colv.* Flor. *q. v. exilium v.* alii, *q. v. in exilio vocis.* Tzetzes περὶ τῆς Πυθαγορείας σιωπῆς Chil. VII. hist. 116. Ὁ Πυθαγόρας κορυφὴν πάσης φιλοσοφίας Τὴν σιωπὴν ἐνόμιζε, καὶ τὸ κρατεῖν τῆς γλώττης, Ὅταν μετὰ συμπέρασμα πάσης φιλοσοφίας, Καὶ τὸ σιγᾷν πενταετῶς ἐδίδασκε τοῖς μύσταις Βραχέσι κατορθούμενον ἐπιῤῥυθμήτοις ἄγαν. *Elmenh.* Servius, ad hoc Virgilii x. Æneid. 'Tacitis regnavit Amyclis,' 'Pythagorica virtus est quinquennale silentium.' *Brant.* Nescio cur Colvio temere adsensum præbuerint viri docti, cum eo reponentes e Margarita Poëtica *in exilium vocis pun.* cum Mss. et Edd. priores recte habeant *velut exilio.* Rittershus. dicto Porphyrii loco *veluti exs.* Obvia est locutio 'exsilio punire,' ut in Deo Socr. p. 296. Colv. si ibi sana est lectio. Vir Doctus in Misc. Observ. vol. v. tom. III. p. 115. legit *in quinquenne veluti exilium.* Non male, nec opus tamen. Pith. *puniebatur.* ibi mox deest *nihil.* Oud.

Plato Pythagorissat] Nam Pythagoræ, Socratis et Platonis eadem ferme est secta et doctrina. Est autem aliud proverbium Græcum, quo dicitur Platonem Philonissare vel Philonem Platonissare. Platonis dogma postmodum Apuleius docet in lib. de ejus dogmate: et Laërtius amplissime: et Marsilius Ficinus. *Pyrrh.*

Silentii laudem] Apuleius Platonicus fuit, laudatque hic dicendi modestiam, nam (ut ille ait) 'optimus est homini linguæ thesaurus, et ingens Gratia, quæ cunctis mensurat singula verbis.' Tacensque (ut Euripides inquit) ubi opus est, et opportuna loquens. *Idem.*

FLORIDORUM LIB. III.

NUM. XVI. *Principes A.V.*] Sic disertim in membranaceo nostro. Vulgati, *Principes Augusti.* Non male Lipsius, *principes Af.* id est, *Africæ*: quæ lectio Tertulliani ipsiusque Apuleii auctoritate nititur. Sed notas, quæ in veteri libro, legerim, *Principes Augustæ urbis*: vel, *amplissimæ urbis.* Nam coloniæ sæpius Augustæ vocatæ. Principes urbis, ut Principes civitatis. Quintilianus Declam. CCCI. 'Quomodo hanc invidiam potuisset ferre paupertas, si occidere filia mea voluisset inter principes civitatis?' Annæus Cornutus ad Italium de Virgilio lib. IV. 'Jamque exemplo tuo etiam principes civitatium et Poëtæ incipient similia fingere:' apud Sosip. Charisium. Gellius l. XVIII. 'Et illustre Lacedæmoniis consilium dedisse dicit virum indidem civitatis ejusdem principem.' Noster supra Metam. lib. II. 'Cave diligenter, principum civitatis hujus filii cadaver a malis Harpyis probe custodias.' *Colv.* *Augusti* nomen est felicitatis, quod tamen a Cæsare differre ex Amiano tradit Andreas Halsatus eruditissimus in tres posteriores Codicis libros. *Pyrrh.* Plane inepti, qui exprimi his

notis (A. V.) arbitrati, *Principes Augusti.* Principes A. V. id est Africæ viri. Tertull. de Pallio et Apul. paulo post: 'Laudator mihi apud Principes Africæ viros.' Quo referendum, quod deinde sequitur: 'Optimi magistratus, et benivolentissimi principes.' Et: 'placere ordini, probari magistratibus et principibus.' *Wower.* *Principes Africæ viri*] Sic recte memb. Flor. et Lipsius lib. I. Elect. cap. 18. Infra, 'Laudator mihi,' &c. *Elmenh.* Pith. *princeps A. V.* Ed. Vicent. *princeps Augusti.* Junt. pr. Ald. Bas. *principes Augusti*, quod adjective capere videtur I. Pyrrhus. Recte vero Lipsius et Wower. cum Lindenbrogio, G. Vossio, Elmenh. &c. *A. V.* explicant *Africæ Viri*, quod infra ipsum repetit. Edd. Junt. post. Vulc. Scal. *principes A.* vel *AFR.* sive *Africæ:* cum Lipsio et Tertull. de Pallio c. 1. ubi vide. Perinde cum sit, Msstos sequi præstat. Ceterum paulo ante pro *vobis* Pith. habet *vos.* Oud.

Postulastis] A municipibus vel a toto Senatu. Mox Strabonem Æmilianum, virum consularem 'postulasse,' ait, 'locum celebrem ipsius statuæ' sc. a senatu: ubi vide Colvium. Sic Imp. Antoninus Philosophus I. Rustico 'post obitum statuam a senatu postulavit:' teste I. Capitol. cap. 3. *Idem.*

Persianas aquas] Aquarum medicantium varias species habes apud Plin. l. XXXI. cap. 11. *Pyrrh.* Ab auctore vel possessore Persio, cujus meminit N. XVIII. forsan ita dictæ fuere hæ aquæ: quemadmodum multa balnea sic suum habebant nomen. Vide Comm. ad Gell. III. 1. 'ad balneas Sitias;' Athenis, non Romæ, ut somniant inttpp. *Oud.*

Nihil tantum] Hæc nunc primum e veteri nostro addidimus: in nullo vulgatorum erant. Et sic certe elegantior hic locus multo, quam ut ante. *Colv.* Apol. II. in princ. 'qui non modo ullo facto, sed ne tantulo quidem meo dicto læsus.' M. Tul. lib. I. Epist. 14. ad Attic. 'ut huic vix tantulæ epistolæ tempus habuerim:' et lib. XV. Epist. 27. 'Nec quicquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem præterieris.' Pro domo sua: 'Quod enim est in terris commune tantum tantulumne consilium, quod non,' &c. *Brant.* Alio sensu *tantus* et *tantulus* jungit Plaut. in Pœn. A. I. Sc. 2. vs. 61. 'Tantula tanta verba facit:' id est, tam parva et humilis mulier tam grandia loquitur. *J. B.*

Philemone] Philemon a Quintiliano in cap. de copia, Menandro secundus traditur, quamvis pravis suorum temporum judiciis prælatus fuerit. *Pyrrh.*

Poëta hic fuit Ph.] Vide Agellium lib. XVII. c. 4. Mediam comœdiam etiam scripsit Heniochus, ut refert Suidas et Lucanus, ut observat auctor incertus in ejus vita. Antoninus Imp. de vita sua lib. II. pag. 193. Πρῶτον αἱ τραγῳδίαι παρήχθησαν ὑπομνηστικαὶ τῶν συμβαινόντων, καὶ ὅτι ταῦτα οὕτω πέφυκε γίνεσθαι καὶ ὅτι, οἷς ἐπὶ τῆς σκηνῆς ψυγαγωγεῖσθε, τούτοις μὴ ἄχθεσθε ἐπὶ τῆς μείζονος σκηνῆς· ὁρᾶτε ὅτι οὕτω δεῖ ταῦτα περαίνεσθαι, καὶ ὅτι φέρουσιν αὐτὰ καὶ οἱ κεκραγότες· Ἰὼ κιθαιρών. καὶ λέγεται δέ τινα ὑπὸ τῶν τὰ δράματα ποιούντων χρησίμως. οἷόν ἐστιν ἐκεῖνο μάλιστα· Εἰ δ' ἠμελήθην ἐκ θεῶν καὶ παῖδ' ἐμώ. Ἔχει λόγον καὶ τοῦτο· καὶ πάλιν· Τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμεῖσθαι, καὶ Βίου θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν· καὶ ὅσα τοιαῦτα. Μετὰ δὲ τὴν τραγῳδίαν ἡ ἀρχαία κωμῳδία παρήχθη, παιδαγωγικὴν παῤῥησίαν ἔχουσα καὶ τῆς ἀτυφίας οὐκ ἀχρήστως δι' αὐτῆς τῆς εὐθυῤῥημοσύνης ὑπομνήσκουσα. πρὸς οἷόν τι καὶ Διογένης ταυτὶ παρελάμβανε. μετὰ ταῦτα τίς ἡ μέση κωμῳδία, καὶ λοιπὸν ἡ νέα πρὸς τί ποτε παρείληπται ἢ κατ' ὀλίγον ἐπὶ τὴν ἐκ μιμήσεως φιλοτεχνίαν ὑπεῤῥύη ἐπίστησον. *Elmenh.*

Cum Menandro] Menander novam

comœdiam scripsit. De nova et vetere multa egregie Donatus in Terentium. De Menandro hæc Ovidius: 'Dum fallax servus, durus pater, improba lena vixerit et meretrix blanda, Menander erit.' *Pyrrh.*

In scena dictavit] F. *in scenam.* Brant. Recte: scilicet ut in scena agerentur, uti bene interpretatus est Floridus, licet vulgatam lectionem, quæ id non significat, retineat. Pith. *in ceram.* De vi præpositionis *in* cum accusat. diximus alibi. Posset *in scena* explicari, quia id egit Philemon, et ipse populo prius recitavit in theatro comœdias, quam ab histrionibus in scena agebantur; ut hoc ipso fragmento patet, et mos erat poëtarum. *Oud.*

Pudet dicere] Gell. Noct. Att. lib. XVII. cap. 4. 'Menander a Philemone, nequaquam pari scriptore, in certaminibus comœdiarum ambitu gratiaque, et factionibus sæpenumero vincebatur. Eum cum forte habuisset obviam, Quæso, inquit, Philemo, bona venia, dic mihi, cum me vincis, non erubescis?' *Colv.*

§ 2 *Agnatos lucide explicatos*] Vox *agnatos* non alio hic fine adhibita, quam fuerat in fabula Davus, nempe ut turbet omnia. Forte an *actus* Auctor scripserit, notum in fabulis vocabulum, ut et alia hic posita, vel ἤθη, aut πάθος, similis vox Græca hic hæsit, quanquam in priorem sententiam magis inclinet opinio nostra. *Stewech.* Ms. *adgnatos.* Conjeci ante annos aliquot, legendum videri, *ac nodos luc. expl.* ut apud Horat. in hac eadem re: 'Neve minor, neu sit quinto productior actu Fabula, quæ posci vult et spectata reponi. Nec Deus intersit nisi dignus vindice nodus.' Ubi bene notatum ab Achille Statio hunc Nodum ab Aristotele libro de Poëtica arte, δέσιν seu πλοκὴν dici. Sed jam vulgatam scripturam ferendam putem; si per Agnatos lucide explicatos intelligamus affines, consanguineos sese mutuo recognescentes, agnoscentes, quod in comœdiis sæpius accidere, testes nobis Plautus et Terentius: in quibus hujusce rei plurima exempla. *Colv.* Non explico quid sit illud *agnatos luc. expl.* Profecto, ut vere dicam, aqua hic mihi hæret. *Roald.* De hoc loco quid dicam non habeo, nisi quod sit a Colvio vulgata hæc lectio perperam et correcta et defensa. Sane qui locum diligentius considerat, inveniet, eum loqui de aliqua Comœdiæ parte. Laudat enim in Philemonis Comœdiis, primum argumenta, tum agnatos (pro quo temporis causa fingamus legendum *actus*) ordine et perspicue propositos, inde personas rebus competentes, itemque sententias morales, joca et seria. Qui *agnitos* malunt eos ego nihil nisi occasionem multa corradendi et undique comportandi aucupari existimo. *Sciopp. in Symb.* Ita libri vulgati. Recentiores editiones, *ac nodos lucide.* Sed omnino legendum, *agnitos lucide expl.* Casaubonus corrigendum censuit *agnitus*, id est, agnitiones. Refer ad expositorum agnitiones in fabulis, quæ frequentes in veteribus comœdiis, quarum summa laus, si hac parte exactæ. Vide Aristot. de Poëtica cap. 11. *Wower.* Sic Pyrrhi editio et Flor. 2. Aldus *agnitos l. e.* Colvius *ac nodos l. e.* Schottus *gnatos l. e.* Casaubonus *agnitos l. e.* quem vide ad Apologiam p. 165. *Elmenh.* F. *ac gnatos.* Burm. Vulgarem lectionem constanter servant Mss. In Lipsiano et Pith. etiam *adgnatos.* Auctor sine dubio intelligit ἀναγνωρίσεις agnatorum et consanguineorum, vel filiorum expositorum, quæ priscis comœdiis pars erat operosissima, sed et optima, et qua sese totius fabulæ intricata explicabant *argumenta*, quare his illas bene App. subdit: confer Bourdelot. ad Heliodor. p. 99. Perperam igitur Colvius prius conjecit scribendum *ac nodos*, quod probat Piccart. Peric. Crit. c. 16. et expressere Vulc. et Scal. Sed ipse Colv. bene se cor-

rexit. Pejus multo, licet alios increpet, Scioppius in Symb. proposuit *actus*, et jam ante Stewech. Scottus frustra in Observ. lib. I. c. 5. hariolatus est *agnatos* vel *gnatos l. expiscatos*. Nec melius Scipio Gentilis Parerg. ad Pand. lib. I. c. 37. *dramatas l. explicatas*. Wower. *agnitas*. Casaubon. *agnitus*, i. e. ἀναγνωρίσεις, quæ in eandem recidunt sententiam. *Oud.*

Loca] Tam certum est scribendum, *joca*, quam Solem meridianum calere. Depravarunt isti, qui nesciverunt Sallustium et alios *joca* neutro genere dixisse. Sed illos ego ad Nonium Marcellum et similes Grammaticos remitto. *Stewech.* *Joca n. i. s.* Roald. Inepte Mss. et Edd. O. præter Edd. Bas. sec. Colv. Elm. &c. habent *loca*. Mounere jam Becich. Stew. Roald. Scott. et Sciopp. Patet id ex oppositione τῶν *seria:* quæ sexcenties conjunguntur. *Joca* pro *jocos*, ut *loca* et *locos* adhibuere multi et in his Sallust. B. Jug. cap. 96. 'Joca atque seria.' Auson. Parent. VII. 'joca seria mixti,' et Prof. VII. 2. 'dies festos, joca, vota, ludum.' V. Non. Marc. Indisc. Gen. in *Jocus*. Serg. in Donat. p. 1842. Ed. Putsch. *Oud.* Plurali Cicero uti amat neutro *joca*. Vid. Phil. II. 4. de Finib. II. 26. Epp. ad Att. XIV. 15. Sunt vero etiam *joci* et *jocos* bonæ Latinitatis. Vid. Liv. V. 49. Vell. Pat. II. 67. *J. B.*

Uti err. conc. amores] Eleganter. Amor enim animi error est. Plautus Merc. A. I. Sc. 1. 'Sed amori accedunt etiam hæc quæ dixi minus Insomnia, ærumna, error, terror, fuga.' *Elmenh.*

Reliq. a. variis postul. &c. perlecturum] In his nulla est constructio, desuntque *promisit se*, vel tale quid, quod supplevit in interpretatione Floridus. Pro *variis* Ms. Pith. et Edd. O. ante Colv. *vanis*. Unde Fruterius Veris. lib. II. c. 17. conjecit *convenis postulantibus*, vel, *vanis postulatibus*. Frustra, uti et Colv. Nam his emendationibus nihil juvatur sensus, aut impletur constructio. Optime Vir Doctus ad marg. Ed. Junt. post. pro *variis* adscripsit *annuit* sc. se *perlecturum:* ut est in Mss. et Edd. ante Vulcan. non *perrecturum*, quod sine dubio, ortum e typographi errore, retentum est; quia Edd. non cepere mentem Auctoris, præterquam Floridus. *Oud.* Quod autem ad Græcismum illum attinet omissi ante infinitivum accusativi pronominis, eum a Cicerone quoque esse adscitum contra Weiskium defendit et exemplis Doct. Matthiæ De Anacoluthis apud Ciceronem in Analect. Litt. a Wolfio editis vol. II. p. 2. *J. B.*

§ 3 *Annuit locum cessui*] Ipsum mihi Thalem Milesium judicem da, nunquam sensum eorum verborum eruat: neque idem neget recte me emendare, *ambit locum cessui:* id est flagitat, petit, causa depravatæ et intricatæ sententiæ, quod in optimis libris perscriptum fuerit *amvit*. 'Locum cessui' dicit, quemadmodum et libris superioribus 'oleum unctui, tunicam indutui, baltheum cinctui, pallium amictui.' *Stewech.* Ms. *sexui*. Colv. Scribe et distingue: *Serus adveniens amicis annuit; locum sessui impertiunt.* Wowerius. Lege cum Fulvio, *s. amicus amicis annuit, locum sessui impertiunt.* Elmenh. Nutu locum postulat. *Pyrrh.* Recte Wowerium secutus est Scriver. Vulgo male editur *amicus annuit locum sessui*, quod interpretatur Pyrrhus. Sed id Latinum non credo. 'Annuere' enim 'locum amicis' posset tantum significare, concedere. Vid. ad Met. lib. X. p. 715. a. Virg. Æn. I. 254. 'cœli quibus adnuis arcem.' *Amicus* tamen exstat in Mss. Florent. Lips. Fulv. Pith. quare non inepte legit Stewech. *adv. amicus ambit locum sessui*, quamvis male *cessui* habeat, cum Ed. Paris. Quid velit Elmenh. nescio. *Serus adveniens* non est mutandum. Qui sero advenit, locis jam occupatis, *annuit* ami-

cis, in signum scilicet, ut velint recedere, sive *nutu loquitur* e longinquo nempe: illi enim potuerunt sedere in medio cuneo. Hi autem locum sessui impertiunt. Floridus frigide inseruit *suis*. Dein *semsui* est in Ed. Vicent. al. *sensui* vitiose, monente Becich. Ep. 99. *Inpartiunt* quoque Edd. Vett. *Oud.*

Excuneati] Loco dimoti: cunei sunt ordines graduum theatralium. *Pyrrh.* Lego *excuriati*. Varro Hippocione aut ἱπποσύνῃ: 'Apollonium ideo excuriavit, quia nihil habebat.' Nonius, *excuriari*. Sed non male *excuneati*. Brant. *Excuneati*, i. e. Extra cuneum sessorium stantes. V. Salm. ad Solin. p. 919. Ed. vet. 645. Ed. ult. Frustra ergo prodidit ineptam conjecturam Brantius. *Oud.*

Farto toto theatro] Idem vetus, *arto toto theatro*: quod non probo. Vulgatam enim lectionem asserit Seneca Epist. LXXVI. 'Quoties scholam intravi præter ipsum theatrum Neapolitanorum, ut scis, transeundum est Metronactis petentibus domum. Illud quidem fartum est: et hoc ingenti studio, quis sit Pithaules bonus judicatur.' *Colv.* V. C. *arto toto theatro* quæ scriptura Colvio licet improbetur, verissimam tamen confidenter affirmarim. Horat. lib. I. Ep. 2. 'Hos ediscit, et hos arto stipata theatro Spectat Roma potens.' *Arto theatro* propter multorum hominum in eo concursum. *Brant.* Seneca: 'theatrum illud quam fartum est.' Chrysostomus proœmio in Johannem καὶ ἴδοις ἂν ὁλόκληρον θέατρον μυριάδων πολλῶν. *Elmenh.* In Horatii loco a Brantio cit. contra *farto* malit Tollius. Mss. reliqui cum h. l. servent *farto*, recte id defendit Colvius e Seneca. Hinc in eadem re, Noster lib. III. Met. 'aditus etiam et tectum' (theatri) 'omne fartim stipaverant.' *Oud.*

Prioribus gnaris] Vide ad Met. lib. VII. p. 493. b. Prave igitur Wower. tacite edidit *priorum*. Idem.

Ad condictum] Scil. diem, ut apud Plaut. in Curculione, alii libri habent *conditum*. Pyrrh.

In suo sibi lect.] Id est, sine teste mortuum, ut Seneca in quadam epistola de eo, qui inventus est glandula inguinea suffocatus.' *Idem.*

Commodum] Tunc, ut prius sæpe. *Idem.*

Formosæ mortis] Ita pene Plato est mortuus, et dicimus voce vernacula: pulchra morte mortuum esse aliquem. *Idem.*

§ 4 *Veram fabulam consummasse*] Inscriptio vetus apud Gruterum fol. 742. JAM. MEA. PERACTA. MOX. VESTRA. AGETUR. FABULA. VALETE. ET PLAUDITE. Seneca epist. LXXVII. 'Quomodo fabula sis vita, non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet quo loco desinas. Quandocunque voles desine, tantum bonam clausulam impone.' Cicero in Catone Majore: 'Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet contentus esse, neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo in quocunque fuerit actu probetur: neque sapienti usque plaudite vivendum.' Sic Augustus jussit, ut se defuncto patres plauderent, quo mandato mortales res irrisit. Suetonius Augusto cap. 99. Cedrenus in Annalibus fol. 150. *Elmenh.*

Funebrem facem] Rom. Ven. *fun. facere*. De cereis, facibus funebribus dictum late lectissimo Lipsio ad Annal. Taciti. Sed illud adhuc dignum notatu, quod Isidorus scribit, 'Funus dictum a funibus accensis, quos ante feretrum papyris circundatos ferebant:' quia etiam de eodem genere facis seu cerei locus Antipatri lib. VI. Epigrammat. Græcorum: Λαμπάδα κηροχίτωνα, Κρόνου τυφῆρεα λύχνον, Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ. *Colv.* Ovidius II. Fastor. 'Conde tuas, Hymenæe, faces et ab ignibus atris Aufer, habent alias mœsta sepulcra faces.' Et in Epist. Cydippes: 'Et face pro thalami fax mihi mortis

adest.' Martial. lib. VIII. Epigram. 43. Heliodorus pag. 112. καὶ δᾷδες, αἱ τὸ γαμήλιον ἐκλάμψασαι φῶς, αὗται καὶ τὴν ἐπικήδιον πυρκαΐαν ἐξῆπτον. Festus in 'Facem.' *Elmenh.*

Legenda ejus esse nunc ossa] Colligenda ossa de more Veterum, ut Osiridis ossa quæsita. *Pyrrh.* Solebant Veteres ubi rogus extinctus erat, colligere reliquias et ossa, quod unica voce dicebatur *ossilegium*, unde et *ossa lecta*. Propert. lib. II. 'Vix venit extremo qui legat ossa die.' *Elmenh.* In *legenda ossa, carmina κακοζηλίαν* observat D'Orvill. ad Charit. p. 397. *Oud.*

Talum] Id est, ossiculum quod vertebra pedis ligatum corpus sustinet. *Pyrrh.*

Destringerem] Dilocationem describit. *Idem.*

Exque eo luxu adhuc fluxus est] Ut constet allusio, luxum pro luxatione dixit. Luxatio, στρέμμα, λυγισμὸς, cum articulus ejectus. Ita enim Latini loquuntur. Scribonius Largus: 'Ad luxatum omne et ejectum et expositum articulamentum.' Imitatione Græcorum, qui simili modo ἐκβάλλειν. *Wower.* *Luxus* pro *luxatione* nusquam occurrit. Nil temere tamen muto, quia *luxus* adject. aliquoties usurpatur pro *luxato*. Vid. Præs. Bynkerhoek. Obs. Jur. Rom. lib. III. cap. 1. Hinc Mart. Cap. lib. IX. pag. 310. ut concipiunt Mss. omnes 'Fidibusque luxa Fescennina prodeant.' Sed et in Glossis: 'Luxum, στρέμμα, λυγισμός.' An ergo et hic *luxo*: quomodo salva manebit quoque Auctoris captata allusio 'ex luxo fluxus.' *Oud.*

Plaga] Apertura facta, ut medeetur talo. *Pyrrh.*

Claudicatem] Claudicationem, recens verbum. *Idem.*

§ 5 *Gratias dicerem—preces dixeram*] Vocum allusiones ita crebræ in his Floridis, ut non sine studio quæsitæ videantur, eoque merito suspicatus, et hoc loco Appuleium id secutum, ac scripsisse, *præces direxeram:* loquutione in constitutionibus imperatorum obvia, et in libellis Principi, aut Senatui porrigendis plus satis frequentata. *Stewech.* F. *gratias ducerem.* Brant. Perverse uterque. Patet Auctorem, pro perpetuo suo more, ludere in eodem verbo. Quod etiam in usu scriptoribus optimis. V. ad Cæs. lib. VI. B. G. cap. 34. et passim. *Oud.*

Gratia] Oblata melior gratiorque quam petita. Locus ex Cicerone in Verrem locupletabilis, dum ait, 'emere malo, quam rogare,' et alia. *Pyrrh.*

Id est, ut usquequaque esset grat.] Temere tales interpretationes suspectas solent habere viri docti. Vide ad Met. lib. I. p. 42. In Pith. est *idem ut.* Oud. Ita in Epist. I. Cic. ad Q. Fratr. lib. I. p. 1058. ed. Ern. 'divinæ cujusdam virtutis esse videtur, id est, tuæ:' τὰ *id est, tuæ* sine ulla auctoritate et pravo omnino judicio ejecit Doct. Matthiæ in Selectarum Cic. Epp. editione, quam in usum Scholarum curavit. (Lips. 1816.) summo jure reprehensus a censore Jenensi in Jenaische Allg. Literatur Zeitung N. 73. April 1818. p. 123. *J. B.*

Neque enim levi, &c.] Seneca de beneficiis lib. II. c. 1. 'Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit. Quoniam quidem ut majoribus nostris gravissimis viris visum est, nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est.' *Elmenh.*

Emere velis] Vulg. *emere potius velis.* Colv. Τὸ *potius* adjeci ex Romano codice. *Elmenh.* Mss. Florent. Lips. Edd. Colv. Vulc. Scal. non habent τὸ *potius*, quod sine ullo judicio rursus Elmenh. intrusit ex Edd. prioribus: unde remansit in seqq. Sed eleganter *potius* et *magis* per ellipsin omittuntur, ut apud Græcos μᾶλλον, quod oblitus erat H. Stephanus quum in Apollon. Rh. lib. II. vs. 225. pro

ῥεῖα, &c. ἢ κεῖνας volebat legi ῥᾷον. cf. Bos. de Ellipsi p. 373. &c. Vide Stewech. ad Veget. lib. III. cap. 23. Weitz. ad Val. Flacc. VII. 428. et quos laudant Burmann. ad Vell. Pat. lib. II. cap. 129. et Cort. ad Sallust. B. Catil. cap. 8. pluribusque locis. Gell. lib. II. cap. 7. 'declinanda sensim, quam respuenda,' VII. 3. 'injurias præcavisse justum est, quam exspectavisse.' Pomp. Mel. lib. III cap. 10. 'quos serpere quam ingredi referunt:' verum Edd. O. vett. addunt *magis*, at Mss. cuncti *potius*. Colum. lib. III. cap. 2. 27. 'amplitudine alioquin uvarum, quam numero fertilis:' sic Mss. vulgo *magis*. in Sang. *alii cui*. Catal. Burm. Spec. pag. 18. 'Atque hostes gladio, quam lanas fundere fuso.' Sed ibi leg. est *non*. Noster in Apol. p. 33. ed. Pric. 'susceptum officii gratia, quam lucri caussa docebo.' Apud Val. Max. lib. VI. cap. 6. § 1. 'incertum Ptolemæum reddiderunt, patrisne fortuna magis, an tutoris majestate gloriari deberet,' in Ms. Harlem. deest quoque *magis*. *Oud.* Vide de hac ellipsi etiam Staveren. ad Nep. Datam. cap. 8. § 1. Arntzen. ad Plinii Paneg. p. 75. V. D. in Misc. Obs. vol. IV. tom. III. p. 411. Ceterum non ita cum Nonio Marc. et Eugraphio accipiendum esse locum Terent. Eun. prol. vs. 2. monuerunt jam Bentlei. Ruhnken. alii. *J. B.*

Quem qui laboriose] Id est, is qui aliquem laboriose exoraverit sibi debet. *Pyrrh.*

§ 6 *Sed nunc*] Minus bene Scioppius putat, hic aliud incipere fragmentum. Gratias enim pro statua agere pergit. *Oud.*

Impræsentiarum] Hanc vocem nonnulli acutiores fugiunt, qua plerique tamen probatissimi auctores utuntur. *Pyrrh.* Aliud fragmentum. Verbum hoc *Impræsentiarum* prorsus sordidum et barbarum est, et nisi me omnia fallunt, a posterioris demum ætatis hominibus in hunc ipsum, in Tacitum, in Cornelium Nepotem limatissimum auctorem, in alios denique probos scriptores illatum; quo qui capiuntur, quis eos, ut maxime se doctos et elegantes putent, non credat posse, quod Catullus scribit, Ægroticulum lingere carnificis? *Sciopp. in Symb.* Hæc vox quater et decies occurrit apud Appuleium. Quis igitur credat Scioppio, hanc vocem non apud Nepotem modo, sed etiam ceteros auctores, inque iis Nostrum, proscribenti, et librariorum barbarismo soli imputanti. Mihi potius cum aliis viris doctis videtur esse Romanorum idiotismus, ut natus fuerit ex ellipsi *tempore* vel contracte ex *in præsentia rerum*. Vide, præter Ind. Elmenh. et Bosii ad Nepotem, Perizonii dissert. ad Sanctii Minerv. II. 3. 8. et Grunerum in Act. Jen. V. 4. p. 212. *Oud.*

Scitis eum hodie nobiscum probare] Nisi egregie fallor, dixerit Auctor, *sitis eum hodie vobis comprobari*: ut enim 'sitis' pro 'siveritis,' ita 'scis' pro 'scieris,' 'venis' pro 'veneris,' item alia antiquitus simili contractione formabant. Nonnunquam et duæ voces in unam conglutinabant: ut 'sodes' pro 'si audes,' 'sis' pro 'si vis:' 'illico' pro 'in loco:' testes Cicero, Nonius, Festus. Quod ad explicationem emendationis reliquæ, veniam petit Appuleius a Senatu Carthaginiensi, et principibus Aphricæ, permitterent in hac oratione, quæ gratiis agendis, pro statua sibi a Senatu decreta, destinata fuerat, aliqua adspergere in laudem proconsulis Æmiliani. Quam ejus rei causam dicere nititur, eam verba sequentia non exprimunt. Vide num recte a nobis castigata, *Est enim in studiis tanto hic prænobilior proprio ingenio, quam patritio consulatu*, cui conjecturæ meæ post comperi prævalere Beroald. codicis lectionem: *Est enim in studiis tantus, ut prænobilior sit pro-*

prio ingenio, quam patritio consulatu. Stewech. Hæc non sine sensu commodo leguntur: tamen melius putavimus, *Si scitis cum ho. nob. pr.* vel, *si is eum hodie vobiscum probarit.* Colvius. Flor. et Rom. *sitis e. h. n.* alii, *sultis e. h.* Elmenhorstius. Scriver. edidit, *Si itis eum hodie nobiscum probare:* quam lectionem, a Vulcanio profectam, vereor ut quis probare possit. Nam *eo* hoc sensu quidem sæpe occurrit cum Supino, ut paullo infra patebit, sed cum Infinitivo non nisi propria significatione, ut 'eo visere,' 'introiit videre' pro ad videndum. 'Eo probare' pro laudaturus sum vel 'probatum eo' non Latinum esse credo. In Ms. Florent. et Ed. Rom. *sitis* exaratur, in Lips. Pith. et Edd. prioribus *scitis.* Hinc Colvio et Lipsio placuit *si scitis cum h. n. p.* vel *si is eum h. vobiscum probarit.* Mihi non dubium est, quin *eum* debeat respicere ad Æmilianum. Nam sequitur ilico 'Est enim vir,' &c. Hoc quoque vidit Stewech. Sed *sitis* pro *siveritis,* quod ille vult, durum est, licet *sinim* in Præs. Subj. apud Propert. lib. II. 15. 4. placuerit Scaligero, Passeratio, aliis. Præstaret tum *si siritis,* a *sirim,* pro *siverim,* antiqua inflectione, de qua vide Gronov. et Drakenb. ad Liv. l. I. c. 32. Alii, ut Schickerad. legunt *sultis eum.* Videndum, num *sitis* poni possit pro *si velitis;* ut *sis* pro *si vis.* Oud.

Patrito consulatu] *Patricio* vel *patritio* est in Mss. Florent. Beroald. Lips. et Edd. Vett. quod nequaquam damnari oportuerat, quo indigitatur, ab antiquis jam temporibus consulatum in ipsius familia fuisse, eumque non hominem novum, sed nobilem esse patriciumque: quomodo alibi 'patricius honos.' Certe *patrio,* quod aiunt esse in Ms. Fulvii, et tacite reposuere Wower. Scriv. et Floridus, minime valere nequit. Non enim solum pater ipsius, sed ipse Æmilianus jam consul fuerat: unde mox vocatur 'vir consularis.' Rectius Edd. Vulc. Scal. Elmenh. dant *patrito,* i. e. qui a patre et avis jam profectus est, et familiæ ipsius proprius: ut apud Nonium et Ciceronem. Errat autem Elmenh. cum ait *patrio* esse in aliis Codd. quam Fulv. *Oud.* Num igitur *patrius* et *patritus* differunt? Non puto. *Patrius,* i. e. a majoribus relictus, non tantum a patre. Vid. Ernesti in Cl. Cic. Apud Cic. Tusc. Quæst. l. I. 19. 'patritam illam et avitam philosophiam,' Ernesti restituit veterem, quam vocat, lectionem *patriam.* Verum tamen habeo *patrito* vel *patricio,* ut est in Mss. sectatur enim App. exquisita. *J. B.*

Int. opt. cl. et i. cl. o.] Imitatus est Hieronymus phrasin loquendi. Epist. 129. ad Dardanum fol. 869. 'Christianorum nobilissime, et nobilium Christianissime.' *Elmenh.*

Qua digna ratione] I. e. quo decente modo. Non opus ergo est cum aliis, contra Mss. reponere *oratione.* Multo minus cum Scriver. e Ms. Fulv. cui accedit Pith. exhibere *dignatione.* Nam *dignatio* vel est auctoritas, veneratio, dignitas, quæ viro illustri inest, non, quam illi præstat alius, sive reverentia, cultus. Vide ad Suet. Cæs. cap. 4. Vel notat munus et affectum honestum, quo major donat et dignatur minorem. Et ita aliquoties apud Nostrum ut lib. I. Met. p. 17. Pric. 'majorem domum dignatione tua feceris.' L. XI. p. 254. et 261. 'numinum dignationem' memorat. Neutra significatio hic locum obtinere potest. *Oud.*

§ 7 *Dum memor*] Hæc sunt Maronis [Æn. l. IV.] carmina, quæ sæpe in jus vocat et quidem apposite. *Pyrrh.*

Non m. mereor, quam int.] Quidam, *vereor.* Colv. Ego, *revereor.* Brantius. Aldus: *n. m. vereor.* Elmenh. Edd. primæ item Junt. pr. Ald. Bas. pr. dant *vereor,* ex quo Brant. rectius faciebat *revereor:* nam in τῷ *mereor*

sic posito nullus sensus inest, licet ita habeant Mss. Sed rejecta etiam conjectura Floridi, omnino mihi suspectum est verbum *mereor*, quod olet nimium propriam laudem, et multum detrabit Carthaginiensium beneficio, quod adeo hic jactat Auctor. Sed severiores in eo reprehenderent, quod non minus reverebatur honorem, quam intelligebat eum magnum esse: quia non modo magnus, sed profectus esset a clarissimo viro, in quo carperent forsan ejus adulationem. Hinc forsan retinendum ipsum *vereor*. Sive, colo et magni æstimo; proprie enim veremur Deum et parentes. L. II. Met. p. 21. Pric. 'Vereor ignotæ mihi feminæ.' Plaut. Mil. Gl. v. 6. 'ut mei veretur.' *Oud.*

Libello miss. p. q. postulabat loc. st.] Locus enim statuæ ponendæ olim peti, impetrari a municipibus solebat: ut indicant aliquotiens Jurisconsulti nostri. L. XIV. D. de condit. et demon. l. II. D. de loco publ. fru. ex decreto autem ordinis decernebatur: id indicat inscriptio vetus Exone: P. + MAR. + MARAN FILIO CALPURNIANO OR. RET. DEFUNCTO AN. XVIII. MAR. MARANUS COMMUNI AFFECTIONE CALPURNIÆ UXORIS ET MATRIS RECEPTO IN CLIENTELAM CIVIUM ÆSONES + ET LIBERALIBUS STUDIIS ERUDITO IMPETRATO LOCO EXD. ORD. STATUA FOVENS MEMORIAM PIETATIS HONORAVIT DATISQ. SPORTULIS DEDICAVIT. Innumeri alii lapides prisci e quibus idem observes. Noster hoc ipso libro infra: 'Qui in illa sanctissima curia aderant, tam libenter decreverunt omnes locum statuæ.' Non aliter accipiendus Ulpianus l. XIII. § 4. de Injuriis: 'Si quis de honoribus decernendis alicujus non passus sit decerni, ut puta imaginem alicui, vel quid aliud tale.' *Colv.* Vide legem final. Cod. de statuis et imaginibus. *Elmenh.*

Commilitiæ] Amicitia ex studiorum similitudine ac paritate. *Pyrrh.* Sublata interpunctione, repono, *ac commilitia studiorum*: nam *commilitium* ita positum neutro genere in Pandectis. l. de hæreditate. ff. de castren. pecu. *Stewech.* Vulgo, *ac commilitiæ stud.* Commilitii dictione etiam usus Triphonius JCt. l. XIX. de Castr. pecul. Sidonius lib. I. Epistol. 'Cum semper mihi, tum præcipue commilitio recenti familiaris.' Ita legendum illud ex lib. I. Manilii eleganter arbitratur Lipsius noster: 'Et commilitio volucris Corvinus adeptus Et spolia, et nomen, qui gestat in alite Phœbum.' Ubi, in correctiori etiam editione legas, *Et cum militia.* Unde forte etiam potest scribi, *Et commilitia.* Nam et Commilitium et Commilitia indifferenter quin dicatur, nihil prohibet. *Colv.* Non male Colv. cum Mss. Florent. et Lips. *jura amicitiæ a commilitio stud.* In Ed. Junt. post. est *ac commilitio* sine sensu, forsan pro *ab com.* Edd. vett. cum Pith. habent *ac commilitiæ*, quasi *commilitia* in Fem. Gen. etiam dici posset, quod suspicatur Colvius: at Stew. inde facit pluralem *ac commilitia.* Bene, si probari possit exemplis. *Oud.*

§ 8 *Quadrijuges et sejuges currus*] Arnobius l. I. 'Admirantes, plaudentes ad cœli sustollitis sidera, bibliothecarum reponitis in arcanis, quadrijugis et statuis muneramini.' *Colv.* Inscriptio antiqua ad D. Johannem Majoris apud Aldum in Orthographia p. 177. VERATIO A. F. PAL. SEVERIANO EQUITI. HUIC. CUM. ET. POPULUS. IN. SPECTACULIS. ASSIDUE. BIGAS. STATUI. POSTULASSET. ET. SPLENDIDISSIM. ORDO. MERITO. DECREVISS. PRO. INSITA. MODESTIA. SUA. UNIUS. BIGÆ. HONORE. CONTENT. ALTERIUS SUMPTUS. REIP. REMISIT. L. D. D. C. I. *Elmenh.* Cod. Theodos. p. 97. citat Lindenbrogius. *Oud.* *Sejuges*] Vulcanius margini adlevit *sexjuges*: quomodo corrigit Glossas *sexjugæ*, ἑξζευξις. Vulgo *sexjunge.* Sed cæ-

dam Glossæ: 'Sejuga, ἑξάϊππον.' Et sic Inscript. Gruter. ac Plin. lib. XXXIV. c. 5. 'sejuges currus.' Pith. *sejuge*. Idem.

Trib. et culmen] Ms. cod. *columen:* nec male. *Colv.* Enumeratis compluribus Æmiliani in se beneficiis, in eo maxime gloriatur ac triumphat Lucius, quod proconsul, se illi statuam Carthagine de suo positurum pollicitus: et hoc meo animo culmen laudis: scribo: *quid ig. superest ad honoris mei tribunal? en culmen:* in quo ἐνέργεια longe major. *Stewech.* Mss. Fulv. Lips. Ed. Junt. post. *columen*, probante Colvio. Bene: nam *culmen* non est nisi contractio ex *columen*, quod est proprie tecti summitas, et hinc de summo honore, ut *fastigium* dicitur. Hinc nequaquam spernenda multorum Codicum lectio apud Lucan. l. VII. vs. 594. 'arcem Juris et humani columen.' Olim ibi in alia fui sententia: sed vide Gronov. ad Senecam Thyest. v. 55. 'Ornetur altum columen:' et Burmann. ad Ovid. Met. lib. I. vs. 689. et ad Serv. Æn. VIII. 664. Sic constanter Mss. Mart. Cap. l. v. p. 139. 'inter utrumque vero columen sectatorum:' vulgo *culm.* Antiquissimus Ms. Auson. Epic. in patr. vs. 41. 'Maximus ad summum columen pervenit honorum.' At idem Auson. præf. vs. 35. 'culmen honorum.' Stewechio ego non assentior. *Oud.*

Enimvero quid superest] Ἴσ. *quid non superest?* Primo loco *superest* pro restat, deest: altero, pro adest, præsto est. Plautus Bacchid. 'quid fecit? immo quid non fecit?' Plato Polit. II. 598. οὔτε γὰρ ὅπως βοηθῶ, ἔχω. οὔτε αὖ ὅπως μὴ βοηθήσω, ἔχω. *Vir. Doct. in marg. Ed. Colv. in Bib. Reg.*

Brevi tempore] Brevi futurus est proconsul votis omnium: id est omnium suffragiis ad proconsulatum omne punctum laturus. *Voce*] Suffragiis creabantur consules et Procoss. *Pyrrh.*

Decreverunt omnes loc. stat.] *Locum statuæ.* Roald. Considera quæso, sitne ad formulam adclamandi, quæ in consensu senatorum observabatur, hoc loco allusum, et Appuleius scripserit, *quod Carthaginienses, qui in illa sane curia aderant tam lib. decreverunt Omnes, Omnes:* nam geminatam in acclamationibus hanc vocem testis mihi Fl. Vopiscus, in Tacito: iterum in Probo et V. C. Justus Lipsius in suis lectissimis Electis. Trebellius Pollio, 'quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, Omnes:' eodem spectant et subsequentia Appuleii, 'qui me,' inquit, 'in illa curia honestissimis acclamationibus decoravere, in qua curia vel nominari tantummodo summus honor est.' *Stewech.* Vulgo, *d. l. s.* deleta voce *omnes*. Elmenh. Coll. Voss. Lips. *decreverint*. Dein *omnes* bene abest a Cod. Florent. Lips. ac delevere jam tacite Wower. et Scriver. Præcedit enim *Carthag. omnes.* nisi ex seq. voce *illo* vel *illos* huc retracta velis scribere *scilicet*, ut sit *Carthag. omnes decreverunt, omnes scil.* de qua repetitione egi ad Met. l. VII. p. 469. a. Stewechii inventum mihi non placet. Dein *statuere* Edd. O. ante Colv. et Roald. *Oud.*

§ 9 *Præfuse*] Alii codices habent *præfusive*. i. obiter. *Pyrrh.* Monstrum verbi, *præfusive*, etiam in Beroaldina editione locum retinuit: id qui primum fabricavit, næ ille plaustrum perculit. Corrigo faventibus Musis, *id præfiscine dixerim, quodammodo mihi obtigit:* quam formulam de Plauti Asinaria et Rudente expressit. Abrogat sibi Appuleius quod paucis ante hominibus obtigerat: qua re ne forte iram Deorum, vel invidiam mortalium sibi accerseret, subdidit illico mutuatam de antiquo nuptiarum ritu formulam *præfiscini*. Novam nuptam laudari solere in Hymenæis sat constat: sed jactis fescenninis, adjicere statim solent ad arcendum fascinum, *præfiscini*. Titin-

nius in Serina: 'Paulla mea amabo pol tu ad laudem addito Præfiscini.' Fragmentum illud apud Charisium libro II. suarum Institutionum qui rei explicandæ subjicit, 'ne puella fascinetur:' adeundus et Festus in 'Fescennini:' et Janus Gulielmius noster lib. II. Verisimilium. Porro *fascinare* Virgilio, Plinio, valet incantare. Consulendus Plinius lib. VII. Nat. Hist. c. 2. Agellius lib. IX. c. 4. Denique *præfiscine*, de præsenti: *præfiscini* de futuro dici notat flos eruditorum Joseph. Scaliger ad Festum, 'in numero.' *Stewech.* *Præfiscine* scribendum fuit, vel *præfiscini*. Utrumque enim Grammaticis idem. Vulg. *præfusive.* Ms. *p̄fasive.* Correxit hunc locum ante nos Variar. Lect. lib. x. Muretus. Adde Gellium lib. x. c. 24. *Colv.* Flor. *id præfascine dixerim.* Rom. et Pyrrhus, *præfuse* sive *præfusive:* male. Vetus erat opinio periculum esse aliquod a fascino, ubi quis impensius, aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur, ideoque in laudando plerunque addebant *præfiscine* quo invidiam et fascinum a se amolirentur. Titinnius in Serina: 'Paula mea amabo Pol tu Ad laudem addito præfiscine.' Ne puella fascinetur. Simplicius P. P. ad Orientales: 'Boni sui fascino gravatus.' Heliodorus Æthiop. lib. III. p. 141. Τὶς ἡ προσπεσοῦσα τῷ θυγατρίῳ μαλακία, μὴ θαύμαζε, εἶπον, εἰ τοσούτοις ἐμπομπεύσασα δήμοις, ὀφθαλμόν τινα βάσκανον ἐπεσπάσατο. γελάσας οὖν εἰρωνικὸν, καὶ σὺ γρὺ εἶπεν, ὡς ὁ πολὺς ὄχλος, εἶναί τινα βασκανίαν ἐπίστευσας; εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀληθῶν, ἔφην. ἔχει γὰρ οὕτως. ὁ περικεχυμένος ἡμῖν οὗτος ἀὴρ δι' ὀφθαλμῶν τε καὶ ῥινῶν, καὶ ἄσθματος δὲ τῶν ἄλλων πόρων εἰς τὰ βάθη διϊκνούμενος, καὶ τῶν ἔξωθεν ποιοτήτων συνεισφερόμενος, οἷος ἂν εἰσρεύσῃ, τοιοῦτο καὶ τοῖς δεξαμένοις πάθος ἐγκατέσπειρεν. ὥστε ὁπόταν σὺν φθόνῳ τις ἴδοι τὰ καλὰ, τὸ περιέχον τε δυσμενοῦς ποιότητος ἐνέπλησε, καὶ τὸ παρ' ἑαυτοῦ πνεῦμα πικρίας ἀνάμεστον εἰς τὸν πλησίον διεῤῥίπισε. τὸ δὲ, ἅτε λεπτομερὲς, ἄχρις ἐπ' ὀστέα καὶ μυελοὺς αὐτοὺς εἰσδύεται· καὶ νόσος ἐγένετο πολλοῖς ὁ φθόνος οἰκεῖον ὄνομα βασκανίας ἐπιδεξάμενος. Firmicus Astron. lib. III. cap. 14. 'Fascinantes mulieres erunt, quæ etiam ipsos artus larvari ac fascinari faciant.' Unde et ad fascinum arcendum stultæ aniculæ infantum collo olim appendebant crepitacula, cum stamine coccineo; aut in balneis illorum frontes luto ungebant. Quarum quidem fatuitatem salse irridet Johannes Constantinopol. Archiepisc. verborum simul et cogitationum pelagus benedictum, Commentar. in Epist. Pauli ad Corinth. I. cap. 4. Homil. 12. fol. 320. edit. Savilii, cujus verba adscribam: Τί ἄν τις εἴπῃ τὰ περίαπτα, καὶ τοὺς κώδωνας τοὺς τῆς χειρὸς ἐξηρτημένους, καὶ τὸν κόκκινον στήμονα, καὶ τὰ ἄλλα τὰ πολλῆς ἀνοίας γέμοντα, δεὸν μηδὲν ἕτερον τῷ παιδὶ περιτιθέναι, ἀλλ' ἢ τὴν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ φυλακήν; νῦν δὲ οὗτος μὲν καταπεφρόνηται ὁ τὴν οἰκουμένην ἐπιστρέψας ἅπασαν, καὶ χαλεπὴν δοὺς τῷ διαβόλῳ πληγὴν καὶ πᾶσαν αὐτοῦ καταστρέψας τὴν δύναμιν· κρόκη δὲ καὶ στήμων καὶ τὰ ἄλλα περιάμματα τὰ τοιαῦτα τοῦ παιδίου ἐμπιστεύονται τὴν ἀσφάλειαν· εἴπω τι τούτου καταγελαστότερον ἕτερον; ἀλλὰ μηδεὶς ἀκαιρίαν ἡμῶν καταγινωσκέτω, εἰ καὶ μεχρὶ τούτων πρόεισιν ὁ λόγος. ὁ γὰρ τὴν σηπεδόνα καθᾶραι βουλόμενος, οὐ παραιτήσεται προτέρας τὰς ἑαυτοῦ μολῦναι χεῖρας. Τί δήποτ' οὖν τοῦτό ἐστι τὸ καταγέλαστον; ὃ μηδὲν μὲν εἶναι δοκεῖ (διὰ γὰρ τοῦτο στένω) ἀρχὴ δέ ἐστι παραφροσύνης καὶ παρανοίας ἐσχάτης. βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι τρόφοι καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι κατὰ τοῦ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου. κἂν ἔρηταί τις τί βούλεται ὁ βόρβορος, τί δ' ὁ πηλός; ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀποστρέφει, φησὶ, καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον. *Elmenh.* *Præfiscine d.* vide Non. Marcel. et Festum. *Roald.* Recte emendarunt viri docti. Forsan tamen præferendum, quod est in cod. Florent. *præfascine.* Nam a *fascino* derivari omnes consentiunt.

Sed et in Glossis 'Præfascinius, πανυβάσκανος:' atque ita in aliis compositis 'effascino,' 'infascino:' unde 'infascinabilis' et 'infascinate' initio Gr. Gloss. Ms. Pith. ut et Coll. mea Lips. Cod. *præfusine*. Oud.

Ne ut Carth.] Multo minus. *Pyrrh.* Quid si reponam, *nedum Carthagine desint:* qua forma pluries hunc scriptorem usum observabam: inprimis lib. IX. de asino: 'Vix paucos olerum manipulos de proximo solet anhelitu languido fatigatus subvehere: nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus.' Suetonius de illust. Grammaticis: 'Grammatica olim Romæ ne in usu quidem: nedum in honore ullo erat.' Sed alibi nos hac de re egimus, in usum puerorum, quamquam ibidem, *ne*, pro *nedum* meminimus frequentatum. *Stewech.* Ms. *ne ut.* f. *nedum Carthagine.* Brant. *Ne* hoc sensu pro *nedum* sæpissime tam apud Nostrum, quam alios occurrere docent Gronov. et Drakenb. ad Liv. lib. III. cap. 52. § 9. ac Scipio Gent. ad Apol. in Append. N. 38. τὸ *ut* addi quoque a Nostro vidimus ad Met. lib. IX. sub f. 'nedum ut videatur.' In Edd. Junt. Ald. Bas. pr. *ne in Carthagine.* Oud.

Ad dedicationem] 'Ισ. *a dedicatione.* Vir Doct. in marg. Ed. Colv. in Bib. Reg.

NUM. XVII. *Viderint*] In eos qui temeritate et sui commendatione gratiam quærunt. *Pyrrh.* Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.*

Tuorumque similium] Alii habent *tuique similium*, quod rectius putem. *Pyrrh.* Sic certe vulgaris loquendi mos flagitat. Videndum tamen, an *tuorum, suorum*, alibi quoque non occurrat pro *tuus, suus.* Cons. ad Lucan. lib. V. vs. 680. 'genitusque suorum.' Liv. lib. XXXIII. c. 48. 'suorum eventus miseratus:' ubi Gronov. mavult *suos.* Septim. de B. Troj. lib. II. c. 17. 'cunctis suorum poscentibus.' *Tui* ergo, ut Græce *οἱ* ἀμφὶ σὲ pro σύ. *Oud.*

Provincia vestra] Ubi Orfitus nempe erat Proconsul. Vide infra. Sed Edd. ante Colv. *pr. nostra:* sive patria. *Idem.*

Rarenter adeundi] Id est, qui non facile dat ad se accedendi veniam, neque facile, sed ægre admittit quempiam, raro ad se veniri cupit. *Pyrrh.* Locus hic totus non bene sanus est. Legebam, interpungebam ita: *Quippe non prompte veniam impertire rarenter adeunti, assiduitatem ejus requirentis est, &c.* Colv. *Quippe non prompte ven. imp. rarenter adeundi, ass. ejus req. est.* Ita distinguo. *Sciopp. in Symb.* Recte, Colvius hunc locum distinguit, vulgo legitur, *veniam impertire rarentur adeundi assiduitatem ejus requirentis est.* Elmenh. Recte hunc locum distinctione sanarunt Sciopp. Wow. Elmenh. et Scriver. cum ante contra Auctoris mentem jungerent *adeundi assid.* Dicit Appul. argumentum esse amicitiæ, quempiam requirere, ut adsidue ad se venias, qui non prompte permittit, ut raro venias; seu *veniam raro adeundi* non tribuit. *Adeundi* autem habent Mss. O. et Edd. ut necesse non sit cum Becichemo, Lipsio, Colv. Elm. et Florido reponere *adeunti;* licet bene distinguant. Hanc vero Auctoris esse mentem declarant sequentia, quibus ostendit summum amoris indicium esse 'frequentibus delectari, cessantibus obirasci.' Ceterum Edd. vett. *inpartire* et Ed. Vicent. *rarentur.* Oud.

Obirasci] Putabam, *Subirasci.* Sed et Livius lib. I. 'fortunæ obiratis.' *Sciopp. in Symb.* Non solum Livius, Cicero, Seneca, sed et Noster ipse hac compositione usus est in Apol. p. 4. Ed. Pric. *obirascantur.* V. Gronov. ad Liv. lib. XLII. c. 10. *Oud.*

Usu iverit] Forte, *usui fuerit.* Sed Iverit, id est, juverit. Catullus: 'Non, ita me Divi, vera gemunt, iverint.' Sic legimus infra Apologia I. ductu veteris libri: 'Quippe illa ter-

ra alumna multum ad meliorem saporem iverit.' *Colv. Brant.* *Usu fuerit*] Flor. *usu juverit.* Rom. et Pyrrhus, *usu iverit.* Elmenh. *Usu juverit* e conject. rescripsit V. D. ad marg. Ed. Junt. cui accedunt membranæ Mediceæ : vox suppressa non magis juvat *usu*, quam nares oppletæ, aures obseratæ, &c. quæ nullum habent *usum*. Edd. vett. cum Mss. Lips. Pith. dant *usu iverit*. quod Brant. et Colv. exponunt per *usu juverit*. Sed *iverit* pro *juverit* se non probat. Cum eodem Colvio Groslot. conjecit *usui fuerit*, quomodo male reposuerunt Edd. seqq. Rectius Lipsius cum G. Vossio in margine *usu fuerit :* antiquo dativo pro *usui :* qualis sæpe apud Nostrum. V. ad Met. lib. I. p. 23. a. Hic tamen non opus est. Ms. Bembin. *silentii p. usu non magis velut.* Hinc Vinc. Contar. lib. I. V. L. c. 5. '*valet.* Posses et *valueris*. Sed *silentii* (quod est quoque in Pith.) *perpeti usu* mihi placet. Cicero pro Marc. init. ' Diuturni silentii P. C. quo eram temporibus his usus.' ' *Oud.*

§ 2 *Manicis*] Manicæ et pedicæ quid sint vulgare est. His autem verbis levitatem tarditatemque loquendi damnat. *Pyrrh.*

Coarctentur] Verbo *carcerare* usus est Salvianus lib. II. de Provid. ' solitudine carceratur.' Apud alios *incarcerare*. Nil muto temere. Vulgatum enim bene se habet. Forsan hoc verbum restituendum Velleio lib. II. c. 90. ' coalescentibusque reip. membris et coram altero, quæ tam longa armorum series ' (an *rabies?*) ' laceraverat :' scribo *coartatis* sive coëuntibus et *coaptatis*. Oud.

Vox in vag. sil. cond.] E Ciceronis Orat. I. Catil. cap. 2. ' Senatusconsultum inclusum in tabulis tamquam gladium in vagina reconditum :' sic malo cum Ill. Bouhierio, quam sine voce *gladium*. Idem.

Veternum] Morbum, qui perpetuum somnum inducit. *Pyrrh.*

Ipsius vocis hom. exerc. &c.] Ms. *vobis hom.* Forte legendum, *Ipsius vocis hominis exercendi cassus labor supervacaneo studio plurifariam superatur.* Colv. Hæc me non intelligere fateor, nec magis Floridi interpretationem ' irritus labor superatur multis modis cura superflua.' Videtur mihi Auctor velle hanc sententiam : Labor exercendæ vocis humanæ ad magnum sonum est irritus, quia superatur plurifariam a sono instrumentorum et animantium, quorum subdit exempla, sed quem locum non intellexerunt, ut mox videbimus. In Ms. Lips. est *supervacaneus :* unde suspicor Glossam esse vocis *cassus*, et pro *studio* rescribendum *sonu :* de qua declinatione egimus ad Met. lib. VII. p. 589. b. Nam Auctor non loquitur hic nisi de magnitudine vel amœnitate *sonorum :* et in iis vinci vocem humanam ab aliis vocibus contendit. Porro pro *ipsius vocis* in Lips. est solum *vobis*. Pro *cassus*, ut bene restituisse videntur Becichem. Ep. 99. Colv. Sciopp. Vulc. &c. habent Mss. et Edd. Vett. *casus :* de more. Vide J. Gulielm. ad Plauti Trinumm. cap. 4. de Deo Socr. p. 670. ed. Flor. ' casso labore.' Auson. Epigr. 108. ' cassa libido.' Cup. vs. 110. ' terror cassus.' Notandum etiam *exercendi vocis* pro *exercendæ* vel *vocem*. ut apud Terentium ' novarum spectandi,' et alia. Vide Gronov. ad Gell. lib. IV. cap. 15. ' Verborum fingendi studium.' Casaub. ad Suet. Aug. cap. 98. Merc. ad Sept. de B. Troj. IV. cap. 8. *Oud.* Optime Auctoris mentem cepisse mihi videtur Vir Cel. Sed illud *sonu* absolute positum non placet. Verbum *superatur* non quidem jungi posse τοῖς *supervacaneo studio* quivis videt : hæc tamen temere damnare non ausim, quia haud scio an *labor cassus supervacaneo studio* ex Appuleiani stili verbositate defendi recte queat. *J. B.*

Multorum animalium] Optime ha-

bent Lips. Edd. Vett. apud Becichem. Junt. Aldi, et Bas. *mutorum*. Animalia *muta* dicuntur, quæ edunt sonum confusum et non articulatum. Vide Nonium cap. 1. v. 'mutus.' Gronov. ad Senec. Epist. 90. Stat. lib. v. Theb. 334. 'muta armenta queruntur.' Vide Misc. Obs. vol. IX. p. 214. 'Forsan et ita emendandus Ausonii locus in Profess. I. 9. 'Mille foro dedit hic juvenes, bis mille Senatus, Adjecit numero, purpureisque togis; Me quoque: sed, quoniam muta est prætexta, silebo:' ubi v. et Heins. ad p. 566. *Oud.*

Barritus] Inde ipsi barri. *Pyrrh.*

Propitia voluptas] Sive propria, ut lib. v. Met. 'propitia cupidinis tela:' sive blanda et prona, prompta præsertim ad Venerem, quæ facit bestias sonum edere. de Phil. Mor. p. 618. Ed. Flor. 'diem mortis propitius nec invitus exspectat:' ubi Sciopp. *promptus*, qui male h. l. conjecit *voluntas*. Oud.

§ 3 *Orph. in silvis, &c.*] Flor. *o. in s. i. d. Orion.* inepte. Dio ad Alexandrinos Oratione 32. pag. 380. Εἰ γὰρ Ἰσμηνίας ηὔλει παρ' ὑμῖν, ἢ Τιμόθεος ᾖδεν ὁ παλαιὸς, ἢ Ἀρίων, ὑφ' οὗ λέγουσιν ᾄδοντος ἐν τῷ πελάγει τοὺς δελφῖνας ἀφικέσθαι πρὸς τὴν ναῦν, καὶ μετὰ ταῦτα ἐκπεσόντα αὐτὸν κατὰ τύχην τινὰ ἀναλαβεῖν καὶ σῶσαι, πῶς ἂν διέκεισθε; τούτων μὲν γάρ ἐστιν οὐδεὶς Ἀμφίων, οὐδὲ Ὀρφεύς. ὁ μὲν γὰρ, υἱὸς ἦν Μούσης, οἱ δὲ ἐκ τῆς Ἀμουσίας αὐτοὶ γεγόνασι διατρίψαντες, καὶ κατάξαντες τὸ σεμνὸν τοῦ μέλους, καὶ πάντα τρόπον λωβησάμενοι τὴν ἀρχαίαν μουσικήν. Agellius l. XVI. cap. ult. Cicero l. II. Tuscul. Quæst. Oppianus Halieuticon l. V. v. 448. *Elmenh.*

Avibus hæc secretaria, ut] Ms. cod. *avibus hæc secretari, aut.* Sic Terræ secretariæ, infra lib. de Mundo: 'Illi etiam ignes, qui terræ secretariis continentur.' In Cod. Theodosiano et Justin. Secretarium locus est secretus a vulgo, in quo judices sedebant, causas examinabant. L. III. de Offic. diversor. jud. l. ult. Ubi Senatores vel Clariss. l. v. de prox. Sacr. scrin. lib. x. Cod. et alibi. Hunc intelligit Salvianus lib. III. de Gubernat. Dei: 'Intra januas non modo illustrium potestatum, sed etiam præsidum aut præpositorum non omnes passim intrare præsumunt: nisi quos aut judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit.' Σήκρητον appellat Eusebius Histor. Ecclesiast. l. VII. c. 31. σήκρητον δὲ, ὥσπερ οἱ τοῦ κόσμου ἄρχοντες, ἔχων τε καὶ ὀνομάζων. de Ducenario, qui judice magebat: quem locum nobis humanissimus Lipsius indicavit. Sed ita etiam Imp. Zeno judicantis Secretum accipit. L. Nullum. XIII. c. de Testib. Et fortassis hinc Secretum, seu Secretarium hic locus dictus, quod velis obtentis et oppansis, cum quidem gravioribus de causis et præcipue criminalibus, quæque ampliorem deliberationem requirerent, ageretur, ibi judices a conspectu litigantium reorum, reliquique vulgi, secernerentur et separarentur. Unde et Secretarii hodie dicuntur, vulgari et trita jam passim significatione. Sed ad Vela hæc judicum pertinet elegans locus D. Basilii Magni Epistola ad Eusebium, qui dignus totus hic legi: Εἰ γὰρ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχοντες, ὅταν τινὰ τῶν κακούργων θανάτῳ καταδικάζειν μέλλωσιν, ἐφέλκονται τὰ περιπετάσματα, καλοῦσι δὲ τοὺς ἐμπειροτάτους πρὸς τὴν ὑπὲρ τῶν ὑποκειμένων σκέψιν, καὶ πολὺν ἀνασχολάζουσι χρόνον, νῦν μὲν τοῦ νόμου τὸ αὐστηρὸν ὁρῶντες, νῦν δὲ τὴν κοινωνίαν τῆς φύσεως δυσωπούμενοι, καὶ πολλὰ στενάξαντες, καὶ τὴν ἀνάγκην ἀπολοφυρόμενοι, δῆλοι πᾶσι γίνονται πρὸς ἀνάγκην ὑπηρετοῦντες τῷ νόμῳ, οὐ κατ' οἰκείαν ἡδονὴν ἐπάγοντες τὴν κατάκρισιν. Hinc intelligenda lex Imp. Constantini: 'Non sit venale judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium.' L. I. Cod. Theod. de Offic. rect. prov. nec de alio etiam Velo

senserunt Impp. Honorius et Theodosius: 'De submersis navibus decernimus, ut levato velo causæ istæ cognoscantur.' L. v. c. de Naufrag. lib. XI. l. VI. Cod. Theod. eod. Cognoscitur de submersis navibus levato velo, utpote causis levioribus; cum in gravioribus id semper adduceretur. Notemus igitur hunc morem, et leges has hinc intelligamus, quas non satis apte vel aperte nostri ævi Jurisconsulti maximi nobis explicasse videri possint. *Colv.*

Merulæ] 'Merula,' inquit Plin. 'canit æstate: hyeme balbutit: circa solstitium muta.' *Pyrrh.*

Lusc. in solit. cant. adolesc. g.] Putantur enim amores semper cantare. *Elmenh.*

In solitudine] Seneca Octavia act. 4. Scena, O Funestus, &c. 'Quis mea digne deflere potest Mala? quæ lacrymis nostris questus Reddet aëdon? cujus pennas Utinam miseræ mihi fata darent. Fugerem luctus ablata meos Penna volucri, procul et cœtus Hominum tristes cædemque feram: Sola in vacuo nemore et tenui Ramo pendens, querulo possem Gutture mœstum fundere murmur.' Auctor incertus περὶ τῆς τῶν ζώων ἰδιότητος: Ὅταν ἀηδὼν ἀκροώμενον βλέπῃ, Μελῶν ἀγαθῶν ἐξερεύγεται κτύπους· Ἀγχίστροφον γὰρ τὴν βοὴν διαπλέκει, Καὶ γὰρ μελισμοὺς ὀργανοῖ κεκλασμένους, Ἐκ τῆς ἐν ἀκμῇ τακερᾶς μουσουργίας. Καὶ μακρὸν ἂν δήπουθεν εὐφραίνοι χρόνον, Εἰ μή τις αὐτὴν ἐκταράττοι συγχέων. Ὅταν δὲ γῆν ἄβατον ἀνθρώποις ἴδοι, Τὸν φθόγγον ἁπλοῦν, καὶ βραχὺν παραπτύει. Μελῶν δὲ ῥυθμοὺς ἐκδιδάσκει τὰ βρέφη. Ambrosius Hexaëm. lib. v. cap. 24. *Elmenh.*

In solitudine Africana] Cur magis in illa, quam alia? An quia in Africa erat tum? De merulis in genere tantum dicit, 'in remotis tesquis:' et de oloribus, 'apud avios fluvios.' *Oud.*

Garriunt] Lusciniæ garrulum cantum vocat Plinius. *Pyrrh.* Scripturam veterem *gurriunt* non sprevi præ vulgari, *garriunt*. Et certe nescio quomodo Gurriendi verbum aptius fictum videtur, quam ipsum Garriendi, ad exprimendum garritum istum minurritionemque vernantium istarum avicularum. *Colv.* Colv. ex libro Lipsii *gurriunt*. Elmenh. *Gurrire* ficta vox est, et nusquam obvia. Sed passim luscinia *garrula* vocatur. cf. Pyrrh. *Oud.*

Apud avios fluvios] Remotos, inhabitatos. *Pyrrh.* Cygni amant fontes: Virg. II. Georg. Dio orat. XII. 194. Ovid. v. Metam. fab. 6. 'carmina cygnorum labentibus audit in undis.' *Elmenh.* Forte, *Asios.* Virgil. VII. Æneidos: 'sonat amnis et Asia longe Pulsa palus.' *Brant.* Ridicule: æque *Pactoli*, *Mæandri*, *&c.* refingere posses, ubi frequentes olores. Vide Rittershus. ad Oppianum p. 78. *Oud.*

Carmen sen. med.] Cygnos morti vicinos præ voluptate, et rerum in vita molestarum oblivione, suaviter canere tradunt viri magni Plato, Cicero, Aristoteles, Oppianus, Ovidius, Martialis, Dio, et alii. Sed hoc omnino fabulosum et falsum esse docent Plinius libro XIX. cap. 23. Ælianus var. hist. lib. I. cap. 14. Athenæus fol. 393. Bodinus in Methodo historica, et Johannes Talentonius reconditarum rerum lib. III. cap. 11. *Elmenh.*

Pueris, adolescentibus] Ætatum appetitus optime describit. *Pyrrh.*

FLORIDORUM LIB. IV.

NUM. XVIII. *Tanta*] Melius benevolentiam captat, quam qui excusationibus universam pene orationem occupant. *Pyrrh.* More Græco concio habetur in Theatro. V. Bourdel. ad Heliod. p. 90. *Oud.*

Marmoratio] Fit ex calce et marmore tuso, ut Varro lib. I. de Re Rust. cameras marmorato et parietes pavimentaque laudabiliter faciunt. *Pyrrh.*

Contabulatio] Est generis vox quæ contignationem, coaxationem et coassationem continet, de quibus apud Budæum. Columnatio est suffultura scenæ. *Idem.*

Mimus hallucinatur] Id genus multa collegit Politianus in lamia. *Idem.* Arnob. lib. IV. 'Et si quando animam desidem otiosis vultis hallucinationibus occupari, dies vobis poscatis dari, et sine ullis intermissionibus exhiberi.' *Brant.* Ms. Lips. Edd. primæ, aliæque vett. *minus*, solito errore, ut observarunt Becichem. Ep. 100. et Theod. Canter. ad Arnob. lib. V. p. 23. Ceterum de significatione verbi *hallucinantur* reliqui interpretes præter Floridum tacent, nisi quod rectius Brantius videatur sumere de lusibus ejus ridiculis. Sed forsan respicit Auctor ad ipsam vocis originem ab *hallo*, qui est ποδὸς μέγας δάκτυλος, ut sit, saltat. Adi G. J. Vossium in Etymol. licet alii ab ἀλύκη *alucinari* scribant. V. Gronov. ad Gell. l. IV. 20. Alii aliter: v. ad Gell. lib. XVI. 12. Singulorum enim ludionum artes designat, et mimi *hallucinationem* distinguit ab histrionis *gesticulatione*. Mimorum autem exprimentium aliquam personam propria est saltatio. Ovid. lib. I. Art. Am. vs. 501. 'aliquam mimo saltante puellam:' ubi vide N. Heinsium. Gell. lib. I. 11. *planipedi*, i. e. μίμῳ, testibus Auson. Ep. XI. et Diomede, *saltanti.* Oud.

Histrio gesticulatur] Ille enim proprie dicitur pantomimus; ut in Glossis. Vide Salmas. ad Hist. Aug. p. 433. et ad Tertull. Pall. pag. 292. *Oud.*

Athenas quo s. arch. conferat] Vulgo, *Athen. quos in archit. conf.* Mira varietas lectionis hujus versiculi in veteribus libris Plautinis, tam cusis quam scriptis. Aldus olim impressit, *Athenas quo sine arcu peltis conferat.* Lipsius monuit, in Vaticanis legi, *sine arcuspletis conferam*: et, *arcuspetis.* Vidi ego scriptum etiam, in quo erat, *arcuspestis.* Olim, ante has omnes lectiones visas, rebar scribendum, *Athenas quo se in arcem tutus conferat.* Nota arx Athenis. *Colv.* *Ath. quo s. architectis conferam*] Hæc unice vera lectio est, tam apud Plautum, quam Nostrum: ut bene vidit Salmasius, nisi quod is retineat vulgatum *conferat.* Sensus hic est clarissimus. Histrio e Plauti persona postulat locum scenæ, quo spectatoribus videndas præbeat Athenas, sive comœdiam Athenis quasi gestam, et sic Athenas Romam conferat sine ope architectorum. *Conferam* autem non *conferat* habent Vaticani aliique Codd. in Plauto, et hic Pith. et Edd. ante Colv. ut et Ms. Lips. *feram*: nam sequitur apud Plautum in eadem persona 'Meditor enim vobis me ablaturum sine mora,' &c. Pro *quo sine* in Florent. Pith. et Lips. atque Edd. ante Colv. exstat *quos in*: sed *quo sine* recte apud Plautum Mss. et Edd. Hinc Vulc. Scal. Elm. Scriv. dant *quis sine*, metuentes, credo, *quo* non posse sequi pluralem. Sed adi tu notas ad Cæsar. lib. V. B. G. c. 14.

'Liberi eorum sunt, quo virgo deducta est.' *Architectis* est in Lips. at variis modis corrupte apud Plautum; sed omnes tendunt ad vocem *architectis*. Immo ita citatur hic locus quoque apud Priscianum de metris Com. p. 1322. ubi tamen vulgo *conferat*. Errant ergo, qui hic aliud quid somniant. Vide Paræum in Analect. Plaut. et Petiti Misc. lib. II. cap. 7. et alios. G. Vossius adlevit margini se corrigere *quasi in arctis tectis conferam*, vel *quo is in arctis tectis conferat*. Frigidissime. *Oud.*

§ 2 *Clauderet*] Vulg. *clauderetur*. Claudere, pro claudicare. Priscianus l. x. Verbum hoc eleganter repositum a maximo Lipsio, in Terentio, Livio, Gellio: Variis, Epistolicis, Electis. *Colv.* Rom. *clauderetur*. Elmenh. Brevis et cito desinens oratio melius opponitur prolixæ, quam claudicans. *Florid.* Atqui non desinit Auctor, sed pergit orationem. Inepte itaque e Rom. Ed. cum qua consentiunt Pith. et reliquæ vett. reponere tentat Flor. Vid. et Castalion. Observ. p. 14. &c. *Clauderet*, i. e. claudicaret, deficeret: atque ita cum Becichemo Ep. 100. Lipsio, Colvio, &c. habent Mss. Florent. Lips. Ed. Junt. post. de quo verbo vide præter Colv. et alios J. F. Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXII. c. 39. 'si in altera parte claudet resp.' et quos laudo ad l. de Deo Socr. p. 692. Ed. Flor. ubi vulgo *claudicaret*. Gell. lib. IV. c. 7. 'numerus clausurus est.' Lib. XIII. cap. 20. 'sentias suavitatem sonitus claudere.' Auson. Prol. ad 7. Sap. 'si memoria cludit.' Atque ita est in Ms. Septim. de B. Troj. II. 22. 'Omnia fœderis jura ac pietatis apud Barbaros et Græcos clauserunt.' Sunt, qui malunt in sec. conjugatione *claudere*: quomodo edidit Vulcan. Certe ita Cæcilius apud Nonium, et Glossæ: 'claudeo, χωλεύω.' *Oud.*

Nihil quidquam] Unde Homerus in ult. Iliad. fingit duo esse Jovis dolia in atrio, unum lætis, alterum tristibus plenum, quibus mortalium fortuna temperatur. *Pyrrh.* Plautus Amphitryone: 'Ita quoque comparatum Est in ætate hominum, Ita Diis placitum; voluptati ut mœror comes consequatur.' Quæ sententia sumpta videri potest a Comico Græco veteri, Antiphane: Αἱ γὰρ ἡδοναὶ Οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐμπορεύονται, ἀλλ' ἀκολουθοῦσ' αὐτὰς Λυπαὶ καὶ πόνοι. *Colv.*

Inpræsentiarum] Quidam negant Latine dici: sed Valla in dictione *præsens* eo utitur, ac sæpe jureconsulti veteres. *Pyrrh.*

Extrarios] Vulg. *extraneos*. Haud tanti ut discriminem utrum melius. Et hoc et illud passim obvium, tam in Nostro, quam aliis priscis scriptoribus. *Colv.* Ita et Tertull. loquitur De testimonio animæ: 'Terram gravem imprecaris, et cineri penes inferos tormentum,' et lib. de baptismo: 'Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat,' et passim. *Brant.* Sic Mss. plerique Colv. &c. ac mox. Sed Pith. Edd. priores *extraneos*. Vide ad Met. l. VIII. p. 565. a. *Oud.*

Disceptavi] Forte rectius, *dissertavi*. Wower. Male. *Disceptavi* nempe in judicio, ut in Apol. p. 426. Flor. 'Apud judices sorte ductos paulisper disceptanti, an apud omnes homines semper disserenti.' *Disceptare* et *disserere* de eadem re Sallust. B. Jug. c. XI. *Oud.*

Africa] Appuleius erat Afer, ex Madauro, quam prope Midenos Ptolemæus statuit in II. Africæ tabula. *Pyrrh.*

Utraque lingua] Latinam vero sine præceptore se didicisse jactat in Asino aureo. *Idem.*

§ 3 *Protagoras*] Vide Zenobium in proverbio κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Agellium lib. V. cap. 10. Saresberiensem de nugis Curialium libro quinto, cap. 12. *Elmenh.*

Protag. quidem] Vulg. *Protagoras*

qui. Adi Quintilianum lib. III. Institut. Gellium l. v. cap. 10. *Colv.* Sextus Empiricus adv. Mathemat. pag. 69. Coracem vocat, et ab eo natum proverbium : κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. *Sciopp. in Symb.* Wower. &c. *quidam.* Sed recte Edd. vett. *qui.* De ejusmodi nominativis in initio positis vid. omnino Cl. Burm. ad Lucan. l. III. vs. 46. et 663. Infra N. XXIII. 'Aristippus Cyrenaicæ sectæ repertor, &c. Eum quidem.' Possis etiam ejicere voculam *qui*, ut et *fuit*, et legere *Protagoram* (*Sophista, &c.*) *Eum igitur Protagoram.* Vide supra ad N. VII. Sed non opus. De *Protagora* et *Euathlo*, alii dicunt *Coracem* et *Tisiam.* vide auctores citatos ad Quinctil. l. III. I. O. c. 1. Fabr. ad S. Empir. adversus Rhetores pag. 306. Apostol. Cent. X. § 64. ubi ὁ Στίας male vocatur discipulus : adi et ad Cic. de Inv. II. 2. *Oud.*

Inde] Historiam illustrabit Agellius l. v. c. 3. quicum non omnino sentit Philostratus Lemnius in vitis Sophistarum. Interim emendandum, *unde ei suppeditata doctrina est :* ab ipso enim Democrito omnia Protagoras iste hauserat, attestante ipso Agellio : usus Auctor particula *unde,* loco pronominis relativi personalis : et quamquam *Inde* eadem phrasi accipi potest, ut et reliqua pleraque loci adverbia, (ut in Particulis demonstravimus,) alterum tamen nobis visum magis conveniens. Itidem Cicero pro Flacco : 'adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, &c. in omnes terras distributæ putantur.' Terentii, Cæsaris, Varronis, aliorum exempla qui desiderat, videat in Particulis nostris. *Stewech.*

§ 4 *Ingeniatus*] Ald. *ingenatus.* Scribendum Plauti Milite : 'Itidem divos dispertisse vitam humanam æquum fuit. Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent : Qui improbi essent,' &c. Ubi, dum vulgatam lectionem, *Qui lepide ingenuatus,* explicare nititur Lambinus; nihil minus quam boni Commentatoris Officio functus videri potest. Nam etiam Gellius XII. cap. 1. 'Corpusque et animum bene ingeniatis primordiis inchoatum, insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere.' *Colv.* Alii, *ingenuatus,* male. *Elmenh.* Vide etiam J. Gulielm. Misc. Quæst. c. 4. Elmenh. Ind. et J. Gronov. ad Gell. lib. XII. cap. 1. Sic quoque *geniatus.* Vide Salmas. ad J. Capitol. V. Veri c. 10. *Oud.*

Neque asserere velle nec reddere] Euathli triconis versutia tangitur, de cujus astu et lite cum præceptore Protagora agitata consulendus Agellius libro dicto cap. 10. et locus Appuleii, nisi me conjectura fallit, propius ad sententiam rescribendus, *nec adserere velle, nec renuere.* Stewech. Idem vetus, *a se revellere.* Colv. Lego, *agere velle.* Brantius. Flor. Lipsii et Fulvii liber, *diutineque nec a se revellere.* Elmenh. Exposuit Floridus 'neque negare velle :' sc. quod deberet pecuniam. Verum an hoc notat vox *adserere?* sane contrarium potius. In membranis Florent. Lips. Fulv. Becichemi, ipso probante, exaratur *nec a se revellere, nec reddere.* An scripsit Auctor *neque id se refellere, nec reddere?* sed potius inducor, ut credam veram esse scripturam *neque disserere velle nec reddere:* nam Euathlus, ne reddere mercedem ex pacto cogeretur, nolebat apud judices caussam agere, contentus scire, quod didicerat. Hoc clare ait Gellius l. v. c. 10. 'Cum abunde promovisset, caussas tamen non reciperet, et facere id videretur, ne reliquum mercedis daret.' Bene id jam vidit Brantius, conjiciens *neque agere velle.* Oud.

Hanc primam caussam vic.] Flor. *hac prima causa vic.* Elmenhorstius. Pith. Lips. *causs. pr.* Membranæ Florent. *hac prima caussa :* atque ita statim Becichem. pro iis, *si hanc primam caus-*

sam fucro victus, legi vult *hac prima caussa*. Et certe sic solent optimi scriptores. Ovid. Art. Am. lib. I. vs. 201. 'Vincuntur caussa Parthi.' Sed quod aurei ævi scriptores dixere 'vincere bello,' 'prœlio,' posteriores quoque extulere 'bellum,' 'prœlium.' Adi Cl. Burm. ad Vell. lib. I. cap. 5. licet Virg. Æn. x. 370. dixerit, 'devictaque bella.' Vel hoc loco est per Græcam Synecdochen et Ellipsin præpositionis κατὰ, *per*. quomodo vindicat locum J. Gronov. ad Gellii l. v. c. 10. Græci passim νικᾷν μάχην, δίκην. V. Casaub. et Needham. ad Theophr. Char. 17. me ad Herodian. III. 6. Sic Gell. l. XVII. c. 19. 'Victos esse Persas pugnam illam.' Vid. D'Orvil. ad Charit. pag. 513. Immo clare Ovid. Her. Ep. XVI. vs. 76. 'Non omnes caussam vincere posse suam:' ut est in Mss. O. Apud Morbod. de Gemmis post Gorl. Dactyl. p. 9. 'perhibetur vincere caussas.' Sept. de B. Troj. III. 10. 'vincere fortunam belli:' quod non mutandum. Arnob. l. I. p. 1. 'obtinuisse se caussam putent, victam sui vitio.' 'Sponsionem vincere' an 'sponsione' dixerit Cic. pro Cæcina cap. 31. dubium. *Oud.* Hæc fere omnia jam adhibuit Vir Cel. ad Thom. Mag. pag. 628. Post eum Ruhnken. ad Vell. Pat. l. I. c. 8. § 2. satis superque docuit, 'vincere caussam,' 'sponsionem,' et sim. probatæ esse Latinitatis. add. Passerat. ad Cic. pro Cæc. c. 31. *J. B.*

§ 5 *Si vinco cond. si vincor sent.*] Flor. *si vincor ... si vinco*. Elmenh. *Si vincor, conditio: si vinco, sententia.* Sic membranæ Lips. Mediceæ et sanus sensus legi postulant. Vulgo inepte *si vinco, conditio; si vincor, sententia:* nam si vinceretur, liberabatur conditione solvendi, qua pactus erat pecuniam solum, si vinceret: contra quoque si vinceret, sententia judicum eum absolvebat. Bene autem hoc jam monuit ibidem Gronovius; quod miror, omnes interpretes sicco pede transivisse præter Floridum. *Oud.*

Thales] Primus hic Solis cursum a conversione in conversionem reperit, et pleraque alia hic et a Laërtio descripta. *Pyrrh.* Vid. Laërt. in ejus vita. *Elmenh.*

Delinquentis] Rom. Ven. *deliquentis*. Ms. cod. *deliquantis*. Ab Obliquus, Obliquare, a Reliquus, Reliquare verbum componitur: quidni etiam a Deliquus, Deliquare? At veritatem eusæ scripturæ adstruit Paulus Festi epitomator: 'Deliquium Solis a delinquendo dictum, quod delinquat in cursu suo.' Sed Pompeius scripserat, 'a deliquando dictum, quod deliquet in cursu suo.' Ergo jam audacter reponamus, *Lunæ deliquantis*: notemus Deliquium Lunæ, ut Deliquium Solis. Venit etiam nunc in mentem Varronis locus lib. VI. de Lingua Lat. quo sic vulgatur: 'Deliquium dictum ab eo quod deliquatur: ut turbida quæ sunt deliquantur, ut liquida fiant. Aurelius scribit, Deliquium esse a liquido, Claud. ab eliquato.' Sed correxerim *Claud. a deliquato*, seu *deliquando:* enim potior hæc hujusce dictionis etymologia. Deliquum dixerat Plautus Casina: 'Quando nil tibi domi deliquum est,' id est, nil tibi deest, nullius eges. *Colv.* Explicat bene et erudite Colvius. *Brant.* Rom. *deliquentis*. Colvius *deliquantis*. Elmenhorstius. Edd. Rom. Vic. Junt. pr. *deliquentis*, quasi ab *deliqueo:* unde videtur remansisse præteritum *delicuit* apud Ovidium. Mss. Fulv. Lips. *deliquantis*, quod probat Colv. et edidit Wower. Sed male. *Delinquere* Veteribus notat quoque *deficere*. Adi Scalig. et Dacier. ad Festum v. 'Deliquium Solis.' Activum est 'deliquare,' et notat 'liquidum facere.' In Pith. desunt *increm. vel senesc.* *Oud.*

§ 6 *Idem sane*] Vide Plin. in II. Nat. Hist. *Pyrrh.*

Ab Æsc. Deo] Æsculapius Deus Carthaginiensium. Tertullian. 'In ipsis denique templis Deum judicem imploras sub Æsculapio stans.' Erat autem et ipse Carthaginiensis. *Brantius.*

Ejus Dei hymnum gr.] Rabanus in Judith. Manuscript. 'Hymnos etiam idolis suis gentilitas personabat.' *Elmenh.*

Prosa et vorsa et c.] De prosa et prævorsa vide Crinitum. *Pyrrh.*

Et m. composite c. et dedicatur religio summo i. pr. l. ratio quemd. e. h.] Pessime habitus locus. Scribo cum Lipsio, *et mihi compositu congruentem, et dedicatu religiosum, in principio libri facio quemdam, &c.* Certa emendatio et manifesta, cujusque ratio pluribus non reddenda. *Colv.* Scribit Becichem. *et dedicatu religiosum, principio libri ratio quædam ex his a me condidicere.* Unde sensum commodum non est ut elicias. Vide Notas nostras. *Id. in Omiss. Eorum ego sermonem ratus et vobis auditu gratissimum et mihi compositu congruentem, et dedicatu religiosum; in principio libri facio quemdam*] Sic jam diu mea sponte correxeram, cum comperi postea aliis quoque idem in mentem venisse. *Sciopp. in Symb.* Lipsius correxit vere lib. I. Elect. cap. 18. cum in libris esset, *composite c. et dedicatur religio summo in principio libri ratio.* Elmenh. Egregie restituere Lipsius et Sciopp. quos merito secuti sunt Wow. Elm. et seqq. Becichemi emendatio est sine sensu, ut et vulgata olim scriptura, quæ est tamen in Mss. Florent. Lips. Fulv. Pith. Pro *summo* in Lips. est *summam.* Edd. Vulc. Scal. *elegio summo.* Oud. *Quidam ex*] Declarat introductionem personarum in suo dialogo disserentium. *Pyrrh.*

NUM. XIX. *Asclepiades*] Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Iste fuit Pruliensis et medicus, Pompeii Magni ætate, qui, cum dicendo quæstum sterilem faceret, ad medicinam utpote quæstuosiorem se contulit, vinoque temperato multis medebatur. Lege de hoc Plin. lib. XXV. 23. pulchre ubi præter alia inquit: 'nec minor fama cum occurrisset ignoto funeri, relato homine ab rogo atque servato,' &c. *Pyrrh.*

Primus et. vino, &c.] De hoc eodem principe medico Scribonius Largus præfat. lib. de Composit. medicam. 'Ille enim febricitantibus, vitiisque præcipitibus correptis, quæ ὀξῆ πάθη Græci dicunt, negavit medicamenta danda: quia cibo vinoque apte interdum dato remediari tutius eos existimavit.' *Colv.* Plinius libro VII. Natur. Histor. cap. 37. 'Magna et Critobulo fama est, extracta Philippi regis oculo sagitta, et citra deformitatem oris curata orbitate luminis. Summa autem Asclepiadi Prusiensi, condita nova secta, spretis legatis et pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione qua vinum ægris medetur, relato e funere homine et servato: sed maxime sponsione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse: et victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est.' *Elmenh.*

Ven. pulsus incond. vel præclaros] Mihi equidem dubium non fuit, pulsus illos non *præclaros*, sed *præceleres* nuncupandos. Infra hoc eodem libro, 'manum hominis pertractat, venarum pulsum et momenta captat; si quid illic turbatum atque inconditum.' *Stewech.* Proprie. Ex pulsu enim de hominis salute vel interitu medici pronunciare solent, quem Galenus de constitutione artis medicæ cap. 18. recte definit, 'vitalis facultatis opus.' Ante tempora autem Hippocratis speculatio hæc circa pulsum nondum exquisite exculta erat, ideoque medici manum ponebant super alias partes corporis, maxime super thoracem, domicilium

scilicet cordis, ex quo et judicabant. Sicuti Stephanus Atheniensis in Galeni librum I. ad Glauconem p. 17. scriptum reliquit. *Prævaros* recte Scaliger, Mss. et editi *præclaros:* male. *Elmenh.* Corrupte. Scribe, *vel prævaros.* Wower. Scaligeri divinationem *prævaros* primus expressit Vulcanius, et quasi de suo Wower. ac seqq. pro valde depravatis, corruptis. Et hinc nemo hanc correctionem in dubium devocavit, cum Mss. et Edd. vett. dant *vel præclaros:* quod ego nolim temere damnare. Auctor videtur sibi contrarios pulsus obponere. *Inconditi* enim (*recond.* conjecit Groslot.) sunt confusi, ita ut singuli non satis distingui queant. Vide ad Met. lib. VI. p. 400. a. Atque ita 'verba incondita,' 'clamor inconditus' et simil. Mox rursus N. XXII. 'Venarum pulsum et momenta captat, si quid illic turbatum atque inconditum offendit.' His jam contrarii sunt pulsus *præclari,* qui bene discerni possunt, et certa stataque habent momenta: unde *clarus* et *certus* sæpe junguntur. Adi J. F. Gronov. ad Liv. lib. I. cap. 18. 'uti tu nobis signa certa adclarassis.' Ita 'lux præclara,' 'Sol præclarus,' apud Lucret. Si Appuleius hisce vocibus idem fere exprimere voluisset, videtur non debuisse subdere τὸ *vel* disjunctivum, sed copulativum *et, ac, atque.* Immo si quid mutandum, propenderem magis in Stewechii, cujus nemo rationem habet, conjecturam *præceleres,* quam videtur probare Abresch. in Aristæn. Lect. p. 72. 73. *Oud.*

Funus ing. locatum] Efferundum, deferundum ad sepulturam. Seneca Epist. 99. 'Quam multis cum maxime funus locatur: quam multis vitalia eruuntur: quam multi post luctum tuum lugent.' Plauti jocus est, qui folium Sibyllæ, ni hinc explicetur, Aulularia: 'Cædundum illum ego conduxi. Ev. Tunc quidem optimum est, Loces efferundum: nam jam credo mortuus est.' Valerius Antias lib. LXXV. Historiarum: 'Deinde, funere locato, ad forum descendit.' *Colv.* F. *collocatum.* Brant. Frustra et male. Adi Colv. 'Funus ingens locatum,' i. e. magnus funeris adparatus, vel 'funus ingens,' pro, hominis potentis et viri principis. *Oud.*

Etiam cognosc.] Vulg. *incognosceret:* quod probavi supra ad lib. III. *Colv.* Ms. *an vero ut.* Et probat Fulvius. *Sciopp. in Symb.* Retinui lectionem editionis principis *incognosceret:* alii, *etiam cognosceret,* legunt. *Elmenh.* *Etiam cognosceret* est lectio Mss. Florent. Lips. Becich. et Edd. Colv. Vulc. Scal. Wow. quam retinui, licet non admodum placeat τὸ *etiam,* pro quo Groslot. conjecit, *ut inde cogn.* Præfert vero Colvius scripturam priorum Edd. et Cod. Pith. *ut incogn.* pro, valde cognosceret, id quod imitatus esse dicitur Picus Mirandul. Elmenh. vero et seqq. utrumque dedere *ut etiam incogn.* Sed non placet mihi decompositum *incognoscere* hoc sensu. Si statim mecum *an* legis, hic omnino subintelligendum est quoque *an* vel *ne;* ut solet sæpissime ἐλλείπειν: de qua re egi ad Cæsarem quoque. V. Ind. Not. Auctor enim fingit se dubitari, an Asclepiades ad corpus hoc accesserit e curiositate, *an vero, ut aliquid in illo ex arte deprehenderet.* Sed tamen sæpe additur. Vide ergo num corruptus sit locus pro *ut ne cognosceret,* i. e. an ut cogn. Sic ipse Auctor infra hoc fragm. 'Quodne jam hereditatem a[illegible]bant, an quod adhuc,' &c. Sin vero ibidem cum aliis retineas *at,* hic omnino scribi debuit *ut, non cognosceret:* vel *non ut cogn.* Sed malim prius. *Oud.*

Fatum attulit] Quin potius: *vitam attulit,* aut: *fatum abstulit.* Wower. Alii, *fatum abstulit.* Fulvius Ursinus, *vitam attulit.* Bene. *Elmenh.* *Fatum attulit* habent Mss. et Edd. vett. aliæque: quod si retineamus, *fatum* est nominativus, et subintelligitur *Asclepiadem,* qui illi jacenti ut

salutare sidus a fato missus fuerit. At Scriver. edidit *vitam attulit* e conject. Wowerii sive potius Ursini. Si quid mutandum, ego præferrem alteram Wowerii conjecturam, quomodo etiam rescripsere Elmenh. et Flor. *abstulit*, sive mortem abstulit, et eum ex Orci faucibus, quibus jam quasi adhærebat, ut alibi loquitur Auctor, eripuit. Sic 'fati ratis,' 'fati litora,' apud Propert. lib. I. 19. 12. II. 21. 39. Passim 'fatum' et 'fatalem mortem' de morte naturali occurrere nemo nescit. Vide Gell. lib. XIII. c. 1. 'Fatum leti' dixit Lactant. in Sympos. Æn. 31. de Phœnice. Sic enim Mss. vulgo: 'fatum lætæ quam mortis imago.' Similiter Cicero in Timæo cap. XI. 'nec vos ulla mortis fata periment.' *Oud.*

Aromatis perspersa] Pro *perspersa*, *sparsa* habet vetus liber, Appuleio opinor nolente: nam supra lib. IX. de Asino aur. 'Hinc resultantes uberrime guttæ mensam cruore perspergunt.' Cadavera olim odoribus et aromatis omne genus sparsa, ad putorem illum letalem abigendum. Noster Apologia priore: 'Si tus, et cesiam, et myrrham, ceterosque id genus odores funeri tantum emptos arbitraris.' Tertullianus de Resurrectionis carnis: 'Proinde et corpora medicata condimentis sepulturæ mausoleis et monumentis sequestrantur.' Persius: 'Tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.' Lactant. Divinar. Institut. lib. II. cap. 4. 'Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus et pretiosis vestibus illita ac convoluta humi condunt, qua Deos honorant.' *Colv.* Antiqui mortuorum corpora ungebant herbis suaveolentibus ad putorem pellendum. Nonnus in Johannem cap. 19. ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος (ὃς ἤλυθε νυκτὸς ὁδίτης Ἐς μέγαρον Χριστοῖο φυλασσομένῳ ποδὶ βαίνων) Σμύρναν ἄγων θυόεσσαν, ἐρυθραίοιο δὲ κήπου Ἰνδῴης ἀλόης δονακοτρεφὲς ἔρνος ἀρούρης, Λίτρας τὰς καλέουσι φατιζομένῳ τινὶ μέτρῳ Ἄχρι μιῆς ζαθέης ἑκατοντάδος, ὧν ἅμα κάρπῳ Λεπταλέαις ὀθόνῃσιν ἐμιτρώσαντο θανόντος Σῶμα, πολυπλέκτῳ ἑλίκων εὐώδεϊ δέσμῳ. *Elmenh.*

Istius] Ms. *illius*. Colvius.

Unguine odoro delib.] Eadem de causa, qua supra aromatis perspersa diximus, cadavera etiam Veteres ungebant. Ennius: 'Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.' Unde Virgilius: 'Corpusque lavant frigentis, et ungunt.' Horat. 'Unxere matres Iliæ addictum feris Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.' Hinc jocus Martiali: 'Qui non cœnat, et ungitur, Tabulle, Is vero mihi mortuus videtur.' Arnobius lib. V. 'Ac ne nuda in gremio diffluerent sic soli, priusquam veste velaret ac tegeret, lavit utique balsamis, atque unxit.' Lucianus: Καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα, πρὸς δυσωδίαν ἤδη βιαζόμενον. Hoc 'pollingere' dictum, et qui id faciebant 'pollinctores.' Hic: 'Jam eum pollinctum, jam cœnæ paratum.' Plautus Pœnulo: 'Nam mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.' Appuleius Hermagora: 'Pollinctor ejus funeri dum unctionem parat.' Varro: 'Itaque plures dies inter medici discessum et adventum pollinctoris interfuerunt.' Ulpianus: 'Si libitinarius, quem Græci νεκροθάπτην vocant, servum pollinctorem habuerit.' *Colv.* Flor. *unguinis odore*. Elmenhorstius. Mss. Lips. Pith. *unguine odore*. Quod est in membranis Florent. *unguinis odore*, licet perinde esse videatur, cave ne recipias: nam non bene subjungitur τῷ *ipsius*, scilicet *hominis*. Adhæc tum Auctor mavult in plur. *odores* de unguentis dicere. *Odoro* ergo est *odorato*, ut l. X. Met. 'odoro imbre.' Lib. II. 'odorus flos.' *Oud.*

Faces abigerent] Corrigo *faces abjicerent*. C et G literæ promiscuæ librariis. Faces in pompa funebri justis persolvendis adhibitæ. Appuleium audiamus lib. I. Floridorum: 'comœ-

diam ejus,' inquit, 'prius ad funebrem facem, quam ad nuptialem venisse:' testis locuples Virgilius erit ut morem illum eadem opera simul illustremus: is igitur VI. Æneid. 'tum membra toro defleta reponunt, Purpureasque super vestes, velamina nota, Conjiciunt; pars ingenti subiere feretro, Triste ministerium; et subjectam more parentum Aversi tenuere facem.' Quo loco interpretes adnotant propinquioribus virilis sexus facis tenendæ officium dari solitum. Quod ad rogum Servius audiendus est. 'Apparatus' (inquit) 'mortuorum funus dici solet; exstructio lignorum rogus: subjectio ignis, pyra: crematio cadaveris, bustum: locus, ustrina: operis constructio, sepulcrum: inscriptum, nomen: memoriaque, monumentum.' *Stewech.* Bene noster Modius *Abjicerent*, seu, more antiquo, *abicerent*. Colvius. Ed. Vic. *facere*. Dein e conject. Modii, Stewechii, ut et W. Gœsii, edidit Scriver. *abicerent*. Sic passim in Mss. *adigere telum* pro *adicere* seu *adjicere*: de quibus prolixe egi ad Cæs. lib. II. B. G. c. 21. et ad Hirt. de B. Afr. c. 56. Sed rectum hic est *abigerent*, sive removerent et repellerent eos qui faces admovere vellent; ut patet ex seqq. 'ignes amolirentur.' Gloss. 'abacti, ἀπωθέντες, repulsi.' Vide ad Met. lib. IX. pag. 556. a. 'foras abigere.' *Oud.*

Cœnam fer. &c.] Hinc et ex superioribus patet, cœnam feralem esitari solitam juxta ipsum rogum. *Brant.*

Prop. et. hominibus i. quod ne jam, &c.] Tria hinc menda expellenda, inde reddenda ratio emendationis. Scribo, *propinquis etiam omnibus invitis, quod ne an ipsi hereditatem avebant*: genus loquendi agnoscent scio, qui scriptorem hunc vigilanter legerunt: tum facile animadvertent ludere eum in παρονομασίᾳ verborum, 'avere' 'habere.' In consanguineos id inprimis torquere conatur, magis de familia herciscunda, quam revocando postliminio, quem defunctum volebant, sollicitos fuisse, atque eo minus credidisse medico. Præterea non jam primum est, cum illud *aveo* depravatum est in *habeo*, pertinaci et perversa descriptorum consuetudine: quibus *B* et *V* (ni fallor) ex adfinitate secundæ literæ Græcæ et Latinæ promiscue scribebantur. Tum et adspirationis notam adhibebant, adimebant pro lubitu: sic in editione nostra lib. II. de asino legas: 'facilis auritu,' cum debeat scribi *hauritu*. Itidem in Mamertini Panegyrico ad Julianum Imp. in duabus editionibus reperi: 'discenda omnium nomina tribuum homines, atque etiam singuli salutandi:' puer videat, quia de candidatorum laboribus agitur, legendum, *edisc. o. nomina tribuum: omnes, atque etiam singuli salutandi.* Redeo ad vocem *aveo*: et Varronem emendo apud Nonium in Mutabiliter: 'Varro cras credo, hodie nihil: 'Quibus instabilis animus mutabiliter habet avere, et non habere:'' scribo, *avet habere*: nam in eo animi æstus, quod modo aveat et cupiat: modo repudiet. Juxta illud Horatii: 'Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper omisit.' Item et apud Petronium in epigrammate: 'Ipse pater veri dictus Epicurus in arce Jussit, et hanc vitam dixit habere Deos.' Quid aliis placeat scio; lego nihilo secius, *dixit avere Deos.* Exstant apud Priscianum versus Vari poëtæ ex lib. II. de magistro illo, qui filios Faliscum sibi commissos hostibus tradidit: quos ideo adscribam, ut ad fragmenta poëtarum, ubi ea desiderabam, referantur, sed paulo integriores: 'Tum literator creditus Ludo Faliscum liberos, Causatus in campi patens, Extraque muros ducere: Spaciando paullatim trahit Hostilis ad valli latus, * * * Seu tute malis hospites, Seu tute captivos habes.' Ne ambige quin primo versu scribendum,

creditos, ultimo vero *aves*, non *habes*. Stewech. *Propinquis omnibus inv.* ex conjectura Stewechii reposuere Wow. Scriv. Flor. In Mss. et Edd. vett. *hominibus*, perpetua confusione, quod hic non mutem. Vide Gruteri Susp. lib. IV. c. 2. *Oud.*

Quod ne jam] Pith. *qui*. Stewech. *quod ne an*. Wower. *quoniam:* ut *ne* ἐλλείπῃ. V. supra. *Idem.*

Hered. habebant] Id est, Havebant, avebant. Olim Habere et Avere, seu Havere, et Habitus pro Avitus, scriptum indiscriminatim. Seneca lib. VI. de Beneficiis: 'Huic pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cujus vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis, *Habe*, non nisi suo ordine emittitur?' Sic enim in scripto meo libro ibi etiam scriptum. Post vidi C. V. Jac. Cujacium Obser. lib. I. idem de hoc Senecæ loco sentire, quod ita etiam in Erasmi veteribus libris exaratus fuisset. Eamdem hujusce verbi scripturam idem maximus doctor sæpius Codici tam Theodosiano quam Justinianico restituit, nixus exemplis scriptorum aliquot veterum: quæ apud eum vide, lib. quem dixi cap. 15. et ad lib. III. Tit. 4. Sententiarum Jul. Pauli. Augustinus lib. de Musica: 'Habeo prorsus audire quid adferant:' id est, Aveo, desidero. *Colv.* Lipsii Elect. libro secundo, cap. 11. 'Quod ne jam ipsi h. havebant.' *Elmenh.* Wower. *jam habebant.* Accedo Lipsio, Colvio, et Stewechio legentibus *avebant*, i. e. cupiebant, inhiabant. Non enim credibile, eos jam tunc adiisse hereditatem. Frequens corruptio τοῦ *aveo* in *habeo*. V. P. Pithœi lib. II. Subsec. c. 11. Hering. Obs. c. 9. *Oud.*

Vispillonum] Accurate de hujus nominis varia scriptura et notione v. c. B. Brissonius lib. XIX. de Verb. Sign. et lib. I. De Solut. et Liberat. A quo qui aliter sentiunt, nihil sentiunt. *Colv.* Vespillones qui præsertim noctu ferebant. Martialis: 'Chirurgus fuerat, nunc est vespillo diaulus.' *Pyrrh.*

NUM. XX. *Sapientis viri*] De hac re Gellius; et Augustus ter tantum bibebat; et Ausonius in Grypho. *Idem.* Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.* Anacharsis dictum est apud Laërtium, lib. I. pag. 72. *Elmenh.*

Prima cratera, &c.] Vetus poëta apud Suidam in voce *οἶνος*: Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω Τοῖς εὐφρονοῦσι· τὸν μὲν ὑγιείας εἵνεκα, Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι· τὸν δὲ δεύτερον Ἔρωτος ἡδονῆς τε· τὸν τρίτον δ' ὕπνου· Ὃν ἐκπίνοντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι Οἴκαδε βαδίζουσ'· ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι Ἡμέτερός ἐστιν, ἀλλὰ ὕβρεως· ὁ δὲ Πέμπτος βοῆς· ἕκτος δὲ κώμων· ἕβδομος δ' Ἐπωπίων· ὁ δὲ ὄγδοος τοῦ κλήτορος· Ὁ δ' ἔννατος χολῆς· δέκατος δὲ, μανίας Ὡς ἐκβαλεῖν ποιεῖ. πολὺς γὰρ εἰς ἓν ἀγγεῖον Χυθεὶς ὑποσκελίζει τοὺς πεπωκότας. *Elmenh.*

Poëticæ commentum] Idem, *commentum*. Forte, *homectam*; id est, *humectam*. Sed aliud adhuc quæro commodius huic loco: nam non dubium mihi de corruptela. *Colv.* Locus difficilis in quo merito æstuavit Colv. Ms. *poëticæ connitam*. An, *conditam?* Sicut Lucret. 'Et quasi Musæo dulci contingere melle.' *Sciopp. in Symb.* Flor. *commatam*. Elmenhorstius. Exponit Burmann. 'in fabulis et fictionibus occupatam.' Floridus vertit 'fabulosam' vel 'inventricem,' aut 'excogitatricem:' putatque hunc saltem debere esse sensum, quæcunque hujus loci sit scriptura, citatque in hanc rem sic quoque Cuperus in Apoth. Hom. p. 57. At errare mihi videntur, et potius exprimi debere sapor vel qualitas alicujus liquoris, ut in seqq. 'limpidam,' 'dulcem,' 'austerulam,' 'nectaream.' Pith. *commentu*. V. D. e V. C. citat *comtam*. Fulv. *connitam*. Vide num *bammatam* scribi possit. Confer comment. ad Colum. l. XII. c. 34. et ad Nostri Met. l. II. p. 104. a. 'Embammatum pastu.'

'Commenta cratera,' alias erit 'ficta,' 'commentitia:' ut apud Ovid. 'commenta funera,' 'sacra.' Sicuti 'commentor' est inventor Solino p. 14. et Nostro in Apol. p. 84. Pric. ut leg. puto. *Oud.* Propria quidem poësi *commenta:* sed *cratera commenta* dici nequit. Audacter ex conjectura repono, *commixtam.* Quemadmodum mox *dulci* Musices crateræ, *austerula* Dialectices opponitur, sic h. l. *limpida* Geometricæ, *commixtæ* Poëtices: ut enim Geometrica nudam et evidentem veritatem tractat, ejusque igitur cratera est limpida, sic Poëseos, quæ in variis rebus adornandis et augendis occupata est, cratera merito ab Auctore *commixta* dicitur. Verbum *commiscere* sæpius usurpat Noster. Met. l. IV. p. 77. Pric. 'sese commiscent agminatim.' L. VI. p. 116. Pric. 'commixtis acervatim confusisque in unum grumulum.' De Deo Socr. p. 680. Flor. 'velut utrimque commixta sint.' *J. B.*

Xenocrates satyras] Lego, *Xenophanes.* Diog. Laërt. *Wower.* Quoniam hæc de Xenocrate non leguntur, non solum Casaubon. l. II. de Sat. poësi c. 3. p. 222. Wowerius, Menagius, aliique hic legunt *Xenophanes;* sed et pro *Satyras* Casaubonus cum Menagio explicant vel emendant *sillos,* Satyrarum genus, de quibus vide ad Diog. Laërt. l. IX. § 111. Cuper. ad Apoth. Hom. p. 64. Comm. ad Gell. III. 17. Amm. Marc. l. XXII. c. 16. 'sillographos imitatus auctores.' *Oud.*

Conatus in laude, &c.] Varro I. de Ling. Lat. 'Successum enim fortuna, experientiam laus sequitur.' *Brant.*

Ita ut circa in maleficiis, &c.] Scripsit Appuleius, *ita ut contra:* neque dubitandum, quin præ oculis habuerit divi Hadriani rescriptum, quod hodieque extat in l. Divus ff. ad legem Corneliam de Sicariis: 'in maleficiis voluntas spectatur, non exitus:' facit eodem et l. quisquis C. ad legem Juliam majestatis: et Juvenalis Sat. XIII. et inde post, quod Cicero pro Milone scripsit, 'interitus causam, non interitum spectari oportere.' Pro altera sententiæ parte stat Ovidianum istud: 'Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.' Itidem Appuleii hoc eodem libro: 'Sicut ad pœnam sufficit meditari punienda, sic et ad laudem satis est conari prædicanda.' *Stewech.* Etenim 'omnia scelera et ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt:' ut eleganter scribit Seneca lib. II. de tranquil. animi. *Brant.* Michaël Attaleata in Synopsi juris Græco-Romani f. 64. ἐν τοῖς ἐγκλήμασιν οὐ τὸ γεγονὸς, ἀλλ' ἡ διάθεσις σκοπεῖται. Maximus Tyrius diss. XI. pag. 19. ἀποδέχομαι τοῦ λόγου τῆς γνώμης τῷ ἡμαρτημένῳ προστιθέντος τὴν ἀδικίαν μᾶλλον ἢ τῷ ἐπιτυχεῖ τοῦ ἔργου. Καὶ γὰρ μοιχὸν κολάζει ὁ νόμος οὐ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν βουληθέντα· καὶ τοιχωρύχον τὸν ἐπιχειρήσαντα, κἂν μὴ λάθῃ δράσας· καὶ προδότην τὸν μελετήσαντα κἂν μὴ πράξῃ. Theologi distinguunt inter objectum, seu 'primum motum,' 'luctum,' 'assensum' et 'actum.' Balsamon Manuscriptus ad IV. Canonem concil. Neocæsariensis: ἐπὶ τῶν ἁμαρτημάτων τέσσαρας εἶναι βαθμοὺς οἱ ἅγιοι πατέρες φασίν· προσβολὴν, πάλην, συγκατάθεσιν, καὶ πρᾶξιν. ὧν τοι τῶν δύο τὰς πρώτας ἀνεπιτιμήτους εἶναι· τὰς δὲ μετ' αὐτὰς δύο ὑπὸ ἐπιτίμιον. οὔτε γὰρ ἡ προσβολὴ κρίνεται, οὔτε ἡ πάλη, ἐὰν τὴν προσβολὴν παραδεξάμενος ὁ λογισμὸς καὶ παλαίσας ἀπεπέμψατο τὸ ἐνθύμιον· ἡ δὲ συγκατάθεσις κρίνεται καὶ αἰτιᾶται, καὶ ἡ πρᾶξις κολάζεται. *Elmenh.*

Africæ Musa cælestis] Scripserim potius, *Africæ Musa, Cælestis.* De Cælesti Africæ numine multa vir doctissimus P. Pithœus Adversar. lib. I. cujus nomen latuit magnum suo ævo virum Lud. Vivem apud Augustinum lib. II. cap. 7. de Civit. Dei, ubi legimus: 'Veniebamus nos etiam adolescentes ad spectacula ludibriaque

sacrilegiorum: spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos ludis turpissimis qui Diis Deabusque exhibebantur, oblectabantur, Cælesti virgini, et Berecynthiæ matri Deorum.' Hæc *Οὐρανία* Græcis veteribus dicta. Herodotus: *ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν, παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων. καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίτεα, Πέρσαι δὲ Μίτραν.* Adi etiam Lipsii Epistol. Quæst. lib. v. cap. 22. *Colv.* Recte docet Floridus hic non respici ad Deam *Cœlestem*, (Africæ proprium numen, ut putat P. Pithœus Subs. lib. I. c. 4. et alii, de qua et J. Capitolinus agit. v. Casaubon. ad Pertinac. cap. 4. de templo Cœlestis, Ortel. Theatro ad Tab. Africæ, et maxime Herodian. lib. v. c. 6. et ibi Boucler. Illa enim est Venus, sive Juno, vel Cybele et Dea Syria, ut patet e lib. VI. Met. et lib. XI.) sed cum hic addatur *Musa*, intelligendam esse *Uraniam*, cujus meminit Ovid. in Fastis lib. v. vs. 55. quam hic facit ipsam Carthaginem ut magistram philosophorum, et Camænam eruditorum. *Oud.*

NUM. XXI. *Carpento*] Carro, quod a Carmenta quidam dictum volunt. Ovid. 'Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.' *Pyrrh.*

Omn. qui vol. devitari, &c.] Impedimenta varia, molestias gravissimas recensuit, quas sentire solent illi quicunque carpento iter conficiunt, quæ quidem omnia devitare volentes, equo vehi malle ostendit: locus mihi constituendus videbatur, *Hisce ig. m. omnibus qui nolunt deviari*, vel, quod verius autumo, *debitare*, hoc est, a recta via deduci, deflectere. 'Viare,' 'transviare,' 'deviare' usitata fuisse Lucilio, Afranio, Lucretio, et Plinio, sat notum est; pariter, 'Bitere,' 'betere,' et 'bitare' Antiquis idem fuisse, quod nobis ire, non ignorant qui vel pedem in studiis humanitatis posuere. Meminit enim Nonius in 'Betere,' in 'perbitere:' et ab eodem verbo Festo dicti 'Bitienses,' peregrinantes, quod jam ante monui. Corrigo Nonium: 'providere' ait 'movere et ferre:' lego, *probitere movere, efferre:* et ibidem in versu Pacuvii, pro 'provideam gradum,' repono *probitem gradum.* Stewech. Illud *devitari*, vel *devitare*, non satis mihi placet. *Colv.* Scripserim, *qui nolunt divexari*, vel *devexari* et *deviare*, quod Gallis hodieque est *desvoyer.* Brantius. Flor. *devitare.* Elmenh. Pith. *devitatum. Moramentis qui volunt devitari* Latina non esse recte monent Viri Docti. Sensus est: qui volunt carere, vel devacare, his moris. In Florent. Lips. est *devitare.* Hinc maxime placet Stewechii et Brantii conjectura, *qui nolunt deviare*, i. e. a via ob illa moramenta, deflectere. Auson. Prof. v. in f. 'Errore deviantis filiæ:' vel altera Stewechii divinatio *debitare* seu *debitere* eodem sensu. Vide eum et statim Colvium de *rebitare*, ac me ad Met. lib. II. p. 130. a. 'subitare.' Florid. *qui volunt deviare*, sc. ab his moris. Sed nec hoc Latinum reor. *Oud.*

Qui campos c. gr. p. uno] Pessime vulgatus hic ante locus, *qui campos collesque gradu perlabitur. Immo, ut ait Lucillius.* E scripto codice nostra emendatio est. Sed et Lucas Fruterius, patriæ nostræ spes magna, olim in Verisimilibus suis non aliter hunc versum Lucillianum scribendum arbitratus est. Videtur autem Lucillius lib. XIV., seu XV. ut apud Gellium est, descripsisse virtutes equi præstantioris: cujus eam in rem locos aliquot, singulatim Grammaticis veteribus laudatos, hunc in modum continuatim scriptos fuisse fortassis verisimiliter arbitror: 'Ipse equus non formosus, gradarius, optimus vector, Qui colles camposque gradu perlabitur uno, Quem neque Lucanis oriundi montibus Tauri Ducere protelo validis cervicibus possunt. Hunc,

milli passum qui vicerit atque duobus, Campanus sonipes subcursor nullus sequetur Majore spatio; ac diversus videbitur ire.' *Colv.*

Honoris ejus gr.] Agellius lib. II. c. 2. Lipsius Elect. I. 13. *Elmenh.*

Relevant gradum] Vide quam apte describat equitationem. *Pyrrh.*

In pedes desiliunt] Honor olim, inter alios etiam, obvio facto magistratui exhibitus, equo aut curru descendere: de quo studiose et erudite Elect. lib. I. Lipsius. Fugit tamen illum notare locum illustrem hanc in rem Arnobii lib. VII. 'Ut si quispiam, viso potentissimi nominis atque auctoritatis viro, via decedat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat: tum deinde salutet, acclivis ancillæ aut servi pavibundas trepidationes imitatus.' *Colc.* Hunc honorem clericis exhibere laicos voluit Concil. Matisconense II. Can. 15. 'Statuimus ut si quis quempiam clericorum honoratorum in itinere obviam habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris veneranter (sicut condecet Christianum) illi colla subdat, prout is officia et obsequia fidelissima Christianitatis jure promeruit. Et siquidem ille secularis equo vehitur, clericusque similiter, secularis galerum de capite auferat et clerico sinceræ salutationis munus adhibeat. Si vero clericus pedes graditur et secularis vehitur equo, ilico ad terram defluat, et debitum honorem prædicto clerico sinceræ charitatis exhibeat.' *Elmenh.*

Adeunt, auscultant] Quid *auscultandi* verbum huic loco faciat, dico quod sentio, perspicere nondum potui. Beroaldus reposuit, *adeunt, ac salutant:* amicus noster alibi laudavit, *adeunt, ac salutant:* perbene ad sententiam: quæro tamen ex iis ipsis, quæro ex te, sitne verosimilior conjectura nostra, *adeunt ausculantur:* idque sic fieri solere in adeundo, excipiendo hospite, &c. plus satis jam antea nobis ostensum est: tum contendo in verbis subsequentibus Appuleianum fuisse *quippiam perscitetur.* Redeundum ad *auscultandi* vocem usurpatam Veteribus, pro *Osculandi*, teste Pompeio Festo: imo a contrario, *Osculanam pugnam* nominasse, pro *Ausculana*, idem quoque memoriæ prodidit. Itidem antiquitus *V* pro *Au* placuisse testes nummi, lapides, et libri manuscripti. *Stewech.*

NUM. XXII. Aliud fragmentum. *Sciopp. in Symb.*

Crates ut Lar familiaris] Ita hæc transposui. Vide Laërtium lib. VI. p. 420. Suidam in Κράτης. *Elmenh.*

Quod Herculem] Alludit ad Herculis Gallicani historiam, quam ex Luciano Erasmus præceptor meus et Budæus Galliæ doctissimus Latinam fecere. *Pyrrh.* Sic Antisthenes multa se ad exemplum Herculis facere persuadebat, ut scribit Diogenes: et familiæ Cynicæ sectatores Herculis sese imitatores jactant apud Lucianum, Βίων πράσει. *Colv.*

Inter proc. Th. num.] Ut qui ab Alexandro Magno genus ducere diceretur: auctor Laërtius. *Colv.*

Lectum genus] Nota de genere primario, sive honesto, et nobili. *Oud.*

Bene prædiatus] Sive prædia ampla possidens. Si tamen Mss. addicerent, accedere mallem Salmasio, ad Vopisci Aurelian. c. 35. p. 508. et Solin. p. 892. rescribenti *præditus*, i. e. instructus, dives. In Mart. tamen Capella Deus vocatur *Prædiatus*, cum Gl. Ms. *dives*, p. 16. et in Ms. Vossiano *prædiatus hereditarius Quirinus.* Idem.

Omnia fluxa infimaque, &c.] Sententiam quære; videbis oportere scribi, *infirmaque esse:* et mox, *ad bene vivendum nequicquam esse.* Ennius apud Ciceronem: 'qui sibi ipsi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit.' Virgil. IV. Æn. 'Adspicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques, Nequicquam horremus?' Ovid. I. Metam. 'Nequicquam Deus abscidit ter-

ram:' videndus Festus. *Stewech.*

Carchesio] Summa parte navis, inde Carchesium poculi genus. *Pyrrh.*

Medici cum intraverint, &c.] Eust. de præpar. Evang. l. VIII. c. 5. f. 228. ὅσοι δὲ νόθου παιδείας ἐπεμελήθησαν, οὐδὲ τοὺς ἰατροὺς ἐμιμήσαντο, τὸ δοῦλον ψυχῆς σῶμα θεραπεύοντας, οἱ τὴν δέσποιναν ἐπιφάσκοντες ἰᾶσθαι· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ, ἐπειδάν τις εὐτυχὴς νοσήσῃ, κἂν ὁ μέγας ᾖ βασιλεὺς, πάνθ' ὑπερβάντες τὰ περίστωα, τοὺς ἀνδρῶνας, τὰς γυναικωνίτιδας, γραφὰς, ἄργυρον, χρυσὸν, ἄσημον, ἐπίσημον, ἐκπωμάτων ἢ ὑφασμάτων πλῆθος, τὸν ἄλλον τῶν βασιλέων ἀοίδιμον κόσμον, ἔτι δὲ τὸν οἰκετικὸν ὄχλον καὶ τῶν φίλων ἢ συγγενῶν ὑπηκόων τῶν ἐν τέλει θεραπείαν ἄξαντες, τῶν σωματοφυλάκων, ἄχρι τῆς εὐνῆς ἀφικόμενοι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸ τὸ σῶμα ἀλογήσαντες, οὐθ' ὅτι κλῖναι λιθοκόλλητοι καὶ ὁλόχρυσοι θαυμάσαντες, οὐθ' ὅτι ἀραχνοϋφεῖς ἢ λίθῳ γεγραφημέναι στρωμναὶ, οὐθ' ὅτι ἐσθημέναι ἰδέαι διάφοροι· προσέτι δὲ τὰς περὶ αὐτὸν χλαίνας ἀπαμφιέσαντες ἅπτονται χειρῶν, καὶ τὰς φλέβας προσπιεζοῦντες, ἀκριβοῦσι τοὺς παλμοὺς, εἰ σωτήριοι· πολλάκις δὲ καὶ τοὺς χιτῶνας ἀναστείλαντες, εἰ περιπληθής ἐσθ' ἡ γαστὴρ ἐξετάζουσιν, εἰ πεπυρωμένος ὁ θώραξ, εἰ ἄτακτα ἡ καρδία πηδᾷ· κἄπειτα τὴν οἰκείαν προσφέρουσι θεραπείαν. *Elmenh.*

Tabulina perpulcra] Ait hic Becichemus: 'Sunt codd. qui habent *tabulæ marmoreæ*, s. quæ incrustationes dicuntur: quod magis placet.' Hæc non intelligo. Videtur voluisse *tabulas marmoreas*: et sane *tabulina*, de quibus vel *tablinis* v. Fest. Plin. lib. XXXI. 2. Non. in v. 'Cortes,' p. 83. hic locum non habere videntur. De incrustatione marmorea et aurea vide comment. VV. DD. ad l. v. Met. init. 'totique parietes solidati massis aureis.' Eleganter Lucan. lib. x. 114. 'Nec summis crustata domus sectisque nitebat Marmoribus.' *Oud.*

Ægrum jubet uti] V. de hac locutione ad Auson. in Adv. pag. 14. *Idem.*

Nec in ea re] Vult concludere majorem esse philosophiæ quam divitiarum thesaurum. *Pyrrh.*

Efficit conditione] Æger ille nihil proficit, nihilque quod volupe est, præstare sibi potest conditione sua, scil. fortuna beata et divitiis. *Oud.*

NUM. XXIII. *Bono per. per. fac.*] Lucilius, 'cujus si in periculo feceris periculum.' Vide Agel. Noct. lib. XII. cap. 9. *Brant.*

P. re probata med. s. d. incogitata] Vulgo, *dicturus incognita.* Elmenh. Construe: 'Postquam meditata re probata dicturus sum incogitata.' *Burm.* Sic quidem edidit Vulcan. et seqq. plerique; exstatque in Mss. cunctis. Antea una voce legebatur *reprobata*, ut et *incognita*: quod et remansit in Ed. Floridi, qui bene monuit hic hiulcam esse sententiam, adeoque legit *cum post.* Non male. Præferrem tamen ego delere τὰ *quam* et *sum.* Dicit Auctor: Faciam periculum, dicturus incogitata seu frivola verba post verba meditata, probata re sive per ipsam rem, i. e. graviora. Edd. Vulc et Scal. *ducturus*, operarum vitio. *incogitatam* Ms. Bened. Ms. Lips. *sunt.* *Post* sic abiit quoque in *postquam* initio l. I. Metam. *Oud.*

Ut ait Lucilius] Ad Lucillianum hoc etiam respexit Petronius Arbiter: 'Sed ne me putes improbasse schedium Lucillianæ humilitatis; quod sentio, et ipse carmine effingam.' Scheda sive schedium, id est, scriptum inemendatum, inconditum, rude. Isidorus Origin. lib. VI. 'Scheda est, quod adhuc emendatur et necdum in libris redactum est.' Sidonius Apollinaris Epist. lib. IX. 'Si quod schedium temere jacens chartulis putribus ac veternosis continebatur, raptim coactimque translator festinus exscripsi.' *Colv.*

Repentinus] Αὐτοσχέδιος. *Elmenh.*

§ 2 *Vela nostra summare, &c.*] Paulo ante favorem publicum et omen cap-

tavit allusione ad formulam antiquam 'Favete linguis:' de qua nos alibi: nunc poëtica mimesi translationem non inelegantem a re navali sumptam huic scripto suo applicat, in qua legi debere putabam, *et auram immittere.* Vela summare et legere, seu deducere vela, opponebantur: dixere quoque posteriori ævo 'calare vela,' ut ad Vegetium docui. A *summandi* verbo *summatum*, τὴν ἀριστείαν Lucretius formabat. Caperata porro vela imitatione Plauti vocavit, qui frontem rugosam, caperatam nuncupabat, et pariter cum eo parens Latini sermonis M. Terentius Varro. 'Secundare,' 'prosperare,' alia multa similiter declinata reperire est apud Nonium. *Stewech.* *Vela nostra sinuare.* Sic hunc locum ex Cl. V. Jac. Cujacii libro veteri emendavit eruditissimus P. Pithœus, Subsec. lib. II. Vulgo, *vela n. summare.* Colvius. Excerpt. Batavica, *Vela nostra sinuare etiam pendere, mittere ne pendula et flaccida.* Florentin. *vela nostra sinuare etiam remittere.* Aldus *vela nostra sumere et jam immittere.* Romanus *vela nostra summa et jam immittere.* Unde recte Stewech. *Vela nostra summare et auram immittere.* Elmenhorst. *Vela nostra sinuare et immittere, ne pendula et flaccida, neve restricta et caperata sint.* Ita omnino hunc locum legendum esse duco, Latinissime et optimo sensu. Ait Auctor, orationem suam navigio comparans, ut Cicero aliique: Potestis vos meam mentem vocemque vestra inpulsione et favore ita intendere, ut non langueat et flaccida sit, sed et simul mihi vestra lenitate et facilitate liberum dicendi æquor dare, velis ingenii immissis et, quasi pede funium remisso, laxatis, ne constringatur in artum oratio, vel rugosi et caperati supercilii notas præ se ferat. Jam singula videamus. Pro *sinuare*, quod est in Mss. cunctis, habet Ed. Rom. *summa.* Vic. Ven. *sumere*, et hinc Ald. Junt. Bas. *summare*: quod perperam probarunt Stewech. et Elmenh. immo edidit Floridus, qui ait ei contrarium esse *deducere*, idque idem esse, quod *legere.* Ineptissime: sed bonus vir forsan non viderat maritima navigia; in quibus, uti nec hodie, non attollebant vela, ut ea expanderent, sed antennis demissis *deducebant*: cui contrarium est *legere* et *contrahere.* Consule Cl. Burman. ad Ovid. Met. III. 663. et quos laudavi ad Lucan. II. 697. 'Strictaque pendentes deducunt carbasa nautæ.' Ovid. Met. XI. 476. 'Cornua qui summa locat arbore, totaque malo Carbasa deducit, venientesque excipit auras.' Apud Hirt. B. Alex. cap. 45. 'Vela subduci et demitti antennas jussit:' scil. contracta in altum tolli et tum antennis demissis deduci, et expandi jussit. Adhæc *summare* non est Latinum verbum: præterea non sunt ἀντίθετα 'summare' et 'pendula flaccidaque esse:' at quidem 'sinuare;' quod fit cum ventus ita tendit velum, ut sinum faciat et incurvet, ubi hæc vox est frequens, et 'Sinuosa vela' Ovid. Met. VIII. 23. 'sinuatæ undæ' ibid. XI. 553. Bene ergo ita rescribendum docuit P. Pithœus. *Oud.*

Ut cum omn. &c.] Diogenes Laërtius lib. II. Ἐρωτηθεὶς τί αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη, τὸ δύνασθαι πᾶσι θαῤῥούντως ὁμιλεῖν. *Colv.*

Conniventibus ad regulam lineis] I. e. æqualiter respondentibus, ut solent inter se oculorum palpebræ: quare omnino accedo Scriverio, qui ita edidit. Gell. l. XVI. c. 3. 'cava ventris contrahuntur et connivent:' id. lib. XVII. c. 11. 'claustra quædam mobilia, conniventia vicissim et resurgentia.' In Mss. plerisque et Edd. reliquis *cohibentibus* ex frequenti corruptione τοῦ V in B. *Coire* in eadem re dixit Auson. de Viro bono vs. 11. In Cod. Flor. *conibentibus.* In Voss. *conhibentibus.* Putean. *conivcntibus.* Leid. *conniventibus.* Harlem. *convenientibus*

e Glossa. In Bened. *cohibente*. *Oud.*

§ 3 *Quod Corvo suo, &c.*] Tzetzes Chil. x. Hist. 352. p. 198. *Elmenh.*

Eamque raptam festinabant] Scribo, *raptum festinabant*. Sallust. III. Hist. 'Ultroque licentiam in vos auctum, atque adjutum properatis:' deinde observo festinandi verbum ad corpus recte hic relatum, cum *properare* dicamur animo: ut auctor Nonius, quem sequor, dissentiente Agellio, lib. XVI. cap. 14. *Stewech.* *Raptum* reposui præter consensum omnium editionum, in quibus est *raptam fest.* et idem postea vidi etiam sensisse Dousam nostrum, et God. Stewechium. *Colv.* Recte Dousa, Stewech. Groslot. Colv. et seqq. hunc locum correxerunt, expresseruntque. Consentiunt enim Mss. atque hinc patet veritas meæ correctionis l. VI. Met. p. 119. Pric. 'arreptam completum aqua festinat.' *Oud.*

Sed impari] Et hanc particulam *sed* ex eodem Ms. [Thuano] adjeci. *Florid.* Nullo judicio. Ea vocula elegantius omittitur; sed sæpe a librariis inculcata est. Vide ad Met. lib. VIII. p. 532. b. Et ita Noster sæpissime. Ex. gr. N. 20. 'cruenta manu, pura mente:' ubi facile *sed* addi posset: de Dogm. Plat. p. 580. Flor. 'tempus movetur, perennitas fixa natura est.' *Oud.*

§ 4 *Viduata delicie facundi Dei*] Vulg. *deliciæ*. Unde etiam scribi poterat *delicia*. Utrumque enim repperimus. Recte emendat P. Pithœus Apol. I. 'Et Critias, mea delicies.' Solinus Memorabilium cap. 48. 'Et Senatui placuit adeo odorum delicia, ut ea etiam in pœnalibus tenebris uteretur.' Plautus Rudente: 'Otium ubi erit, tum tibi operam ludo et delicias dabo.' Alibi; 'O me voluptas, O me delicia.' Sic dominis suis, conjugibus Veteres blandiebantur. Truculento: 'PH. At ego ad te ibam; STR. Ad me, delicia?' Lapis Beneventi: 'P. Martius. P. L. Philodamus tector. sibi. suisque. hic. jucunda. sepulta. est. delicia. ejus.' *Colv.* Excerpt. Batav. *delicie*. Elmenh. Corrupte: sed recte antiquus Cod. *viduata voce, delicia facundi Dei*. Wower. *Delicie* est in Leid. Voss. et aliis Codd. de more. Fulv. *deliciæ*: quod recepit Wow. et conjecerat Colv. Sed non opus est mutare hunc casum, si subponamus eum regi a *viduatus*; id enim participium alibi junxit Auctor quoque cum Genitivo. Vide ad Met. l. III. p. 210. b. 'præsentium viduata.' Tunc autem per *deliciam* intelligit *vocem*, qua facundus Deus delectatur; imo hoc sensu videtur sumsisse Wower. Verum Mss. reliqui, ni fallor, habent *voce viduata, deliciæ f. d.* ut *deliciæ* vocetur ipse corvus. V. Colv. et Passerat. aliosque ad Propert. IV. 2. 25. 'Deliciæque meæ, Latris cui nomen ab usu:' atque ita P. Pithœus l. II. Subs. 10. et edidere Scalig. Elmenh. et seqq. Mihi tamen magis placet *voce viduata, delicie* seu *delicia*, ut apud Plautum aliosque. V. Merc. ad Nonium p. 119. *Oud.*

NUM. XXIV. *Jamdudum*] Hoc esse principium diatribæ de Deo Socratis monuit dudum doctissimus Pithœus in Adversariis, veteres codd. secutus, quibuscum consentiunt duo ex iis quos ante annos XL. contulimus; unus maximi Cujacii, optimæ notæ; alter humanissimi et candidissimi Nicolai Fabri, longe is quidem deterior. Nam in aliis duobus Cujacianis (quorum alter paulo recentior priori, sed ex optimo exemplari descriptus, tertius multo recentior at minus emendatus) comparebant etiam illa omnia quæ in vulgatis editionibus, de excusatione extemporaneæ dictionis, et Apologo vulpis, ab illis verbis: 'Qui me voluistis dicere ex tempore,' usque ad ista, 'Corvus ut se vocalem probaret, groccire adortus, præda quam ore gestabat inductricem compotivit.' Nisi quod in secundo post hæc verba insertum est: 'Explicit prologus; de Deo Socratis tractatus incipit.' Ego eos libros secutus facile adsen-

tior viris doctis, qui illa omnia rejecerunt in Floridorum libros, qui omnes similibus μελέταις constant. Nam ea sane nihil huc facere vel quæ sequuntur indicant, nihil ante hæc fuisse nisi Græcam orationem eadem die in eodem auditorio habitam a Nostro; credo, in auditorio Carthaginensi, in quo sæpius et Græce et Latine exercuisse se Appuleium ipse testatur in iis quæ vulgo publicata sub titulo Floridi quarti. Sed quod iidem etiam istud principium, *Jamdudum scio, &c.* rejiciunt in eosdem Floridorum libros, non mihi persuadent contra libros omnes: nec me movent tres illi elenchi ab iis propositi: primus, quid attinuerit ea Græce narrare, quæ divina majestate verborum a Platone tradita: alter, qui dicat, 'quæstionis hujus media tenemus;' quam postea ab ipso capite deducit: tertius, quæ desultoria adloquentis oratio, ut jam apud plures sermocinetur, mox ad unum orationem convertat. Nam videtur Appuleius in oratione Græca proposuisse quæstionem, quid et quale esset Socratis dæmonium, et varias de eo Veterum opiniones recensuisse, quorum alii ὄψιν θεοῦ, quidam φωνῆς τινὸς αἴσθησιν, aut λόγου νόησιν, aut πληγὴν τῆς ψυχῆς, nonnulli etiam κληδόνα aut πταρμὸν, alii aliud quid fuisse dicerent, ut videre est apud Plutarchum in libro ejusdem tituli: quæ omnia fuse, ut solet, exposita et deducta in ea Græca oratione, additis argumentorum, sententiarum, et exemplorum luminibus; deinde in Latina decisionem ejus quæstionis aggressus similibus pigmentis illustravit, ut et vere dicat quæstionis mediam partem explicitam sermone Græco, et illa ab aliis omnibus auctoribus appareat eum habere potius quam a Platone, qui sane si disertim explicasset quale fuisset τὸ τοῦ Σωκράτους δαιμόνιον, non reliquisset disceptandum sequentis ævi philosophis. In ea parte orationis fuerat quod sibi dictum prius memorat, nonnullos arbitrari εὐδαίμονας dici beatos, quorum dæmon bonus, id est animus virtute perfectus est. Atque ita satisfactum sit duobus primis elenchis. Tertii vix ratio habenda est, quum ex ipsa serie libri appareat, non minus ipsam dissertationem habitam ad plures, quam istam præfatiunculam: vel illa indicio sunt, quæ in media diatriba: 'Versum Græcum, si paullisper opperiamini, Latine enuntiabo.' Et postea: 'Vos omnes qui hanc Platonis divinam sententiam me interprete auscultatis.' Item: 'Credo plerosque vestrum quod modo dixi cunctantius credere.' Et quod in fine ad unum videtur orationem convertere: 'Quin ergo et tu ad studium sapientiæ ingenii velis properas?' non magis adstruunt uni dicta, quam illa quæ paullo ante: 'Noli illa aliena æstimare, sed ipsum hominem penitus considera:' quæ dum unum tangere videntur, dicuntur omnibus. Hoc certe ex tota orationis serie patet, habitam illam in auditorio, et habitam, vel dici visam ex tempore, ut illa quæ modo attuli de interpretatione versus Homerici pervincunt. Quæ caussa fuit, cur illa μελέτη, 'Qui me voluistis dicere ex tempore,' huic accusa sit a veteribus criticis, qui videntur digessisse in quatuor libros Floridorum rhapsodias illas, sive partes declamationum Appuleii, et separatim altero volumine extemporaneas collegisse, quarum prima illa, 'Qui me voluistis dicere ex tempore,' usque ad finem Apologi; altera hæc diatriba de Deo Socratis. *Jos. Mercerus.* Hæc nihil commune habere cum præcedentibus docent Mss. Florent. Thuan. Voss. Harlem. &c. qui diserte separant, quasi hæc sit prolocutio ad librum de Deo Socratis. Veram puto doct. Merceri sententiam, qui cum P. Pithœo lib. II. Subsec. c. 10. censet, principium esse diatribæ Latinæ de Deo

Socratis, et antea Auctorem Græce multa declamasse de aliorum sententiis circa illum dæmonium. Interim tamen eos sequor, qui statuunt, diversum hoc esse fragmentum quoque ex alia oratione, et Floridis idcirco adnectunt. *Oud.*

Vobis diversa petentibus] Puteani excerpta et Brem. *nobis diversa tendentibus.* In Rom. et Ald. hic desunt tres versus integri. *Elmenh.* *Tendentibus* exhibendum cum Mercero et Cont. auctoritate Mss. tantum non omnium, certe Florent. Voss. Harlem. Thuan. Brem. Cantabr. duorum, Mercer. &c. pro vulgato *petentibus:* cum statim sequatur *petebatis.* *Tendere* enim proprium de iis, qui certatim quadam de re contendunt, ut obvium est. In Catal. Burm. p. 136. legendum: 'licet improbe tendas Æmula regna meis:' de Mundo pag. 731. Flor. 'naturarum ad diversa tendentium:' ubi vide. Idem plane eodem modo lib. II. Met. p. 66. Pric. 'populus æstuat, diversa tendentes.' Lib. VI. 'Sic nos diversa tendentes.' Apud Sueton. in Galba c. 19. 'qui multifariam diverseque tendebant.' Haud dissimiliter Mercerus legit in Septim. lib. I. c. 21. de B. Tr. 'Menelaus metu atque hæsitatione agebatur diversa:' ubi vulgo *in diversa.* Sed rectius Voss. et V. L. Periz. cum Obrechto habet *diversus agebatur.* Pro *vobis* male Leid. Harlem. Vulc. Brem. Put. *nobis.* Oud.

DE DEO SOCRATIS LIBER.

De Deo Socratis] Loca Augustini, Servii, aliorumque a Viris Doctis citata, [vid. VV. LL.] Lector edita inveniet inter veterum auctorum de Appuleio ejusque scriptis testimonia, ad calcem hujus Edit. De Deo Socratis præter citatos auctores egerunt inter recentiores Meiners. in Op. Miscell. (*Vermischte Schriften*) tom. III. Et post eum Tidemann. *Geist der Spekulativen Philosophie* tom. II. p. 17. *J. Bosscha.*

* PAG. 664. Ed. Flor. *Plato omnem, &c.*] Ad ejus Timæum. *Colv.* Nusquam hoc expresse invenias in Platone, qui in Timæo τέτταρας ἰδέας ζώων facit, μίαν μὲν οὐράνιον θεῶν γένος· ἄλλην δὲ πτηνὴν καὶ ἀεροπόρον· τρίτην δὲ, ἔνυδρον εἶδος. πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τέταρτον. Unde Noster in libro de dogmate Platonis: 'Jam ipsa animantium genera in quatuor species dividuntur:' ita enim recte omnes libri vett. quamvis in iis quatuor enarrandis diversus abit ab ipso Platone: de quo alibi. Sed hic prorsus alia divisio est, non omnium animalium, sed τῶν λογικῶν solummodo, non etiam τῶν ἀλόγων: quæ dividi ait a Platone in deos, dæmonas, et homines. Itaque quod in omnibus editis et scriptis libris habetur, *quod ejus ad animalia præcipue pertineat*, omnino rescribendum est, *præcipua*. Animalia præcipua sunt præcipuæ dignitatis; ut paullo post 'præcipua lumina' vocat Solem et Lunam. Stoici dicunt τὰ προηγούμενα: quod frequentissimum in Arriani Epicteto: πολίτης εἶ τοῦ κόσμου, καὶ μέρος αὐτοῦ, οὐχ' ἓν τῶν ὑπηρετικῶν, ἀλλὰ τῶν προηγουμένων. *Merc.*

Censuitque summos Deos, &c.] Parum abest quin reponam, *censuitque secundum Deos.* Tres namque gradus Deorum post recenset, et totidem ex Platone auctor commemoravit libro suo de dogmate Platonis: unum summum, incorporeum, patrem, et orbis architectum: 2. loco, cœlicolas; tertio medioximos, quos Semones, et minorum gentium Deos nuncupatos, supra diximus. *Stewech.* Ms. *censuit esse.* Gradus Deorum tres constituit ex dispositione locorum. Hoc non facile ex his verbis elicias, nisi scripseris: *censuitque esse Deos secundum summum, medium, et infimum.* Wower. Stewech. *censuitque e. secundum Deos.* Recte. *Elmenh. Censuitque esse summos Deos.* Ita scribendum et distinguendum monuimus [in Præf.]: quæ alia tentabant viri docti, nollem factum. *Merc.* Conjecturam Wowerii in textum dein omnes recepere, licet mihi videatur intricatissima. Videtur *secundum* hic notare 'post,' 'summo proximum.' Ante edebatur *censuitque summos Deos summum, &c.* Hinc Stewech. conjecit, probante Elmenh. *censuitque secundum Deos,* non addita etiam explicatione. An significabit tum 'quod ad Deos,' vel potius, 'post Deos animalia esse summum,' &c. Cic. de Off. II. 3. 'Proxime autem et secundum Deos, homines.' Liv. XXXVI. 17. 'Omne humanum genus secundum Deos nomen Romanum veneretur.' Gell. lib. V. cap. 13. 'secundum eos proximum locum clientes habere.' Veg. lib. II. cap. 5. 'Majestatem Imperatoris quæ secundum

* Hinc nempe ad finem usque Apuleii Operum paginas ed. Flor. inter uncinos inclusimus.

Deum generi humano est colenda:' de Phil. Mor. init. 'Prima bona esse Deum summum, mentemque, &c. secundum ea,' &c. Jos. Mercer. modo distinctione sanari putat locum *censuitque esse summos deos : summum, medium et infimum fac. int. &c.* ut et Vulcan. in margine conjecit. In Mss. Harlem. Fulv. duobus Lindenb. Cantabr. Voss. scribitur *censuitque esse summos, &c.* Fuitne *existimandos* vel *esse sumendos*, vel potius *censuitque ea, ut suos Deos, summ.* Nam Plato in Timæo tam tria Deorum genera, quam tria animantium rationalium genera statuit, et in tres tales species divisit. Clare id docet Auctor de dogm. Plat. p. 583. Ed. Flor. Hic præcipue aget de animantium generibus. Contra Mss. plerosque carent *τῷ et* Edd. Vulc. Scal. Wower. *Oud.* In nullo Ms. videtur esse *τὸ secundum*: aliter commode legi posset *censuitque esse* (sc. omnem naturam) *secundum Deos summam, mediam et infimam,* hoc sensu: quemadmodum Deorum natura est summa, media et infima, ita omnis quod ejus ad animalia præcipue pertineat. *J. B.*

Esse Deos secundum summum, medium et inf.] Ita negligenter edi passi sumus: quum vellemus aut Mstorum lectionem exhibere *esse summos Deos, summum, medium et infimum,* aut conjecturam, in Nota propositam. *Idem in Addend.*

Fac int. modo loci discl.] Lautitia sermonis, *fac intelligas:* sed hanc et similes non animadvertit, puto, qui iniquam de hoc scriptore sententiam tulit. Itidem in fragmento veteris Senatusconsulti: 'Qui ex H. L. condemnatus erit prædes facito det: de consilii majoris partis sententia.' Similia in Plauti fabulis Pseudolo et Merca. 'facito in aqua jaceant:' uxori facito ut nunties:' simile et in P. Lentuli literis ad Catilinam datis apud Sallustium: 'Fac cogites' (inquit) 'in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse.' Mirum ni et Plauto quondam ea phrasis fuerit Trinummo, 'Stasime facite propere celerem, recipe te ad dominum domum.' Scribebam, *facete propere celeres.* De prædicto loquendi modo observavit et Charisius lib. III. Institut. cap. de confosis. Redeamus jam ad illud Appuleii: 'modo loci disclusione: verum etiam naturæ dignitate.' Illud, *modo*, ab Auctore ipso non arbitror manasse, sed incuria repetitum, ex linea proxime sequenti. *Non* pro *non modo* Ciceronem, Plautum, Frontinum, Jureconsultos nostros libenter usurpasse phrasi Græca, pluribus jam olim locis observavi, atqui scriptor hic Milesiarum frequenter utrumque supprimit: quod etsi vix tanti est, ostendendum tamen confirmandæ superioris conjecturæ, libro primo de asino: 'locio perlitus, quasi recens utero matris editus, imo semimortuus: verum etiam ipse mihi supervivens et posthumus.' Iterum lib. VI. 'Ego' (ait) 'simul voluntariæ fugæ voto, ei liberandæ virginis studio: sed et plagarum suasu, quæ me sæpicule commonebant.' Similiter et lib. X. 'Nam et galeam nitore permicantem et scutum ceteris longius lucens, sed etiam lanceam longissimo hastili conspicuam.' Iterum eod. lib. X. 'Tanta denique miseratione, tantaque indignatione curiam, sed et plebem mœrens inflammaverat.' Idem locutionis genus ex optimis membranis, quibus Coloniæ Melchioris Hittorpii, præstantissimi Theologi beneficio usus sum, retinendum suadeo in l. unica c. de reputationibus, quæ fiunt lib. II. 'Sed et cum minor adiit hæreditatem et restituitur, mox quicquid ad eum ex hæreditate pervenit, debet præstare: verum etiam,' &c. quæ duo extrema verba nimis audacter hinc alii rejiciunt: quemadmodum et in aliis constitutionibus, quod Deo volente alibi probabimus. Ob-

servavi nihilominus et alium locum, ubi similis ἀποκοπὴ in posteriori orationis membro: is apud Sallustium Catil. 'jam tum non consulibus modo:' (sed) 'plerisque senatoribus perniciem machinabantur.' τὸ *sed* in membranis D. Hutteri nullum est, quas ego sequor: nec sequerer, nisi alibi eximie bonas comperissem. *Stewech.*

Diis Imm. cœlum d.] Plato Timæo: μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος. *Merc.*

Deos cœl. intel.] Vide Heinsium ad Maxim. Tyr. pag. 139. *Elmenh.*

PAG. 665 *Corniculata*] Fest. Avien. 'Omnia certis Indiciis tibi Luna dabit, seu lucis utrinque Cæsa facem, seu cum teretem concrescit in orbem.' *Elmenh.*

Ignium face] Avienus in Arateis, citante Elmenh. supra, dixit 'de Luna lucis cæsa facem.' Noster de stellis in lib. de Mundo pag. 713. Ed. Flor. 'Illustribus facibus ignescunt:' ib. p. 733. 'siderum facibus.' Malim tamen si Mss. addicerent *facie*, ut Plin. l. II. 9. 'curvata in cornua facie.' V. ad Met. l. c. Mox 'circumversio oris.' Passim Lunæ *facies* ejus φάσις dicitur. *Oud.*

Chaldæi] Non omnes sed Berosi sectam sequentes, ut bene monet Wower. Adi Comment. ad Lucret. v. 727. *Idem.*

Cassa fulg. pro conversione oris disc. multivagæ, pollens] Videndum dixeritne Appuleius, *multijuga, pallens* de coloribus, et prognosticis, quæ velut speculo orbis Lunæ ostendit, dicerem, ni ea late prosecutus essem apud Fl. Vegetium lib. ult. cap. 41. In eo quod subditur de Luna, 'ceu quodam speculo radiis Solis obsistit, et adversi usurpat, ut verbis Lucretii utar, ... notam jactat de corpore lucem:' hic, inquam, adulterinum puto τὸ *usurpat.* Stewech. Haud leviter hæc depravata, quæ eruditissimi viri variis modis restituere conati. Vera tamen videtur emendatio nostra: *parte altera cassa, fulgoris, pro circumversione oris, discoloris, multivaga, pollens.* Vel: *cassa fulgoris, circumversione oris discoloris multijuga pollens.* Per Chaldæos autem intelligit Berosum. Vitruvius lib. IX. c. 4. *Wower.* Bremens. *multivaga pollens:* alii *multijuga p.* Stewech. *m. pallens.* Vide eum ad Veget. lib. ult. c. 41. *Elmenh.* In tertio Cujaciano *orbis;* quod non est spernendum. Orbis est pila, quam Chaldæi Lunæ tribuebant. Lucret. lib. v. 'Versarique potest globus ut si forte pilai Dimidia ex parti candentis lumine tinctus Inde minutatim retro contorquet et aufert Luciferam partem glomeraminis atque pilai; Ut Babylonica Chaldæum doctrina fatetur, Astrologorum artem contra convincere tendit.' Et Vitruvius IX. 4. 'Berosus, qui a Chaldæorum civitate sive natione progressus in Asiam et disciplinam patefecit, ita est professus, pilam esse ex dimidia parte candentem, reliqua habere cæruleo colore.' Hoc est quod Noster proprium et perpetem candorem Lunæ tribuit ex Chaldæorum sententia, proprii candoris expertem ex Astrologorum Græcorum scitis. Diodorus tamen Siculus aliter de Chaldæis invenit in suis auctoribus, ex quibus l. II. Bibliothecæ scribit: ὅτι δὲ τὸ φῶς ἀλλότριον ἔχει, καὶ διότι τὰς ἐκλείψεις ποιεῖται διὰ τὸ σκίασμα τῆς γῆς, παραπλήσια λέγουσι τοῖς Ἕλλησι. Quod sequitur, *pollens*, vidi qui mutarent in *pallens*, vel *parilem:* mihi nihil mutandum videtur. *Merc.* Lambin. ad Lucret. loc. a Merc. cit. citat *palans.* J. Bosscha. Alteram Wowerii conjecturam tacite exhibuere Elmenh. et seqq. Verum Mss. et Edd. priores constanter habent *pro circumv.* unde idem Wow. etiam conjecit *cassa, fulgoris pro c. o. discoloris, multivaga, pollens.* Sed nihili est iste *fulgor discolor.* Stewech. et Lips. divinavere *multivaga pallens.* Et certe *multivaga* exstat in Mss. Brem. Leid. Edd.

Vett. item Vulc. Wow. Scriv. ut solent hæ voces passim variari. Nil tamen hic muta: *multijuga* notat enim multiformem. Adi ad Met. lib. VIII. pag. 525. a. Ideo etiam est *pollens*, quia pro conversione oris speciem sui variare potest. Scribe ergo vel *præ circumversione oris discoloris multijuga pollens speciem sui v.* vel *pro circ. oris discolor, multijuga, pollens sp. s. v.* Talem Isidis seu Lunæ pallam describit Auctor lib. XI. Met. V. Ampl. Cuperi Harpocr. pag. 76. Salmas. ad Solin. pag. 530. conjecit *multijuga pollæ speciem suæ*, ut *polla* sit pro pila σφαῖρα. Cras credam: unde et ridet id ad marginem Is. Vossius. In Bened. et Cujac. tert. *orbis.* Aldus bis repetit *oris.* Oud.

Solis obsistit] Deliciæ Musarum Jos. Scaliger feliciter corrigit, *Solis obstiti:* id est, obliqui, curvi. Festus: 'Obstitum obliquum.' Lucretius lib. IX. 'Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum, Omnia mendose fieri atque obstita necesse est.' Paulo post etiam idem Scaliger recte legit, *Pro situ et flexu et obstito circulorum.* Sed vide plura apud Pompeium ipsum. *Colv.* Emenda: *seu levi, ceu quodam speculo, radios solis obstiti vel adversi usurpat.* Wower. Vere et ingeniose Scaliger et Basil. 2. Mss. *s. obstitit.* Vulgatæ edd. *s. obsistit.* Elmenh. *Et adversi usurpat, ut verbis utar Lucr. &c.* Locus hic me diutius exercitum habuit, quem tandem sic emendandum putavi, *Solis obstiti et adversi: sive, ut verbis utar Lucretii, Notham jactat de corpore lucem.* Versus Lucretii e lib. V. ad quos respexit: 'Lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans, Sive suam proprio jactat de corpore lucem.' *Colv.*

Radios s. obstiti v. adv. usurpat] Egregia hæc est emendatio Scaligeri, quam sibi de more arripuit Wower. et edidit cum Mercer. Contur. et Scriver. *Radiis* constanter ex[illegible] in Mss. et Edd. Vett. quæ dant *obstitit* cum Mss. Florent. Cantabr. Voss. aliisque. *Obsistit* in Leid. et nonnullis aliis: unde Stewech. Colv. et Lambin. censebant τὸ *usurpat* esse adulterinum. Pro *vel*, quod bene restituit Vulcan. et cum Mss. habet Ed. Vicent. male Aldus Junt. et alii habent *et*. 'Obstitus Sol' est obliquus. Adi notas Colvii et Cerd. ad Virgil. Ecl. I. 17. *Oud.*

Notham] Lucret. lib. V. Observat. ad Arnob. l. II. fol. 46. *Elmenh.*

Utra harum] Et hic locus in omnibus libris editis et scribtis pessime habebat; omnes enim præferebant, *utraque*, quod non veritus sum mutare, sententia id pervincente. Retulit duas opiniones de Luna; Chaldæorum unam, quibus placuit Lunam proprio et perpetuo candore pro media parte pollere, ita ut parte dimidia luminis compos esset, parte altera cassa fulgoris; eamque pro multijuga conversione orbis discoloris speciem sui variare; alteram Græcorum, totam eam proprii candoris expertem, alienæ lucis indigam, sive denso, sive levi corpore (nam et hic philosophorum duplex sententia) radios Solis obliqui vel adversi ceu quodam speculo usurpare. Addit nunc, Utra harum vera sententia sit: nam hoc alias discutiendum, tamen numquam dubitatum nec Græcis nec Barbaris astrologis, quin et Luna et Sol dii sint. Sciunt docti sæpe in libris *utrumque* pro *utro, utramque* pro *utra* reperiri, tralatitio errore. Hæret adhuc idem mendum in altera Sallustii Oratione ad Cæsarem, quam male præponunt editiones; quum ea scribta sit post Pompeium victum, altera ante eam victoriam. 'Et scilicet id certatum esse utriusque vestrum imperio injuriæ uti fierent.' Scribendum, *utrius vestrum imperio injuriæ fierent.* Nam hoc ait, si malos consultores sequatur, qui Cæsarem ad prædam et vindictam

trahebant, testaturum, hoc unum certamen fuisse illi ac Pompeio, utri eorum tyrannidis et dominationis absolutæ, potestas daretur. Ut apud Tertullianum 'certamen malignitatis' est inter eum qui lædit primus, et eum qui læsus ulciscitur: locus vulgo corruptus est libro de Patientia: 'Ultio penes errorem solatium videtur doloris, penes veritatem certamen redarguitur malignitatis.' Ita enim legendum, non, ut vulgo, *certam*. Lege quæ præcedunt et quæ sequuntur; et agnosces, ita scribendum. *Merc.* *Utra harum vera sententia est* tacite edidit Floridus ex emendatione Jos. Merceri, explicantis, 'utravis harum opinionum vera sit.' Pithœus vero e Cujacii libro, quocum consentiunt Mss. O. et Colv. cum seqq. ediderunt *Utraque harum*: quod omnino falsum est, vel, *utraque enim*, ut divinarat quoque Colv. Sed in Edd. Vett. legas *utraque ex animarum vera.* Hinc vir doctus margini Ed. Junt. adlevit 'utra, quæram, harum v. sent. est.' Sed tum deberet esse *sit*. Malim ego *Utra quippini harum*, i. e. quippe una sive alterutra earum est vera, pro more Appuleii. Vide Stewech. ad Flor. N. VII. et me ad Met. lib. IV. pag. 290. a. In Codd. Cantabr. est *scientia*. Oud. Bene se habet emendatio Merceri. Sic Latini loquuntur *ut ut est*. Præcessit *sive... variat: seu... usurpat*. J. B.

Non fac. conjectaverit] Sic rursus exhibuit Floridus e conjectura, ut puto. Et sane sensus id requirit. Nemo enim Græcus aut Barbarus in gentibus dubitavit, quin Sol et Luna essent Dii, ut ipse statuit paulo ante App. et mox: 'neque quisquam non conjecerit,' i. e. omnes facile consenserunt Deos esse. In Mss. tamen nullis aut Edd. comparet τὸ *non*. At pro *conjectaverit* exaratur in membranis Florent. Cantabr. Harlem. Voss. Vulcan. Merc. (quem vide infra ad p. 673. Ed. Flor.) *cunctaverit*. Optime profecto, sed non intellectum præterquam Mercero ejusque exscriptori, licet Mercerum nusquam laudet, Conturio, quare in seqq. ejus rationem vix habebimus, nisi ubi erret: *cunctaverit*, i. e. dubitans deliberaverit, sed scilicet sine ulla hæsitatione crediderit Deos esse. Hoc enim notat sæpe *cunctari*. Infra p. 696. Ed. Flor. 'de qua nihil cunctentur.' Vide Gronovii Obs. l. I. c. 18. Heins. ad Valer. Flacc. I. 156. 'Talia cunctanti lævum Jovis armiger æthra Advenit:' sive *contanti*, ubi vulgo erat *conanti*: quale mendum et sustulimus ex Hirtio l. VIII. B. G. c. 32. 'oppido munitiones circumdare cunctatur,' vel, *contantur*: nam Mss. *conatur*, vulgo *moratur*. Nec obstet activa forma *cunctare*. Frequenter hanc inflexionem præ deponenti amavit Auctor. Vide ad Met. l. I. p. 74. a. Immo l. XI. Metam. p. 382. 'Quod enim sedulo percunctaveram.' *Oud.*

Septem stellæ] Rescribe ex Ms. Bremensi et excerptis Batavicis: *quinque stellæ q. v. v. a. p.* Cicer. lib. I. Tusc. Quæst. fol. 88. 'Astra suspeximus, tum ea quæ sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia. Archimedes Lunæ, Solis, quinque errantium motus in sphæram collegit:' lib. II. de Divinat. fol. 196. 'Sol et Luna quem motum habeant, quem vero stellæ, quæ errare dicuntur.' Macrobius in Somn. Scipionis lib. I. cap. 14. 'Sunt stellæ quidem singulares, ut erraticæ quinque.' Agellius lib. XIV. cap. 1. Mart. Capel. lib. VIII. p. 787. Nicetas in Thesauro Orthodox. Fidei lib. I. cap. 6. docte. *Elmenh.*

Vagæ] Sic Mss. omnes, ut debent; nisi Auctor adhibuerit ipsam vocem Græcam πλανηταί. nam solent tum librarii Græce ignari locum vacuum relinquere; ut notum illis, qui Msstos tractarunt: ut ita hinc exsulet in Edd. ante Vulcan. *Errones* adscripserat Lipsius. *Oud.*

Specie, &c. mirabili] Bene hæc e suo

Cod. addidit Vulc. quæ agnoscunt Mss. O. et flagitat sensus. *Idem.*

Et abstituto] Ita libri omnes; hoc est recessu, quod ait in libro de dogmate Plat. 'Ceterum ille rerum ordinator ita reversiones earum, ortus, obitus, recessus, moras, progressusque constituit.' *Adstituere* et *adstitui* verbum familiare Nostro. E contrario *abstitui*; unde abstitutum, recessus, ἀπόστασις. *Merc.* *Et flexu et obstito c.* Sive obliquitate, ut Lipsius adlevit et emendavit Scaliger. Wower. amplius voluit *et flexu obstito*, adjective, ut supra, sed et substantive occurrit apud Ciceron. de Legib. II. 9. 'Fulgura atque obstita.' Est Vir Doctus qui vellet *obstitu*. In Edd. vett. *obstituto*: Ed. Scalig. *abstito*. Sed *abstituto* edidere Vulcan. et Mercer. e Mss. suis, pro *recessu*, ἀποστάσει. exstatque etiam in Harlem. Voss. et utroque Cantabr. Inepte Couturius in notis scribit, *Adstituto velle dicere recessu*, aitque, *adstituere* et *adstitui* esse familiare Auctori nostro. *Abstitutum* est recessus, et hoc τῷ *adstitutum* est contrarium. *Oud.*

Pag. 667 *Quibus cœli chorum*] Plato in Epinomide adeundus. *Elmenh.*

Ennius] Sic Varro de Ling. Lat. Ennium dixisse scribit, *in altissimo cœli clypeo.* Sciopp. in Symb.

Duod. numero situ nominum] Quidam, *situ, nomine.* Quod certe placet: eo indicat Deos Deasque non solum nomine suo singulos in versibus Ennianis esse, sed etiam ordine suo, quo hic major, ille minor, hic antecedere, hic subsequi dicitur, collocatos. *Colv.* Illepida quibusdam visa repetitio vocis *numero.* Eandem ignorat Cod. Henr. Lindenbruch. Memini me legisse in veteri libro Fr. Raphelengii: 'numerositate nominum in duos versus.' *Wower.* Rom. *situnomie.* Excerpta Bat. *numerositate nominum.* Probe Martianus Cap. libr. de Nupt. Philolog. p. 15. 'Tunc etiam ut inter alios potissimi rogarentur, ipsius collega Jovis, qui bisseni cum eodem Tonante numerantur, quosque distichon complectitur Ennianum: Juno, Vesta, Minerva,' &c. Suidas Ὑγίεια. *Elmenh.* Cui non dictus Hylas? quæ non tentata a doctis, ut hunc locum arbitrio suo constituerent? At nihil facilius fuit quam additis duabus litterulis scribere, *numeroso situ nominum.* Ita enim est, hæc duodecim nomina ἐμμέτρῳ ordine in duos versus artata. Libri omnes nostri, *numero situ nominum*, nisi quod alter Cujacianus, *site.* Mercerus. Ms. Putean. *locum d. situ nominum.* Leid. Harlem. cum Fr. Raphel. *d. numerositate nominum.* Sed Edd. Rom. Ven. Vic. Bas. *d. numero, situ, nomine:* quod probavit Colv. At lege cum Mercero *numeroso situ nominum.* Oud.

Pag. 668 *Quas eorum*] Florent. et Batav. *quibus eorum.* Elmenh. Mss. nostri, Merceri, &c. Edd. Vett. omnes *quibus:* quod prave immutavit Vulc. eumque sequentes Scal. Wow. Elmenh. in *quas.* Idem pro conjectura adscripserat *careant.* Frustra. *Curare* apud Veteres sæpe habet dativum. Vide J. F. Gronov. ad Gell. lib. XVII. c. 9. 'qui rebus ejus absentis curabant.' Sciopp. Susp. Lect. IV. Ep. 1. Bronkhus ad Tibull. I. 5. 33. Immo Noster in Apol. 'paucis curare:' et inferius: 'rebus meis curat.' Adi Scip. Gent. et Pricæum ad p. 27. Infra de Deo Socr. p. 690. Ed. Flor. 'certis potestatibus curant.' cf. et ad pag. 674. Ed. Flor. Sic et lib. XI. Met. 'procurare supplicamentis:' de Phil. Mor. p. 602. Ed. Flor. 'utilitati animæ procurare:' ut leg. e Mss. de Mundo p. 744. 'ordinibus curant:' ubi eodem modo contra Mss. peccatur. Macrob. lib. v. S. Sc. c. 17. 'Stabulo regio curantes.' *Oud.*

Pag. 669 *Prompto nutu*] Vulgabatur *prono nutu.* At libri *promtu*, quod proclive fuit mutare in *promto.* Caussa mutandi fuit, quia non videbant quo referrent illa adjuncta, *facili, simplici, libero, absoluto:* unde etiam

origo mendæ in libris scribtis, qui omnes habent *bona*, non *bono*. At illa omnia referuntur ad illud supra, *ingenio*; quod dicit ad summam beatitudinem perfectum, non participatione ullius extrarii boni, sed bonum ex sese, et ad omnia competentia sibi promtum, facile, simplex, liberum et absolutum: prorsus ut infra de Socrate: 'ut pote vir adprime perfectus ex sese ad omnia congruentia sibi officia promtus.' *Merc.*

Plato, &c.] August. de Civit. Dei lib. IX. cap. 16. et Maximus Tyr. dissert. 1. *Elmenh.*

Comprehendi; vix sap. viris] Locum intricatum recte restitui. *Wower.* Male olim ante Wower. jungebant *comprehendi vix sap. viris;* immo præpos. *a* inculcaverunt contra Mss. Vulc. Scal. Elmenh. et Scriv. Patet ex Augustino, qui habet *vix autem*, τὰ *sapientibus viris* pendere a sequenti verbo *intermicare:* ut bene Augustini locum cepit Vives, et hinc Wowerius post *Dei* non per (:,) sed per (,) recte distinxit. Ineptissime Floridus supplevit sensum verbo 'vix sapientibus viris obtingere intellectum.' Hoc modo locus est distinguendus cum Mercero, *comprehendi; vix sapientibus viris, cum se vigore animi, &c. semoverunt, intellectum hujus Dei (id quoque, &c. candidum) intermicare.* Non opus ergo cum Wower. et Colv. contra Mss. scribi *et id quoque.* Oud.

A corpore semoverint] B. Augustinus lib. IX. de Civitate Dei multa contra Platonicos Philosophos de Diis Dæmonibusque disputat: et sæpius ex hoc nostri scriptoris libro quædam laudat: unde quoque nonnullos locos, commodius ibi legi visos, hic restituimus. Porro hic locus istius libri Augustiniani cap. 16. sic scriptus est, *a corpore removerint:* in Margarita poëtica, *a. c. moverint.* Colv.

Altissimis tenebris] Sic emendavi ex eodem B. Augustino. Vulgo erat, *arctius. teneb.* Altissimam caliginem ita dixit Arnobius lib. II. 'Et caligine in altissima constitutis cognitionis lumen immitteret.' *Idem.* August. cum Colvio *altissimis;* ut dicitur 'alta caligo,' 'alta nox,' &c. passimque hæ voces confunduntur. Sed vulgatum damnare non ausim, pro densissimis. Sic 'artiores silvæ' apud Cæsar. l. VII. B. G. cap. 18. et Sueton. Ner. c. 46. 'trahi se in artissimas tenebras:' ubi ait Burman. hic variari in Mss. nescio quibus, præter Augustini, et librum, cujus Var. Lect. margini Ed. Floridi allevit Burm. *Oud.*

PAG. 670 *Piacularibus scel. præbuerunt*] Fors fuit emendandum, *piac. sceleribus polluerunt.* Cicero Philippica XI. 'Ut is qui omnia Deorum hominumque jura novo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit.' *Colv.* *Ac piacularibus depravarunt, scel. imbuerunt.* Sic Membran. Florent. Excerpta Batav. et Bremens. Leidensis: *A. p. errorib. depravaverint s. incubuerint.* Aldus et Rom. *e. d. piacularibus sceleribus præbuerunt.* Elmenh. *Incubuerunt.* Forte *imbuerunt.* Vulc. Recipi in contextum Vulcanii conjectura potuit et scribi *imbuerunt.* Sic enim habet Fulvii liber. *Sciopp. in Symbola.* Ms. Florent. *o. err. ac piacul. depravarunt scel.* Leid. Cantabr. uterque Voss. Harlem. Brem. Merc. *o. err. ac piacularibus depravaverint sceleribus imbuerint et effecerint:* unde primum suspicor verbum *depravare* e Glossa verbi *imbuere* in textum irrepsisse; præsertim cum in Harlem. sit *in omnibus:* dein *quamquam* suo more cum subjunctivo construxisse Auctorem. Vide ad Flor. N. I. Temere autem Elm. Scriv. Florid. hoc ordine edunt *depravarunt o. err. ac p. sc.* Porro *imbuerunt* vel, ut dixi, *imbuerint* habent Mss. O. etiam Ursini; ut bene primus exhibuit Wow. Male Vulc. cum Scal. dederunt *incubuerunt.* Rectius Colvius: vulgata ante scriptura *præbuerunt* conjecerat *polluerunt.* Sed

imbuere elegans est, et obvium tam in malam, quam bonam partem. Vide ad Catal. Burm. p. 514. ‘ Imbuit infami pectora nostra malo.’ *Oud.*

Exesa] *Exesa,* i. e. consumta, ut in Ms. Sangerm. Colum. lib. II. cap. 10. p. 64. Ed. Gryph. *Exedi* metaphorice dicitur animus, sed an *mansuetudo* dici possit *exedi,* vehementer dubito. Quare non refragor Florido cum Margarita poëtica legenti *exosa;* licet exempla hujus participii in passiva significatione admodum rara sint. Gell. N. A. lib. II. cap. 18. ‘ Non omnes omnimodis Diis exosos esse :’ vel ut apud Macrob. lib. I. Sat. c. 11. legitur ‘non omnimodo Dis exosos esse.’ Verum in Mss. hæc apud Gellium non leguntur : et J. Fr. Gronov. legi vult *Deos.* Avian. Tab. II. vs. 13. ‘ Exosæ post hæc documenta quietis :’ quod mutare contra omnes Mss. in *exosus,* ut auctor suus Latinius loquatur, male tentat doct. Cannegieterus. Verum et in Glossis ‘ Exosus *μεμισημένος.*’ *Oud.*

Ratione cluentes] Hoc malui, quam quod editum ubique erat *plaudentes:* ita enim esse testatur in suis libris L. Vives ad cap. 8. lib. IX. de Civitate Dei : ubi hic locus citatur. Sed etiam legi notat, *oratione gaudentes.* Colv. Malim : *ratione pollentes, oratione plaudentes.* Quamquam libri D. Augustini lib. IX. cap. 8. de Civit. Dei vulgatæ consentiant. *Wower.* Magis placet edit. Basil. *ratione plaudentes.* Brant. *Ratione plaudentes, oratione pollentes.* Ita hic locus legitur apud August. de Civ. Dei l. IX. c. 8. Colv. *r. cluentes.* Lud. Vives *r. gaudentes.* Wower. inversis verbis *r. pollentes, oratione plaudentes* emendandum arbitratur. *Elmenh.* *Ratione plaudentes, oratione pollentes* constans est Msstorum lectio ; nisi quod in Bened. sit *pludentes.* Apud Augustin. Vives in Mss. invenit *cluentes,* quod recepit Colv. repugnante jam Brantio. Male autem Vives formavit a *cluo:* quasi id sit *pugno.* Hoc enim non notat *τὸ cluo ;* sed *purgo ;* ut docet Plinius l. XV. c. 29. cujus veteribus Edd. deceptus est Vives; ibi enim olim edebatur *pugno.* Si sana hæc foret lectio, non posset notare nisi *insignes:* quæ mera est glossa verbi *plaudentes,* sive sibi gratulantes, quod ratione sint præditi. Sic passim ‘sibi plaudere.’ Bas. pr. Ed. non agnoscit *ratione.* Aliorum conjecturæ sunt *prudentes, potentes, callentes.* Frequens est ‘pollere eloquio.’ V. Wass. ad Sallust. p. 317. ‘facundia pollens.’ *Oud.*

Cunctis] Jacio aleam, videbo an cadet ex animi mei sententia : *singulatim mortales, cunctim perpetui, vicissim, sufficienda prole mutabiles,* quæ omnia, præter alias circumstantias multas, Philosophorum opinio naturæ humani generis adhibuit. Videndus Plato IV. de legibus. Festus in ‘ Cuncti.’ *Stewech.* *Cunctim.* Vulg. *cuncti.* Emendatio hæc ab eodem Augustino est, qui sic laudat hunc locum duobus illis jam a nobis notatis locis : nec aliter conjecit Canterus noster. *Colv.* Colvius *cunctim perpetui vicissim s. p. mutabiles.* Vid. Plato IV. de Legibus. *Elmenh.* Ald. Junt. *cunctis.* Vives et Canter. cum Lipsio, Colv. et Stew. *cunctim:* quod et reposuit Vives apud August. XII. 10. nam ante eum utroque in loco August. edebatur *cuncti.* Sed *cunctim* hic diserte habet Cod. Harlem. recte, ut respondeat *τοῖς singillatim, vicissim.* Vide ad Flor. N. IX. ‘ singulatim, cunctim.’ *Oud.*

Tarda sapientia] Unde et Plato beatos homines pronunciat, qui etiam in occidua senectute sapientiam assequuntur. *Elmenh.*

Bina animalia] Hic locus totus est apud eumdem August. ejusdem libri c. 12. *Colv. Elmenh.* Fort. *viva an.* Vulc.

PAG. 671 *Subcisiva*] In August. *succisiva:* ubi alias legi notat Vives, *succidua.* Colvius. August. legit *succisiva.*

Bremens. *successiva.* Elmenhorstius. Voss. *subsciva.* Edd. vett. et Mss. aliquot *subsicira;* quæ passim permutantur. Sed de his alibi. Verum recto advertit Salmas. Plin. Exerc. p. 515. id verbi hic locum habere non posse. Opponit naturam Deorum 'deternam' et 'indefectam,' ac hominum 'caducam,' sed vicissim 'sufficienda prole mutabilem,' non vero 'interruptam,' ut exponunt vulgo. Salmas. ergo effingit novam vocem inventam a se, ut ait, in Ms. *substitiva,* quæ substituuntur in locum demortuorum. Sed tum præferrem lectionem Cod. Bremens. *successiva* eodem sensu, quo *substitiva.* Eleganter Lactant. de Opif. Dei c. 12. 'duos sexus maris ac feminæ machinatus est, quibus inter se copulatis successiva proles pareretur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis exstingueret.' At aliud quid latet. Nam Vives in Mss. Augustini reperit *succidua.* Vere: non ut notet vulgari significatione (de qua vide Cl. Burm. ad Ovid. lib. VIII. Metam. vs. 364. et l. X. vs. 458. 'Poplite succiduo genua intremuere') labantem et defectam, opponaturque τῷ *indefecta:* huic enim opponitur τὸ *caduca:* sed ut notet *successivam, succedaneam.* Nam in Glossis: 'succiduus διάδοχος.' Et sic clare Oros. l. VI. c. 10. 'cum jam VII. dies noctesque succidui hostium cunei pugnarent:' quo sensu forsan sumi posset Alcimi Aviti locus l. I. vs. 8. 'qui semine mortis Tollis succiduæ vivacia germina proli.' Auson. de Rosis, 47. 'Sed bene, quod paucis licet interitura diebus Succedens ævum prorogat ipsa suum.' *Oud.*

Sejugatam esse et interruptam] Ms. *hum, p. eam ipse et interruptam ac vel.* Sciopp. in Symb. Repone ex scripto, *sejugatam, campse.* Wowerius. *Sejugatam esse* delet Ms. Bremens. Florentin. pro *sejugatam, eampse* legit. *Elmenh.* Et hunc locum fœdissime corruptum minima mutatione restituimus: ante enim nullo sensu legebatur: *sed in divinam et humanam partem sejugatam esse et interruptam et veluti debilem passa est:* libri scribti, *partem campse et interruptam;* alii, *carapse;* alii, *camse.* Omnino scribendum, ut edidi, *inter divinam et humanam partem cassam se et interruptam ac veluti debilem passa est:* nisi quis malit, *vacuam:* sed præfero *cassam;* quæ vox minus intellecta corrumpendo loco fuit. Cassum est vacuum, fractum, interruptum; ut supra, 'cassa fulgoris,' pro, vacua sive expers fulgoris. Vox frequens Appuleio. *Merc.* Cum vulgo ederetur *sejugatam esse et interr.* Wower. reposuit *sejugatam campse et interr.* Scriver. vero et seqq. delerunt τὸ *et* contra Mss. Verum nec *sejugatam esse* agnoscunt Codd. quorum Brem. habet nihil, Harlem. vero *eamque.* At Florent. Cantabr. uterque cum Merceri Codd. *campse* Ursin. Vulcan. *eampse,* quod apud Plautum occurrit pro *eam ipsam:* sed debuit Auctor dicere *se ipsam.* Quoniam ergo in Mss. tantum non omnibus τὸ *sejugatam* non comparet et Merceri Codd. etiam dent *carapse* vel *campse* forsan simpliciter scribendum *sectam se et interr.* Appuleio tamen frequens est *sejugatus.* An ergo *sejugatam sectamque se et interr.* vel *sejugam sectamque se:* ut contra in fem. gen. *conjuga* sæpe Appuleio. *Sejugis* hoc sensu apud Solin. c. 4. 'sejuges gentes conjugasse.' *Oud.*

Nullus D. misc. hom.] Symposio: Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται. *Colv.* Vide Platon. in Convivio fol. 203. et Augustin. de Civit. Dei lib. IX. cap. 16. *Elmenh.* Bene monuerunt docti hæc esse e Symposio Platonis. *Merc.*

Munere opulenti] Ita libri nostri, non *opulentia.* Opulens, tis, fecit a verbo Opuliscere, ut cetera participia a similibus verbis. Infra: 'Omnia adfluentia, omnia opulentia.' Inde est *opulenter,* in loco Plauti apud Priscianum. Cornel. Nepos in Cha-

bria: 'neque animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam.' Ubi notant ad eandem formam in Horatio, 'violens Aufidus' et 'victor violens.' Mox scribsi, *raro aditur*, Vulcanii conjecturam secutus, quamvis ceteri libri scribti et editi habeant *aditus;* minus recte. *Nutabilem* etiam malim cum viris doctis, quam cum libris, *mutabilem;* quod tamen defendi posse non abnuo. *Merc.* Recte *opulenti* e suis Codd. quibus accedit Harlem. legendum monuit Merc. *a* intrusum, quia librarii quidam *e* vocales per diphthongos scribebant: ut hic Cod. Voss. *opulenti ælatus:* in quo etiam *ælementum* pro *elem.* Oud.

Mutabilem suggestum] Bene Canterus, *nutabilem sugg.* Nam supra lib. IV. Milesiarum: 'Inopinato pulsu nutantem ac pendulum.' *Colv.* Sunt qui legant *nutabilem.* Wower. Vulgo, *mutabilem s.* supra 'humilia sublimare, nutantia fulcire.' August. de Civ. Dei lib. I. c. 1. 'cacumina temporali mobilitate nutantia.' Eucherius ad Valerianum 'nutant celsa fastigio.' *Elmenh.* Bene emendasse Canterum, probant Mss. Florent. et Cantabr. et merito in textum recepere Elmenh. Scriv. Flor. Sic 'nutantes domus' sive vacillantes Lucano et aliis. *Oud.*

PAG. 672 *Allegabo*] Glossæ antiquæ: 'ἱκεσίας προσφέρω, allego,' ubi verius esse autumo *preces allego.* Sed alibi 'πρόσθεσις allegatio.' Et in Apolog. 'In templo preces allegant.' *Elmenh.* Al. *allongabo.* Burm.

Q. advers. malis cum vita c.] Facilis et liquida emendatio, *quem aversatorem malis in vita ciebo?* Deum tutelarium munus tangit, quorum erat mala arcere, ac defendere: ipsemet Appuleius paulo post: 'cum usus postulat mala avertere, bona prosperare.' *Stewech.* 'Adversator malis' est qui malis hominibus adversetur. Sic enim *miseri* et *boni* præcedunt. 'Avertere mala' frequens est, sed tum saltem debuisset scribi *aversatorem malorum.* Oud.

PAG. 673 *Inter nuculos*] Legit Pithœus una dictione, *internuculos;* ut etiam in Petronio Arbitro: 'Video quosdam internuculos, nudas meretrices furtim conspatiantes.' De quo etiam Turnebus lib. XXII. cap. 28. Mihi hic tenebræ. Fuit cum hic legerem, *tirunculos recens cognitos,* et sic etiam in Petronio reponendum arbitrarer. Sed jam fateor me adhuc quærere abstrusiorem hujus dictionis significatum, vel scripturam saniorem. *Colv.* Ms. *Rutulos:* quos non ignorat, qui Virgilium novit. Porro totius hujus loci emendatio et Fulviano probatur codice. *Sciopp. in Symb. Rutulos rec. cogn.* Sic recte manuscripti Flor. Leid. et Brem. Turnebus et Pithœus, Rom. et Ald. *internuclos,* Colv. *tirunculos* male reponunt. *Elmenh. Rutulos* vel *Rutilos* exhibent membranæ omnes. Verum si ita scripsit, ut eum scripsisse non dubito, erravit Auctor: quod monuit jam Flor. Forsan pro *enim* scribendum *Euryalo:* ut *pro te* ad ipsum non ad Iulum spectet. V. Virg. Æn. IX. 300. Vel potius quia statim Mezentii meminit, hic quoque de Rutulis abripuit eum cogitatio. Melior certe hæc lectio, quam conjectura Colvii *inter tirunculos,* vel Edd. primarum *internuculos,* quos hic et apud Petron. cap. 7. Is. Vossius exponit grassatores nocturnos ad Catull. p. 153. Alii aliter, ut videri potest ad Petron. cujus loco placet unice Vossii explicatio, sed hic non capio: quinam enim illi essent grassatores *recens cogniti?* Oud.

Ut ferocissimo Mez.] Videtur quid deesse vel latere mendum. An *adsunt* e Virg. versu lib. X. vs. 773.? An *sc.* i. e. *scilicet?* Similiter Achillem jurasse 'per sceptrum' constat ex Homero: unde ridens Ovid. in f. Rem. Am. 'Nam sibi quod nunquam tactam Briseida jurat Per sceptrum; sceptrum non putat esse Deos.' Sic

per caput suum et Achillis, ejusque enses jurat Briseis apud Ovid. Her. Ep. III. vs. 107. *Idem.*

Hæc sola advenerat] Putarim legendum *adjurarat*, ut et paulo post loquitur 'per quod adjures.' *Vulc.* Flor. Bas. 2. Leid. et Puteani Excerpta, *advenerat*, ut apud Plautum in Trucul. 'date mihi huc stactam, ut venerem Lucinam meam.' *Elmenh.* Ita libri omnes; nec mutandum: non enim jurat Mezentius dextram et telum, sed ea veneratur et adprecatur. Sic supra dixit, 'non facile cunctavit deos esse,' pro *cunctabitur;* quod etiam interpolaverant. *Merc.* Mss. O. constanter *advenerat* cum Edd. Vulc. Merc. Coutur. nisi quod in Cantabr. et Harlem. sit *advenerant.* Hinc conjecit frigide Floridus *advenerat*ur, quod compositum sic occurrit apud Varron. de R. R. I. 1. 'Adveneror Minervam et Venerem.' Auson. Par. 18. 8. 'Ore pio et verbis advenerare bonis.' Lindenbr. et ex eo Elmenh. cum Mercero, et, eo non nominato, Coutur. recte capiunt pro *veneratur* hæc ut solos Deos. Plaut. Bacch. II. 14. 'Veneroque te.' Ac passim *veneror* passive occurrit. Vide Cant. Nov. Lect. VI. 24. Nostro lib. XI. Met. p. 754. b. Immo Auctor videtur captasse formam activam eorum, quæ vulgo deponenter adhibentur. Vide Ind. Not. *Oud.*

Dextra mihi, &c.] Sic et Scythæ per ventum jurabant et acinacem. Vide Lucianum in Toxari. *Elmenh.*

Neve per ista juretur] Dele glossema. *Wower.* Totam hanc periodum veluti spuriam Wower. tollit. *Elmenh.* Libri omnes *ne ve per ista juretur;* quod Wower. glossema esse censuit, et basilice expunxit: prorsus male. Nam quod sequitur, 'quum sit summi Deorum hic honos proprius,' indicat retinenda: non enim honos Dei propter ipsum jurari, sed per ipsum. Scribe, *ne ut per ista juretur;* id est, nedum ut per ista juretur: non digna sunt propter quæ juretur, tantum abest ut per ista jurandum sit. Ne pro Nedum sæpe in usu Veteribus, et maxime Appuleio. Florido III. 'quæ mihi ne in mediocribus quidem civitatibus unquam defuere, ne ut Carthagini desint.' In Apologia: 'Nec tamen ab eruditis reprehenditur, ne ego reprehendar, qui res paucissimis cognitas Græce et Latine propriis et elegantibus vocabulis conscribo;' id est, nedum ego reprehendar. Item: 'At hoc ego Æmiliano, non huic Afro, sed illi Africano et Numantino, et præterea Censorio vix credidissim; ne huic frutici credam.' *Merc.* Sic Mss. et Vulcan. cum seqq. nisi quod Elmenh. et Scriver. habeant *propter.* Edd. priores *utve per ista jurent.* Cum Wowerio delendam censerem periodon, insertam a monacho, nisi seqq. aliud suaderent, quare cum Jos. Mercero malim *ne ut per* pro *nedum ut per.* Voss. *istum.* Oud.

Jovem lapidem] De quo Festus. Lapides olim adhibiti sæpius jurijurando. Apud Athenienses lapis huic uni rei destinatus, ut ad eum juramenta fierent. Suidas: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος, τῶν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῶν οὑτωσὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες. ἐοίκασιν οὖν Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι. ὡς Ἀριστοτέλης καὶ Φιλόχωρος ὑποδηλοῦσι. Idem etiam tradit Moschopulus Περὶ σχεδῶν. Tollebant etiam juraturi lapides ignitos, quos in mare projiciebant: indicantes se tantisper fœdera, pacta sua durare velle, dum illi rursus apparerent. Hoc notatum alibi in Græcorum commentariis est. Plutarchi locus eo spectat in vita Aristidis: Ὁ δ' Ἀριστείδης ὥρκισε μὲν τοὺς Ἕλληνας καὶ ὤμοσεν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων μύδρους ἐμβαλὼν ἐπὶ ταῖς ἀραῖς εἰς τὴν θάλατταν. Respexit etiam vetus poëta Macedonius lib. VII. Epigrammat. Græcor. Ὤμοσα τὴν δυσέρωτα κόρην, τρίσιν ὤμοσα πέτραις, Μήποτε μειλιχίοις ὄμμασιν εἰσι-

δέειν. *Colv.* Debuit dicere Appul. *jurabo Jovem lap.* Sic enim solebant veteres Romani. Adi Gronov. Ep. ad Voss. p. 114. P. sec. Ed. Lond. Gell. lib. I. 21. Auson. Ephem. p. 100. *Oud.*

PAG. 674 *Cæterum sunt, &c.*] Plato Epinomide fol. 984. μετὰ δὲ τούτους αἰσθανόμεθα γεγονότα, καὶ ὑπὸ τούτοις ἑξῆς δαίμονας· ἀέριον δὲ γένος, ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἑρμηνείας αἴτιον, εὐχαῖς τιμᾷν μάλα χρεὼν, χάριν τῆς εὐφήμου διαπορείας. *Elmenh.*

Intersitæ aëris spatio] Brem. *Intersito aëris s.* Elmenh. Placet. In spatio quod est inter summum æthera et infimas terras sunt potestates mediæ. Infra p. 678. 'elementum aëris, quod tanto spatio intersitum est.' Nec tamen vulgatum temere damno, ut p. 684. 'loco regionis intersiti.' *Oud.*

Utrinque interpretes] De *Interpretibus* adi Cuper. Apoth. Hom. p. 275. Herald. ad Arnob. p. 187. Nostrum de Dogm. Plat. pag. 585. Ed. Flor. *Idem.*

Salutigeri] Fulvius mavult Plautinum illud: *Salutigeruli.* Sciopp. in Symb. Recte igitur Plauti Aulularia scriptum: 'Salutigerulos pueros.' Glossarium vetus: 'Salutigerulus, Ἐπισκέπτης.' *Colv.* Fulv. mavult *Salutigeruli* ex Plauti Aulularia, scena: *Narravi amicis, &c.* quomodo etiam legisse videtur Cælius Rhodiginus antiq. lect. lib. II. cap. 3. Mihi non displicet Bremensis Codicis lectio, *salutiferi.* Elmenh. Utrumque æque bene, *salutigeri* et *salutiferi.* Oud.

Plato in Symposio] Cujus ibi verba: Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν. ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφότερον συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ, καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη, τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ ἐπῳδὰς, καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. Vide etiam ejusdem ad hæc Epinomidem. *Colv.* Vide illum fol. 202. et Notata ad Minutium Felicem fol. 4. Chalcid. p. 225. *Elmenh.*

Præditi] Glossæ: 'præditus προεστώς.' et sic forsan infra p. 689. 'pro numine hominibus præditi.' Clare Phil. Mor. p. 624. 'Sorte quadam ei negotio præditis.' *Oud.*

Extis fisciculandis] Sic rescripsi, cum passim vulgo legi viderem, *ext. physiculandis*: pariter ut apud Martianum Capellam lib. I. 'Et nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denuntiata pecudum cæde, fisciculatis extorum prosiciis, viscera loquebantur.' Item lib. II. locus alius, cujus verba ponam pluscula, quia pleraque ad hanc rem qua de Noster agit pertinent: 'At intra Solis meatum usque lunarem globum secunda beatitatis numina supparisque potentiæ: per quæ tamen vaticinia somniaque ac prodigia componuntur. Hæc aruspicio exta fisciculant admonentia quædam, vocesque transmittunt, auguratisque loquuntur ominibus. Plerumque enim quærentes admonent vel sideris cursu, vel fulminis jaculo, vel ostentaria novitate.' Plura sunt eodem libro huc facientia: quæ videbit, qui volet. Ut Missiculare a missu, Pensiculare a pensu, sic Fisciculare, a fissu, seu potius, Fisso: de quo Cicero lib. I. de Divinat. 'quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ caussa sit, nescio.' Item lib. III. de Natura Deor. 'Unde porro ista divinatio? Quis invenit fissum jecoris?' Fissiculare igitur, quod Græcis καρδιουλκεῖν. *Colv.* *Fissiculandis* non est rimandis, quod erat haruspicum, sed formandis extis, et disponendis in illa *fissa*, qualibus ad auspicia opus est: ut recte Colv. et Flor. Inepte Edd. ante Colv. *physic.* ut in quibusdam apud Martian. Capell. lib. I. p. 5. 'physiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur.'

Sed præfero *fissic.* ut est in quam plurimis Mss. vetustissimis, nec non lib. II. p. 38. 'hæc aruspitio exta fissiculant.' Sed ubique contra viros doctos *physic.* retineri vult St. Stephanus ad Saxon. Gramm. lib. I. p. 42. 'Primam physiculandi sollertiam obtinentes.' Adi et Salmas. ad Solin. In Vulc. Ms. est *fusiculandis:* crebra corruptione. Corrigendus est Sil. It. lib. III. 361. 'Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena.' Vena non funditur, sed sanguis, quem potabat 'fissa vena.' Sic ergo lege, et V. comm. Dausq. et alios. ut passim 'finditur arboris cortex.' *Oud.*

PAG. 675 *Dæmonum obseq.*] Plato in Epinomide fol. 984. *Elmenh.*

Hannibali, &c.] Cum columnam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ, auferre vellet. Cic. de Divin. lib. II. fol. 185. *Elmenh.*

PAG. 676 *Extispicia*] Val. Max. lib. I. cap. 6. Vulgo, *auspicia*. Elmenh. Mss. Florent. et Harlem. cum Edd. Vett. *auspicia*, quæ de Flaminio memorantur ante prœlium ad Trasymenum lacum: verum Appul. mox ad hæc sua alludens, rursus ait, 'vel Flaminio hostiam corroget:' quare cum ceteris Mss. Vulcanio et seqq. *extispicia* omnino præponendum, ut respiciat historiam, quæ accidit Flaminio consulatum auspicanti, cum vitulus ictus e manibus sacrificantium se proripuit, teste Livio l. XXI. cap. ult. *Oud.*

Attio Nævio] Eum præstantissimum omnium augurum appellat Dionysius Halicarnass. antiq. Rom. lib. III. fol. 203. Liv. lib. I. Lactant. lib. II. cap. 19. Cic. I. de Divin. fol. 182. *Elmenh.*

A. N. mir. cot. adiicant] Scribo, *addicant*. Addicere proprium avium oscinum, in arte augurali. Livius, in hac ipsa historia, l. I. 'Negare Accius Navius, inclutus ea tempestate augur, neque mutari, neque novum constitui, ni aves addixissent posse. Ex eo ira regi mota, eludensque artem, ut ferunt, Agedum inquit, tu inaugura, fierine possit quod nunc egomente concipio. Cum ille in augurio rem expertus, profecto futuram dixisset, Atqui hoc animo agitavi, inquit, te novacula cotem discissurum: cape hanc et perage quod aves tuæ portendunt. Tum illum haud contanter discidisse cotem ferunt.' Quæ latius adscripsi, ad historiæ lucem. *Colv.*

Ut Tarq. Pr.] Liv. libr. I. Cic. I. de Divinat. *Elmenh.*

Serv. Tull.] Cic. de Divin. I. fol. 191. *Idem.*

Ariolum] Vulgo *ariolorum*. Idem. Sane Ed. Scal. male. Vide ad Met. l. XI. 'Infernm deplorata silentia.' Infra: 'ariolum voces.' *Oud.*

PAG. 677 *Tonitorum piac. fulguratorum bid.*] Ita viri eruditi emendarunt, quæ tamen nobis minus subtilioribus ægre intellecta. Simplicius visum: *tonitruum piacula, fulguritorum bidentalia.* Alii rescripserunt, *Tuscorum piacula:* uti et Fulvii Cod. præfert; docta interpretatione. *Wow.* *Tuscorum piacula* Flor. et Fulvii liber. Wower. et Bas. 2. *tonitorum p.* male. Sidonius Apollinaris Paneg. ad Majoranum vs. 263. 'Fulgura si Thuscus, si Thessalus elicit umbras.' Et alibi: 'Nec quæ fulmine Thuscus expiato Septum numina quærit ad bidental.' *Elmenh.* Libri omnes recte habuerunt, *Tuscorum piacula, fulguratorum bidentalia,* non *fulguritorum:* idque necessario sequendum. Fulgurita sunt, fulmine tacta, κεραυνοβληθέντα. at Fulguratores qui publica fulgura condunt bidentibus cæsis; unde Bidentalia: singulis enim vatibus singula tribuit; ariolis præsagia, Tuscis piacula, fulguratoribus bidentalia, Sibyllis carmina. *Merc.* *Tuscorum piacula* desunt Mss. Cantabr. Voss. et Edd. ante Vulcan. Optime vero ita rescribi jussit Scaliger e Ms. Ursini, cui accedunt Codd. Putean. Harlem. Mercer. probaruntque recte

Elmenh. Mercer. aliique. Adscripsit Lindenbrog. locum Sidonii, *Fulmina si Thuscus novit, si gramina Colchus.* Plura, si lubet, vide supra ad Flor. N. I. e Lucano. *Tonitorum* reposuit Colvius: sed Tuscos in hac re præcipuos memorat Auctor, ut statim in carminibus Sibyllas. *Oud.* *Fulguritorum*] Leid. Bas. 2. et Flor. *fulguratorum.* Elmenhorstius. Edd. vett. *fulgurum.* Flor. Leid. Harlem. Mercer. Voss. Cantabr. uterque cum Vulcan. Mercer. *fulguratorum:* de qua lectione dubitandum non est. Nam *fulguritum* dicitur, quod est fulmine tactum, ut bene monuit Mercer. Adi Casaub. ad Theoph. p. 129. Gronov. Obs. I. 13. Burmann. de Jove Fulg. cap. 8. *Fulgurator* vero qui fulgura condit. De personis enim loquitur ut de 'ariolis,' 'Tuscis,' 'Sibyllis.' Sic de *fulguratoribus,* non rebus *fulguritis* Cic. II. Divin. cap. 53. 'Aruspices et fulguratores et interpretes ostentorum.' Inepte Coutur. *fulguratorum* edidit et *fulgurita* explicuit; ut pateat, eum non scivisse hanc distinctionem. *Oud.* *Bidentalia*] Bened. *pedent.* et pro *Sibyllarum, Sibyllis,* Voss. *Syllabarum.* Idem.

I. hom. ac Deos obediunt] Nimis manifesta macula etiam in optima editione: tollo, *inter homines ac Deos obeunt:* quæ præter dignitatem Deorum sunt cœlicolarum, ea administrari ait per δαίμονας, quos Genios alii vocant, ita dictos, quasi rerum peritos. Lactant. lib. II. Instit. c. 15. Horum enim aliis auspicia, aliis fulgura, aliis exta, aliis alia curæ ésse, ad quæ non sit operæ Dis superis descendere. Appul. XI. de asino: 'Sedulum quot dies obibam culturæ sacrorum ministerium.' Idem lib. X. 'atque hæc omnia facile obediebam, quæ nullo scilicet monstrante feceram:' mihi placeret *obibam.* Stewech. *Obeunt.* Sic in Rom. Venet. Ald. aliis, *obediunt.* Colv. Ita sæpe etiam in Mss. peccatum. Vide ad Met. l. x. p. 710. b. *Oud.*

Cotificet] Placet V. C. lib. I. Lipsii conjectura, *cotem sicet:* id est, cotem secet: de quo supra ad lib. VIII. Milesiar. Lactantius, narrans hanc etiam historiam lib. II. cap. 8. 'Cape igitur hanc, inquit, cotem, eamque novacula dissice. At ille incontanter accepit, ac secuit.' *Colv.* Mire hæc ab eruditis interpolata. Vera est lectio, *avem velificet.* Sic in Florid. 'Velificatas alas.' Nota historia, ideoque in astruenda hujus lectionis veritate minime mihi laborandum. *Wow.* Hæc est lectio priscarum editionum. Florent. Leid. et Brem. legunt *navem velificet,* unde Lindenbrogius ad Catalecta veterum poëtarum pag. 319. et Wower. *avem velificet* fecerunt. Schikeradt. *cotificet.* Lipsius Elect. I. c. 18. *cotim sicet* pro *c. secet,* cui patrocinatur Valer. lib. I. cap. 4. Livius lib. I. cap. 38. Lactant. lib. II. cap. 7. 'Cape, inquit, hanc cotem, eamque novacula dissice' (inepte inibi reponit Thomasius *disjice*) 'at ille incontanter accepit et secuit.' *Elmenh.* Præter Floridum in textum id [*av. velificet*] recepere Merc. et Coutur. nam Mss. O. cum Edd. Vulc. Scal. habent *navem velificet,* quod est nihili. Passim cum aliis metaphoram a navi sumit Noster ad volucres. Vide ad Met. l. VI. p. 409. a. Immo infra de nubibus 'in aëris pelago ventis gubernantur.' Idem ergo hoc, quod supra dixit 'Navio anguria addicant.' In Var. Lect. Burm. Edd. vett. item Elm. et Scriv. *cotificet.* Salmas. ad Solin. p. 781. legit *novaclam levificet,* i. e. leviget, acuat novaculam: quod minime spernendum, et fortasse verius quam *avem velif.* certe melius quam *cotim sicet* aut *cotisicet.* In Voss. hic deest *Navio.* Recte advertit Floridus, captatum hic, ut crebro, ab Auctore ὁμοιοτέλευτον. *Oud.*

PAG. 678 *Aristoteles*] Lib. V. de hist. animal. cap. 19. ἐν δὲ Κύπρῳ, οὗ ἡ χαλκῖτις λίθος καίεται, ἐπὶ πολλὰς

ἡμέρας ἐμβαλλόντων, ἐνταῦθα γίνεται θηρία ἐν τῷ πυρὶ τῶν μεγάλων μυιῶν μικρόν τι μείζονα, ὑπόπτερα, ἃ κατὰ τοῦ πυρὸς βαδίζει καὶ πηδᾷ. ἀποθνήσκουσι δὲ καὶ σκώληκες καὶ ταῦτα χωριζόμενα τὰ μετὰ τοῦ πυρὸς, οἱ δὲ τῆς χιόνος, ὅτι δὲ ἐνδέχεται μὴ καίεσθαι συστάσεις τινῶν ζώων, ἡ σαλαμάνδρα ποιεῖ φανερόν. αὕτη γὰρ, ὥς φασι, διὰ τοῦ πυρὸς βαδίζουσα, κατασβέννυσι τὸ πῦρ. *Elmenh.*

Excellentissimus] Non dubitem, quin scribendum sit, *excelsissimus.* Colv. Cave mutes. Excellens invenias non raro pro excelso. Petronius: 'In cacumine excellentissimi montis consenuit.' Macrobius v. 20. 'Gargarum pro excellentissimo montis loco accipi.' Salisberiensis I. 13. 'Cunctis avibus excellentius volat.' *Merc.* Cuncti Codd. constanter *excellentissimus.* Wower. et Florid. temere et tacite in textum recepere conjecturam Colvii *excelsissimus*, uti etiam citat L. Vives ad August. de Civ. Dei lib. VIII. c. 15. Raro quidem id dictum pro *eminentissimus*, sed passim inusitata captat App. Glossæ: 'Excellens ὑψηλός.' Recte igitur Petronii et Macrobii locis confirmavit Merc. Temere enim ex uno libro apud Petron. c. 88. nunc *excelsissimus* legitur. Solin. p. 46. 'excellentissimi luci.' p. 49. 'mons in excellentissimam consurgit sublimitatem:' ut in Mss. multis optimis et Edd. vett. Temere id varie mutarunt Delr. et Salmas. *Oud.*

Stadia * *] Deest numerus: quem sic suppleverim, *stadia decem.* Nam Mart. Cap. lib. II. 'Non enim de humilitate aëris illius quæro qui volucribus permeatur, quem Olympi montis cacumen excedit: qui vix decem stadiorum altitudine sublimatur.' *Colv.* Recte supplebis *stadia X alt.* Plane ut Geometræ autumant. Plutarch. Paulo Æmil. *Wower.* *Stadia decem.* Sic recte Colvius conjicit legendum, in Brem. est *stadia centum.* Plutarch. in Paulo Æmilio fol. 263. a. καὶ καταλύσας ἀνέπαυε τὴν στρατιὰν ὑπὸ τὸ Πύθιον· ἐνταῦθα τοῦ Ὀλύμπου τὸ ὕψος ἀνατείνει πλέον ἢ δέκα σταδίους. σημαίνεται δὲ ἐπιγράμματι τοῦ μετρήσαντος οὕτως· Οὐλύμπου κορυφῆς ἐπὶ Πυθίου Ἀπόλλωνος Ἱερὸν ὕψος ἔχει (πρὸς τὴν κάθετον δ' ἐμετρήθη) Πλήρη μὲν δεκάδα σταδίων μίαν, αὐτὰρ ἐπ' αὐτῇ, &c. *Elmenh.*

PAG. 679 *Ad citimam Lunæ helicem, quæ*] Prodigiose hic locus corruptus erat, quem integritati nunc demum restitutum vides, Mstorum sola ope. Olim edebatur ad *stitima Lunæ fœlicemque:* nisi quod jam in Edd. Junt. Bas. et Colv. invenias *usque ad citimam Lunæ falcem, quæ:* unde vir doctus conjecit *facem*, quod clare exstat in Cod. Puteano, et e Cujac. pr. rescripsit Merc. et ex eo Contur. Quod Colv. conjecit et Vives habet, ea sunt nihili. Vulc. et seqq. exhibuere *ad citima Lunæ Helicemque.* Verum præterquam quod non capio, quid *helicem* tam simpliciter notabit, sensus mancus est, nisi *quæ* legas, ut viderunt alii, et pro quo more solito in Mss. scribitur *que.* Ridicule sane Floridus legit *ad citimam L. Helicen, quæ* a nominativo *helice:* cum *Helice* nihil aliud notare possit, quam urbem vel sidus sic dictum. Sed scribendum *citimam Lunæ helicem* a nominativo *helix* ἡ ἕλιξ, voce Græca Latine Nostri more formata. Vide ad Met. lib. IV. p. 301. a. ἕλιξ enim gyrum, annulum, cincinnum, orbem Græce notat. Adi H. Stephani Thes. Intelligit quippe Auctor exteriorem anfractum, quem Luna suo motu describit: ut ipse se explicat Auctor, subdens *humillimos Lunæ anfractus.* Martian. Capell. lib. I. p. 11. 'Clio citimum circulum h. e. in Luna collocavit hospitium.' Exstat autem *citimam* in Thuan. Voss. Florent. Leid. Brem. Putean. Cantabr. utroque, Fulv. et cunctis Mercer. *Feliçem* habent Vulc. Thuan. Harlem. Voss. Cantabr. uter-

que, Brem. Mercer. At ipsum *helicem* servarunt nobis Florent. et Fulv. *Oud.*

Enim semper] Ita diserte optimus Cujacianus, et Fabri liber. Et sane ita sæpe Noster in veteribus exemplaribus; sed in vulgatis mutatus. Infra: 'Enim Socrates utpote vir adprime perfectus.' Metamorph. IV. 'Enim nunc certe, nunc maxime perii.' Florido II. 'Enim non pigebit me commemorare, quod illum non puditum est ostentare.' Item: 'Enim sic natura comparatum est, ut eum, quem laudes, etiam ames.' In Apologia: 'Enim paupertas olim philosophiæ vernacula est.' Item: 'Enim fabula ut impleretur, addendum etiam illud fuit.' Item: 'Enim longe secius ratus fuerat, nec immerito.' *Merç.*

PAG. 680 *Quam terrea*] *Terrena* malui alterum Cujacianum secutus, quam *terrea*. Mercerus. Bened. *ut terr.* De τοῖς *terreus* et *terrenus* vide me ad Frontin. IV. 1. et ad Cæsar. B. G. I. 43. at contra Perizon. ad Melam in Misc. Obs. vol. VIII. p. 128. et certe nusquam nisi hic occurrit apud Nostrum *terreus*: sæpissime vero *terrenus*. Sed et Mart. Cap. fere semper *terrenus*: at tamen p. 21. ubi aliter legi nequit ob metrum 'sed cui terreus ortus:' ut et p. 36. 'vis terrea cedit Ætheriumque venit sine mortis legibus ævum.' Sic leg. e Mss. 5. non *æternum*. Arnob. lib. VII. p. 226. 'Dii subterrei:' pro quo Noster Met. lib. IX. p. 192. Ed. Pric. 'subterrenæ plagæ.' *Oud.*

Sive amolita] Mendum deforme. Lege, *sive inolita*. Wower. Ita recte libri et editiones omnes ante Wowerianam. Ille edidit, *inolita*; quem secutus Elmenhorstius, qui et τῷ μακαρίτῃ Scaligero adscribit hanc παραδιόρθωσιν, me sane non credulo. Nihil enim falsius. Ait quærenda corporum texta media inter flammida et terrena, sive ex utrisque mixta, sive ex neutris: hoc est enim, *sive amolita, sive modificata utriusque participatione*. Et mox concludit, melius fore, si ex utrisque mixta censeantur, quam si ex neutris; quod aperte revincit illam conjecturam. *Merc.* *Inolita.* A Scaligero hæc emendatio. Flor. Rom. Brem. et Leid. *amolita* legunt, male. *Elmenh.* *Amolita* constans Mstorum est lectio et sana, quam male Scal. Wow. Elm. Scriv. rejecerunt præ conjectura Scaligeri sive Vulcanii Ed. sec. *inolita*: quod non capio. Dicit Auctor, hæc aëria corpora vel esse contexta e commixtione ætheris et terræ, *modificata utriusque rei participatione*, vel contra *utrimque esse sejugata*, et quædam tertiæ materiæ habere, *amolita participatione terræ et ætheris*, sed se prius credere, et id facilius intelligi. Qui aliter interpretantur non cepere Appulei mentem. Sic passive infra p. 700. 'Istis omnibus exuviis amolitis.' Curt. lib. VIII. c. 5. § 17. de Herculis et Liberi Apotheosi, 'prius ab oculis mortalium amolita natura est.' *Oud.*

Incedant] Male Floridus. *Incedere* habet implicitam in se majestatis et divinitatis altæ significationem, ut passim obvium. Vide modo Broukhus. ad Tibull. II. 6. 34. Voss. cum Florent. *incedat*. Idem.

PAG. 681 *Filia corporum*] Repono veram scripturam, *fila corporum*: id est, lineamenta. Itidem hic scriptor de asino: 'filo liberali virgo.' Neque hæc attingerem, ni viderem relicta in optimis editionibus. quale etiam illud pag. præcedenti: 'quid super tonitruum Lucretius facundissime disserat:' germana lectio, *tonitrum*: quod declinatum a *tonitrus*, exemplo antiquo. Leve quoque quod addam, nec tamen ob id prætereundum: 'quo liquidius et plenius de præsagio Socratis, deque ejus numine cognoscatis:' lege meo suasu, *Deique ejus*. Itidem et inferius paulo hoc corrigebam: 'Verum ejus moni-

tis obediebat, eoque Deo suo erat longe acceptior:' vulgant codices etiam Beroaldi, *eoque de suo:* plane insulse. *Stewech.* *Fila corporum* sola Rom. ed. Aliæ omnes, *filia corp.* Gellius lib. I. 'Mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari.' Plautus: 'Scitum filum mulieris.' *Colv.* Bened. *sida corpora.* Voss. *fida corp.* quasi voluisset librarius *suda corpora:* sed vide Mercer. ad Non. p. 313. 'Filum oris lineamentum.' *Oud.*

PAG. 682 *Miscetque viris*] Scil. *se.* quod de Ænea lib. I. Æn. vs. 440. addit Virgil. *Idem.*

Præstringens] Harlem. Brem. *perstringens.* Male. Cui non dictus Hylas? Vide ad Lucan. lib. I. Errat Abresch. Lect. Aristæn. pag. 333. *Idem.*

Ex hoc ferme, &c.] Citat hunc locum Augustin. de Civ. Dei lib. IX. cap. 3. *Elmenh.*

PAG. 683 *Hos prosperare et evehere*] Ita restitutus est hic locus ex S. Augustino: ante edebatur: *Et tueri illos, interdum adversari et affligere.* At in libris scriptis: *Et vere illos secundum adversari et affligere:* nisi quod in altero Cujaciano, mutato ordine, *secundum illos.* E quis conjiciebam, *Evehere illos secundos, adversarios affligere.* Sed præstat sequi lectionem, quam servaverunt nobis codices Augustiniani. *Prosperare* vox nostri Auctoris, infra: 'mala averruncare, bona prosperare.' *Secundum* in codicibus nostris fuit pro vero *contra:* quod non semel in illius locum irrepsit: credo quia in veteribus libris notæ utriusque verbi non dissimiles. 'At enim secundum Pythagoricos,' pro, *contra Pythagoricos.* In libro de philosophia morali: 'Pessimo quapropter deterrimus, non ea tantum vitia quæ secundum naturam sunt, pariunt exsecrabilitatem.' Ita libri omnes editi et scribti: ubi certissime rescribendum, *quæ contra naturam sunt.* Mercerus. Mss. nil aliud habent, quam hæc *et vere illos secundum adversari.* Certe ita Florent. Leid. Voss. Harlem. Cantabr. uterque. Quare malim scribere *hos evehere et secundare, illos adversari.* Augustin. *prosperare* (Edd. quædam *prosperari*) vel vitio memoriæ vel e suo cod. legisse et *contra* ad sensum fulciendum de suo addidisse videtur, ut facit sæpe. *Secundare* vero pro *prosperare* optimo cuique poëtæ in usu est. Sed *secundum* inrepsisse pro *contra* e vitioso scribendi more decurtato putat Merc. cum Salmas. ad Solin. p. 770. qui legit quoque *adversare.* Dein contra Mss. et Augustin. Vulcan. et seqq. dedere *aversari.* Vide ad Met. l. VII. p. 147. Pric. *Oud.*

PAG. 684 *Animorum placamenta*] Arnob. VII. advers. gentes: 'Ita dii immortales placamenta ista sumunt, quibus iras atque animos ponant.' Corn. Tacit. XV. Annal. 'Sed non ope humana, non largitionibus principis, aut Deum placamentis decedebat infamia.' *Braht.*

Dæmones sunt gen. an.] Ex Timæo. *Colv.* Plato in Timæo et August. de Civit. Dei lib. VIII. cap. 16. lib. IX. cap. 8. *Elmenh.*

Ingenio rationabilia] August. 'mente rationabilia.' Lib. VII. cap. 16. et lib. IX. cap. 18. *Colv.* Item Gerbas. Tilber. Otiis Imper. Decis. III. c. 86. p. 989. Bened. *rationabili.* Oud.

PAG. 685 *Lætioribus vel trist.*] August. de Civit. Dei lib. II. cap. 11. 'Labeo, quem hujuscemodi rerum peritissimum prædicant, numina bona a numinibus malis, ista etiam cultus diversitate distinguit: ut malos Deos propitiari cædibus et tristibus supplicationibus asserat, bonos autem obsequiis lætis atque jucundis, qualia sunt, ut ipse ait, ludi, convivia, lectisternia.' *Elmenh.*

Cymbulistarum] Rabanus Maurus Comment. in Judith. Ms. 'Cymbalæ

sunt parvissimæ phialæ permixtis metallis compositæ, ventricula sua in lateribus habentes, quæ artificiosa modulatione collisæ, acutissimum sonum delectabili consonatione restituunt.' *Elmenh.*

PAG. 686 *Eff. ut eximiæ templorum regiones*] Scribo, *item Deorum effigies, et exuviæ: templorum regiones, &c.* Exuviæ Deorum, ut lib. XI. Metam. 'Qui candido linteamine cinctum pectoralem adusque vestigia strictim injecti, potentissimorum Deum proferebant insignes exuvias:' id est, sacra symbola, donaria. Paullo aliter sub finem ejusdem libri. 'Ceterum futura tibi sacrorum traditio pernecessaria est; si tecum nunc saltem reputaveris, exuvias Deæ, quas in provincia sumpsisti, in eodem fano depositas perseverare.' Vel forte in genere Deorum exuviæ, id est, spolia diis dicata; ut Martis manubias dixit Cicero pro Archia: 'Jam vero ille qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.' Notæ quæ templorum Regiones: nempe Antica, Postica, Septemtrionalis, Meridionalis: de quibus Servius in Virgil. et T. Livius lib. I. ab urb. cond. *Colv.* Leid. et Bas. 2. *effigiæ.* Elmenhorstius. Mss. Vulcan. aliique cum Edd. Vulc. Scal. Wow. *effigiæ.* Vide ad Met. lib. XI. p. 788. b. Sed optimi Codd. *effigies* retinent. Dein inepte Edd. ante Colv. *et eximiæ.* Colv. *ut eximiæ.* Floridus non bene etiam exponit *reliquias. Exuviæ* nil aliud sunt, quam ornatus et vestimenta Deorum, et sacerdotum ad eos pertinentium; ut et symbola. Vide exempla Nostri a Colvio prolata: sic lib. III. 'exuviæ hircorum' sunt pelles, ut passim 'exuviæ leonis.' Sic quoque 'exuviæ Jovis,' 'Martis,' et innumera similia apud historicos et poëtas. *Oud.*

PAG. 687 *Id est animus*] Vide August. de Civit. Dei cap. 2. *Elmenh.*

Animus sui cuique] Thuan. Ms. habet *suus cuique*, non *sui*: recte. *Florid.* Sed *sui* pro *suus* Noster habet passim. Vide ad Met. lib. v. p. 323. b. 'sui fatigatio:' infra p. 579. Ed. Flor. 'natura sui.' p. 584. 'sui ratio:' et p. 589. 'sui genere.' *Oud.*

Gignitur] Corrigo, et quidem meo periculo, *cum homine genitur.* Censorinus de die natali, 'a gignendo Genius appellatur:' genuinam scripturam in membranis Coloniensibus vidi, 'a genendo Genius appellatur.' Itidem emendabam Varronem apud Augustin. lib. VII. de Civit. Dei. Cato de Re Rustica: 'at ex agricolis et viri fortissimi, et milites strenuissimi gignuntur:' legerim, *genuntur.* Sallustium pariter cum in verbis, cum in phrasi ubique sibi simillimum id verbi usurpasse mihi persuadebam, in fragmentis, cum de fortunatis Insulis agit: 'Cujus duas insulas' (inquit) 'propinquas inter se et 10. stadia procul a Gadibus sitas, constabat suopte ingenio alimenta mortalibus genere:' editiones habent *gignere.* Emendandus quoque Festus bis, terve, in 'Genium.' *Stewech.* Contra fidem omnium *genitur* in textum recepit Colv. De *geno* vide ad Gell. lib. III. cap. 16. Reposuit id etiam Cuningh. ad Horat. III. 21. 2. 'Sive genis jocos.' *Oud.*

Ut eæ preces] Non est in toto libro difficilior locus, cui sanando variam medicinam adhibuerunt. Vitium ex perversa scribtura ortum, *necsumq.* pro *nexumq.* Unde insinnavit se in omnes libros, *nec sunt quæ.* Et inde variæ conjecturæ: *nec desunt: ut eæ preces testantur.* At quid apertius hac lectione? *Ut eæ preces quibus Genium et G. precantur, conjunctionem nostram nexumque videantur mihi obtestari, corpus atque animum duobus nominibus comprehendentes, quorum communio et copulatio sumus.* Superest hic nodus in istis verbis. *Genium et genua*: sic enim plerique libri: alter

Cujacianus, *genia.* Verisimile est scribendum, *Genium et Genitam precantur.* Genita Mana culta Romanis, præses partionum, ut Genius generationis. Plutarchus Quæst. Rom. XLVII. διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν; ἢ ὅτι δαίμων ἐστὶν ἡ Γενεῖτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν; Mentio ejus etiam apud Plinium XXIX. 4. ubi vides preces factas Genitæ, quas ei simul ac Genio fieri solitas elicias e Gellio XIII. 21. observante morem solennem in comprecationibus publicis jungendi Deas feminas Diis maribus. *Merc.* Olim propter sequentia verba *nec desunt qui* locus hic pro conclamato habitus; et primo Wower. legit cum Elm. et Scriv. *ut eæ preces testantur*, verum nominat. *preces* dependet ab *videantur obtestari:* nam pro *nec desunt qui* statim videbimus, legi oportere *nexumque.* Voss. *hæc preces.* Oud.

Quibus Genium prec.] Mutila videtur oratio, quam recte supplebis, si rescripseris: *Ut eæ preces testantur quibus.* Subjungit enim: *Nec desunt, qui videantur obtestari:* quamvis Fulvii liber legat *obstare.* Wowerius. In Flor. *G. et g. precantur.* Wower. legit, *ut eæ preces testantur, quibus genium precamur*, quod postea etiam reperi in Excerpt. Batav. *Elmenh. Genium et genua precamur, ad conjunctionem n.* Hæc Scaligeri lectio est, quam secuti sunt Elm. Scriv. et Flor. 'Genua ut aras adorant' Plin. lib. XI. cap. 45. *et genua* absunt ab Edd. reliquis. Sed ea agnoscunt Codd. Mediceus, Voss. Brem. Putean. Fulv. vel *et genia* in Thuan. Vulc. Harlem. Cujac. sec. At vero τὸ *ad* nullus habet codex; uti quoque ibi delendum esse viderunt Merc. Cout. Flor. Nam casus ille regitur ab *obtestari.* Sed vel sic locus persanatus non est. Veteres enim non precabantur *genua* aliorum, sed advoluti ad eorum genua eaque prehendentes precabantur *genium.* Hinc, antequam Merceri editionem notasque videram, conjeceram τὸ *ad* loco suo motum esse, scribendumque *genium ad genua precamur*, vel *precantur*, quod est in Florent. Cantabr. Mercer. Vulc. In Voss. *precatur:* pro varia tamen lectione *precamur* in Cantabr. Sed optime locum emendavit Mercerus, eique emendationi nunc prorsus acquiesco. *Oud.*

PAG. 688. *Nexumque*] Scil. animi et corporis; quam conjunctionem ex Auctoris sententia indicabant preces *Genii et Genitæ:* sic mox 'a nexibus corporis liberi.' Hanc emendationem se concepisse ait Floridus e scriptura codicis Thuan. At vero subripuit Mercero, qui sic dudum correxerat ediderat que, ut et Coutur. Confirmant hanc emendationem Mss. Cantabr. uterque Harlem. Voss. Vulc. Mercer. qui habent *nec suntque.* Pro *obtestari* ergo frustra Ursinus e suo cod. *obstare* conjecit, et in Florent. est *testantur.* Sic enim jam clarus est locus: *Ut eæ preces, quibus Genium et Genitam precamur, conjunctionem nostram, nexumque videantur* (f. *videntur*) *mihi obtestari, corpus atque animum duobus nominibus, &c.* Idem.

Emeritis stipendiis] Brem. et Leid. *emeritus s.* Rom. et Ald. *exutus stipendiis.* Elmenh. Ita recte libri nostri omnes, *non emeritus.* Et recte item alter Cujacianus, *corpori suo abjurans.* At idem et primus male *Lemurum.* Mercerus. Var. Lect. Burm. et Edd. ante Vulcan. *Exutus et liber stipendiis vitæ corpore suo abjuratis.* Mss. Vulc. Brem. Leid. et Edd. Vulc. Scal. Wow. *emeritus.* Sed recte Elmenh. et seqq. *emeritis.* Sic enim habent Mss. ceteri, passive. Plaut. Mostell. A. I. Sc. 2. 'Unum ubi emeritum est stipendium.' Vide quæ collegi ad Lucan. lib. VII. vs. 258. 'Emerito faciat vos Marte colonos.' Drakenb. ad Sil. VII. 17. 'emeritum cœlum:' de quo tamen cf. Bentl. ad

Manil. I. vs. 421. Si vel sic addicerent Codd. possent retineri *emeritis stipendiis vitæ exutus et liber corpore suo;* deleto τῷ *adjurans*, quod non comparet in Cod. Thuan. Sic fere in dialogo Trismegisti: 'emeritos atque exutos mundana custodia, nexibus mortalitatis absolutos.' Hinc *emeriti* dicuntur mortui, quod revocandum e Ms. antiquissimo in Auson. Prof. 9. vs. 6. Quid quod nec Latinum esse putem *corpore abjurans* ut est in Mss. plerisque et edidit pro *abjuratis* primus Vulc. Rectius sane foret quod est in Ms. Bened. *corpore se abjurans*, vel quod dant Harlem. et Cujac. sec. probante Mercero, qui sic edidit cum Coutur. *corpori suo abjurans.* Pricæus ad Apolog. p. 152. conjecit *abjugatus.* Oud.

Lemurem dictitatum] Florent. Harlem. Voss. Leid. Cujac. sec. *Lemurum.* Edd. Ald. Junt. *dictatum.* Locum hunc ita contrahit Serv. ad Virg. Æn. III. vs. 63. 'Apuleius de Dæmonio Socratis: 'Manes,' inquit, 'animæ dicuntur melioris meriti, quæ in corpore nostro Genii dicuntur: corpori renunciantes, Lemures: cum domos incursionibus infestarent, Larvæ appellabantur: contra, si æqui et faventes essent, Lares familiares.' *Idem.*

Pag. 689 *Quieto num. domum poss. &c.*] Servius Grammaticus in glossis Mss. 'Lar, θεὸς οἰκίδιος.' Glossæ antiquæ: 'θεοὶ κατοικίδιοι, Lares familiares, ἥρωες κατοικίδιοι.' Hieronymus in Esaiam tomo IV. cap. 57. fol. 186. edit. Plant. 'Nullus erat locus, qui non idololatriæ sordibus inquinatus, in tantum, ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares, et tam publice, quam privatim animarum suarum sanguinem eis funderent. Hoc errore et pessima consuetudine vetustatis multarum provinciarum urbes laborant, ipsaque Roma orbis domina in singulis insulis, domibusque tutelæ simulachrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, ut tam intrantes, quam exeuntes domus suas inoliti semper commoneantur erroris.' *Elmenh.* Non illi solum quos hic dicit Appul. sed et alii dicuntur *Lares.* Vide Boudelot. tom. I. Util. des Voyag. p. 170. *Oud.*

Larvas perhibent] Glossæ, 'larvæ, δαιμόνιον, εἴδωλον.' Papias: 'Larvæ ex hominibus facti dæmones dicuntur, qui mali meriti fuerunt, quorundam natura esse dicitur terrere parvulos, et in angulis garrire tenebrosis.' *Elmenh.*

Nomine Manium Deum nunc] Bas. 1. *manem.* Ald. *manum.* Porro hæc omnia ex Plotino sumpta ostendit D. August. de Civit. Dei lib. IX. cap. 11. *Colv.* Aldus *Manum.* Rom. *Manen.* Basil. 1. *Manium D. n.* Vide Augustinum de Civit. Dei lib. IX. cap. 11. Papias: 'Manes Deos mortuorum dicunt pagani, quorum potestatem infra Lunam et terram asserunt.' *Elmenh.* Delendum *nomine* indicio est alter Cujacianus, in quo fuerat *nomine*, erasum deinde et rescribtum, *manem.* Sequentes librarii utrumque posuerunt, ut solent ubi incerti quid sequantur. *Merc.* Bened. *nomen:* male. Nec melius *Manum* Ald. Junt. *Manium* Colv. *Manen* Edd. Rom. Vic. Bas. pr. Contra Nostri stylum τὸ *nomine* deleri voluit Mercerus, ut abest hinc ab Ed. Coutur. Vide supra ad p. 674. *Nuncupat* Bened. De his præter citata vide etiam Brod. Misc. V. XI. Casaubon. ad Pers. p. 464. Perizon. Misc. Obs. vol. VIII. p. 121. Boudelot. Util. des Voyag. t. I. p. 144. *Oud.*

Pro numine p. ab hom. præditi] Ms. *prænomine postea ab h. p.* *Prænomine* scil. Dei, ut dicatur, Deus Æsculapius, Deus Osiris, &c. *Sciopp. in Symb.* Ita vulgaris editio. Lib. scriptus Fulvii, *prænomine postea.* Alii codices, *advertuntur.* Vera lectio: *pro numine postea ab hominibus proditi.*

fanis et ceremoniis vulgo advertuntur. Ita Appuleium scripsisse certo affirmarim. Observanda vox: *advertuntur*, quam simili significatione postea usurpat: 'Bonorum probatior, si rite animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur.' *Wower.* Scaliger *proditi*, bene. *Elmenh.* *Pro numine* malui cum vulgatis, quam cum libris, *prænomine.* Mox scribserim, *crediti*, non *præditi*: nam exempla quæ adfert Amphiarai, Mopsi, Osiridis, Æsculapii, non alicujus adsciti nominis vel prænominis, sed crediti divini numinis fidem adstruunt. *Merc.* Corruptum censet locum Boudelot. Util. des Voyag. t. I. p. 149. Quod Wower. conjecit *proditi* in textum receperunt Elmenh. et seqq. Sed Mss. O. servant *præditi.* At *pronomine* habent Edd. Vic. Ald. Junt. Immo *prænomine* Mss. Fulv. Harlem. Voss. Vulc. Bened. et Mercer. quod cum Scioppio mihi non prorsus displicet: sed cum *ab* non exstet in Cantabr. Voss. Harlem. nec Edd. Merc. Cont. malim capere *præditi* pro præfecti: ut supra p. 674. Ed. Flor. 'præditi curant singulis.' Statim 'qui nobis præditus fuit:' sed ibi R. *præbitus.* Immo hoc loco adscripsit Lips. *p. hominibus præbiti.* Quod Merc. mallet *pro numine ab hominibus crediti*, id Latinum non puto. Edd. Rom. Vic. Bas. pr. *omnibus.* Est etiam qui legit *pio numine.* Oud.

In Africa Mopsus] Tertull. tamen libro de anima cap. 47. Mopsum in Cilicia nominat. *Sciopp. in Symb.* Tertull. de anima cap. 47. 'Oraculis hoc genus stipatus est orbis, Mopsi in Cilicia,' &c. Vide Procopium, Ciceronem de divinat. et Cœlium Rhodiginum in antiquis lectionibus. *Elmenh.* Cantabr. Voss. *Mobsus.* Oud.

PAG. 690 *Osiris*] Fuse Synesius et Plutarch. in libello de Iside et Osyride. *Elmenh.*

Æsculapius ubique] Hoc propter Carthaginienses, ut tetigimus lib. IV. *Brant.* Æsculapius plurimis in locis cultus, ut observat Lilius Gyraldus Syntag. VII. histor. Deorum. *Elmenh.*

Somnus atque Amor] Vide Symposium Platonis. *Colv. Elmenh.*

Custodes singulos additos] Plautus Aulularia: 'Quem quondam Ioni Juno custodem addidit.' *Colv.* Alcinous cap. 15. et 16. Origines contra Celsum lib. VIII. Jamblichus de mysteriis Ægyptiorum pag. 168. et seq. *Elmenh.*

Vita ædita] Scribo, *edita.* Cicero Philippicis: 'Pythagoræ ipsum illum locum, ubi vitam ederit, sedemque viderim.' Singulos singulis hominibus Genios seu Dæmonas custodes datos Plato credebat: hos, etsi invisos, ubique locorum præsto esse observatores factorum, et cogitatorum, quinimo et vita deposita continuo eundem, cui præfecti fuerint, judici sistere: quæ alter commentiatur redarguere: quæ vera dicat approbare: prorsus illorum testimonio sententiam ferri. Dignum observatione, quod Apuleius *custodiam* appellat ipsum hominem, qui custodiendus traditus: ut et Plinius lib. X. epist. 31. qua phrasi et JCti dixere, 'custodiam negligere,' 'custodiam recipere:' et de ipsis, qui custodiuntur agentes, dicitur, 'custodias militibus evadere.' lib. IX. 10. 12. ff. de custodia et exhibitione reorum. Itidem Antiqui *optionem* appellavere eum, qui optatus sit. *Stewech.* Brem. *vita reddita.* Vide Platonem in Phædone fol. 107. et seq. *Elmenh.* *Vita edita*, i. e. peracta, gesta, et exhibita in scena orbis terrarum. At contra etiam 'edere animam,' 'vitam' est mori. Vide Burmann. ad Ovid. Her. Ep. IX. 62. Brem. *v. reddita.* Male; ut egregie docet J. F. Gronov. ad Gell. lib. III. c. 15. 'ætate jam edita:' ubi male Cuper. Obs. lib. II. c. 20. corrigebat *vieta.* Oud.

PAG. 691 *Dicenda*] Flor. *dicunda.* Elmenh. Item Voss. et Cantabr. recte. Vide ad Met. lib. VII. p. 491. a. *Oud.*

PAG. 692 *Apollinis testim. sap.*] Plato Apologia pag. 21. τῆς ἐμῆς, εἰ δή τίς ἐστι σοφία καὶ οἵα, μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι τὸν Θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς. Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε δήπου· οὗτος ἐμὸς ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου, καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρός τε, καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην, καὶ μεθ' ὑμῶν κατῆλθε· καὶ ἴστε δὴ οἷος ἦν Χαιρεφῶν, ὡς σφοδρὸς ἐφ' ὅ, τι ὁρμήσειε, καὶ δήποτε καὶ εἰς Δελφοὺς ἐλθὼν ἐτόλμησε τοῦτο μαντεύσασθαι· καὶ ὅπερ λέγω, μὴ θορυβῆτε, ὦ ἄνδρες· ἤρετο γὰρ δὴ εἴ τις ἐμοῦ εἴη σοφώτερος. ἀνεῖλεν οὖν ἡ Πυθία μηδένα σοφώτερον εἶναι. Vide Annotat. ad Minut. Fel. p. 20. *Elmenh.*

Par contubernio familiaris] Ita libri omnes, quod quid ait fateor me non capere: nam contubernionem et familiarem intelligere possumus, at parem quo modo dicere possit nullus video. Certe scribserat Appuleius, *lar contubernio familiaris:* quod quia novum et mirum videri poterat, addidit illa, *prope dicam.* Jam supra dæmonas dixit eos esse qui emeritis stipendiis corpori suo abjurassent; ex iis eum qui placato et quieto numine domum possideret, larem dici familiarem: et Priscianus larem explicat τὸν ἐνοικίδιον θεόν. Nunc dæmonium Socratis non domus, sed ipsius Socratis larem familiarem quodammodo fuisse subjicit, qui non domum ejus, sed ipsum possideret et tueretur. Larem singulari numero notant omnes veteres Grammatici ex illo Virgilii, 'Pergameumque larem,' et ex Aulularia Plauti, ubi ipse Lar inducitur loquens, diciturque Lar familiaris, ut supra loco jam dicto. Itaque *contubernio* non est primi casus, sed sexti, lar contubernio familiaris, quasi per contubernium, ut loquitur Suetonius Augusto: 'deinde etiam eruditione varia repletus per Arei philosophi filiorumque ejus Nicanoris et Dionysii contubernium.' Ita enim legendum totum eum locum bene animadvertit eruditissimus Cl. Salmasius, cujus de laudibus plura me dicere prohibet artissima quæ inter nos intercedit necessitudo. Mox rectum est, 'interfectis sapientiæ officiis.' Item: 'clauderet.' Item: 'multa sunt enim multa:' eleganti et admodum efficaci repetitione: quæ omnia ita in omnibus libris. *Merc.* R. delet *par.* Lips. in marg. Optime Mercerus conjecit *lar contubernio familiaris.* Editionibus ante Vulcan. τὰ *familiaris, &c. præcavit* desunt contra Mss. Pro *quæ* Ed. Scal. *qua.* Oud.

Interfectis sap. off.] Rom. edit. *intersectis.* Colvius. Ms. *interjectis:* forte, *imperfectis:* vel, *interceptis.* Nihil tamen mutare sustinui: nam et vulgata lectio habet, quo se defendat. *Wower.* Rom. et Brem. *intersectis:* alii *internectis.* Fulvii liber *interjectis,* Wowerius *imperfectis.* Elmenh. *Interceptis* debetur Casaubono ad Apolog. p. 157. cui id subripuit Florid. J. F. Gronov. ad Gell. lib. I. c. 7. in f. legebat *desectis.* Bene ad sensum, sed abit nimis a vulgata et Mss. scriptura. Posset etiam conjici *interseptis.* Adi ad Frontin. lib. I. Strateg. c. 5. § 11. 'intersepto aditu.' Rhenan. et Drakenb. ad Liv. lib. VI. c. 9. Sed conjecturis non indulgendum: sana enim est vulgata lectio *interfectis,* nec quidquam mutandum. Noster lib. V. Met. p. 90. Pric. 'interfecta virginitas:' ubi vide. Passim *interficere* et similia dicuntur pro exstinguere, perdere res inanimas. Noster Met. lib. XI. p. 257. Pric. 'singultu crebro sermonem interficiens:' ubi corrigere facile quis posset *intercipiens:* sed male. Vide Pric. Tertull. Apol. cap. 48. 'interfecta lux.' Noster lib. III. Met. p. 48. 'ut ...formido funditus perimatur.' Sic et 'interimere sacra' Cic. pro Mur. c. 14. similia vide apud Voss. ad Catull. p. 298. Adi omnino Gron. ad Cicer. Off. III. 7. 'nisi aliqui casus aut occupatio consilium ejus peremisset.' Salmas. ad Solin. p. 94. 'memoriæ bonum perimit.' Huc pertinent Lucan. lib. IV. 233. 'Proh! dira

pudoris Funera:' i. e. damna, ubi vide. Quinct. Decl. XII. 24. 'Pudorem sepultum.' Auson. Ep. 118. 'Vixi sine vulnere famæ.' Ovid. I. ex P. 5. 85. 'mea fama sepulta est.' id. Her. Ep. x. 76. 'femina perjuri fraude sepulta viri:' ubi vide, Burm. Terent. Phorm. v. 8. 50. 'sepultus sum,' i. e. perditus. *Oud.*

Agamemnon, &c.] Ciceroni lib. IX. Epist. ad Familiar. 'rex regum.' *Elmenh.*

PAG. 693 *Vigere*] Metuo ne perierit hic verbum vetus, et optimis scriptoribus frequentatum *vegere*. Pomponius Maiali, 'animos Venus veget voluptatibus.' Itidem Sallustio repositum principio Conjurationis, volentibus membranis. Iterum reddo Appuleio prima Apologia: 'cur oratio vestra rebus flaccet, strepitu veget?' in editis hactenus, *viget*. Stewech. Quod si contra Mss. licet, ubivis pro *vigere* id substitui posset. *Oud.*

Spectatores] Revocandi huc e re militari *speculatores*, et scribendum *speculatores diligendi*. de utroque adi Commentarium nostrum ad Fl. Vegetium. *Stewech.* Bene Fulvius, *Spectatores*, sive, *Speculatores*. *κατίσκοποι*. *Sciopp. in Symb.* Fulvius et Stewech. *speculatores*, bene, *κατίσκοποι*. *Elmenh.* Bene Ursinus *speclatores* sive *speculatores* cum Var. Lect. Burm. ut et Markland. Epist. Crit. p. 134. videtur. Sic paulo ante: 'custos ... præfectus ... speculator.' *Oud.*

Ac tædiose ventis abnuentibus] Flor. Brem. et Leid. *ac tædio abnuentibus*. Rom. et Aldus *retro v. abnuentibus*. Schickeradus *ac Rhœteo v. a.* Vide Daretem Phrygium de excidio Trojæ, p. 165. *Elmenh.* *Et obsessis ac tædio abnuentibus*. Sic locum hunc concepit Merc. et eo non nominato de more Cout. et Florid. auctoritate Codd. Florent. Brem. Thuan. Cujac. Leid. quibus adde Cantabrigienses, Voss. Harlem. et Vulc. codd. In Edd. ante Vulcan. abest *et:* dein habent cum Wowerio *ac retro ventis abnuentibus*. Sed *tædio* recte habent Mss. Hinc Scal. Elm. et Scriv. edunt *tædiose abnuentibus*. At non de nihilo est *ventis*, quod exstat in Edd. priscis. Legendum enim *et obsessis ab ventis, ac tædio abnuentibus*. Hinc patet, unde istud *ab* supra venerit. Aulide enim detinebantur Græci *ventis* contrariis et tempestatibus; quod nemini, qui poëtas legit, potest esse ignotum. Immo hinc statim e contrario sequitur tranquillitas maris et clementia ventorum. Verum locus nondum persanatus est. Quid enim? An *difficultas belli* exploranda erat per auguria et extispicia. Immo vero contrarium, et quod subdit *facultas itineris, &c.* Quare omnino legendum censeo *abnuentibus difficultati belli*, i. e. detractantibus bellum ob difficultatem. Sic enim solet Auctor. L. IV. p. 115. 'Thebanis conatibus abnuentes.' L. VI. p. 178. 'terrenis remediis inquisitionis abnuens:' ubi vide. In Apol. p. 524. Flor. 'contumeliis abnuit.' Ante incidit mihi quoque *difficultates*. Sed 'abnuere aliquid' valet negare: ut l. II. Met. p. 62. 'Tantum scelus abnuebat.' Sine casu etiam. Vide Wopkens. ad Septim. de B. Troj. III. 13. Totus ergo locus sic concipi debet: *cum Aulide desidibus, et obsessis ab ventis* (vel *vento*) *ac tædio abnuentibus difficultati belli*. Oud.

Per fibrarum notas] Per illarum enim inspectionem voluntas Deorum exquirebatur, sicuti dixi ad Arnob. l. II. fol. 64. Adde Artemidorum Oneirocrit. lib. II. cap. 74. Zenonem sermone de Iona p. 114. Nicephorum ad Synesium de Insomniis fol. 358. οἱ μὲν οὖν φησὶν ἐκ τῶν ἀστέρων προορῶσι τὸ μέλλον. οἱ δὲ ἐκ τῶν σπλάγχνων τῶν ἀνατεμνομένων σφαγίων. ὁ δὲ θυτικὴ καὶ ἔντομος λέγεται πρόγνωσις. οὐ πᾶσι δὲ τοῖς σπλάγχνοις οἱ μάντεις ἐχρῶντο πρὸς δήλωσιν τῶν ἐσομένων, ἀλλὰ τῷ ἥπατι μόνῳ. Sed hoc postmodum decretis Imperialibus serio prohibitum. Impp. Gratianus, Valentinianus, et Theodos.

leg. 9. Cod. Theodosiani de paganis sacrific. et templis ad Cynegium P. F. P. 'Ne quis mortalium ita faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione jecoris extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat, vel (quod est deterius) futura sub exsecrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus, qui contra vetitum præsentium vel futurorum explorare tentaverit veritatem.' Dat. VIII. Kal. Junii Constp. Arcadio A. I. et Bautone V. C. Coss. *Elmenh.* Inepte Coutur. ob sequentia intelligit *les filets des racines des arbres.* Oud.

Alitum vias serpentum escas] Lindenbrogius legit, *Alitum escas et s. v.* bene. Vide Sarisberiensem lib. I. cap. 12. Flor. et Brem. *serpentium e.* Elmenh. Non fuit mutandum; nam et serpentis esca in hac ipsa divinatione apud Homerum, et alitum vias non potest damnare qui meminerit quæ sint 'præpetis omina pennæ.' Mox rectissime libri, *explorandæ:* item, *tacent mutuo;* non quod alii substituerunt *muta.* Mutuo tacent, qui ante, ubi consilio res indigebat, loquebantur. *Merc.* *Alitum escas et serpentium vias.* Sic reposuere Elm. Scriv. et Florid. ex emendatione Lindenbrogii ad Auctor. Eleg. in Ob. Drusi vs. 136. Ut in genere per *escas alitum* intelligat augurium ex avium esu captatum et de occursu serpentum ominoso. Et sic sane Harlem. etiam habet. At vero pessime, si quid video. Nam tale tripudium solistimum non habebant Græci, nec de infausto serpentum occursu hic cogitandum. Revocavi cum Mercero itaque reliquorum Codd. et Edd. O. scripturam *Alitum vias et serpentium escas;* de qua non ambigere debebat Floridus. *Alitum viæ* sunt meatus avium in aëre, unde captabant auguria, quos vocat eleganter Lucanus l. I. vs. 587. 'motus errantis in aëre pennæ:' ut nunc lego cum Cel. Burm. de Jove Fulg. p. 248. Dein *serpentium esca* intelligit delibationem draconis vel serpentis ex iis, quæ sacra erant vel Deo cuidam in ara vel aliter oblata. De qua *extorum* vel *oblationum* delibatione me memini, nescio ubi, legisse. At similia sunt quæ ex Propertio, &c. adtulit ipse Lindenbrog. ibidem. Ipsos dracones ad auguria fuisse opportunos et prosperos vide in Spanhem. de Præstant. Num. Dial. IV. p. 214. 215. 225. &c. Forsan hic jam quoque alludit Auctor ad passeres a serpente devoratos in augurium Trojæ decimo anno capiendæ: de quibus mox 'alites,' 'altaria,' 'arbores,' &c. Porro *serpentum* minus bene habent Mss. aliquot et Edd. Colv. Vulc. Scal. nam *serpentium* diserte Florent. Voss. Brem. Cantabr. et alii cum Edd. reliquis, ut apud optimos quosque. *Oud.*

Tacent mutuo] Sic Mss. cuncti pro *vicissim*, ut exponunt. Nihilominus mihi admodum frigere videtur, nec, quid eo velit Auctor, satis perspicio. Quare non alienus sum a lectione Edd. Vulcanio priorum *muta.* Auctor El. de Ob. Drusi vs. 185. 'Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges:' at ibi Heinsius Franciusque volebant *jacent:* nec male. Similem locum vindicavi Lucano l. I. 260. 'Rura silent, mediusque jacet sine murmure pontus:' ubi ineptissime alii et nuper Cortius reposuere *tacet.* Quid est 'tacere sine murmure' aliud, quam putida ταυτολογία? *Idem.*

PAG. 694 *Simul arborem contemplatus est, actutum*] Donec meliorem et certiorem lectionem e Mss. quis adferat, hanc ego ex Edd. Vulcanio prioribus revocatam detinebo, ut maxime sanam et intellectu facillimam; præsertim cum ita exhibeant Mss. Florent. Cantabr. Mercer. nisi quod habeant sine sensu et corrupte cum Voss. *actum*, uti tamen edidere Merc. Cout. et Flor. *Actutum*, i. e. extemplo (vide ad Met. l. v. p. 365. a.) divinavit Calchas, simul ac contemplatus est aram, passeres et pla-

tanum: ubi tamen videtur deesse *draco* vel *serpens* ex ara in platanum adscendens, et ibi passeres devorans: ut notum ex Homero Il. B. vs. 300. &c. Ovid. Met. lib. XII. init. et aliis. Non capio cum Mercero lectionem Vulcanii et seqq. qui habet ex Vulc. Cod. *arborum c. e. ictum:* non enim motas arbores in hoc augurio narrant poëtæ. Wower. delevit quoque *est. Arbores c. e. ac tum* exaratur etiam in Cujac. sec. et Harlem. *arborum* in Cujac. pr. et Voss. *Fœtum arborum* exstat in Brem. et Thuan. quod probat Floridus. Sed præcessere jam *alites*, et quis unquam nidum vocavit 'fœtumar borum?' Aliud quid latere videtur. Rutgersius melius *auctum*, ut cito creverit arbor; quod passim boni ominis signum. *Idem.*

Iambo] Idem Pius, *Lampo:* cujus meminit Cristodorus lib. τῶν ἀγαλμάτων· Λάμπων δ' ἀχνυμένῳ ἐναλίγκιος ἦεν ἰδέσθαι, Οὐ γὰρ ἐπὶ φρεσὶν εἶχε Κολινδομένοιο Κυδοίμου Τειρομένοις Τρώεσσι τεκεῖν παιήονα βουλήν. Idem, *Clytius:* nam idem poëta: Εἱστήκει Κλύτιος μὲν ἀμήχανος, εἶχε δὲ δοιὰς Χεῖρας ὁμουπλεκέας κρυφίης κήρυκας ἀνίης. *Colv.* Bene Pius et Scal. ac Wow. *Lampo.* In Mss. est *Iambo*, vel ut in Edd. vett. ante Vulcan. *Iambo.* Vulc. *Lampes.* Elmenh. et seqq. *Lampus* ex Homero. Sed Apollod. lib. III. c. 8. Λάμπωνα, Κλύτιον, Ἱκετάονα. monuit jam Merc. et e Christodori versibus Pius. Adde Athen. lib. VIII. c. 7. Καὶ Λάμπωνα δὲ τὸν μάντιν Κωμῳδοῦσιν. Sic contra *Glaucus* Nostro, qui aliis *Glauco* init. lib. de dogm. Plat. Sic *Iasion* et *Iasius*, *Emathion* et *Emathius.* Vide Heins. ad Ovid. II. Tr. 300. Amant autem Latini ex Græco ων inclinare nominativum per *o*. Vide ad Met. lib. IV. p. 308. b. *Oud.*

Alienæ sapientiæ officiis] Corrupte, et nullo sensu. Quare me auctore scripseris, *alienis sapientiæ officiis.* Vulgo scribunt, *sicubi locorum alienæ sapientiæ consultatio ingrueret.* Hoc si sequamur, legendum erit, *aliena sapientiæ.* Wower. *Aliena sapientiæ officiis.* Ita scribendum contra omnes libros, qui habent *alienæ.* Aliena consultatio sapientiæ officiis est quæstio quam nulla humana prudentia posset solvere. Mox præferenda videtur vulgata, *ibi sui dæmonis præsagio regebatur*, librorum scribtorum lectioni, in quibus, *vi dæmonis præsagia regebat:* nec audio Fulvianum, *vi præsaga regebatur*, cujus mihi fides ex aliis lectionibus a doctis relatis valde suspecta, auctoritas nulla. Crediderim postremam syllabam τοῦ *regebatur* delitescere in verbo *verum*, quo facile carere possemus. Quæ sequuntur optime edidit Vulcanius e suo libro, cui nostri consentiunt: *Quod autem incepta Socrati quæpiam dæmon ille ferme prohibitum ibat, nunquam adhortatum, quodammodo ratio prædicta est:* neque est ut audiamus alios libros, qui habent *quispiam dæmonum*, quod prorsus ineptum est. Apud Xenophontem dæmonium Socratis et adhortatur passim, et dehortatur: unde in 'Απομνημ. δ. εἴγε μηδ' ἐπερωτωμένοι ὑπὸ σοῦ προσημαίνουσί σοι ἅτε χρὴ ποιεῖν, καὶ ἃ μή. Sed Plato diserte negat adhortatum, οὐδέποτε προτρέπει, Theage, et Apologia. *Merc.* Bene hunc locum ex conjectura Merceri tacite constituere Cout. et Florid. Sed emendaverat jam ita summus Casaub. ad Apolog. p. 157. Ante Vulcan. legebatur *alienæ sap. off. cons.* *Aliena officiis* est remota a muneribus. *Alienus* enim sæpe ablativum adsciscit sine præpositione. Sic cum aliis, et in primis Gellio, Noster de Habit. doctr. Plat. p. 606. 'Virtutis disciplinis alienas.' Cic. de Off. I. 13. 'utrumque homine alienissimum.' *Officia sapientiæ* jam habuimus p. 692. *Consulatio* Edd. Vic. Bas. pr. *Oud.*

Enimvero, &c.] Hæc Plato in Apologia Socratis, loquente illo. *Colv.*

PAG. 695 *Ilissi amnis modicum fluentum*] Hunc locum longe corruptissi-

mum ita emendavit eruditissimus Casaubonus, ut a nobis editus. *Wow.* Vere Casaubonus hunc locum emendat, qui corruptissimus tam in Mss. quam editis extabat. Plato Phædro, pag. 229. *Δεῦρ' ἐκτραπόμενοι κατὰ τὸν Ἰλισσὸν ἴωμεν· εἶτα ὅπου ἂν δόξῃ ἐν ἡσυχίᾳ καθιζώμεθα. ἐκεῖ σκιά τ' ἐστὶ καὶ πνεῦμα μέτριον, καὶ πόα καθίζεσθαι, ἢ ἐὰν βουλώμεθα κατακλιθῆναι.* et pag. 242. *Ἡνίκ' ἔμελλον ὦ 'γαθὲ τὸν ποταμὸν διαβαίνειν, τὸ δαιμόνιόν τε καὶ τὸ εἰωθὸς σημεῖόν μοι γίγνεσθαι ἐγένετο, (ἀεὶ δέ με ἐπίσχει, ὃ ἂν μέλλω πράττειν,) καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι, ἥ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι πρὶν ἂν ἀφοσιώσωμαι ὥς τι ἡμαρτηκότα εἰς τὸ θεῖον.* *Elmenh.* Non veritus sum recipere in contextum veterem meam conjecturam de toto hoc loco, olim in Aristæneti notis expositam, et eruditissimi Casauboni judicio firmatam, qui primus eam in notis ad Apologiam Auctoris nostri publicavit. Res nota e Phædro Platonis. ‘Recinendo, *τῇ παλινῳδίᾳ*.’ *Merc.* Olim in Edd. et Mss. corrupte erat *illius.* Oud.

Increpitu indignatum amorem recinendo placasset] Palmaria hæc emendatio Casauboni ad Apol. et J. Merceri ad Aristænet. l. I. Ep. 3. jure merito ab Wowerio et reliquis in textum est recepta, quamvis invitis Mss. qui cum Edd. prioribus exhibent *increpitum inclinatum A. retinendum pl.* sine sensu. Amorem carmine increpuerat Socrates, unde indignatum amorem esse, nec placandum nisi Palinodia, monebat eum Genius, teste Platone: unde hæc sumsit Appuleius. Posses etiam *increpitum indignatumque:* sed malo prius. *Increpitu* pro increpitatione. Alibi plura diximus de rarioribus quartæ declinationis nominibus. *Placasse* Cantabr. uterque Voss. et Harlem. *Recinere* in *retinere* abiit quoque l. v. Met. p. 367. a. *Oud.*

Non suopte corde, &c.] Pacuvius apud Cicer. lib. I. de Divin. ‘Nam istis qui linguam avium intelligunt, Plusque ex alieno jecore sapiunt, quam ex suo, Magis audiendum, quam auscultandum censeo.’ *Elmenh.*

Pag. 696 *Qui hominum ariol. &c.*] Lego, *quin sciunt.* Colvius. Flor. Leid. et Brem. *qui omnium arioli vocem a. s. a. s. usurpatam de qua.* Fulvii liber: *Qui omnium arioli voces s. a. s. usurpatum v. d. q. n. c. de qua sciunt,* sensu plane exsenso. *Elmenh.* Plerique libri habent *omnium arioli vocem:* unus, *ōs arioli,* id est, *ominis.* Mox, *usurpatam* habent omnes, pro *usurpant vocem:* et cetera ita ut edidi; quæ ferri melius est quam temere immutari. *Merc.* *Qui hominum ariolorum vocem a. s. a. s. usurpant vocem, de qua n. c. quam sciunt, &c.* Sic locum hunc edidit Scal. sive Vulc. Ed. sec. et sequentes. Edd. priores *qui omnium aud. voces, &c.* *Omnium* habent quoque Ed. Vulc. pr. et Wow. Lips. in marg. *ominum ariolorum.* At in Mss. Florent. Leid. Brem. Fulv. Putean. Thuan. Cantabrigiensibus, Harlem. Vulc. Mercer. reliquis, hæc ita concipiuntur *qui* vel *quid* vel *quod omnium arioli vocem a. s. a. s. usurpatam vocem, de qua n. c. de qua sciunt,* nisi quod a Thuan. Harlem. Voss. Cantabr. Mercer. et Vulc. absit secundo *vocem* et *usurpatum* sit in Fulv. ac mox *profectum* in Ed. Bas. pr. et *de quo n. c.* dent Cantabr. Voss. et Harlem. Unde legendum suspicor *Qui divinorum* (vel *hominum*) *ariolum voces audiunt sæpenumero, auribus suis usurpatum, de quo nihil cunctentur equidem, sciunt ex ore h. profectum.* Ait Auctor, illos, qui ariolos consulunt, scire, id, quod audiunt, esse vocem humanam. At Socratem dixisse sibi non *vocem* scil. *humanam,* sed *vocem quampiam* divinitus oblatam. *Divinos* vocari ariolos, nemo nescit. *Ariolum* pro *ariolorum* habuimus jam supra hoc lib. ‘ariolum præsagia.’ *Usurpatum* scilicet id, quod usurparunt auribus. *Equidem* cum tertia persona ab Au-

puleio jungi vidimus sæpius. Adi modo ad Met. l. I. p. 10. a. Sic de Mundo p. 741. 'Mundo equidem consentiunt.' Quamvis *usurpatam vocem de qua* possit retineri, vel etiam *usurpant vocem*, si tum pro *quam* non *equidem*, sed *quum sciunt* legamus. Merc. et Cout. *usurpant, de qua n. c. de qua sciunt*. Lips. in marg. *quin sciunt*. Edd. ante Vulcan. *contentur*. Oud. Vera est Msstorum lectio *qui omnium arioli voces* vel *vocem audiunt*, i. e. audiunt, ut arioli, consilia ex fortuita voce captantes. Secundum *vocem* potest esse a glossa. Sed *de qua sciunt* post *cunctentur* non probum est. *J. B.*

At enim Socr.] Hæc et multa quæ præcesserunt sumpta ex Theage, ubi Socrates ipse disserit. *Colv.*

Sed vocem quampiam] Omnino Socrates vocem sibi divinitus editam aiebat. Modo præcessit 'In hujuscemodi rebus vocem quampiam divinitus exortam dicebat se audire:' infra: 'frequentius non vocem, sed signum divinum sibi oblatum præ se ferebat.' Quoniam tamen hic abest vox *divinitus* a Mss. O. eam delevi. *J. B.*

Ita ut Socr. eam quam s. ac divin.] Ita recte omnes libri nostri: qui et mox, *accedebat*, e quo faciendum *addebat*. Commode addebat divinitus sibi editam. Mox recte iidem libri, *signa:* quod et in suis invenerant priores Critici. In Theage habes et σημεῖον et φωνήν. *Merc. Ita ut S. eam, quam sibi ac divinitus editam tempestive aiebat.* Sic editus hic locus in Ed. Vulc. sec. sive Scal. at Edd. vett. habent *ita et* (Ald. Junt. sine *et*) *S. eam quidem sibi ac divinitus editam, tempestive accedebat:* at Vulc. cum Wower. et Elmenh. quoque *aiebat* reposuere: *ac* insuper delevit tacite Wow. *Accedebat* vero revocavit Scriv. sed sine sensu. Merc. *addebat* hinc corrigit, cetera legens ut Vulc. et ex Mercero Cout. Scaligeri lectionem repetiit Florid. nisi quod transposuerit *temp. ac div. ed.* Sic vara vibiam sequitur. At nunquam Socrates dixit, sibi vocem *divinitus* editam. *Accidebat* habent Mss. Florent. Voss. Leid. Brem. Harlem. *accedebat* Cantabr. uterque, et *ita ut S. eam, quam* in Mss. O. *edita* Ed. Aldina; unde suspicor scriptum ab Appuleio fuisse *Ita ut Socrates eam;* scil. demonstrat habuisse quid insolitum, *quæ æque sibi ac divinitus edita tempestive accidebat* vel *accedebat*. Nihil mutavi nisi *quam* in *quæ æque*. *Accidere* vel *accedere* sine dubio est ab Auctore: de eo vide ad Met. l. v. p. 326. a. *Oud.* Omnino Socratem dixisse sibi vocem *divinitus editam*, supra monuimus. In lectione Codicum *accedebat* vel *accidebat* latet fortasse *asserebat*. J. B.

PAG. 697 *Pythagoricos*] Idem scribit Plutarchus, libello Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. *Colv.* Libri omnes, *secundum Pythagoricos*, pro *contra:* ut supra, 'illos secundum adversari et affligere:' pro quo recte in Augustino, 'illos contra.' *Merc.* Mss. Florent. Voss. Cantabr. pr. Harlem. Vulc. cum Mercer. libris omnibus *secundum Pyth.* Bened. *hoc seculo Pyth.* An *auctor secundum Pythagoricos* non possit significare, *pro Pythagoricis* et eorum sententia. Sic *secundum Platonem*, et statim *secundum ipsum*, i. e. juxta ejus sententiam. Horat. Ep. 7. 9. *secundum vota Parthorum*, i. e. pro votis. Ita passim 'secundum aliquem sententiam dicere,' i. e. ex ejus voto. Quare id omnino placet. Salmas. ad Solin. p. 770. cum Mercero putat hic significare *contra*, ut alibi. *Oud.*

Pari] Ita et V. C. Quid si legamus? *rapi*, ut referatur ad quod præcessit *secundo;* metaphora sumta a secundo flumine; quod et optime respondet ei quod sequitur, *dirapimur*. Vulcanius. Excerpta Bat. *sancto studio*. Elmenh. Vulgatam lectionem, *secundum ipsum*, inveni in tertio

Cujaciano, quam et expresserat in prima editione Vulcanius. At reliqui manuscribti, *secundo studio.* Notat Elmenhorstius in Batavicis esse *sancto.* Sed rectum est *secundo.* Secundum studium philosophiæ, est beatum: ut infra, 'Sed veræ beatitudinis, id est, secundæ vitæ, et prudentiæ fortunatissimæ esurit et sitit:' quod et ibi non intellectum mutaverant in *sinceræ:* et hic pars in *sancto,* alii in *secundum ipsum:* quidam in *sedulo,* quod e suis manuscribtis adfert Scioppius: quod non spernendum. Mox rectissime libri, 'similium numinum caventes permittimus.' *Merc.* Clare *secundum ipsum* exstat in utroque Cantabr. et Edd. ante Vulcan. quem miror id delevisse, sequentibus eum Scaligero et Wowerio. Elmenh. vero Merc. et posteriores exhibent *secundo studio,* sive felici et fausto, ut exponere videntur; idque invenitur in Florent. Harlem. Brem. Vulc. Merc. et aliis: *secundum studio* in Voss. At *sancto studio* Putean. *sedulo studio* Fulv. quorum duorum alterum tunc saltem præferrem. Sed recte in nota seq. Wower. amplexus est antiquitus *secundum ipsum:* quod non intellexerunt librarii, quum notet, 'Ejus more, exemplo, placito, ut ipse fecit.' Immo adjectivum hic non valere patet ex voce *pari.* Quid enim *secundo studio pari?* quod videns, credo, Floridus tacite et audacter edidit *paris,* sed contra Mss. et Edd. O. nisi quod absit a Bened. Vell. Pat. lib. I. cap. 17. 'in studium par.' *Oud.* Ex Vulcanii nota patere videtur typothetarum incuria τὸ *secundo* Editioni ejus deesse. Sed nescio quo casu factum est, ut Vulcanii istæ in Philosophicos libros notulæ, primæ ejus editioni A. 1594. præmissæ, sed in Edit. Scalig. A. 1601. non repetitæ, Celeb. Oudendorpium fugerint. Ceterum bene, ni fallor, Floridus edidit *paris,* cum *s* facile absorberi potuerit a sequente *similium.* Nisi vere conjecerit Vulc. *rapi.* *Secundo studio* utique servandum est, cum eo referatur *de quo.* J. B.

Nos, &c. similium numinum caventes permittimus] Ita V. C. pro eo quod in excusis legitur, *canentes promittimus,* nullo sensu. Ego tamen, salvo doctiorum judicio, malim legere, *similium numinum aventes,* hoc est, studiosi. *Vulc.* Vulcanii conjectura legentis, *aventes* pro *caventes,* est ipso sane digna, hoc est, homine acuto: ego tamen manuscriptos sequor. Caventes similium numinum dicit eos, qui veriti conscientiam Genii sui (quem superius arbitrum et testem omnium non modo actuum, sed et cogitatorum dixit) philosophiæ se studiis dedunt, tanquam quæ sit virtutis indagatrix, expultrix vitiorum. *Sciopp. in Symb.* Ita fere omnes antiqui libri. Caventes similium numinum, veriti religiose genium nostrum, Philosophiam Socratis studio amplectamur. At meo periculo affirmarim rescribendum: *ac nobis secundum ipsum, studio philosophiæ pari, similium numinum conventus promittimus.* Wowerius. Hæc lectio est Mss. Brem. Florent. et Basil. 2. Excerpta Bat. et Basil. 1. Rom. et Aldus, *similium n. canentes promittimus.* Scaliger et Vulcanius, *s. n. aventes.* Wowerius *similium numinum conventus.* *Caventes similium numinum* dicit eos, qui veriti conscientiam Genii sui Philosophiæ se studiis dedunt, tanquam quæ sit virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum. Sic recte Scioppius. *Elmenh.* Edd. ante Vulcan. *canentes promittimus.* Sed Mss. reliqui *caventes permitt.* in Voss. suprascriptum *cupientes.* Ut Sciopp. Wow. Elm. et seqq. exponunt, *caventes numinum* dictum est ut *metuens captivitatis* Met. lib. I. p. 30. a. ubi vide. 'Permittere se studio:' ut Gell. lib. VI. c. 16. 'qui inconditis linguæ exercitationibus ad famam se facundiæ permiserat.' Vir Doctus in marg. Ed. Junt. *callentes:*

sed ampliandum censeo. *Oud.*

Et nihil æque miror] Sequentia omnia usque ad finem hujus libelli, emendatiora, integriora laudantur a Joann. Salisberiensi lib. VI. cap. 28. e quo non pauca hic, quæ manca mendosa ante, jam primum restituimus. *Colv.* Hunc locum citat Saresberiensis lib. VI. c. 28. *Elmenh.*

Q. cum omnes cupiant] Rescribe *cum omnes cupiant*. Stewech. *Quum cum omnes et cupiant optime vivere, et sciant non alia re vivi quam animo, nec fieri posse, quin ut optime vivas, animus colendus sit; tamen homines animum suum non colant.* Concisius, sed corruptius ante vulgata hæc: *Quum cum omnes et cupiant optime, et sciant quantum virax animus colendus sit, tamen animum suum non colant.* Colv. Hæc et sequentia monita P. Pithœi Subs. II. 20. correxit ante Vulcan. ex parte Colv. e Sarisber. Polycr. lib. VI. c. 28. cum quo conspirant Codd. Mss. *Oud.*

PAG. 698 *Vegetanda*] Id est, exercitanda. Gellius lib. XVII. Noct. Att. 'Cum librum veteris scriptoris legebamus, conabamur postea, memoriæ vegetandæ gratia, indipisci animo ac recensere.' Sidonius lib. V. Epistol. 'Quantum membra torpore statarii laboris hebetata, cursu salubri vegetarentur.' *Colv.*

Ismenias] Illius celebrata vox: 'Mihi et Musis.' Unde Hieronymus contra Ruffinum, et in Esaiam pag. 292. 'Mihimet ipsi et meis juxta Ismeniam canens' dixit. Vide Sueton. Tiberio 21. Julianum Misopogone. Apollonium in Epistolis pag. 12. Cic. in Tuscul. Quæstion. *Elmenh.* Al. *Hismenias.* Leid. *Smenas.* Mss. Harlem. aliique a Lindenbrogio collati et J. Sarisb. *sibi menias.* Hinc egregie ad marginem correxit Lindenbrogius, *sibi Ismenias*: cujus solemnis vox erat ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις. Exempla, quæ adducit Elmenh. sublegit Lindenbrogio, nec tamen eum intellexit. *Oud.*

Ne omnes prosequar] Sarisb. *persequar.* Delph. et Var. Clas. male. *Elmenh.* Cum Sarisb. tamen *persequar* exhibent Mss. Harlem. Vulc. Mercer. Voss. Edd. Scriv. Merc. Cont. Flor. At Elmenh. cum reliquis exhibet *prosequar*: sed contra ipse Auctor simili modo p. 682. 'ac ne ceteros longius persequar:' et in Apol. p. 551. 'Ne omnia persequar.' Perpetua vero in his est confusio. Vide ad Frontin. p. 5. Ceterum in Vulc. Cod. est *omnibus p.* Voss. *ni omn. p.* Harlem. et Sarisb. *si omn. p.* Oud.

PAG. 699 *Si q. e. æra dispungas, invenies*] Optime ita scriptum in eodem Salisb. Vulgo pessime, *ora dicere invenias.* Dispungere est conferre accepta et data, inquit Ulpianus l. LVI. D. de Verb. Sign. ut etiam idem Dispungendas rationes accipit l. VI. D. de Statulib. Seneca lib. IV. de Beneficiis: 'Apud me istæ acceptorum expensorumque rationes dispungentur.' Glossarium vetus: Ἐκλογιστὴς, Dispunctor. Hinc Dispungere pro examinare, in re qualibet. Tertullianus de Patientia: 'Omnis injuria cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum in petra libratum et obtusum:' et de Monogamia. Idem, tropo eodem, vocat Creatorem judicem et dispunctorem meritorum, lib. IV. advers. Marcion. Etiam rationum verbum, Expungere. Noster Apologia II. 'Cum haud pridem Pudentilla de suo quinquaginta millia nummum expunxisset ea die, qua Pontianus uxorem duxit, et hic puerulus toga est involutus.' Hermogenianus l. XIII. de Divers. et tempor. præscr. 'Reipublicæ rationes subscriptæ, et expunctæ.' Unde explicandus locus Plauti Cistellaria: 'Nunc quod reliquum restat, volo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam.' Tertullianus de Idololatria: 'Quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt.' *Colv.* Brem. *acta dispungas*, Rom. et Ald. *ora dicere in-*

venies, insulse. *Elmenh.* Sic libri omnes, non addito *si*. Mercerus. Delevi cum Merc. et Cout. τὸ *si* auctoribus Mss. et Edd. vett. ac Sarisber. quam particulam male invexit Vulc. Passim eam eleganter omitti, jam tirones sciunt. Adi Gronov. Obs. IV. 20. Broukh. ad Tibull. I. 7. 43. et sexcenties. Immo ne opus quidem hic est. 'Æra dispungere' vocat Seneca 'rationes dispungere.' Vide Colv. et P. Ciacconium libro de Nummis, ubi hunc locum e Msto sic emendat: nam inepte olim edebatur *ora dicere:* τὸ *Acta*, quod idem cum rationibus, quæ et *diurna* et *quotidiana* absolute vocantur, non temere hic cum Florido præferrem: sapit enim glossam τοῦ *æra*, quod retinent Mss. ceteri, et agnoscit J. Sarisb. Melius id etiam τῷ *rationibus* congruere judicat Burm. *Oud.*

Omnia ornata præter ipsum d.] Themistius Orat. 16. p. 393. Ὅτι ὦ θαυμάσιε μᾶλλον προσήκει ἑκάστῳ τὴν ψυχὴν ἀξίαν πολλοῦ κατασκευάζεσθαι, ἢ τὴν οἰκίαν, σὺ δὲ τοῖς μὲν τοίχοις ἐγγράφεις πολλὰ καὶ ποικίλα, τὴν ψυχὴν δὲ ἄγραφον περιορᾷς, ὥσπερ γραμμάτιον ἀληλιμμένον, καὶ τὸν μὲν ἀνδρῶνα ἀνεπίξεστον καταλιπεῖν οὐκ ἀνέχῃ πειθόμενος Ἡσιόδῳ τῷ ποιητῇ, τὸν νοῦν δὲ ἀνεπίξεστον περιφέρων πρᾶγμα οὐδὲ ὑπολαμβάνεις. Talem divitem egregie lusit Diogenes, ut refert Galenus in Exhortatione ad artes pag. 3. ὃς ἑστιώμενος παρά τινι τῶν μὲν ἑαυτοῦ πάντων ἀκριβῶς προνενοημένῳ, μόνου δὲ ἑαυτοῦ παντάπασιν ἠμεληκότι, χρεμψάμενος ὡς πτύσων εἶτ' ἐν κύκλῳ περισκοπήσας, εἰς οὐδὲν μὲν τῶν πέριξ ἔπτυσε, αὐτῷ δὲ μόνῳ προσέπτυσε τῷ δεσπότῃ τῆς οἰκίας· ἀγανακτοῦντος δὲ αὐτοῦ, καὶ τὴν αἰτίαν ἐρωτοῦντος, οὐδὲν ἔφησεν ὁρᾶν οὕτως ἠμελημένον τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν ὡς ἐκεῖνον. τοὺς γὰρ τοίχους ἅπαντας ἀξιολόγοις γραφαῖς κεκοσμῆσθαι, τὸ δὲ ἔδαφος ἐκ ψήφων πολυτελῶν συγκεῖσθαι, θεῶν εἰκόνας ἔχον ἐξ αὐτῶν διατετυπωμένας, ἅπαντα τὰ σκεύη λαμπρὰ καὶ καθαρά. καὶ τὴν στρώμνην καὶ τὰς κλίνας εἰς κάλλος ἐξησκῆσθαι, μόνον δὲ ἐκεῖνον ὁρᾷν ἠμελημένον· εἴθισται δὲ ἅπασιν ἀνθρώποις εἰς τοὺς ἀτιμοτάτους τῶν παρόντων τόπων ἀποπτύειν. *Elmenh.* Cantabr. *pr. illum d.* Oud.

Tantali vice] Petronius: 'Non bibit inter aquas poma aut pendentia carpit Tantalus infelix, quem sua vota premunt.' Tzetzes Chil. v. Hist. x. *Elmenh.*

Pag. 700 *Fallacis undæ sitit*] Omnino ita scribendum contra omnes libros, qui habent *sitim*. Corrumpendo loco fuit ignoratio locutionis elegantis, quam tamen statim usurpat Noster, 'veræ beatitudinis esurit et sitit.' *Merc.* Si sana sunt *fallacis undæ sitim*, non referendum ad *captat*, sed ad *esurit et sitit*. Ut 'sitire sitim' dicatur quomodo 'servire servitutem' et innumera alia. Verum durissimum est *esurire sitim*. Cout. et Flor. ex Merceri correctione edidere *sitit* contra Mss. et Sarisber. Mihi aliud quid latere videtur. Nam in Tantali similitudinem dicit de homine beatitudinis experte *esurit et sitit:* et hic bis idem de captatione fluenti et fallacis undæ, non cibi agitur. Quid si ergo τὸ *flagitium* e superioribus huc traducamus, scribamusque *fallacis pomi flagitium?* Cum genitivo autem *esurit et sitit* construit Auctor. De qualibus verbis cf. ad Met. l. v. p. 329. b. et ad Gell. N. A. IX. 13. 'quiescerent pugnæ.' *Oud.*

Secundæ vitæ] 'Secundæ vitæ,' i. e. fortunatæ, atque ita Mss. plerique cum J. Sarisb. Edd. Vulc. &c. In Harlem. tamen et Edd. prioribus exstat *sinceræ;* quod magis hoc loco placet, sive incorruptæ, non fucatæ: ut passim 'sincera fides,' 'sincerum judicium.' Phædro l. IV. F. 25. 'sincera integritas.' Apolog. p. 598. 'sinceras virtutes.' *Idem.*

Neque enim, &c.] Vendendi caussa ornari equi et id genus jumenta solebant, ut est in Ædilitio edicto apud Ulpian. l. XXXVIII. de Ædil. ed. Eo

spectat Seneca Ep. LXXX. 'Equum empturus, solvi jubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia lateant.' Horatius I. Serm. 'Regibus hic mos est, ubi equos mercantur, apertos Inspiciunt, ne si facies, ut sæpe, decora Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem.' Macrob. Saturn. lib. I. cap. 11. 'Quemadmodum stultus est, qui empturus equum non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frænum; sic est qui hominem aut ex veste aut ex conditione, quæ modo vestis nobis circumdata est, æstimandum putet.' *Colv.*

Monilia variæ gazæ] Brantii conjecturam in textum recepere Merc. Scriv. ac Flor. cum in Mss. O. et J. Sarisber. constanter sit *variæ gazæ*, nisi quod *gaza* habeant Harlem. et Voss. cum 2. Cujac. Profecto *variæ gazæ* melius dicuntur monilia, quam *variegata*. Sed quid si legas *ex arg. et auro et gemmis monilia variæ gratiæ:* ut lib. II. Met. 'Ampli calices variæ quidem gratiæ, sed pretiositatis unius:' ubi contra *gazæ* ex hoc loco cum Pricæo legit Floridus, qui id videtur oblitus esse. Pro *gemmis* Bened. *genus*. Idem.

Cingula aurata] Vulg. *singula armata*. Virg. Æn. IX. 'Phaleras Rhamnetis, et aurea bullis Cingula.' Statius Theb. VI. 'Seu fræna libet, seu cingula flammis Mergere.' Cingula, quibus equi cinguntur, et constringuntur: *αἱ ζῶναι*. Basilius ad Divites: Χαλινοὶ καὶ ζῶναι καὶ περιδέῤῥαια πάντα ἀργυρᾶ, πάντα χρυσόπαστα. τάπητες ἁλουργοὶ κοσμοῦντες τοὺς ἵππους ὥσπερ νυμφίους. *Colv.*

Equum ipsum nudum] Senec. Ep. 80. 'Equum empturus,' [&c. vide supra.] Vide Stobæum serm. I. de virtute. *Elmenh.*

Argutum caput, &c.] Oppianus de venatione lib. I. vs. 173. eleganter virtutes equi depingit, cujus digni sunt versus, ut etiam hic legantur: Ἵππον δ' ἐν πάντεσσι πανέξοχον ἐφράσσαντο Ἴδμονες ἱπποδρόμων καὶ βουκολίων ἐπίουροι, Εἴδεσιν ὃς τοιόισιν ὅλον δέμας ἐστεφάνωται. Βαιὸν ὑπὲρ δειρῆφι, μετήορον ὑψικάρηνον Ἀείροι, μέγας αὐτὸς ἐὼν περιηγέα γυῖα· Ὕψι κάρα, νεάτην δὲ γένυν ποτὶ δειράδα νεύοι· Εὐρὺ πέλοι φαιδρόν τε μεσόφρυον· ἐκ δ' ἄρα κόρσης Ἀμφὶ μέτωπα τριχῶν πυκινοὶ σείοιντο κόρυμβοι. Ὄμμα τορὸν, πυρσωπὸν, ἐπισκυνίοισι δαφοινόν· Εὐρεῖαι ῥῖνες, στόμα δ' ἄρκιον, οὔατα βαιά· Γυραλέη δειρὴ τελέθοι λασιαύχενος ἵππου. *Elmenh.*

Animosum pectus] *Honestis*, quod addebatur importune, delevi auctoritate tertii Cujaciani. Siquis alios secutus retinere velit, et similes notet in allegandis poëtarum verbis mutationes, non magnopere pertendam. At libri omnes *molliter*, non *permolliter*. Item, *existimare*, non *æstimare:* quod non magis rejiciendum fuit, quam quod statim sequitur, *pauperem exspecta:* cujus exempla obvia passim et notata doctis. Item, 'hæc enim cuncta, ut dico, aliena sunt.' *Merc.* Voss. Edd. Scal. Elm. *honesti:* male: licet apud Virgil. ita sit: nam ibi ad sequens refertur 'honesti spadices.' Cout. cum Merc. delevit hanc vocem. *Oud.*

Si duplex] Vide de la Cerdam ad Virgil. Georg. lib. III. fol. 398. *Elmenh.*

PAG. 701 *Pauperem specta*] Brem. *pauperem exspecta*. Non sine exemplo. Nam ita semper Mss. codices Lactantii et Orosii, quos non paucos contuli. Lex 6. Cod. Theodos. ad L. Juliam de adulteriis. 'Hujusmodi scelus exspectante populo flammis ultricibus expiabunt.' *Idem.* Harlem. Mercer. Sarisber. cum Brem. et Ed. Cout. *exspecta:* librariorum vitioso more. Vide Elmenh. qui tamen cum Mercero videtur probare, Drakenb. ad Livium et me ad Cæsarem sæpius. *Oud.*

Sat e Protomo] Salisb. *sata pthaomo*. Ad quam scripturam accedit proxime conjectura Th. Canteri nostri, *Pro-*

thonio: quam vide ad lib. II. Arnobii. Ego hic nihil me certi posse constituere fateor. *Colv.* *Sate Prothaonio.* Sic Leid. et Bas. 2. in Florent. legitur *sat e Protaonto.* In Brem. *sat prothalamo.* in Rom. et Aldo *sat e Protomo* legitur. *Elmenh.* *Sat e Prothaonio.* Ita libri duo optimi. Tertius, *Protonio.* Sequentia indicant nomen esse avi Socratis, patris Sophronisci. Mox videntur non male addidisse particulam, *nec,* quæ tamen abest omnibus libris, *Nec magis ista dinumero:* non enim præfert corporis dotes fortunæ muneribus: quin utraque æque spernit, ut in animi solum virtutibus acquiescat. *Merc.* *Sat e Protaonio* Florentini codicis lectionem esse notavit Lindenbrog. quam recepi, donec certus fuero, quomodo hic legi debeat: nam fateor, me cum ignarissimis nescire. Sensum enim non clare percipio, quem certe Floridus etiam non cepit, interpretans 'Cum dicis, fili Protaonii, est ipsius laus.' Socrates enim fuit *Sophronisci* marmorarii seu statuarii filius. Putavi olim cum Mercero innui Socratis avum, et Auctorem velle, veram laudem non oriri ex pecunia, nobilitate, certe non Socrati, cui *sat gloria* sive satis gloriæ fuit ortum esse e *statuario* (cujus nomen hic corruptum foret) qui talis fuit, et vir tam probus, licet non nobilis, nec dives, ut *nepotem* Socratem ejus non puderet scil. se tali avo ortum esse. Hinc quoque Lips. in marg. conjecit *protavo.* Sed potius si constaret, ut in vita ejus asserit Wower. (v. Salmas. Proleg. ad Plin. Exerc.) Plutarcho ortum esse nostrum Auctorem, et id ab ipso in Milesiis non fictum esse, omnino legerem, ut Auctor de se loquatur *Sat e proavo meo* (vel *sat e Plutarcho meo:* aut tale quid. *Ph. Chæroneo,* i. e. philosopho Chæroneo. vel *Pl. tritavo meo*) *gloria est.* scil. *Plutarcho:* et 'nepotem ejus' intelligerem 'Sextum philosophum:' nam sic in init. Metamorph. 'Originis nostræ maternæ fundamenta a Plutarcho illo inclyto ac mox Sexto philosopho, nepote ejus, prodita gloriam nobis faciunt.' Conjectura hæc certe mihi vehementer adridet. *Sat gloria* rectum esse patet ex notatis ad Met. l. I. p. 61. b. 'satis cibum.' In Mss. reliquis scribitur *sat e* vel *sate* vel *sato:* et tum *Prothaonio,* ut est in plerisque et optimis meis ac Merceri, *Protaonio,* ut et apud Sarisber. *Prothaomo, Protonio, Prothaonto, Prothalamo, Prothomo, Protonia.* In Edd. insuper comparet *Protonio, Protanio, Prothanio.* Cantero denique ad Arnob. lib. II. pag. 49. placet legere *Prothonio:* cur, addit. *Oudendorp.* Sed de ipso Appuleio et majoribus ejus cogitandum hoc loco minime videtur: nunquam enim se admiscet. Quare probandum magis, quod conjecit V. Cl. Lennepius: *Stemma profers, avo* (vel *avi,* vel *avi tui*) *gloria est, qui talis fuit, ut nepotem ejus non puderet:* vel: *sic de* (*in*) *prosapia: avi tui gloria est:* vel simile quid. *J. B.*

Non credo] Seneca consolatione ad Helviam cap. 5. 'Nunquam ego fortunæ credidi, etiamsi videretur pacem agere.' Fortunatianus de Rhetor. 'O Fortuna, quam vehementer te rerum varietas oblectat, et quam magno odio est tibi, beatæ vitæ perpetuus et constans fructus.' Vide Notas ad lib. I. Metam. *Elmenh.*

Formosus est] Auctor Octaviæ: 'Florem decoris carpunt singuli dies.' Nemesianus Ecl. IV. 'Donum forma breve est.' *Idem.*

Anniculum] Beroaldinam editionem cave sequaris, quæ habet *suffragio adminiculum:* nam ita mihi novem sorores illas favere cupio, at vera scriptura est, *suffragio anniculum:* magistratum annuum tangit, qui suffragiis adipiscebatur: ab *anno* ὑποκοριστικῶς formantur 'annulus,' 'annellus,' et 'anniculus.' *Stewech.* Salisber. *nec a suffragio anniculum:* eleganter: quo-

modo etiam feliciter legendum divinavit noster Stewechius, et explicavit. Eum vide. *Colv.* Poterat Vulcanius Colvii et Stewechii emendationem in contextum recipere: ut legeretur *anniculum.* Nam ita et Sarisberiensis et Fulvii codex representat. *Sciopp. in Symb.* Scribendum *anniculum.* Ita enim et Salisberiensis et Fulvii codex habet. *Wower.* Ita membranæ Florent. Excerpta Batav. Fulvii liber et Sarisber. Rom. et Bremensis *aminiculum.* Aldus *adminiculum.* Excerpta Puteani *arcunculum* male. *Elmenh.* *Anniculum,* sive annuum, egregie emendavit Stewech. confirmantibus, præter ab aliis jam citatos, Mss. Thuan. Voss. Leid. Harlem. Mercer. quod jam receptum a Wower. &c. In Brem. et Edd. primis *amminiculum,* vel *aminiculum.* Ald. Junt. Vulc. *adminiculum.* Ceterum hinc videtur supra quid excidisse de *honoribus* post τὰ *non credo Fortunæ.* Nam singula singulis respondent. Perpende modo locum diligenter. *Oud.*

Pag. 702 *Ingenii velis properas, saltem*] Et hic locus in omnibus editis et scribtis corruptus fuit, et in ipso Sarisberiensi, qui cetera integriora conservaverat. In eo fuit, *ad studium sapientiæ te ingeris, vel saltem properas.* In vulgatis: *quin ergo et tu qui te ad studium sapientiæ ingeris, aliquando caves ut nihil alienum in laudibus tuis audias?* In optimo Cujaciano, et in Fabri codice, *ut nihil alienum:* item in altero Cujaciano, nisi quod in eo *ingens,* non *ingeris.* Omnino scribserat Appuleius: *Quin ergo et tu ad studium sapientiæ ingenii velis properas, saltem ut nihil alienum in laudibus tuis audias?* Mercerus. *Tu ad st. sap. te ingeris.* Edd. ante Colv. *tu qui ad st. sap. ing.* contra Mss. sed *tu qui* non comparent in Mss. et *te* deest Sarisber. Voss. Harlem. Fuitne igitur hoc ordine *tute ad st. sap. ingeris:* ut olim edebatur de Phil. Mor. p. 607. 'ad vitiorum consortium se ingerere:' sed Mss. *jungere.* Et sic *ingerentes* vel *ingerentes se* (zich indringende) apud Plin. in Paneg. cap. 86. *Oud.* *Vel properas altum, ut*] Mira hic varietas. Salisber. *vel properas saltem.* Recepi veterem lectionem, *et aliquando caves, ut.* Wowerius. Primo *vel* abest Edd. ante Colv. *et* est contra Mss. Porro Edd. Wower. et omnes ante Vulcan. *aliquando caves.* Vulc. cum Edd. Scal. Elm. Scriv. *properas altum:* et sic Mss. mei omnes cum 2. Mercer. nisi quod in Bremensi sit *properas saltum.* Sarisb. *propera saltem* vel *salutem.* Scriv. adscripsit *propera saltim:* ut amant pro *saltem:* unde corruptus est Auct. de Corr. Eloq. c. 21. 'Quid? ex Cœlianis orationibus nempe hæ placent, si non universæ, partes saltem, in quibus,' &c. vel *parte:* vulgo *sive in universa, parte factum.* Sed veram esse lectionem putarem *properas altum,* i. e. valde, vehementer, et ex imo corde, Nostri more. Vide ad Met. IV. p. 290. b. 'metuens altius,' et alibi: nisi præstaret Merceriana correctio. *Quin* adhortantis habere indicativum vidimus sæpissime: quare *properas* omnino debet retineri. *Oud.* *Te ingeris vel propere? saltem, &c.* Ita edere tutius existimavi, utpote proxime ad Mss. et Edd. et optimo sensu: vel cum suavissimo meo doctore Cl. Lennepio: *vel propero saltu:* quæ conjectura nonnihil firmatur loco Sil. It. X. init. 'Paullus... ceu fera Assilit in ferrum... sese periclis Ingerit.' *J. B.*

Accius] Sic Mss. duo a Lindenbrogio visi, Voss. et J. Sarisb. cum Edd. plerisque; quod hodie videntur præferre viri docti. Adi Misc. Obs. vol. VII. p. 397. et præsertim Heins. ad Vellei. lib. I. c. 17. Olim maluerunt hujus poëtæ nomen scribere *Attius,* ut est in Harlem. et Edd. Colv. Vulc. Wow. Perperam in aliis *Actius.* Oud.

Prædite patria] Eos versus Appuleius laudat ex Accii Philocteta, principio videlicet tragœdiæ: repono, *prodite patria*, simul hos versus, in fragmentis veterum poëtarum adhuc desideratos, adscribendos indico. Pergit porro Appuleius in comparatione Socratis et Ulyssis: utrumque nimirum sedulo operam dedisse, ne quid alienum in laudibus suis audirent: longe præter morem eorum, quos nihil fere, quam imagines majorum, et longos natales passim crepere audias, in auribus quam virtutis studio ornatiores, quos parum sit gloriæ et claritati suorum non respondere, modo ne omnino eam extinguerent, vitaque turpiter acta tam densas offunderent tenebras, ut metuendum sit illos ipsos, et una omnes avos brevi in oblivionem omnino venturos: verba Appuleii hoc modo vulgari videmus. *Stewech.* *Inclyte parva prædite forma.* Emendavimus hosce versus ex fide scripti exemplaris ejusdem Salisberiensis librorum de Nugis Curial. quod contulimus cum impresso et numeris suis simul restituimus. Vulgati fuerant: *Inclyte, parva prædite patria, nomine celebri Claraque potens pectore, Achivis classibus auctor, Gravis Dardanis gentibus ultor Laërtiade.* Sed non aliter eos laudat fere Muretus Var. Lect. lib. IX. quem etiam alicujus libri veteris auctoritate nisum non dubito. *Colv.* Bremens. *parva prodite* non male. *Elmenh.* Bene hos versus per dipodiam ordinavit e Ms. Sarisberiensis, in quo et sic editur, libro Colvius, quod docet clare Marius Victorinus lib. II. p. 2522. citans tres priores versus et subjungens 'quæ periodus versatur circa sex dipodias.' In Ald. Junt. fiebat per trimetrum. In aliis prosaico modo, inepte: sunt anapæstici Aristophanii dimetri. Idem vidit jam Muretus. Verum nescio unde, nisi forsan e Cod. Ms. Sarisber. vel Nostri, habeant *forma* pro *patria* Colv. et Muret. In Ed. Vicent. *pria.* in Ald. Junt. *prima* vitiose. Mss. O. et Victor. et Sarisb. vulgo dant *patria*, ut debet. Eleganter autem Elm. Scriv. Flor. pro vulgari *prædite*, quod abest a Florent. et in marg. Ed. Junt. mutare vir doctus minus bene tentabat in *edite*, reposuere *prodite* e Ms. Bremensi, id quod jam ex ingenio suspicatus fuerat Stewechius. Vide ad Met. lib. IV. p. 174. b. 'genere Thraco proditus.' *Oud.*

Classibus ductor] V. C. *auctor*, male. Nam in *classibus* veteri more liquescit ultima litera *s*. Vulc. *Auctor* Mss. O. Appuleii, Victorini, Sarisber. quare miror Vulcan. Wower. Scriver. Mercer. Contur. reposuisse *ductor*. Bene *auctor* revocarunt Elmenh. et Florid. quem vide, et ipsum Ulixen hæc disserentem apud Ovid. lib. XIII. Met. *Oud.*

Dardaniis] Flor. et Brem. *Dardanis.* Elmenh. Accedunt Voss. Putean. Harlem. Sarisb. et ejus Mss. cum Edd. ante Colv. qui ex Lipsii conjectura marginali cum seqq. male *Dardaniis* reposuit. Gentile posuit pro possessivo, poëtarum more, apud quos sic 'Colcha venena,' 'Itala rura,' 'Maura jacula,' 'Medæ et Parthæ sagittæ,' 'Thessalus ager,' et innumera similia. Adi Casaubon. ad Theocr. c. I. Passerat. ad Propert. I. 1. 13. Græv. Epist. ad Gud. p. 52. Heins. ad Ovid. Met. X. 309. XII. 70. et sæpe. Bentlei. ad Horat. I. O. 22. II. O. 13. Sic 'Dardana Troja' Ovid. lib. V. Trist. 10. 4. 'Dardanus ductor' Silio lib. I. 14. *Oud.*

Nec artissimus vendicat] Corrigo, *nec Arcesius vendicat*: conjecturæ nostræ dabit res ipsa: Ulysses namque patrem habuit Laërtem, matrem Anticliam, Arcesium vero avum paternum. Ovid. lib. XIII. Met. ubi Ulyssem ipsum inducit orantem: 'Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi, Juppiter huic.' Ad propositam Appuleii sententiam facit quoque illud

Minutii Fœlicis: 'Nobilitate' (inquit) 'generosus es, parentes tuos laudas; omnes enim pari sorte nascimur, virtute distinguimur.' *Stewech.* Vulgo corruptissime, *arctissimus.* Acrisius avus paternus Ulixi. Apud Ovid. lib. XIII. Met. ipse Ulixes: 'Nam mihi Laërtes pater est, Acrisius illi, Juppiter huic.' Unde Diomedes Grammaticus: 'Ut est Ulixi agnomen, Polyides: nam prænomen est, ut ait Ibycus, Ulixes: nomen, Acrisiades.' *Colv.* *Arcesius* Brem. quomodo etiam conjecit Vir exquisitæ doctrinæ Janus Parrhasius in Epist. ad Appuleianum pag. 68. In Flor. est *Arcissius*: in Aldo et Rom. *arctissimus.* Elmenh. *Arcesius* vel *Arcisius* (ut est in Edd. Merc. Cout.) egregie emendarunt Stewech. et Parrhas. t. I. Thes. Crit. Ep. 39. Adi Comment. ad Ovid. l. cit. Minus bene *Acrisius* Colv. cum seqq. Edd. et Sarisber. *Arcissius* Mss. Harlem. Voss. *Oud.*

PAG. 703 *Scyllam prætern.*] Vide Tzetzem Chil. II. Histor. 361. *Elmenh.*

Nec ereptus est] *Ereptus est* sc. e navi: ex Hom. Od. M. 123. e quo sua adumbravit Appul. ubi Circe vereri se dicit ne Scylla τόσσους ἐκ φῶτας ἕληται. *J. B.*

Charybdi conspectus est] Ms. *conseptus est.* Optime. *Sciopp. in Symb.* Emendabis ex scripto, *nec conseptus est.* Wowerius. Aldus *conspectus*, male. *Elmenh.* Verum est quod docti notant in libris scribtis esse, *conseptus:* nam ego idem in duobus inveni; tertius habuit, *conceptus:* quartus, *concoptus.* Sed quod mirifice probant eam lectionem, *conseptus*, fateor me non capere, qui videam ex Homero conspectam quidem et auditam Ulyssi Charybdim; sed Ulyssem conseptum aut conceptum Charybdi non intelligam. *Merc.* *Conseptus est*, quasi tectus et obrutus, ut de Mundo p. 742. ubi vide, Mss. O. (præter 2. Mercer.) Sarisb. Edd. Rom. Vic. Bas. Elm. Scriv. Flor. In Edd. Ald. Junt. *Charybdin conspectus est:* unde vir doctus *conspicatus.* Colv. Vulc. Scal. Merc. Cout. *Charybdi conspectus est:* certe non conceptus aut conseptus Ulixes a Charybdi, sed ea modo conspecta et audita est illi. *Oud.* *Conseptus est* bene se habet. Qui Homerum legerit videbit, omnino Ulixen Charybdi *conseptum*, i. e. undique septum et cinctum et *obsessum* fuisse, ut Virg. loquitur Æn. III. 420. 'dextrum Scylla latus, lævum inplacata Charybdis obsidet.' Cl. Lennepius conjicit *consorptus*, quæ vox, licet alibi non exstet, tamen Etymologiæ non repugnat, et valde est apta huic loco. *J. B.*

Cyrces poculum] Fulgentius Mythologicων lib. II. *Elmenh.*

DE DOGMATE PLATONIS LIB. I.

SIVE

DE PHILOSOPHIA NATURALI.

De Habitudine doctrinarum Platonis Philosophi] Titulum hunc ex membranis Florentinis et Leidensibus Apuleio asserui: transpositionem autem, quam fecit ingeniosissimus Wowerius noster, ratam habui, quoniam invitis membranis facta non est, rationibusque suis nititur; imo approbatur ab Apuleio ipso, qui Platonem secutus, studium sapientiæ in tres species divisit, *naturalem*, quæ contemplationi deputata est: *moralem*, quæ in actione versatur: et *rationalem*, qua verum discernitur a falso. Stoici e contra primum locum tribuunt logicæ: secundum illis, quæ pertinent ad mores: tertium naturalibus. Sextus Empiricus adversus Mathematicos fol. 119. Philo de Agricultura fol. 147. τὸν γοῦν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον τρίδυμον ὄντα τοὺς παλαιοὺς ἀγρῷ φασὶν ἀπεικάσαι, τὸ μὲν φυσικὸν αὐτοῦ δένδροις καὶ φυτοῖς παραβαλόντας, τὸ δὲ ἠθικὸν καρποῖς, ὧν ἕνεκα καὶ τὰ φυτά· τὸ δ' αὖ λογικὸν φραγμῷ καὶ περιβόλῳ. καθάπερ γὰρ τὸ περικείμενον τεῖχος ὀπώρας καὶ φυτῶν τῶν κατὰ τὸν ἀγρόν ἐστι φυλακτήριον τοὺς σίνεσθαι καὶ παρεισφθείρεσθαι βουλομένους ἀνεῖργον, τὸν αὐτὸν τρόπον τὸ λογικὸν μέρος φιλοσοφίας φρουρά τίς ἐστιν ὀχυρωτάτη τῶν δυοῖν ἐκείνων, ἠθικοῦ τε καὶ φυσικοῦ. Τὰς γὰρ διπλᾶς καὶ ἀμφιβόλους ὅταν ἐξαπλοῖ λέξεις, καὶ τὰς διὰ τῶν σοφισμάτων πιθανότητας ἐπιλύῃ, καὶ τὴν εὐπαράγωγον ἀπάτην μέγιστον ψυχῆς δέλεαρ καὶ ἐπιζήμιον ἀναιρῇ διὰ λόγων ἐμφαντικωτάτων, καὶ ἀποδείξεων ἀνενδοιάστων, ὥσπερ κηρὸν λελειασμένον τὸν νοῦν ἀπεργάζεται ἕτοιμον δέχεσθαι, τοὺς δὲ φυσιολογίας καὶ τοὺς ἠθοποιίας ἀσίνεις κάρτα καὶ πάνυ δοκίμους χαρακτῆρας. *Elmenh.*

PAG. 566 *Habitudo corp.*] Laërtius in Platone lib. III. pag. 188. *Idem.* Ubi plurima eadem quæ in hoc libro: vide ibi Casaub. et Menag. *Oud.*

Aristocles] Salisber. *Aristoteles*: male. Vide Hesychium Milesium in Platone, Tzetzen Chil. XI. Hist. 390. Laërtium p. 188. *Elmenh.* Inepte Voss. Harl. Ed. Vic. *Aristoteles.* J. Sarisberiensem l. VII. c. 5. ex Nostro bene correxit Schefferus. Vid. Miscell. Obs. vol. VIII. t. III. p. 417. Bened. *Aristocles.* v. Menag. ad Laërt. l. III. sect. 4. *Oud.*

Ariston] Laërt. pag. 186. Πλάτων Ἀρίστωνος καὶ Περικτιόνης ἢ Ποτώνης, ἥτις τὸ γένος ἀνέφερεν εἰς Σόλωνα, Ἀθηναῖος. Τούτου γὰρ ἦν ἀδελφὸς Δρωπίδης, οὗ Κριτίας, οὗ Καλαισχρὸς, οὗ Κριτίας ὁ τῶν τριάκοντα, καὶ Γλαύκων, οὗ Χαρμίδης καὶ Περικτιόνη, ἧς καὶ Ἀρίστωνος Πλάτων, ἕκτος ἀπὸ Σόλωνος. φασὶ δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἀνάγειν εἰς Κόδρον τὸν Μελάνθου, οἵτινες ἀπὸ Ποσειδῶνος ἱστοροῦνται κατὰ Θράσυλον. *Elmenh.*

Glauci filia] Diog. Laërt. καὶ Γλαύκων, οὗ Χαρμίδης καὶ Περικτιόνη, ἧς καὶ Ἀρίστωνος Πλάτων. Glaucus vocatur Nostro, qui Diogeni Γλαύκων: ut Electrius Plauto, qui Ἠλεκτρύων. Amphitruone: 'Quicum Alcumena est nupta, Electri filia.' *Colv.* Alii dicunt *Glauconis:* et statim ait ipse Auctor fratrem Platonis fuisse *Glauconem:* unde Casaubonus hic putat mendum librariorum esse, ad init. Diog. in V. Socr. Verum ipse paulo post observavit fratrem Platonis a

Suida vocari *Glaucum*. Temere autem Suidam corrigere vult Menagius: nam contra pro *Glauco* infra Mss. O. Sarisb. et Edd. Vulc. Scal. habent *Glaucus*. Solent multa nomina habere duas terminationes *ων* et *ος*. Vide supra de Deo Socr. p. 694. Ed. Flor. *Lampus* et *Lampo*. Oud.

Quædam Apoll. figuratio] Quod Laërtius dicit Ἀπόλλωνος ὄψις, quem vide in vita Platonis, nam is de Socratis somnio non nihil ab hoc nostro variat. *Sciopp. in Symb.* Laërt. p. 187. Σπεύσιππος δὲ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περὶ δείπνου, καὶ Κλέαρχος ἐν τῷ Πλάτωνος ἐγκωμίῳ, καὶ Ἀναξιλίδης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ φιλοσόφων φασὶν, Ἀθήνησιν ἦν λόγος ὡραίαν οὖσαν τὴν Περικτιόνην βιάζεσθαι τὸν Ἀρίστωνα, καὶ μὴ τυγχάνειν παυόμενόν τε τῆς βίας ἰδεῖν τὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ὄψιν· ὅθεν καθαρὰν γάμου φυλάξαι ἕως τῆς ἀποκυήσεως. *Elmenh.* *Quidim* placuit Casaubono ad Diog. Laërt. III. 2. sed omnino legendum *quædam*. *Figurationes* enim Deorum sunt variæ formæ, quas Dii induere solent, quum mortales conveniunt. Tot igitur sunt Apollinis figurationes, quot ejusmodi formæ. 'Phantasma Apollinis' in hac re memorat Hieron. adv. Jovin. l. I. 'Speusippus, sororis Platonis filius, et Clearchus, et Anaxilides Perictionen, matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam ferunt, et sapientiæ principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum:' citat locum Gedike in utilissimo libello, quo ex Cicerone et aliis Historiam Philosophiæ illustravit. Sect. II. c. 3. § XI. *J. B.*

Thargelion] Plutarchus Symposiac. l. VIII. τῇ ἕκτῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τὴν Σωκράτους ἀγαγόντες γενέθλιον τῇ ἑβδόμῃ τὴν τοῦ Πλάτωνος ἠγόμην. *Colv.* Thargelion mensis Aprilis Apollini sacer, cujus bonam partem convivando et potando consumere solebant. Suidas, Hesychius, et Harpocration in Θαργηλίᾳ. Plutarch. Sympos. VIII. fol. 716. Laërt. in Platone lib. III. p. 187. Parthenius Eroticis p. 369. Concelebrabant autem Platonis sectatores ejus natalem per annua reverticula festivissime sacris faciendis, ut apparet ex Porphyrio in vita Plotini, ubi se carmen ἐν Πλατωνίοις recitasse dicit. *Elmenh.*

Die, qua apud Delon] Idem tradit Laërtius: qui tamen Socratem etiam eodem die mensis quo Apollinem natum scribit, id est, sexto Thargelionis. Quæ pugna non video quomodo componi possit: utpote Laërtio etiam intestina: nam is non solum a Nostro, verum etiam a semetipso dissentit. *Colv.*

Pridie Socratem, &c.] At Diogenes Laërtius Socratem eodem die natum tradit, quo Latona Apollinem peperit. Manifesta dissensio: quam non video quomodo componas, nisi scribas, *Pridie genitum accepimus.* Plato natus pridie ejus diei, quo Latona Apollinem Dianamque peperit. Delenda enim vox, *Socratem:* quæ ex sequentibus irrepsit. *Wower.* Dele glossema (*Socratem*) cum Scaligero et Wowerio. *Elmenh.* Hic locus manifeste corruptus est. Neque enim Apollo ac Diana uno eodemque die nati sunt; verum Diana uno die fratrem præcessit. Nata enim Diana fertur Thargelionis VI. Postridie autem, hoc est VII. Apollo. De Diana Proclus in ἡμέρας· τὴν πρώτην ἕκτην ἀνεπιτηδείαν πρὸς κόρης γένεσιν εἶναι βούλεται, καίτοι τῆς Ἀρτέμιδος οὖσαν ἱερὰν, ὡς γενέθλιον τῆς θεοῦ. De Apolline Hesiodus ἡμέραις· καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ, Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ. unde et ἑβδομαγένης dictus est, ut præter alios auctor est Plutarchus. Quare recte Dion. Halic. in Arte, quo loco de Genethliacorum compositione agit, εἰ δὲ ἑβδόμη ἢ ἕκτη, ὅτι ἱεραὶ τοῖν θεοῖν· καὶ ὅτι κοινωνία πρὸς τὸ κρεῖττον κατὰ τὸ τῆς γενέσεως. Dicit sextam et septimam duobus Diis, Dianæ scilicet et Apollini, sacras esse. Intelligit enim pri-

orem, hoc est VI. Dianæ, alteram, hoc est VII. Apollini dedicatam. Cur autem Diana prior nata sit, ratio est, ut nascituro fratri obstetricaretur. Proclus: διὸ καὶ προτέραν γενέσθαι φασὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἵνα καὶ μαιεύσηται τὸν ἀδελφόν. Quare nulla mutatione, transposita tantum unica vocula, ita locus legendus est: *Plato natus die qua apud Delon Latona fertur Apollinem peperisse; Pridie qua Dianam, Socratem genitum accepimus.* Pridie qua Dianam Latona fertur peperisse scilicet, id enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum est. Omnia clara. Socrates VI. Thargelionis, hoc est, eadem die, qua Diana, natus est. Laërtius, ex Apollodoro: ἐγεννήθη δὲ Θαργηλιῶνος ἕκτη ὅτε καθαίρουσι τὴν πόλιν Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν Ἄρτεμιν γενέσθαι Δήλιοι φασίν. Plut. Symp. VIII. τῇ ἕκτῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τοῦ Σωκράτους (γένεσιν) ἀγαγόντες. E quibus eruditissimos homines graviter lapsos esse constat, qui affirmare non dubitant, Diogenem tradidisse, Socratem eodem die natum esse, quo Diana et Apollo nati sunt. Cum Diogenes eo die genitum dicat, quo Diana sola nata sit. Postridie, hoc est, VII. Thargelionis Apollinem Latona peperit, ut jam vidimus eodemque Platonem quoque natum ferunt. Diogenes ex Apollodoro: καὶ γίνεται Πλάτων ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ ὀλυμπιάδι, Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ, καθ' ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. Plutarchus loco dicto, τὴν τοῦ Πλάτωνος ἑβδόμῃ. Quare desinat eruditis viris aut vox *pridie* delenda, aut τὸ *Socratem* suspectum videri. *Joh. Rutgersius.* Voss. recte *Socraten.* Male enim hanc vocem glossam esse putant Scal. et Wow. probante Elmenh. Nam quæ hæc est Latinitas *die, qua, &c. pridie.* Præterea non pridie diei natalis Apollinis natus est Plato, sed eodem die. Scriv. nescio quid volens edidit *Apollinem peperisse Dianamque pridie Socratem,* sine distinctione. An voluit, Socratem genitum *pridie Dianam?* Hoc verum non est, nisi simul eam natam statuas cum Apolline, ut solent vulgo dici. Hinc ergo omnis confusio. Noster cum reliquis statuit Dianam et Apollinem natos esse eodem die, septimo nempe Thargelionis, quo natus est Plato. At Diog. Laërtius a reliquis discessit, et voluit Deos illos non eodem die, sed Dianam pridie natam esse sexto die, quo natus est Socrates, adeoque pridie ante Platonem. Observavit hoc diu bene Casaubonus ad Laërtii loc. cit. et ex eo sed non nominato, vel forsan Meursio in Græc. Feriata, Floridus. *Pridie quidem Socratem* J. Sarisb. *Oud.* Τὰ *pridie Socr. gen. acc.* non habet exhibens hunc locum Gedike l. c. *J. B.*

PAG. 567 *Somnium, &c.*] Non omnino ad eum modum Diogenes: Λέγεται δ' ὅτι Σωκράτης ὄναρ εἶδεν κύκνου νεοττὸν ἐν τοῖς γόνασιν ἔχειν, ὃν καὶ παραχρῆμα πτεροφυήσαντα ἀναπτῆναι ἡδὺ κλάγξαντα. Tertullianus de Anima: 'Cygnus de sinu Socratis demulcens homines discipulus Plato.' Vide etiam Pausaniam Atticis. *Colv. Elmenh.*

In ejus gremio resedisse] Non in Cupidinis, sed in Socratis gremio, ut ceteri testantur, qui tamen nihil habent de ara Cupidini consecrata, quam in Academia fuisse testantur quoque scriptores alii. Non tamen ideo cum Menagio ad Laërtium legas *suo.* Nam demonstrativum pronomen aliquando pro reciproco poni quis nescit? Vide ad Cæsar. et Nepot. comment. sic *ejus pactæ* pro sibi sponsæ. Vell. lib. I. cap. 1. § 3. Ceterum in Edd. Vic. Junt. pr. Bas. pr. *residisse.* Bene: nam *sido* cum compositis eleganter dicitur de avibus, sedem capientibus. Vide ad Lucan. lib. III. vs. 407. 'Illis et volucres metuunt insidere ramis:' ut Clar. Burm legit ex aliquot Codd. et pluribus defendit ad Sueton. Ti-

ber. cap. 14. 'Aquila adsedit;' ubi tamen male scribit me defendisse τὸ *consistere*: nam defendi lectionem antiquam et plurimis Codd. fultam *insistere*. Vide me ad eum Sueton. locum. Sed *insidere* nunc præfero. Sic et N. Heins. emendavit auctorem de Phœnice vs. 39. 'considit in arboris altæ Vertice.' *Oud.*

Pennis cœlum petisse] Similis est de olore Virgilii locus lib. x. 'Linquentem terras et sidera voce petentem.' *Sciopp. in Symb.*

Aristo, Platonem, &c.] De hoc nihil Diogenes. Unde suspicari est etiam alios habuisse Nostrum, cum hæc scriberet, quorum fide et auctoritate niteretur, ante oculos scriptores. Græcus ille solummodo: *καὶ μεθ' ἡμέραν Πλάτωνα αὐτῷ συστῆναι. τὸν δὲ εἰπεῖν εἶναι τὸν ὄρνιν. Colv.*

Ingeniumque, &c.] Proclus in Platon. Alcibiad. interprete Marsilio Ficino: 'Mos Pythagoreis erat per signa in corpore constituta venientes ad eos judicare, utrum ad meliorem vitam apti forent, nec ne. Natura enim ipsa, quæ animis confingit corpora, instrumenta eis congrua subministrat, imaginesque animarum in corporibus indicat, per quas et animarum ingenia in hac arte periti deprehendere possunt.' Vide Jamblichum de vita Pythagoræ, cap. 17. *Elmenh.*

Speusippus] Nepos ex sorore Platonis, cujus quædam edidit Aldus cum Jamblicho, Proclo, et Porphyrio. Vide Laërtium in ejus vita et Eusebium de præpar. eccles. l. xiv. c. 2. *Elmenh.*

Domesticis instructus doc.] Utpote ejus e sorore nepos. Laërtius. *Colv.*

Admirandæ verec.] Diogenes: *φησὶ δ' Ἡρακλείδης ὅτι νέος ὢν οὕτως ἦν αἰδήμων καὶ κόσμιος, ὅτι μηδέποτ' ὀφθῆναι γελῶν ὑπεράγαν. Colv. Elmenh.*

Glauco] Ita Xenophon et Diogenes Laërtius. Suidæ Glaucus. *We-*

v. 20. *Elmenh.* *Glaucus*, ut supra notavi, habent Mss. O. J. Sarisb. et Edd. Vulc. ac Scal. Vulgo *Glauco*. Oud.

Aristonem] Laërt. pag. 188. *ἐγυμνάσατο δὲ παρὰ Ἀρίστωνι τῷ Ἀργείῳ παλαιστῇ. Elmenh.*

PAG. 568 *Ut Pythia et Isthmia de lucta cert.*] Diogenes pag. 188. *εἰσὶ δ' οἳ καὶ παλαῖσαί φασιν αὐτὸν Ἰσθμοῖ, καθὰ καὶ Δικαίαρχος ἐν πρώτῳ περὶ βίων.* Vide Helladium apud Photium biblioth. fol. 872. *deluctata* Flor. et Basil. 2. alii *de lucta*. Saresb. *luctando certamina vicerit.* Schickerad. *deluctaverit.* Elmenh. Mss. Lindenbr. Voss. Harl. et Vulc. *deluctata;* atque ita ediderunt Vulc. Scal. Elm. cum ceteris. Sic apud Plautum Trin. iv. 2. 20. activa forma *deluctavi.* Non puto tamen huic sensui bene accommodari posse τὸ *deluctatus.* Ill. Heins. ad Ovid. Epist. xv. 164. et t. v. Syll. Epp. p. 8. item Advers. p. 490. legit *Pythia et Isthmiade lucta.* At vero nil mutandum est, et recte vidit Colv. esse Græcismum; atque ita 'certare certamen,' 'pugnare pugnam.' *De lucta* nihil est nisi 'lucta,' 'in lucta,' 'per luctam.' Sæpissime enim præpositio *de* abundat, et præsertim apud Afros et Appuleium, ut sæpe monuimus. Vide Ind. Not. Hinc Cod. Fulv. caret quoque τῷ *de*. Vitiose autem Bened. *phicie testimia deducta.* Harl. quoque *phicie tehistina.* Voss. *Phitiæ thetismua. Et* abest quoque ab Edd. ante Colv. *Oud.*

Picturæ, &c.] Καὶ γραφικῆς ἐπιμεληθῆναι. Diog. *Colv. Elmenh.*

Tragœdis] Idem, *καὶ ποιήματα γράψαι, πρῶτον μὲν διθυράμβους, ἔπειτα καὶ μέλη καὶ τραγῳδίας. Colv. Elmenh.* Bened. et J. Sarisb. *tragœdiis:* recte. Vide etiam Suidam. *Oud.*

Certatorem] Polycratico, *actorem:* quomodo *etiam* in veteri quodam li-

teris. Quod facit, ut fere hanc lectionem germanam putem. Vilitas et humilitas animi Platone indigna, actorem sese in scena profiteri. *Colv.* Alii, *actorem.* Laërt. p. 189. ἔπειτα μέν τοι μέλλων ἀγωνιεῖσθαι τραγῳδίᾳ πρὸ τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου, Σωκράτους ἀκούσας κατέφλεξε τὰ ποιήματα, εἰπών· Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε, Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει. *Elmenh.*

Heracliti secta] Hausta a Cratylo, Heracliti discipulo. Laërtius. *Colv.* Dissentit Diogenes Laërtius, qui scribit Platonem se contulisse ad disciplinam Cratyli Heraclitei, postquam Socrates homines reliquerat. Hujus igitur disciplina imbutus erat, antequam Heraclitum doctorem quæreret. *Wower.* Flor. et Saresb. *Heraclitis,* alii *Heraclidis:* male. Laërt. p. 189. τοὐντεῦθεν δὴ γεγονὼς (φασὶν) εἴκοσιν ἔτη διήκουσε Σωκράτους· ἐκείνου δ' ἀπελθόντος προσεῖχε Κρατύλῳ τε τῷ Ἡρακλειτείῳ, καὶ Ἑρμογένει τῷ τὰ Παρμενίδου φιλοσοφοῦντι. *Elmenh.* Fallitur igitur Appuleius: id enim post mortem Socratis accidit. Mss. Flor. Patean. Thuan. Voss. Harl. Bened. *Heraclidis.* Sed *Heraclides* sunt recentiores Platone. Vide Scheffer. Obs. Misc. l. c. Ald. *Heracleti.* Oud. Cum Appuleio tamen facit Aristot. Metaph. I. 6. Πλάτων ἐκ νέου συγγενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἁπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, καὶ ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν οὐκ οὔσης, ταῦτα μὲν ὕστερον οὕτως ὑπέλαβε. cf. Gedike d. l. *J. B.*

Elegantia perquam venustate] Scribo, *eleganti perq. venust.* Colv. Illa: *labore et* superflua et inducenda. *Wow. Labore et elegantia illustravit. Sapientiam ab eo sibi traditam labore quoque asserere nisus est, et elegantiam, per quam venustate et majestate, &c.* Hæc est constans vetustarum editionum lectio, quam Colvius se sanam facere credens pejus corrupit et obscuriorem reddidit legendo *et eleganti perq. nusta.*) Nihilominus id secure omnes editores secuti sunt. Hinc etiam Wow. τὰ *labore et,* ut supervacua, deleri voluit. Utrumque *labore* et *elegantia* inducenda perperam censuit N. Heinsius, qui tamen recte cum Scheffero Syll. Epist. t. v. p. 6. et Misc. Obs. l. c. in ceteris se non expediente, vidit *sapientiam* pertinere ad verbum *illustravit.* Elmenh. e Sarisber. locum restituit, quem in Mss. et Edd. corruptum audacissime pronunciat. At Sarisb. non exscripsit hoc loco Appuleium sed partim ejus sensum expressit. Nec verum est Mss. cunctos esse corruptos, nam Voss. Thuan. Vulc. et Harl. præstant locum sanum hoc modo, *labore et elegantia illustravit sapientiam ab eo sibi traditam: Labore, quo eam asserere nisus est; Elegantia, per quam venustate et majestate, &c.* optime sane; nisi quod Vulc. et Voss. Codd. dent vitiose *elegantiam.* Bened. etiam *ass. eam nisus est elegantiaque, per quam venustate et maj.* In genere Auctor prius dicit, Platonem Socratis doctrinam illustrasse *labore* et *elegantia.* tum separatim docet, quod per *laborem* quidem asserere eam nisus sit, per *elegantiam* vero ei addiderit dignitatem venustate et majestate verborum. Simile quid de Cicerone prædicat Vell. Pat. II. 66. § 5. 'hoc... constitutum rerum naturæ corpus... ingenio complexus est, eloquentia inluminavit.' Brevi in simili re dixit Mela in præf. 'Ope ingenii ornantis:' ubi legi debet cum viris doctis Obs. Misc. vol. VII. p. 424. 'ope ingenii ornantis, at ipsa sui contemplatione.' Videmus ergo omnia hic plana, et nihil nisi *quo eam* corruptum fuisse in *quoque.* Bene id jam vidit Floridus, quem sua laude defraudare nolim. Si velis *et* cum Harl. retinere, per me licet: delendam tamen potius copulam censeo. *visus* pro *nisus* male Thuan. et Harl. *Oud.*

stanti, excellenti. Sic forte Magnificum in Petronio: ‘Quod si paterentur laborum gradus fieri, et studiosi juvenes lectione severa irrigarentur; ut sapientiæ præceptis animos componerent; ut verba atroci stilo effoderent; ut quod vellent imitari diu auderent; sibi nihil esse magnificum, quod pueris placeret.’ Non est ergo, quod hic substituendum censeamus, *magnidica.* Colvius. In malam partem pro *gloriosa, superba* plerumque solet poni. Vide Broukhus. ad Tibull. II. 6. 11. Sed recte Colv. loco Petronii Nostrum vindicavit ab qui volebat hic *magnidica.* Adde Acidal. ad Vellei. l. c. et Bœcleri Ind. *Oud.*

Theodorum Cyrenas] Aldina editio, *Theodorum Cyrenis:* forte ut, ‘Hospes Zacyntho,’ apud Plautum. Sed Diogenes: Ἔπειτα εἰς Κυρήνην ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν Μαθηματικόν. Vid. Cicero lib. v. de Finibus. *Colv.* Aldus, *Cyrenis.* Sarisb. *Cyrenensem.* Laërt. p. 190. ἔπειτα εἰς Κυρήνην ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν μαθηματικόν· κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν πρὸς τοὺς Πυθαγορικοὺς Φιλόλαον καὶ Εὔρυτον· ἔνθεν τε εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας· οὗ φασι καὶ Εὐριπίδην αὐτῷ συνακολουθῆσαι. *Elmenh.* Edd. Ald. Junt. post. *Cyrenis.* Vide ad Cæsar. lib. I. B. Civ. c. 24. ‘Magius Cremona.’ Sed εἰς Κυρήνην ἀπελθεῖν Platonem refert Diogenes. *Oud.*

Ad Italiam iterum] Alii eum prius Italiam, et dein Ægyptum, alii prius Ægyptum, et dein Italiam petivisse aiunt: unde bene Menagius ad Laërt. scripsit, videri sibi Appuleium discrepantem historiam in ordinem redigere. *Idem.*

Eurytum] Vulgo, *Euritum.* Sed in Romana editione, *Euritatum.* Diogenes, κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν πρὸς τοὺς Πυθαγορικοὺς Φιλόλαον, καὶ Εὔρυτον. *Colv.* Sic Laërt. p. 190. Flor. Bas. et Ald. *Euritatum,* Puteani liber, *Eu-*

tam. Hieronymus epist. ad Paulinum: ‘Plato Ægyptum laboriosissime peragravit, ut fieret discipulus Architæ Tarentini.’ Vid. Photius in Excerp. e vita Pythagoræ 712. Jamblichus de mysteriis Ægyptiorum. *Elmenh.* Archytas æque Tarentinus erat ac Eurytus. Laërtius dicit, eum profectum ad ‘Philolaum et Eurytum:’ sed antequam in Ægyptum iret. Et sane in plurimis Noster dissentit ab Laërtio, ut sæpe videbimus, et Menagius multis locis ostendit. Immo Mss. quoque non habent sic, nec Edd. vett. Sed *Euricacum, Euricanum, Euritanum, Euritarum, Euritatum* cum Edd. vett. *Euritum* Edd. Junt. Corruptus hic locus videtur fuisse jam tempore J. Sarisber. qui modo habet *Pythagoreum Tarentinum Archytam.* Vide num legi debeat *Echecratem, et Tarentinum seniorem Arch.* Priusquam in Ægyptum iret, audivit Eurytum; sed post reditum audivit inprimis seniorem Archytam et ceteros Pythagoreos, in quibus Echecrates Phliasius et Timæus Locrensis Euryti discipuli, Vide D. Laërt. in V. Pythag. § 44. aliosque, sed maxime Ciceron. l. v. de Finibus c. 29. ‘cur Plato Ægyptum peragravit? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad ceteros Pythagoreos Echecratem, Timæum, Acrionem,’ &c. Si quis tamen *Eurytum* velit retinere, quod et verosimilius videtur, legat *Eurytum, Timæum, et Tarent. sen. Arch.* Non credibile est, Auctorem fuisse oblitum *Timæi,* cujus nomine dialogum a Platone inscriptum esse quis nescit? *Oud.*

Parmenidis] Fulvii liber et Leid. *Parmenidæ.* Photius in excerptis e vita Pythagoræ 713. τὴν μὲν θεωρητικὴν καὶ φυσικὴν Πλάτωνά φασι παρὰ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Πυθαγορίων ἐκμαθεῖν, τὴν δὲ ἠθικὴν μάλιστα παρὰ Σωκράτους, τῆς δὲ λογικῆς σπέρματα καταβαλεῖν αὐτῷ Ζήνωνα καὶ Παρμενίδην τοὺς Ἐλεάτας,

βῆς. *Elmenh.* In Sarisber. *Parmenidæ*, ut rescripsi suadentibus Codd. Harl. Voss. Vulc. Fulviano. Ed. Junt. post. *Parmenide*. Græco more Παρμενίδης, Παρμενίδου. Vide Heins. ad Ovid. Ep. VIII. 9. Vell. l. I. c. 1. § 3. *Oud.*

PAG. 750 *Heracliticis*] Bas. *Heraclitæis*. Repono, ut in Aldina, *Heracliteis*, τοῖς Ἡρακλειτείοις, Platoni in Theæteto. Sed etiam Diogenes: Μίξιν τε ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων λόγων, καὶ Πυθαγορικῶν καὶ Σωκρατικῶν. τὰ μὲν γὰρ αἰσθητὰ, καθ' Ἡράκλειτον· τὰ δὲ νοητὰ κατὰ Πυθαγόραν, τὰ δὲ πολιτικὰ κατὰ Σωκράτην ἐφιλοσόφει. *Colv.* Florent. *n. a. Pythagoreis, Dialectica, Rationalis atque Moralis*. Leid. *Naturalia a Pythagoreis d. r. a. m. et s. f.* Excerp. Batav. et Puteani, *naturalia a P. dialectica natura rationalis atque*, male. Diog. Laërt. p. 191. μίξιν τε ἐποιήσατο, &c. Hesychius p. 54. Plato Theæteto. *Elmenh.* Ald. Junt. Colv. et seqq. bene *Heracliteis*. Bas. pr. *Heraclitis*, aliæ Edd. *Heracliticis*. Mire autem hic turbant Mss. nam Voss. Florent. Thuan. Fulv. Bened. dant *naturalis a P. dialectica rationalis atque mor.* cum Put. et Bat. faciunt Vulc. et Harl. Laërtius hic distinguit in αἰσθητὰ, νοητὰ, et πολιτικά. A Pythagora eum habuisse Philosophiam contemplativam referunt. Vide ad August. l. VIII. c. 4. Civ. Dei et J. Sarisber. l. VII. c. 5. ubi docent Platonem distinxisse philosophiam in 'Moralem,' 'Naturalem,' et 'Rationalem,' Ethicam, Physicam, Logicam. Vide ergo num hoc loco et vox *dialectica* et *intellectualis* a mala et glossatoris manu sint, et legendum sit *Naturalis ab Heraclitеis, a Pythagoreis Rationalis, atque Moralis ex ipso Socratis fonte.* In has partes ab eo Philosophiam distinctam esse clare disserit Noster. *Rationalem* videntur alii vocasse διαλεκτικὴν, alii λογικήν. Hinc Laërtius § 58. dialogos eos vocat Physicos, Ethicos, Logicos, quos Suidas Physicos, Ethicos, Dialecticos. Dialecticam Platoni adscribunt multi, et ipse Laërtius alibi: unde et *dialectici* κατ' ἐξοχὴν dicti Platonici: ut multis locis docet Menagius. Pro *moralis* Voss. *mortalis*. Pro *atque* Ms. Vulc. *et*. Oud. Ex Diogene Laërt. cit. a Colvio legendum *Naturalis ab Heracl. intellectualis a Pyth. moralis ab i. S. f.* Ad *intellectualis* autem in marg. aliquis adlevit familiarem magis de hac philosophiæ parte vocem *rationalis*. Hæc cum in textum irrepsisset, orationi ligandæ additum *atque*. Gedike l. c. *Naturalis ab Heracliticis, Intellectualis a Pyth. atque Mor. &c.* J. B.

Auditorum] Olympiod. vita Plat. Πολλοὺς πάνυ πρὸς μάθησιν ἀφείλκετο, καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας, ἀνδρείῳ σχήματι παρασκευάζων ἀκροᾶσθαι αὐτοῦ. Gedike d. l. *J. B.*

Hortulo] Vide Laërtium p. 211. *Elmenh.*

Ministris] Alii, *ministeriis*. Seneca consolatione ad Helviam cap. 12. tres ipsi ministros, Laërt. p. 212. quatuor adscribit, Tychonem, Bictam, Apolloniadem, et Dionysium. *Elmenh.* Ed. Scal. *ministeriis*: bene, si e membranis. Sed aliter Mss. Sarisb. et Edd. licet Heins. scribat, sic in Mss. nonnullis exstare. Vid. Advers. p. 766. *Oud.*

In auricula] Notandus hic Græciæ mos, quem paullo aliter tradidit, si bene, Isidorus Originum lib. XIX. c. 31. 'Inaures,' inquit, 'ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pretiosa genera lapidum dependuntur. Harum usus in Græcia: puellæ utraque aure: pueri tantum dextra gerebant.' *Colv.* Nonnulli libri, *oricilla*. At minus protritum, insigne nobilitatis Atheniensibus inaures. De cicadis potius ceperim. Nam iis aureis Athenienses religatos complicasse crines ad indicium nobilitatis, seu ut sese indigenas probarent, vulgatum est. Tantum ergo auri reliquerit Plato

quantum puer in cicada gestaverat. At ea non in auricula, sed capite. Nisi Plato dependulos crines pone aurem religaverat. Vellem tamen viro erudito non periisset laciniosæ orationis inanis labor, qua persuadere conatus legendum *fronticula*, non *auricula*. Nam Platoni ob inauris gestationem pertusas fuisse aures Sexto Philosopho auctore didicimus. Verba ejus lib. adversus Mathematicos: ‘Ergo nec quæ ad personas et res gestas pertinent describendas recitare artificiosum: ut, exempli gratia, quod Plato Philosophus prius vocabatur Aristocles, et quod auris ei perforata gestanti inaurem, quando erat adolescens.’ *Wower*. Hujusmodi inaures quasi nobilitatis insigne ἐλευθέρια vocantur a Græcis, ut in vett. libb. legi. Pollux p. 89. et Laërt. p. 211. ἐνώτιον χρυσοῦν appellat. Isidor. Orig. lib. XIX. cap. 31. ‘Inaures,’ &c. *Elmenh*. De cicada in crinibus propendulis adi Perizon. ad Ælian. l. IV. V. H. c. 22. Nescio autem, quid sibi velit hic Wower. nam et ipse videtur de cicada capere, ut Plato dependulos crines pone aurem religaverit. Nihilominus e Sexto Empir. adversus Mathem. cap. 12. discere nos ait Platoni aures fuisse pertusas. Neque hoc accurate. Sextus de una Platonis aure loquitur ἐτέτρητο τὸ οὖς, ἐλλόβιον φορήσας, ὅτ' ἦν μειρακίσκος. atque utramque aurem perforatam habere erat hominum mollium, ut Lydorum. Vide Xenoph. p. 297. Suid. τὰ ὦτα. Laërtius quoque docet, eum inter alia legasse filio Adimanto ἐνώτιον χρυσοῦν § 42. Pueri scilicet nobiles gerebant in aure dextra ἐνώτιον ἐλευθέρειον. Vide Elmenh. qui notam suam conflavit ex Colvii et marginalibus Lindenbrogii animadversionibus. *Oud*.

Tres ejus ad Sic. adv.] Themistius Orat. XV. Πλάτωνος δὲ οὐ μέχρι νῦν Diogenes. *Colv. Elmenh.* Plato Epist. VII. ad Dionis propinquos. Laërtius pag. 179. Photius Biblioth. 679. Tzetzes Chil. Hist. XI. 361. *Elmenh.*

Mali quidam carpunt] Plane. Emendabis Tertullianum: ‘Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato a Dionysio ventris gratia venditatur.’ Scribe, *quam Plato Dionysio*. Sed de hujusmodi ad Tertull. *Wower*.

PAG. 571 *Historiæ gratia, ut nat. A. &c.*] Laërt. πρῶτον μὲν κατὰ θέαν τῆς νήσου καὶ κρατήρων. Historiæ gratia, ita dictum accipio tanquam si de ea regione commentaturus, historiam scripturus esset. Non absimile Plautinum Menæchmis: ‘In scirpo nodum quæris: quin nos hinc domum Redimus? nisi si historiam scripturi sumus.’ Erat servus cum domino suo peregri, in Sicilia. Quid hic, inquit, tam diu moramur, more illorum qui ideo regiones exteras visunt, ut earum situm, naturam describant, de iis historiam scribant? Non videtur hunc locum percepisse Salisber. dum scribit: *Sed primo ut historiam Naturæ cerneret in Ætna, et incendiorum intelligeret rationem*: nec, vir alioquin doctus, Isaacius Hortiboms ad Diogenem. *Colv.* Scilicet ut ipsa αὐτοψίᾳ disceret naturam Ætnæ. *Elmenh.* Ἱστορίας seu naturalis cognitionis et αὐτοψίας gratia; Græco more, ut egregie docet Casaub. ad Laërt. § 18. quem male carpit Colvius, exponens ridicule ‘ut historiam scriberet Ætnæ.’ Rectius Sarisb. Adde Perizon. ad Ælian. l. IV. V. H. cap. 19. τὴν ἱστορίαν τῶν ζώων. Passim Græcissare Auctorem quis nescit? *Oud.*

Reddidit] Si Laërtio fides, tantum ‘reddere voluit’ et conatus est: sed res non successit. Et sane sic sæpe auctores loquuntur. Vide ad Frontin. Noster l. I. Met. p. 10. ed. Pric.

III. V. H. c. 17. *Idem.*

Dogmata] Vide Cic. lib. IV. Acad. Quæst. Senecam Epist. 95. Notas nostras ad Gennadium cap. 1. *Elmenh.*

Extulerit] Bened. *ediderit* e glossa. Sic etiam Græci ἐκφέρειν λόγους, δόγματα, &c. Vide Steph. Thes. Latini quoque de fructibus et hominibus editis *efferri* dicunt. Vide comment. ad Cicer. l. I. de Off. c. 15. 'agri fertiles multo plus efferunt.' Virg. l. II. Georg. 167. 'Hæc genus acre virum Marsos pubemque Sabellam Extulit.' Phædr. l. II. in f. 'sinistra quos natura extulit.' *Oud.*

Tres partes Phil.] Laërt. p. 120. τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος πρότερον μὲν ἦν μονοειδής, ὡς ὁ φυσικός, δεύτερον δὲ ὁ Σωκράτης προσέθηκε τὸν ἠθικόν, τρίτον δὲ Πλάτων τὸν διαλεκτικόν, καὶ ἐτελεσιούργησε τὴν φιλοσοφίαν. Eusebius de præpar. Evang. lib. XI. c. 1. Theodoretus contra Græcos Serm. IV. p. 67. Augustin. de Civ. Dei VIII. 4. *Elmenh.*

Initia rerum esse tria] Chalcid. in Plat. Timæum p. 408. 'Sunt initia, Deus, et silva, et exemplum.' Plutarch. de plac. Philosoph. I. 3. fol. 878. Σωκράτης Σωφρονίσκου Ἀθηναῖος, καὶ Πλάτων Ἀρίστωνος Ἀθηναῖος· αἱ γὰρ αὐταὶ περὶ παντὸς ἑκατέρου δόξαι· τρεῖς ἀρχάς, τὸν θεόν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν. Errat igitur Diogenes Laërt. l. III. p. 228. dum duo saltem principia θεὸν καὶ ὕλην Platonem statuisse scribit; quæ Stoicorum sententia propria, ut observat Lipsius Phys. Stoic. lib. II. dissert. 4. *Idem.* 'Facile tamen iste dissensus de numero principiorum Platonicorum tolli potest. Si de primis sibique oppositis principiis sermo est, duo erant, Deus, et materia; tria vero, si ideas, causam quasi instrumentalem et exemplarem addas. Sed quum hoc tertium principium non sit absolutum, sed a causa efficienti pendeat, quippe inhærens menti divinæ, non commode satis addi potest duobis illis principiis, quibus æqualem æternitatem tribuit, Deo atque Materiæ. Si tamen omnia, quæ Plato ad hujus universi ortum requirebat, pro principiis habeamus, omnino audiendus est Cyrillus contra Julian. I. 2. qui quatuor illius numerat principia, addens nempe animam mundi.' Verba sunt Gedikii dicto lib. II. 3. § XI. N. 28. quæ hic non omittenda putavi. *J. B.*

Ideas] De quibus illi instituta dissertatio dialogo cui index, Parmenides. *Colv.*

PAG. 572 *Sed hæc de Deo*] V. ibid. Verba hic Platonis non promo, quia ea nimis multa; etsi id in aliis locis facere instituerim, non omnibus tamen: quæ Platonicæ Philosophiæ studiosis aliis indaganda reliquimus: nec nisi ubi nostri scriptoris vel loci difficultas vel corruptio id requirere visa, Divum illum Philosophum in medium adduci necessarium duximus. Sed et aliquando ea conferre voluimus quæ verbatim pæne huc illinc translata: ut id quod sequitur. *Colv.* Vide Alcinoum de doctr. Platon. cap. X. Maxim. Tyr. dissert. I. *Elmenh.*

Rerumque genitor, rerumque omnium extortor] Hæc taciti Elmenhorstii et seqq. est lectio e Cod. Florent. cum ante Wower. ederetur *genitor rerumque omnium extortor.* Ipse Wow. edidit *rerumque omnium genitor,* exclusa voce *extortor.* At Mss. Ben. Voss. Harl. omnino bene *rerumque genitor, rerumque omnium ext.* At quid sit *extortor* fateor me nescire; nam inepte interpretatur Floridus 'trahens placide ad se cuncta,' sine idoneo sensu. Plato docuit Deum esse genitorem reliquorum Deorum (vide in Timæo p. 1054.) et omnium rerum 'opificem,' 'factitatorem,' 'patrem,' 'fabricatorem,' 'ædificatorem,' (Nostro p. 577. 578.) ut passim Cicero, et omnes Christiani scriptores vertunt Platonica τὸν ποιητὴν καὶ τὸν πατέρα πάντος p. 1047. Quare amplector fere conjecturam viri docti in

marg. Junt. post *extructor*. Immo hoc Auctor ipse innuere videtur cum p. 584. de hoc Deo dicat 'quem patrem et architectum hujus divini orbis superius ostendimus.' In Harlem. *exortor*. Potestne *extortor* notare eum, qui *excudit* seu *exclusit*, id est, fabricavit opus? Lips. adscripsit *exorditor*: sed sine auctoritate. *Oud.* Renatus Vallinus ad Boëth. l. III. Consol. Phil. p. 52. ex vet. cod. legit *exortor*, ut est etiam in Harlem. Sed hoc, si probari posset, idem notaret ac *genitor*, quod idem fere dicendum de τῷ *extructor*: hoc tamen, si esset in Codd. recipiendum ducerem. Jam cum in iis *extortor* et *exortor* legatur, amplector conjecturam V. Cl. Lennepii, *exornator*: uti passim a Platone κόσμος κάλλιστος a Deo conditus celebratur. *Extortor* sane ferendum non est. *J. B.*

Cujus nat. inv.] Timæo: Τοῦ μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Colv.* Θεὸν εὑρεῖν μὲν οὐ ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον, *id est: Deum quidem invenisse haud facile est, intellexisse autem impossibile.* In Manuscripto alia Platonis verba citantur, nimirum, θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα γε εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. *Materiam vero, &c.* Sic Cicero in Timæo: 'Atque illum quidem quasi parentem universitatis invenire difficile, et cum jam inveneris, indicare in vulgus nefas.' Et Tertullian. Apolog. 'Licet Plato affirmet, factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum, enarrari in omnes difficilem.' *Sciopp. in Symb.* In Romano, Aldo, et Basil. I. Græca verba ita leguntur: Θεὸν εὑρεῖν μὲν οὐ ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. Vide Platonem in Timæo, Proclum in Platonis Theologiam p. 198. et 275. et Notata ad Minutium fol. 20. *Elmenh.* Θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα δὲ εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. Sic edidit primus Scal. sive Vulc. Ed. sec. atque ita Voss. aliique Mss. ut videtur: et sane ita Plato in Timæo p. 1047. nisi quod ibi exhibeatur καὶ εὑρόντα εἰς πολλοὺς ἀδύνατον λέγειν. In Mss. Fulv. et Voss. hic εὑρόντα γε. In Edd. autem vett. varie hæc concipiuntur. Nam in Edd. (non Mss. ut credit Hasæus Hist. Crit. t. XIV. p. 187.) Rom. Vic. Bas. pr. Colv. Vulc. pr. Wow. θεὸν μὲν εὑρεῖν οὐ ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. (probante eodem Hasæo) at Ald. et Junt. post. γνῶναι δὲ ἀδύνατον. sine dubio male, et modo conceptum e Latinis, quæ in meis Mss. non comparent, et recte Scal. ac seqq. abjecerunt, cum contra Græca desunt in Ed. Junt. pr. Vide Elmenh. ad Minuc. Fel. c. 19. Platoni itaque in Timæo 'Deus est ipse sine nomine mundi parens, artifex animæ, cœlestium terrenorumque fabricator, quem et invenire difficile præ nimia et incredibili potestate, et cum inveneris, in publicum dicere impossibile præfatur.' Noster in Apol. p. 509. ed. Flor. 'paucis cogitabilis, nemini effabilis.' Adde et Ciceron. in Timæo, et Augustin. J. Sarisber. &c. *Oud.*

Materiam vero] Timæo: Διὸ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ πάντος αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν, μήτε γῆν, μήτε ἀέρα, μήτε πῦρ, μήτε ὕδωρ λέγομεν, μήτε ὅσα ἐκ τούτων, μήτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν, ἀλλ' ἀόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον, πανδεχές, &c. *Colv. Elmenh.*

Factionique subj.] Platonis verba Auctor recensuit de materia Dei: quid si verius esse dicam scribendum? *fictionique subjectam.* Stewech. Stewechio adstipulatur Alcinous de doctr. Plat. cap. 8. καὶ πρῶτόν γε περὶ ὕλης λέγωμεν. Ταύτην τοίνυν ἐκμαγεῖόν τε καὶ πανδεχὲς, καὶ τιθήνην, καὶ μητέρα, καὶ χώραν ὀνομάζει, καὶ ὑποκείμενον ἁπτόν τε μετὰ ἀναισθησίας, καὶ νόθῳ λογισμῷ ληπτόν. Ἰδιότητα δὲ ἔχειν τοιαύτην, ὥστε πᾶσαν γένεσιν ὑποδέχεσθαι, τιθήνης λόγον ἐπέχουσαν τῷ φέρειν αὐτάς. καὶ ἀναδέχεσθαι μὲν αὐτὴν πάντα τὰ εἴδη, αὐτὴν ἄμορφόν τε ὑπάρχειν καὶ ἄποιον, καὶ ἀνεί-

δεον. Sed mihi quoque rectum videtur *factioni*. Plato enim Deum ubique δημιουργὸν, ποιητὴν, καὶ πατέρα τοῦ ὅλου appellat, eumque ait ποιεῖν, δημιουργεῖν, τεκταίνεσθαι, ἀπεργάζεσθαι, μηχανᾶσθαι. Sic Deum *factorem* in Symbolo Trinitatis sive regula fidei (sic enim Tertull. de præscript. advers. hæreticos cap. 13. et contra Praxean cap. 11. illud vocat) Sancta Ecclesia confitetur, et a *factura corporis* faciem dici author est Nonius. Deus igitur factor materiæ faciem sive τὸ εἶδος inducit, et Chalcidius sylvam sic definit, ex qua prima fit, quod gignitur: idem pag. 417. 'Deum primitus operari et facere:' et pag. seq. 'Sylvam, corpus, mundumque factum effectu opificis, atque operatione, eidemque opportunitatem inesse vultus induendi' (corrupte enim legitur *intuendi*). Elmenh. Bene Elm. *Oud.*

Indistinctum finem] Mss. Voss. Vulc. Bened. *indistinctam*. Bene: passim apud optimos scriptores *finis* etiam in femin. gen. adhibetur. Adi Victor. ad Cicer. x. ad Fam. 32. Heins. et Burm. ad Ovid. Art. Am. I. 282. et ad Virg. III. Æn. 145. et alibi. Immo Noster ipse l. IV. Met. p. 66. ed. Pric. 'totius viæ finis quieta.' Rursus Mss. in l. de Mundo p. 731. ed. Flor. 'per varias fines.' Ita et Ms. Voss. sed recentior Ausonii in Gripho vs. 6. 'Quæque novem novies fati tenet ultima finis:' et alibi apud eundem, ut in f. Technop. 'quæ finis, quis modus, et calx:' et Ed. 18. 9. 'Hæ cohibent fines:' sic enim, vel 'hæc cohibet finis' ex Ms. vetustissimo leg. In Stat. Ms. Achill. I. 98. est etiam *fines* pro *terras*. Idem.

PAG. 573 *Neque sane*] Flor. *sed sane*. Chalcid. in Platonis Timæum p. 416. 'Quibus ita decursis, sequitur, ut, an corpus sylva sit, consideremus. Neque corpus, neque incorporeum quiddam posse dici simpliciter puto; sed tam corpus, quam incorporeum possibilitate.' Vide Alcinoum cap. 8. ad Laërtium p. 125. *Elmenh.*

Ideas] Vid. Laërtium p. 194. et seqq. Plat. *Parmenide*. Alcinoum cap. 9. Eustrat. ad prim. Ethicorum cap. 6. Chalcid. p. 431. *Idem.*

Gignentiumq.] *Gignentia*, genita. *Elmenh. in Ind.* Observa passive seu potius neutraliter sumptum pro 'nascentium.' *Florid.* Recte. Sic de Mundo p. 736. 'pars gignentium, alia adolescentium, cetera occidentium vices sustinent.' Adi omnino Wass. et Cort. ad Sall. B. Jug. c. 79. 'loca æqualia et nuda gignentium.' Aliter facile quis conjicere posset *entiumque*, sive ὄντων. de quo participio vide ad Met. lib. III. p. 196. b. *Oud.*

Ad instar ceræ] Chalcid. p. 408. 'Ex natura quidem propria primam materiam nuncupans, et item simile quiddam mollis cedentisque materiæ, in quam inprimuntur signacula rerum, et receptaculum et interdum matrem atque nutriculam totius generationis.' *Elmenh.*

Τὰς οὐσίας] Maximus Tyr. diss. I. p. 7. τῇ τοῦ ἀνθρώπου ψυχῇ δύο ὀργάνων ὄντων, πρὸς σύνεσιν, τοῦ μὲν ἁπλοῦ, ὃν καλοῦμεν νοῦν, τοῦ δὲ ποικίλου καὶ πολυμεροῦς, καὶ πολυτρόπου, ἃς αἰσθήσεις καλοῦμεν· συνῆπται μὲν αὐτῶν ἡ ἐργασία· κεχώρισται δὲ ἡ οὐσία· ὡς δὲ ταῦτα πρὸς ἄλληλα ἔχει, οὕτω κἀκεῖνα, ὧν ἐστι ταῦτα ὄργανα. Per *duplex intelligendi* organon duplicem essentiam probat: idcirco et ipse Plato τὸν φυσικὸν τῆς φιλοσοφίας λόγον dividit εἴς τε τὴν τῶν αἰσθητῶν θεωρίαν, καὶ τὴν τῶν ἀσωμάτων κατανόησιν, ut est apud Euseb. de præpar. Evang. lib. x. c. 1. Hancque divisionem ab Epicharmo transtulisse Platonem Alcimus Philosophus auctor est apud Laërtium et Hesychium in vita Platonis. *Idem.*

PAG. 574 *Et mentem*] *Animam* et *mentem* promiscue dicit p. 579. Sequor igitur Floridum: præsertim quia ad hanc οὐσίαν videtur referre omnia, quæ præmiserat, *Deum* sc. et *Ideas*

seu *formas rerum*, adeoque etiam *Materiem*. Vide p. 671. Ceterum vide de hoc loco Mer. Casaub. ad Laërt. § 77. unde male colligit principia duo statui hic quoque ab Appuleio. Ait Auctor 'initia rerum esse tria, Deum, Materiem, et Formas,' sed quæ omnia sunt unius *οὐσίας*, quæ *cogitatione* tantum percipitur, quibus addit *et animam*, si hoc sanum: nam certe abest a Cod. Bened. Alterius *οὐσίας* ait esse, quæ *sensibus* cognoscuntur, sive omnia, quæ *genita* sunt et *formata*. Oud.

PAG. 575 *Neque adinstar syll.*] Plato: *προσῆκον αὐτοῖς οὐδ' ὡς ἐν συλλαβῆς εἴδεσι μόνον εἰκότως ὑπὸ τοῦ καὶ βραχὺ φρονοῦντος ἀπεικασθῆναι*. *Colv.*

Istis quarum] Scil. *syllabis*, adlevit margini Cel. Jac. Gronovius. *Rebus* subintelligit Floridus: immo vero *formis:* sic pag. seq. 'efficere cubum, quæ terræ sit propria,' non *cubus*, quod nomen est dignioris generis; sed *forma εἶδος κυβικόν*. *Oud.*

Numeris et mens.] Pleraque hujus libri ex præstantissimo illo opere et augustissimo Timæo petita sunt. Ubi etiam: *Οὕτω δὲ τότε πεφυκότα ταῦτα πρῶτον διεσχηματίσατο εἴδεσι καὶ ἀριθμοῖς*. *Colv.*

PAG. 576 *Cubum*] Plato: *γῇ μὲν τὸ κυβικὸν εἶδος δῶμεν*. *Colv.*

Pyramidis formam igni] Ibidem: *τὸ μὲν τῆς πυραμίδος στερεὸν γεγονὸς εἶδος πυρὸς στοιχεῖον καὶ σπέρμα*. *Idem.*

Fluida] Voss. *fluvida:* ut sæpe in Mss. Vide ad Lucan. VI. 89. ubi *fluvidæ* edidit Cortius, et ita 2. locis Ovidii vult legi Ciphanius, licet apud Lucret. lib. II. 463. 465. prima in *fluvidus* sit longa. Plerumque scribarum aberrationem fuisse puto. Adi Drakenb. ad Liv. lib. I. 4. 6. cf. Virg. Georg. III. 483. Æn. III. 663. *Oud.*

PAG. 577 *Situs*] Forte potius, *situm*, Mundum scilicet. *Colv.* Atque ita edidit e Ms. Fulv. Wower. cum seqq. qui tamen non videtur subintellexisse *mundum*, ut facit Colvius, sed substantive, ut debet, accepisse. Mundus non situs est in elementis, sed consistit ex illis elementis. *Situs* est positura, sedes, in qua quodcunque elementum est situm, ita ut ignis aëri sit proximus, et aqua terræ sit propior. Adi Platon. in Timæo p. 1048. Ovid. Metam. l. I. Verum Mss. mei O. retinent *situs:* quare id revocavi: de Mundo p. 720. 'insularum situs.' de Deo Socr. pag. 667. 'numeroso situ:' et passim. *Oud.*

Hinc unum esse m.] Plato: *πρὸς δὲ τούτοις, ἓν, ἅτε οὐχ ὑπολελειμμένων ἐξ ὧν ἄλλο τοιοῦτ' ἂν γένοιτο*. *Colv.*

Perpetua juv.] Ibidem: *Ἔτι δὲ, ἵνα ἀγήρων καὶ ἄνοσον ᾖ*. *Idem.* *Juventas*] Sic Mss. Lindenbr. Voss. Bened. Vulc. cum Edd. Vulc. Scal. *Juventa* Harl. Vulgo *juventus*, perpetua variatione. Adi Broukhus. ad Tibull. l. I. 4. 33. ubi *juventas* habent quoque Voss. tert. et quart. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. IV. 17. ad Virg. Ge. III. 63. Æn. V. 398. Nemes. Ecl. III. 35. 'florescit pube juventas:' sic enim e Ms. Neapol. scribendum, ut conjecit Heins. Apud Florum in Proœm. 'Hic jam juventas imperii,' ut habent 3. Mss. Voss. l. II. Proœm. 'si qua juventas:' ita præter Nazar. et alios etiam 3. Voss. Vide iis locis comment. et Duker. ad lib. I. cap. 7. *Oud.*

PAG. 578 *Nativum videri*] Plato: *γέγονεν· ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τε ἐστι. καὶ σῶμα ἔχων*. *Colv.*

PAG. 579 *Animam vero anim.*] Confer hæc cum Alcinoo cap. 25. *Elmenh.*

Omniumque gignentium] Vide me supra ad p. 573. *Animam* vero hanc cum *cœlesti anima*, de qua mox et ante egit, videtur confundere Appuleius. Vid. Plat. in Timæo p. 1049. *Oud.*

Genitricem] Repono, *genetricem*, itidem eodem hoc libro 'genentium,' 'genamur,' &c. rescribo a verbo 'genere:' pro quibus vulgatum *gignen-*

tium, gignamur: de hoc verbo Priscianus lib. x. et alii Grammatici veteres consulendi. Præterea *Genetrix* per *e*, *genitor* per *i*, scribendum observavit quondam Probus Grammaticus: cujus sententiam hac inscriptione veteri, quæ Romæ in horto Caroli Stalle, juvare visum est: FRATER. MEI. ET. GENETRIX. GERMANA ORO. ATQ. O. DESINITE. LVCTV. QVESTV. LACHRYMAS. FVNDERE. SEI. IN. VITA. IVCVNDA. VOBIS. VOLVPTATEI FVEI. VIRO. ATQVE. AMICIS. NOTEISQVE. OMNIBVS. In alio marmore est, *Veneri genetrici.* Stewech. Stewechius et Gifanius ad Lucretium *Genetricem*, orthographia non bona, si Aldo credimus: non enim dicimus, *genetus* sed *genitus.* Elmenh. Sequor Stewech. et alios scribendo *e* e monumentis. *Oud.*

PAG. 580 *Ut Musicæ mundus*] Scripsit Appuleius, *ut Musice mundus:* quod verissimum esse comperiet, quisquis considerabit, quæ hoc loco de numeris et modis disseruit. Censorinus de die nat. cap. XIII. totum mundum musica ratione factum scribit. Nec multo postea ostensurus Appuleius, et quidem ex mente et sententia Platonica, omnia, quæ accidunt, ad vim fati referenda esse, sed rerum eventum partim a nobis, partim a fortuna ipsa pendere, hoc verborum ambitu utitur, 'sed esse aliquid in nobis et in fortuna non nihil, et fortunæ improvidos casus ignorari a nobis fatetur: instabile enim quiddam et intercurrens intercidere ea solere, quæ consilio fuerunt et meditatione suscepta, quæ non patiatur meditata ad finem venire: et tunc quidem, tum impedimentum,' &c. Leviuscula mutatione sententia eruetur; *quod non patiatur meditata ad finem venire, et tunc quidem cum impedimentum, &c.* an non hoc est post aliorum messem spicas legere? *Stew.*

Percipitur atque concipitur] Sic Mss. O. cum Vulc. et seqq. priores *conspicitur.* At discernit Auctor hanc ab ea, quæ *conspicitur.* Solet autem ludere in eodem verbo cum variis præpositionibus composito. Vide supra ad Flor. N. III. nec secus alii: unde bene defendit Wopkens. Misc. Obs. vol. VIII. p. 69. locum Velleii l. II. c. 97. 'virtutum quantas mortalis natura recipit vel industria percipit:' al. *perficit.* Supra de οὐσίᾳ 'cogitatione sola concipitur.' *Oud.*

Tempus esse] Alcinous cap. 15. καὶ γὰρ τὸν χρόνον ἐποίησε τῆς κινήσεως τοῦ κόσμου διάστημα, ὥσαν εἰκόνα τοῦ αἰῶνος, ὥς ἐστι μέτρον τοῦ αἰωνίου κόσμου τῆς μονῆς. Chalcid. in Platonis Timæum p. 95. Plotinus Enneade 3. lib. VII. c. 10. Proclus in Platonis Theologiam, pag. 33. *Elmenh.*

PAG. 581 *Signa hæc in luc. &c.*] Arnob. lib. I. adv. gent. 'Numquid ipse Sol siderum princeps, cujus omnia luce vestiuntur, atque animantur calore, exalsit?' *Brant.*

Observationem, &c.] Plato: χρόνος δ' οὖν μετ' οὐρανοῦ γέγονεν, ἵνα ἅμα γεννηθέντες, ἅμα καὶ λυθῶσιν, ἄν ποτε λύσις τις αὐτῶν γένηται. *Colv.*

Namque ut mensuræ, &c.] Ibidem, ἵνα ὅτι μάλιστα εἰς ἅπαντα φαίνοι τὸν οὐρανὸν, μετάσχοι τε ἀριθμοῦ τὰ ζῶα, ὅσοις ἦν προσῆκον, μαθόντα παρὰ τῆς ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς. *Idem.*

Quies desiderata, &c.] Auctor de Observatione Virgiliarum apud Hieron. tom. IX. Epist. 36. p. 122. 'Nox ecce et caligo corporibus, quæ non solum homines, sed etiam cunctos somno detinet animantes, ut reformatis viribus per soporem, possint diuturnos labores sustinere viventes. Bonus Deus qui ita prospexit, ita constituit, ut homo exiturus ad opus suum, et ad operationem suam, usque ad vesperam haberet vicarium tempus, in quo a duris laboribus, et multa fatigatione requiescere præstitit.' *Elmenh.*

Mensesque, &c.] Ibid. Μεὶς δὲ, ἐπειδὰν Σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύ-

κλον Ἥλιον ἐπικαταλάβοι· ἐνιαυτὸς δὲ, ὁπόταν Ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθοι κύκλον. *Colvius.* Verba Platonis: Μεὶς δὲ, ἐπειδὰν Σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον Ἥλιον ἐπικαταλάβοι. Illa vero de Synodo Lunæ, non de Periodo capienda Alcinous de dogmate Platonis docet, ubi scribit: Lunam mensem explere, peragrato orbis sui spatio Solem assecutam. Hæc eadem, quæ et Platonis. Appuleii autem verba Periodicum mensem describunt. Quare non recte assecutus est mentem Platonis, aut discedere ab illo voluit, ut de Periodico loqueretur; qua ratione scribendum erit *mensemque effici:* alioquin confudisset Synodum et Periodum Lunæ, quo errore libenter Appuleium liberarem. *Wower.* Alcinous de doctr. Plat. c. 14. καὶ Σελήνη μὲν μηνὸς μέτρον ποιεῖ ἐκπεριελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον, καὶ καταλαβοῦσα τὸν Ἥλιον ἐν τοσούτῳ. *Elmenh.* Mss. O. et Edd. vett. *mensesque:* conjecit Wow. *mensemque:* atque ita edidere seqq. confundit autem Auctor Periodicum mensem cum Synodico. De Synodico loquuntur Plato et Alcinous: de Periodico Varro apud Gell. lib. III. c. 10. 'duodetricesimo Luna, ex quo vestigio profecta est eodem redit:' quem locum adscripsit hic Gœsius. *Oud.*

PAG. 582 *Cum Sol*] Plato in Timæo fol. 39. Philo de mundo fol. 9. Alcinous p. 491. Ἥλιος δὲ ἐνιαυτοῦ· περιελθὼν γὰρ τὸν ζωοφόρον κύκλον πληροῖ τὰς ὥρας τοῦ ἔτους. Chalcid. p. 240. *Elmenh.*

Temporum vices] Alcinous ὥρας ἔτους, i. e. ver, æstatem, autumnum, et hiemem. Male Florid. exponit per puncta signorum Arietis, Cancri, Libræ, et Capricorni. *Oud.*

Esse autem stell.] Ibidem, τῶν δ' ἄλλων τὰς περιόδους οὐκ ἐννενοηκότες ἄνθρωποι, πλὴν ὀλίγοι τῶν πολλῶν οὔτε ὀνομάζουσιν, &c. *Colv.*

Unde fit, &c.] Ibidem, Ἔστι δ' ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι δυνατὸν ὡς ὅγε τέλεος ἀριθμὸς χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν πληροῖ τότε ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ἄλληλα ξυμπερανθέντα τάχη σχῇ κεφαλὴν τῷ τοῦ ταὐτοῦ καὶ ὁμοίως ἰόντος ἀναμετρηθέντα κύκλῳ. *Id.*

PAG. 583 *In tres species*] Plato quatuor constituit, hoc modo: Εἰσὶ δὲ τεττάρες. μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος. ἄλλη δὲ πτηνὸν καὶ ἀεροπόρον· τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος· πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τετάρτη. *Idem.* Flor. et Leid. *in quatuor sp.* Et sic quidem Plato ipse Timæo pag. 40. Chalcidius: 'Deus animalium genera constituit quatuor, primum cœleste, plenum divinitatis, alterum deinde præpes, ærivagum; tertium aquæ liquoribus accommodatum, quartum quod terrena soliditas sustineret.' *Elmenh.* Non in *tres species* sed *quatuor*, ut habent Mss. O. cum Platone et Edd. Vulc. Scal. Wow. immo ipso Auctore. *Species* enim sunt stellæ, dæmones, terrena et terrestria: sed tria *genera:* nam unum genus divisit in duas species: ad quam divisionem hic non attendit Elmenh. et seqq. unde tacite Auctorem corruperunt, et pro *alterum* et *tertium,* ut est in Mss. et Edd. prioribus recte, ediderunt *alteram* et *tertiam;* sed tum simul *ex eo* mutare debuissent in *ex ea:* de quo non cogitasse videtur Elmenh. Ex animantum *generibus* una *species* est ex natura ignis; *alterum genus* ex qualitate aëria, *tertium* ex aqua et terra, quod hinc divisum in *speciem* Terrenam, et *speciem* Terrestrem, πεζὸν et χοϊκόν: adeoque tria *genera* et quatuor *species.* Vidit aliquid quoque Holstenius. Adi Elmenh. in Add. *Oud.* Sed ea Addenda nusquam invenio. *J. B.*

Χοϊκὰ censuit n.] Margo Basil. 2. χερσικάς. Ald. χερσικά. Rescribo e Platone, χερσαῖα *censui nom.* Animantum genus quod Plato χερσαῖον vocat, ego Terrestre Latine, sive Terrenum nominandum censui. *Colv.*

Retinui lectionem Romani codicis et Basil. 1. in Aldo et Basil. 2. est χερσικὰ, Colvius χερσαῖα. Flor. Fulv. et Leid. PONENERTERON, Excerpt. Bat. POTE ENEPTERON, admodum inepte. Romani et Basil. Codd. lectionem firmat Tertullianus de resurrectione carnis cap. 36. 'Primus homo de terra choicus, id est, limaceus, secundus de cœlo, id est sermo Dei.' Vide Cic. lib. I. Tusc. Quæst. *Elmenh.* E Platone χερσαῖα male legi volebat Colv. ut bene Florid. Ald. Junt. post. et Bas. sec. margo χερσικά. At Mss. longe aliud quid suadent, et, si Florido credas, utramque Platonis vocem. in Florent. Voss. et Fulv. est *et* PRONENEPTERON i. e. ponenerteron. Bat. et Harl. *et pote enepteron.* Bened. *et ponenepte.* Vulc. τὸ ἐνέρτερον. Videant acutiores. Hasæus editiones vetustas pro Mss. habens legit χοϊκὰ καὶ χερσικὰ, Hist. Crit. tom. XIV. p. 190. sed vide et p. 192. sed tunc certe in sing. num. et forte leg. χοϊκὸν et χερσαῖον. *Oud.* *Nuncupanda*] Sic Mss. O. In Edd. ante Elmenh. *nominanda.* Idem.

Ultramundanus] Mart. Capella lib. II. 'Ultramundanum fas est cui cernere patrem, Et magnum spectare Deum.' *Colv.*

PAG. 584 *Medioxumos*] Hunc locum citat Servius ad VIII. lib. Æneid. fol. 502. *Elmenh.* Harl. et Edd. ante Vulcan. cum Servio ad Æn. VIII. 275. per *i* scribunt; atque ita Mss. O. Festi, 'Medioximum mediocre:' item Non. Marc. p. 141. Ed. Merc. et Martiani Cap. p. 39. ubi e Mss. corrigendum ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι et pro *conspicitis* leg. *conspictis:* sunt enim verba Junonis ad Philologiam. Voss. *Mediexumos.* cf. ad Flor. N. X. extr. *Oud.*

Nec ullius mali causa, &c.] Plato de Republ. lib. II. fol. 379. καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον· τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. Et lib. X. fol. 617. ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν ἀτιμάζων πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει. αἰτία ἑλομένου θεὸς ἀναίτιος. Philo Judæus decal. fol. 525. θεὸς κύριος ἀγαθὸς μόνων ἀγαθῶν αἴτιον, κακοῦ δὲ οὐδενός. Vide Trismegistum cap. 14. et observationes nostras ad Arnobium lib. II. fol. 58. Chalcidium pag. 243. Plotinum Ennead. I. l. VIII. *Elmenh.*

Geritur] Sic optime restituit e suo Cod. Vulc. cui consentiunt reliqui. Vulgo *agitur:* male. Quod providentia *gubernatur*, id *agitur* Fato. Et ita sæpe *gerit* occurrit. Vide Broukhus. ad Tib. III. El. 2. 22. 'Nam fortuna sua tempora lege gerit.' Claud. lib. I. in Rufin. vs. 18. 'Fortuna non arte geri.' Auson. Parent. XIX. 8. 'Quod gereret totam femina sola domum:' ubi male in Add. Tollius legit *regeret.* Hinc forsan non temere *gerere* mutandum est in iis locis, ubi notat *gubernare*, et cum *regere* in Mss. solet confundi. Adi Cl. Burm. ad Calpurn. Ecl. IV. 8. Markland. ad Stat. I. 2. et nos ad Cæsar. VI. B. G. 17. ad Sueton. Aug. 61. atque Lucan. lib. IV. vs. 661. 'tanquam Fortuna locorum Bella gerat:' ubi *regat* cum Heinsio et Mss. nonnullis olim substitui: ut est in Leid. pr. apud Veget. lib. III. c. 6. 'in quibus bellum geritur.' *Oud.*

PAG. 585 *Exsuperantissimique*] Sic Ald. et Bas. 2. Aliæ *exuperatissimique.* Gellius lib. VI. 'Quam esse audiebat exuperanti forma.' Eundem emendandum putem lib. III. cap. 9. de equo Sejano loquentem: 'Haud credibili pulcritudine vigoreque, et colore exuperantissimo:' ubi editum passim *exuberantissimo.* Colvius.

PAG. 586 *Rationabilitatem*] Sic Florent. cum Elmenh. et ceteris: quomodo partes reliquas substantive quoque describit 'Irascentiam,' 'Cupidinem.' Sed Edd. et Mss. ceteri *rationabilem*, scil. portionem. Mart. Cap. l. VI. p. 195. 'brevitate rationabili.' L. II. de

Dogm. Plat. p. 595. 'rationabiles mentes.' p. 598. 'Optima et rationabili portione.' p. 605. 'rationabilis anima:' ubi de iisdem partibus agit. Immo sic, ut hic, vulgo p. 591. 'primam ejus rationabilem esse partem, aliam Excandescentiam, tertiam Appetitum et Cupiditatem.' *Oud.*

Procul a ratione] Immo vero *non procul:* sed *prope:* quod an hic significetur per τὸ *procul* ἐγγὺς dubitavit Salmas. in Epictet. p. 145. *Idem.*

Et resp. in loco sap.] Non me fugit eorum verborum expositio; vereor nihilo minus tamen ab Auctore scriptum fuisse: *obsequi eam, et respuere interdum logos sapientiæ:* juxta illud Horatii: 'Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret, Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.' Sallust. in conjuratione: 'Si libido possidet, ea dominatur: tum animus nihil valet:' nam ita in Mss. meis, *tum*, particulam addi compesisse me, non possum quin moneam. *Stewech.*

Pag. 587 *Subministrare, vectare et in subl. possit*] Adesse jube patres omnes conscriptos, quibusque in Senatum veniendi jus est, de verbis Appuleii pronuntiaturos puto antiquum illud N. L. Latet sententia Platonica (nisi verius sit eum pariter ut M. Tullium a Socrate illam mutuatos esse) quam tantis sordibus et mendis involutam diutius circumferri non patior: recte enim eluere videor: *cibos et alia subministrare; vim vetare, et in sublimi positum dominum, atque rectorem prudentiamque ejus a periculis vindicare.* Tres animi partes Philosophus summus constituerat: primam rationabilem scilicet, et omnium optimam, in arce capitis, ut gubernatricem, alteram, irascentiam nimirum, ad cordis deducebat domicilium: cupidinem vero atque appetitus infernas abdominis sedes obtinere dicebat, ut vitiorum latebras et diversoria luxuriæ nequitiæque. Cum ratio sola regeret, inferiores duæ partes parerent: nihil iracundia aut voluptas appeterent, quod illa inutile esse dictaret: tum animanti sanitatem inesse, viribus pollere et pulchritudine. Consulendus Plato lib. de natura. *Stewech.* Ego ita legendum censuerim: *Vectari ut in sublime possint, ad dominum atque rectorem, prudentiaque ejus a periculis vindicari.* Vulc. Lucem huic loco necessario facere debent verba Platonis: "Ιν' οὖν μὴ, κυλινδούμενον ἐπὶ γῆς ὕψη τε καὶ βάθη παντοδαπὰ ἐχούσης, ἀποροῖ τὰ μὲν ὑπερβαίνειν, ἔνθεν δὲ ἐκβαίνειν, ὄχημ' αὐτῷ τοῦτο καὶ εὐπορίαν ἔδοσαν. Loquitur de capite. Similiter post: Παραλαβόντες ἀρχὴν ψυχῆς ἀθάνατον τὸ μετὰ τοῦτο, θνητὸν σῶμα αὐτοὶ περιετόρνευσαν, ὄχημά τε ἅπαν τὸ σῶμα ἔδοσαν. Nihil igitur hic aliter legendum: nisi forte pro, *ut dominum, suum dominum,* Colv. Scioppii et Wowerii emendationem e Cod. Fulv. *verticem etiam in sublime posuit,* recepere Elm. et seqq. cum vulgo ederetur *vectare ut in sublime possit,* sensu quod idoneo caret. Unde Stewech. conjecerat *vim vetare et in sublimi positum.* Pro *ut dom.* Colv. frustra corrigebat *suum d.* Verum tamen istud *posuit* non mihi se probat; nam eo fit ut indicativus hic ponatur inter duos infinitivos, quibus subintelligitur *sentit Plato:* quare etiam Wow. videtur huic malo mederi voluisse; cum pro vulgatis *providentiaque ejus a periculis vindicare* edidit *ut d. a. r. providentia ejus a per. vindicaret.* Et sane Mss. Harl. et Vulc. carent τῷ *que.* Sed Mss. O. habent *vindicari.* Omnino bene. Lips. legit *possint* et *vindicari.* Adhæc *etiam sublime* Fulv. Voss. Flor. Harl. Bened. aliique, nam τὸ *in* agnoscit nullus codex. Verissime. *Sublime* adverbialiter ponitur, ut passim. Adi ad Met. l. ix. p. 670. b. *sublime elatum.* Pro *possit* ergo vel *posuit* scribe *positum* et locum persanatum habebis sic, *Verticem etiam sublime positum, ut dom. a. rectorem, providentiaque ejus a per. vin-*

dicari. Ceterum *prudentiaque* habent Edd. ante Scalig. solemni variatione. Adi ad Met. l. x. p. 783. b. *Oud.*

Symphonia] V. C. *bifori via.* διαύλῳ πόρῳ. Optime et ad sensum et ad scripturam, si per ἀλόγιστον licet. Ego ei biforem hanc odoris et spiritus viam valde obstructam censeo, cui hæc emendatio beue non olet. *Vulc. Bifori via.* Ita Vulcanius, volentibus Musis, restituit ex Ms. suo, cui Fulvianus consentit: quia tamen passim editum fuit *quorum Symphonia*, non contemnenda ductus conjectura Fulvius *Syphonibus* legendum censuit. *Sciopp. in Symb.* Sic Leid. et Florent. διαύλῳ πόρῳ. Rom. et Bas. 1. *symphonia,* unde Fulvius *syphonibus* legendum censet. Vide Alcinoum cap. 19. *Elmenh.* Egregie Vulc. *bifori via* cum Mss. id probantibus. Voss. *biforidia.* Cava duo narium optime *via biforis* δίθυρος πόρος dicuntur. Sic 'via,' 'meatus gulæ:' de quo vide ad Met. lib. I. p. 20. b. Antea edebatur *Symphonia:* unde Ursinus, Gœsius, R. Titius Controv. III. 12. Schegk. Præm. c. 7. non male emendare conati sunt *Siphonibus* sive canalibus: sed Mss. lectio præponderare debet. ὀχετοὺς τῆς ῥινὸς vocat Plato Tim. p. 1077. et ὀχετεύματα Pollux. Lips. conjecit *syphonium.* Oud.

Vel madescentibus vel madefactis] Inepta ejusdem pæne verbi iteratio. In margine Basil. posterioris edit. adscriptum, *vel mitescentibus.* Unde scripserim, *vel mucescentibus vel madef.* Conjecturam nostram probare videtur Plato, cujus verba facientia ad hunc locum: Διὸ τούτων οὐδεὶς οὐδενὸς ὀσμῆς πώποτε ἤσθετο τινὸς, ἀλλ' ἀεὶ βρεχομένων, ἢ σηπομένων, ἢ τηκομένων, ἢ θυμιωμένων γίγνονται. Locus Plauti est quem e vestigiis membranaceæ scripturæ etiamdum emendandum putabam Menæchmis: 'Summum me olfactare oportet vestimentum muliebre: nam ex istoc loco spurcatur nasum odore mucido:' nam vulgatum ibi, *odore illutibili:* quod supra etsi explicare conatus *sim*, tamen veterem scripturam sequebar, *inlutido:* faciebamque inde, *mucido*, ut jam posui. *Colv.* Offendit me ταυτολογία ista *madescentibus vel madefactis:* neque etiam placet satis id quod Vulcanius in suo reperit et altero Fulviano codice confirmatur, *mitescentibus:* amplector potius alterius Fulviani lectionem, *mucescentibus*, quod facile in *mitescentibus* depravari potuit. *Sciopp. in Symb.* Incondite iterata, *madescentibus vel madefactis.* Liber manu exaratus doctiss. viri amici mei Bon. Vulcanii, *mitescentibus.* Sed amplectenda lectio alterius libri: *mucescentibus, vel madefactis.* Wower. *Mucescentibus* egregie Colv. e conjectura et Platonis loco σηπομένων, ut cum Scioppio et seqq. Wowerius reposuit e Ms. Ursini, cui succinit Bened. *mutescuntibus.* Alter Fulv. Florent. Voss. Thuan. Leid. Vulc. Harl. et Ed. Junt. post. cum Bas. sec. marg. et Vulcanio *mitescentibus.* Minus bene. Ed. Scalig. *putrescentibus*, quod glossam sapit. Olim edebatur *madescentibus* inepte. Pro *vel madef.* Bened. Harl. Voss. *aut madef.* et pro *sentiri* Edd. ante Vulcan. male *sentire.* Oud.

Cum quidem . . . odor in his judicium s. s.] Revocatum puto iri elegans loquendi genus, etsi hodie minus frequentatum, si legamus: *odoris judicium, sensusque succedunt:* cum de corruptis, adustis, madefactis ex vapore aut fumo judicandum est, (quam genuinam scriptoris mentem esse nemo negabit,) dicuntur illa judicium odoris subire, propter symphoniam, quam natura illi sensui voluit esse cum naribus: qua de re ornate disserit, nec minus erudite Lactantius Firmianus, libro de opificio Dei cap. 10. Dixit phrasi non plane absimili Virg. l. III. 'iidem olim curru succedere sueti.' Itidem IV. Æn. 'Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?' Inde quoque *Successus* dicti Arnobio pro

domibus, l. II. adv. gentes: 'Domibus,' inquit, 'structis et lautioribus successibus institutis, non adamarint casulas.' Immutanda eadem pag. in Appuleio hæc levia: 'auditus illi est visusque præstantior:' male alii, *ille est*. Item, 'sed homini promptuarium potius:' vulgo legunt, *hominis*. Item: 'membrorum alia conditione sunt optima, atque longe pejora.' Ruit sententia nisi rescribas, *aliaque longe pejora*. Stewech. Haud male lib. v. 'cum quidem ea eruuntur vapore vel fumo exhalantur, odor in his judicium, sensusque succedunt.' *Wower*. *Cum quidem ea quæruntur* Mss. et editi omnes. Wower. *c. q. ea eruuntur*. recte. Stewech. *odoris in his j.* bene. *Elmenh.* *Cum quidem ea quæruntur, vapore vel fumo exhalantur, odoris in his judicium sensusque succedunt*. Qui hæc bene mihi explicare possit, næ ille magnus erit Apollo. Floridus interpretatur: 'cum quidem ea promuntur, et tepore vel fumo spirant: sequitur perceptio et æstimatio odoratus in eis:' quæ interpretatio non minus obscura est. Sensus loci, si cum Platone consensurus sit, ut debet, hic est: Odorem omnium oriri ex prædictis rebus per 'vaporem' sive ὀμίχλην, ut ait Plato, seu humorem tepidum et calidum, et 'fumum' sive κάπνον p. 1073. (*vapor* et *fumus* sic junguntur in libro de Mundo p. 718. ubi prius est ἀτμῶδες, alterum καπνῶδες Aristotelis, ubi vide,) et ex iis narium sensus affici. Wow. conjecit *ea eruuntur:* et sic edidere Elm. ac reliqui. *Odoris* divinavit Stew. quod itidem secuti sunt Elm. et seqq. *In his* non habet Elm. Lips. conjecit *quæ uruntur*. Videamus num quid juvent Mss. nam nec Latinum satis arbitror *exhalari vapore, fumo*, cum ipse vapor vel fumus exhalari debuerat dici. In vet. cod. Wowerii est *ea eruuntur*. Bened. *queruuntur*. Ceteri cum Edd. *quæruntur*. Pro *vel fumo* Edd. ante Vulcan. *et f.* pro *odor in his* Mss. Voss. Harl. Vulc. Bened. *odore viis*. Florent. *odore in his*. Vide num legi possit *Cum quidem ea, quæ oriuntur vapore vel fumo, exhalato odore, naris judicium sensusque succedunt*, i. e. *subeunt*. Vel *cum quidem ea eruuntur, vapore vel fumo exhalatur odor, et ejus jud. sensusque succedunt*. Solin. p. 12. 'calor exhalatus per tempora evaporavit.' Sed ἐπέχω, donec meliores Codd. nos expediant. *Oud.* Et hic præclaram optimi præceptoris mei emendationem in textum recipere non dubitavi: *cum quidem ea quæ vertuntur* (aër in aquam, aqua in aërem, et sic porro vid. Plat. in Timæo) *vapore vel fumo exhalato, odoris in his judicium sensusque succedunt*. J. B.

PAG. 588 *Cum ceteris animantibus*] Cl. Wasse ad Sallust. Catil. cap. I. p. 4. ait in Flor. et Caiensi Codd. esse *hiris*, atque ita legit, et exponit *infimis*. Sed *hiræ* sunt intestinorum anfractus, ut videbimus pag. seq. ubi ita legendum. *Oud.*

Hominis] Mss. O. ut et editi post Vulcan. *hominum*, præter Edit. Scal. qui retinet *hominis*. Nam sequitur *metitus est*. De numeri mutatione aliquoties dixi, et solent sic pluralem præmittere, et singularem in genere subjungere. cf. ad Met. lib. IV. p. 73. ed. Pric. Hic tamen mallem *hominis*, licet sequatur *illis:* nam et hoc vulgare est. Adi Burm. ad Vellei. lib. II. cap. 14. et ad Val. Flacc. lib. VIII. vs. 178. Gronov. de Pecunia II. 48. p. 76. cf. Misc. Obs. vol. II. p. 398. Sic de Phil. Mor. p. 616. 'quos omnes:' et præcesserat tantum de *homine*. Cic. de Off. lib. II. cap. 11. 'solitario homini ... opinio justitiæ necessaria est: eoque etiam magis, quod si eam non habebunt, injusti habebuntur.' Eccles. VII. vs. 30. ἐποίησε ἄνθρωπον εὐθῆ, καὶ αὐτοὶ, &c. Est enim *homo* totum genus hominum. Hinc de Mundo p. 712. 'sapiens genus homo.' Boëth. lib. II. de Cons. Phil. p. 6. 'Quid imbecil-

lius homine reperire queas, quos necat,' &c. sic enim Mss. optimi et inter eos Leid. Festus: 'Præclamitatores dicebantur, qui Flamini Diali anteibant, clamantes ut homines se ab opere abstinerent; quia his opus facientem videre inreligiosum erat:' sic enim Mss. Leidd. et Edd. vett. vulgo contra syntaxin *hunc*. Terent. Eun. I. 2. 87. 'Eunuchum, quia solæ his utuntur reginæ:' ibid. II. 1. 19. 'adeon homines immutarier Ex amore ut non cognoscas eundem esse:' ubi vid. Donat. Mss. 5. Plinii lib. XI. cap. 37. § 73. 'Bina jecinora lepori circa, &c. et Cherroneso, &c. mirumque translatis alio, interit alterum:' vulgo *leporibus*, et *et in Cherr.* Optime apud eundem lib. VIII. cap. 32. *serpente* et mox *renitentes*. Oud.

Oculis namque, &c.] Plato: Νῦν δ' ἡμέρα τε καὶ νὺξ ὀφθεῖσαι, μηνῶν καὶ ἐνιαυτῶν περίοδοι μεμηχάνηνται μὲν ἀριθμὸν, χρόνου δὲ ἔννοιαν, περί τε τῆς τοῦ παντὸς φύσεως ζήτησιν ἔδοσαν· ἐξ ὧν ἐποριζάμεθα φιλοσοφίας γένος. *Colv.*

Significantibus] Reponendum ex Rom. ed. *significatibus*. De Deo Socr. 'Nam quodam significatu et animus humanus etiamnunc in corpore situs, Dæmon nuncupatur.' Gellius lib. V. 'Varrius in libro de Significatu verborum.' *Idem.* Flor. Bas. 2. et Ald. *Significantibus*, male. *Elmenh.* Recte Colv. *significatibus* cum Vulcan. &c. Mss. plerique et Edd. priores *significantibus*. Noster quater adhibuit *significatu*. Vide Ind. Mox *et uberrimus* absunt a Bened. *Oud.*

Copias] Id est, alimenta, cibos. Valer. Max. lib. II. 'Censuitque ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, et copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur.' Plinius Laudatione Trajani: 'Refudimus Nilo suas copias: recepit alimenta quæ miserat.' Sic accipiendus Papinianus in lib. XXI. de Compensationib. *Colv.*

Superciliorum sepes] In Platone est: Σωτηρίαν γὰρ ἣν οἱ θεοὶ ἕνεκα τῆς ὄψεως ἐμηχανήσαντο τὴν τῶν βλεφάρων φύσιν. *Idem.* De τῷ *sepes* pro quovis obstaculo vide ad Sueton. August. cap. 91. *Oud.*

PAG. 589 *Pulmones, &c.*] Ibidem: Τῇδε δὴ πηδήσει τῆς καρδίας, ἐν τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίᾳ, καὶ τῇ τοῦ θύμου ἐγέρσει, προγινώσκοντες ὅτι διὰ πυρὸς ἡ τοιαύτη πᾶσα ἔμελλεν οἴδησις γίγνεσθαι τῶν θυμουμένων, ἐπικουρίαν αὐτῇ μηχανώμενοι, τὴν τοῦ πνεύμονος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν. *Colv.*

Pulmonis excipitur moll.] Legendum ex Ms. *pulmonum*. Sciopp. in Symb. Recte Ms. *pulmonum*. Non sustinui autem recipere, quod in alio V. C. *situ, frigore*. Nam sitim pulmonum ait, propter eorum porositatem et fungosam mollitiem, qua tanquam spongiæ sitientes bibunt. Cicero II. de Nat. Deorum: 'In pulmonibus inest raritas quædam et assimilis spongiis mollitudo.' Plinius lib. XI. cap. 36. 'Pulmo spirandi officina, attrahens ac reddens animam, idcirco spongiosus ac fistulis inanibus cavus.' *Wower.* Edd. ante Vulc. sec. *pulmonis*, ut et pag. seq. *Oud.*

Lienem] Ibid. Διὸ δὴ καὶ ὅταν τινὲς ἀκαθαρσίαι γίγνωνται διὰ νόσον σώματος περὶ τὸ ἧπαρ, πάντα ἡ σπληνὸς καθαίρουσα, &c. *Colv.*

Ventrem] Ibidem: Τῇ τοῦ περιγινησομένου πόματος ἐδέσματός τε ἕξει τὴν ὠνομασμένην κάτω κοιλίαν ὑποδοχὴν ἔθεσαν· εἵλιξάν τε πέριξ τὴν τῶν ἐντέρων γένεσιν, ὅπως μὴ ταχὺ διεκπερῶσα ἡ τροφὴ, ταχὺ πάλιν τροφῆς ἑτέρας δεῖσθαι τὸ σῶμα ἀναγκάσοι. *Idem.*

Gyris intestinorum] Nequaquam hoc damnem. *Circumplecti* enim *gyris* eleganter dicitur. Vide ad Met. l. I. p. 22. Et sic Plato fere εἵλιξάν τε πέριξ τὴν τῶν ἐντέρων φύσιν. Auson. Ep. IV. 45. 'feminum gyri teretes.' Verum Florent. pro Var. Lect. ut et Bened. habent *hyris*. Harl. Putean. Batav. *Iris*. Voss. *hiris*. Recte. *Hiræ* sunt intestina et eorum

anfractus: quam vocem librarii hic non somniare potuisse videntur. Vide Comm. ad Festum, Plautum, et Arnob. l. VIII. p. 230. atque sic omnino e Mss. legendum cum Ill. Bouhierio in Petron. carm. de B. Civ. vs. 45. de tabe: 'Intra membra furens hiris latrantibus errat.' Forsan restituendum hoc etiam Plinio lib. x. c. 37. § 69. 'decrescentibus crenis:' in Mss. O. *renis*. f. *hiris*. Oud.

Poculenta] Nihil hic annotavit Oud. sed ad Sueton. Oth. cap. 2. monuit hic et apud Cicer. de Nat. Deor. c. 56. legendum esse *potul.* quomodo dant plurimi Codd. Ciceronis: sed hic Mss. nihil variare videntur. *J. B.*

PAG. 590 *Cruoris*] *Cruor* hic dicitur de vivi hominis sanguine. Lucan. metaphorice l. VII. vs. 579. 'scit cruor imperii qui sit:' ubi male mutare tentat Burm. *Oud.*

Seminium] Veteres editi, *semen*, inter quos etiam Venetus, *Seminum*. Ita libro sequenti: 'Puerperiaque ipsa morum dissimili seminio concepta.' Plautus Amphitruone, Milite. Notat Priscianus lib. v. Lucret. lib. III. 'Denique cur acris violentia triste leonum Seminium sequitur.' Sed hoc totum ita puto legi debere, *seminium humanitatis excire*: id est, excitare: quod de Venis apte dicatur. Nec pluribus hic philosophari nobis visum. Res est, quam Natura ipsa nos docet. *Colv.* Obscurior hic locus est. Florid. ejici vult τὸ *venarum*, sed vel sic mallem *excire*, quod conjicit Colv. et vel *alias* vel *qualitates*, quæ præcedunt, subintelligere. Sensus enim Auctoris videtur: Venarum qualitates esse diversas, alias commeare ad inguina, &c. Venarum vero *alias excire seminium* vel *aliis exire seminium*. Mss. Voss. Harl. Bened. Edd. Rom. Vic. *seminum*. Ald. Junt. pr. Bas. *semen*: male. Vide Colv. *Oud.*

PAG. 592 *Stultitiam dicit esse*] Plato: *Νόσον μὲν δὴ ψυχῆς, ἄνοιαν συγχωρητέον. Δύο δ' ἀνοίας γένη· τὸ μὲν, μανίαν, τὸ δ' ἀμαθίαν. Colv.*

Alium] Reposui hoc jubentibus Mss. optimis Florent. Harl. Bened. Voss. pro vulgato *alteram*. Nam *alius* apud Nostrum sæpe pro *altero* ponitur, præsertim præcedente *uno*. Adi Pric. ad Met. lib. x. p. 220. me ad Cæsar. de B. Civ. lib. III. c. 21. 'Unam qua, &c. aliam tabularum novarum:' ut est in Mss. vetustissimis de Phil. Mor. p. 603. 'Rhetoricæ duæ sunt apud eum partes, quarum una, &c. alia vero,' &c. Sic paullo ante: 'primam vult videri, &c. aliam ex consimilibus, &c. tertiam,' &c. Vide Solin. p. 8. ibique Salmas. ubi sic Mss. Leid. *Oud.*

Cum anima et corpus] Ibidem: *Μία δὲ σωτηρία πρὸς ἄμφω, μήτε τὴν ψυχὴν ἄνευ σώματος κινεῖν, μήτε σῶμα ἄνευ ψυχῆς. ἵνα ἀμυνομένω γίγνωνται ἰσοῤῥόπω καὶ ὑγιᾶ. Colv.*

PAG. 593 *Modum necess. victus*] Sic Erasistratus apud Auctorem libri de Historia Philosophica c. 135. et Plutarchum de Placitis Philos. lib. v. cap. 30. ægrotare nos arbitratur ob alimentum vel nimium, vel inconcoctum, vel incorruptum: sanos vivere, si ciborum quantum sufficiat assumpserimus, et dum eos assumimus, ordinem quendam servemus. Vide Aristot. probl. sect. 19. fol. 442. Chrysost. in Joannem c. 2. hom. 21. *Elmenh.*

DE DOGMATE PLATONIS LIB. II.

Pag. 594 *Ad beatitudinem*] Vide Plotinum Ennead. 1. lib. iv. Alcinoum 27. Augustinum de Civit. Dei lib. viii. cap. 8. et 9. *Elmenh.*

Verum a. b. a. a. b. fine contingenti] V. C. legit, *fine ante alia contingeret.* Utrobique corrupte: quid si ita legas? *Verum ad beatitudinem bonorum fine ante alia contingere, ut ostendam quid de hoc Plato senserit.* Vulc. Locus depravatus. Liber scriptus, *bonorum fine contingerent.* Constabit sententia, si rescripseris: *verùm ad beatitudinem ante alia bonorum finem contingere ostendam ut de hoc Plato senserit.* Wower. Locus non usque adeo sanus. Flor. *ad beatitudinem ante alia bonorum finem contingere ut ostendam.* Leidens. *a. b. b. fine ante alia contingeret ut ostendam.* Aldus, Basil. et Rom. *a. b. a. a. bonorum fine contingenti ut ostendam.* Fulvii liber *a. b. a. a. bonorum fine contingerent.* Wower. *a. b. a. a. b. finem contingere ostendam, ut de hoc Plato senserit.* Elmenh. *Bonorum finem ante alia contingere ostendam, ut de hoc Plato senserit.* Ita hæc edidere Elm. Scriv. et Florid. ex emendatione Wowerii, qui tamen contra Mstorum ordinem τὰ *ante alia* præposuit cum Edd. prioribus, in quibus legitur *ante alia bonorum fine contingenti, ut ostendam, quæ de hoc P. s.* nisi quod Vulc. Ed. sec. sive Scal. jam habeat, *finem contingere ostendam, quæ, &c.* Et certe *finem* comparet in Mss. Putean. Bened. sed *fine* Vulc. Fulv. Voss. Dein *contingere ut ost. quæ* in Florent. Putean. *contingerent ost. quæ* in Fulv. *contingeret ut ost. quæ* in Voss. Bened. Vulc. nisi quod in ultimo sit *quod.* Hinc patet τὸ *quæ* pessime ejectum esse ab editoribus. Putem potius excidisse vocem, et scribendum *bonorum finem ante alia contingere ut scias, ostendam, quæ d. h. Pl. s.* sive, ut cognoscas optimam bonorum rationem, et quasi scopum tangas, perveniendo ad beatæ vitæ metam. Sic p. 617. Ed. Flor. 'præteriti futurique ævi ultimas partes attingere:' de Mundo p. 726. 'obtutus velocius illustriora contingit.' Facile hic ob præcedentia *ut scias* excidere verbum potuit. Floridus mirifice interpolando legit, *Et cum sit verum* sive *opus ad B. bonorum finem, &c.* ut 'contingere finem' notet 'cognoscere definitionem;' at in Interpretatione exponit 'definitionem bonorum conducere ad felicitatem.' Verum *contingere* alterutro sensu ut invenias, vereor. In Bened. est *honorum* et *sumserit.* Oud. Nihil desideratur, modo legas *Verum ad beatitudinem, bonorum finem, ante alia* (philosophorum placita) *contingere ostendam, quæ de hoc Plato senserit* vel *sensit.* Probat Platonis sententiam de fine bonorum ceteris præstare. *J. B.*

Bonorum ig. alia] Plotinus Ennead. 1. lib. vii. *Elmenh.*

Dicebat] Florent. *ducebat:* recte. *Idem.* Mss. et Edd. pleræque *dicebat.* Sed malim cum Elmenh. Scriver. et Florido sequi Florent. Cod. licet parum intersit: nam passim utrumque in his Philosophicis adhibet de Platone tam *dico* quam *duco,* tam *aio* quam *censeo,* et ubique fere variant libri. Vide supra et sic statim Florent. et Voss. cum Elmenh. &c. *duci.* Reliqui *dici.* Adde p. 597. 598. 608. 609. 621. 624. &c. *Oud.*

Pag. 595 *Per perceptionem cetera*] Venet. Ro. *præceptionem.* Pleraque hujus libri e Platonis libris de Legi-

bus et Republica desumpta sunt: e quibus pauca hic a nobis describentur, ratis sufficere digito indicasse fontem, ut unicuique eorum collatio in mundo sit. Sed et quædam ex aliis libris: quemadmodum interdum notabimus. *Colv.* Flor. Bas. 2. et Leidens. *præceptionem*, male: κατὰ μέθεξιν. Vide Alcinoum c. 27. *Elmenh.*

Differentiam hanc bon.] Vide Platonem I. de legibus. *Elmenh.*

Quæ sapientibus] Lib. II. de legibus: ὑμεῖς δὲ καὶ ἐγὼ τάδε λέγομεν, ὡς ταῦτά ἐστι ξύμπαντα, δικαίοις μὲν καὶ ὁσίοις ἀνδράσιν ἄριστα κτήματα, ἀδίκοις τε δὲ κάκιστα ξύμπαντα, ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς ὑγιείας. *Colv.*

Sunt sane bona] Ms. *sunt secundum bona.* Optime. *Sciopp. in Symb.* Fulvii liber *s. s. secundum bona*, bene. Hieronymus in Esaiam fol. 399. 'Perspicuum est divitias et egestatem, sanitatem et languorem, voluptatem et cruciatus, nec bona esse, nec mala, sed pro sustinentium diversitate bona et mala fieri.' *Elmenh.*

PAG. 596 *Qui natura, &c.*] Scribe cum Clariss. Viro Isaaco Casaubono ex Platone: *Illum quidem, qui nat. i. e. a. s. b. n. m. sibimet ipsi natum putat, sed omnibus: nec pari aut simili modo: verum patriam unicuique acceptam esse, dehinc proximos.* Wower. Contaminatissimum locum olim egregie restituit Is. Casaubonus, nunc maximo rei literariæ damno μακαρίτης. Plato Epist. IX. ad Archytam Tarentinum fol. 351. ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πάτρις μερίζεται, τὸ δὲ οἱ γεννήσαντες· τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δέδοται τοῖς τὸν βίον ἡμῶν καταλαμβάνουσι. Cicero de Off. I. pag. 240. 'Non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria vendicat, partem amici.' Idem lib. II. de Finib. p. 59. *Idem.* *Sibimet intimatum* Mss. et Edd. ante Wower. qui bene cum seqq. recepit Is. Casauboni emendationem *sibimet ipsi natum* ad Apol. p. 164. ex notissima Platonis, quam sæpius memorat Cicero, sententia. Vide Elmenh. *Oud.*

Acceptum esse] Est qui legat, *aptum esse.* Colv. *Verum patriæ unumquemque acceptum esse.* Sic ibidem legit Casaubonus, ediditque Elmenh. ac seqq. ex eodem Platonis loco, pro *verum etiam*, quod sine sensu exstat in Mss. et Edd. at Bened. non agnoscit *etiam*. Num scripsit auctor *communi* τῷ κοινῷ? de quo ad Frontin. III. 2. 6. et Cæsar. et ad Met. lib. VII. p. 453. a. nam nimis abeunt litteræ in *patriæ* et *etiam*. Sed præterea recte advertit Floridus *acceptum esse alicui*, pro amore vel beneficio eum prosequi, non videri Latinum: quare conjecit ille *addictum*: immo Casaubonus jam proposuit id sentiens *adstrictum*. Lipsius, *verum etiam acceptum sibi*, male. Wowerius in notis (vide supra) quasi ex Casauboni emendatione scripsit *patriam unicuique acceptum, d. proximos, et m. ceteros*, interpolate; in textu vero edidit *conceptum* sive satum et creatum: quod unice placet: γένεσιν et *ortum* hic nominant quoque Plato et Cicero. *Oud.*

PAG. 597 *Ad id prorsus imbibere*] Deleverim τὸ *ad*, legerimque cum antecedentibus sic, *quam amatores virtutum, vel inter se moribus vel institutis similes id prorsus imbibere.* Scriptum olim, *slēs*, unde facile factum, *eos.* Sed melius fortasse Lipsius, *vel institutis eosdem.* Ut Imbibere hic, sic Perbibere apud Senecam Epist. XXXVI. 'Perseveret modo colere virtutem, perbibere liberalia studia: non illa quibus perfundi satis est, sed hæc quibus tingendus est animus.' Horatius: 'Nunc pectore puro Perbibe verba puer: nunc te melioribus offer.' Et Imbibere etiam Lucretius lib. III. 'Qui petere a populo fasces, sævasque secures Imbibit.' Livius, lib. II. 'Neque memor ejus quod initio consulatus im-

biberat, reconciliandi animos plebis.' Etiam aliquando putavi hic legendum, *ad id prorsus imbuere*: enim sic initio hujusce libelli: 'Qui natura imbutus est ad sequendum bonum.' Cicero pro Milone: 'Ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus.' *Colv.*

Docilem] V. Glossas. At *docibilem* a *docili* alii distinguunt, [vid. VV. LL.] quod sit *docilis* qui facile docetur, *docibilis*, qui docet. pag. 606. 'Justitiam docilem:' quam alii facile doceri possunt, sive quæ præceptis tradi potest. *Oud.*

Commodum ac venustum] Forte, *comem modo ac venustum.* Colv. Perperam. *Commodus* est comis, cujus mores faciles et suaves. Adposite Terent. Heaut. III. 2. 10. 'Mulier est commoda et Faceta hæc meretrix.' Adde Parei Lex. Plaut. Frequenter *commodus* et in aliis rebus dicitur, qui facilem se præbet. Vide ad Calp. Ecl. IV. 72. Voss. *commodo.* Bened. *cum modo.* . Ed. Junt. post. *et ven.* Oud.

Inter scientiam validam, alteram falsam, &c.] Auctor ait, inter vitia et virtutes juxta Platonem tertium quiddam intercedere, quod vel culpandum vel laudandum sit. Sic in seqq. Ex. Gr. inter *Pudicitiam* et *Libidinosam vitam* posuit *Abstinentiam*, quæ minor est τῆς *Pudicitiæ*, sed laudanda; et *Intemperantiam*, quæ minor τῆς *Libidinosæ vitæ*, sed tamen culpanda. Inter *Fortitudinem* et *Timorem* posuit *Pudorem*, qui laudandus, et *Ignaviam*, quæ vituperanda. Hinc videntur hic quædam omissa vel corrupta esse. Lipsius margini adlevit *R. alteramque*: ut hisce verbis jam tria denotentur. Nempe ut sensus sit: Posuit inter duas *scientias*, validam et falsam, *tertiam* quamdam sc. quæ jactatur pervicaciæ vanitate: quæ nempe nec valida est, nec falsa esse convinci potest, utpote jactata pervicaciter. Forsan non male. Mihi tamen obscurius videtur, et potius excidisse *Inscientiam*, vel simile quid. Consule seqq. 'Imperitia Sapientiæ, Fatuitas Prudentiæ inimicæ.' Dein Edd. ante Vulcan. *perviaci.* Oud.

Pag. 598 *Ducatrices*] Vulg. *doctrices.* Emendatio hæc debetur Jos. Scaligero, qui ita in veteri libro scriptum notat ad lib. v. Manilii. Ducator apud Tertullianum est, adversus Judæos cap. XIII. et Ducatio, de corona militis cap. XII. Sic Ducatus lib. VII. Metam. 'Sed calculis omnibus ducatum ei latrones unanimes deferunt.' Quo pertinent glossæ illæ: 'Ducatus, ἡ ἡγεμόνια.' 'Ducatus latronum ἀρχὴ λῃστῶν.' Sed et lib. x. *Colv.* Bas. *doctrices.* Rom. *ductrices*: male. *Elmenh.* Scaligeri emendationem, quam recepit Colvius, confirmant Mss. quantum scio, omnes: quare non damno, licet nusquam alibi occurrat, et ejus masculinum *ducator* non inveniatur ante Tertullianum. Vide quæ monui ad Frontin. II. 1. p. 165. In Bened. Cod. *ductrices vel ducatrices.* *Ductrix* æque ac *ducator* est in Dig. Juris. *Oud.*

Pag. 599 *Ea stupore deficit immobili*] Docui alibi, legendum hic esse, *defigit immobili*: quod merito a me factum (etsi editio Beroaldina reclamat) capiet, qui de vitio incommobilitatis (Græci ἀναλγησίαν vocabant) dicta illa intelleget. *Stewech.* Semper legendum putavi, *defigit*, ut et Stewechius noster. *Colv.* Ms. *sed a stupore deficit immobili*: quod vix est ut probem, placet adhuc doctissimi Rittershusii conjectura libro Verisim. III. cap. 17. a me proposita, *sed ea stupore defigit imm.* cum præsertim et Stewechio et Colvio eandem placuisse, nostrumque Lucium sæpius sic loqui videam. *Sciopp. in Symb.* Recte Colv. Rittersh. et Stewech. In vulgatis et Mss. est, *deficit* vel *desinit*, inepte. *Elmenh.* Mss. O. et Edd. usque ad Elmenh. *deficit.* Bened. *deficit*

stup. Verbum *defigere* proprium est in incantationibus: unde passim transfertur ad eos, qui *stupore perculsi* quasi inmoti sedent. Locis Livianis a Scioppio Veris. III. 17. adductis adde l. VI. c. 40. 'stupor silentiumque ceteros defixisset.' Lib. VIII. c. 7. 'quum silentio defixi stetissent.' Flor. lib. II. c. 6. 'steterunt diu mutua admiratione defixi.' Immo Noster sæpius. Lib. II. Met. p. 43. 'Isto adspectu defixus obstupui.' Lib. III. p. 62. 'facti stupore defixus.' Lib. IX. p. 278. 'Stupore mentito defixus hærebam.' p. 302. 'stupore defixi mirantur.' L. XI. p. 375. 'stupore nimio defixus tacitus hærebam.' Sil. It. IX. 253. 'defixique omine torpent.' id. XVII. 185. 'torvo obtutu defixus.' πήττεσθαι Græcis. v. Salm. ad Solin. pag. 238. 765. &c. *Oud.*

PAG. 600 *Ut ex se apta sit*] Id est, connexa. Junxit Cicero Partition. Orat. 'Tanta series artis est, sic inter se sunt pleraque connexa et apta.' Idem Parad. 2. 'Is est beatissimus, qui est totus aptus ex sese, qui in se uno sua ponit omnia.' *Brant.*

PAG. 601 *Per has 3. an. partes quartam virtutem Just. æqualiter dividentes, scientiamque caussam esse dicit*] Manifeste hæc corrupta; non enim animæ partes dividunt Justitiam; nec, quæ hæc sit *scientia*, adparet. Floridus prope vidit verum sensum interpretans; 'Distribuit ex æquo per has 3. portiones mentis Justitiam quartam virtutem, et ait eam esse caussam cur,' &c. quasi legeretur *dividit, eamque caussam.* Immo jam Wower. tacite sic interpolavit. Edd. ante Vulcan. non agnoscunt τὰ *quartam virtutem*, et pro *scientiamque* habent *quæ*, (nisi quod Bas. sec. Lugd. Colv. substituerint *quas*). Utrumque vero exaratur in Mss. O. Sed Bened. insuper habet *dividentem, scientiamque ejus caussam dicit.* Lege ergo *per has 3. animæ partes quartam virtutem Justitiam æq. dividentem se, scientiamque ejus* sc. justitiæ *caussam e. d.* sensu clarissimo, et nulla fere mutatione. Ait Justitiam, quæ est quarta virtus, dividere se per 3. animæ partes, et ejus scientiam caussam, &c. esse. Vide seqq. et p. 606. 'Justitia trinis animæ regionibus sparsa.' *Oud.*

PAG. 602 *Eorum quæ pacta sunt symbolæ*] Sic Romana editio, sic Aldina. Aliæ *symbola.* Etiam συμβολαὶ apud Aristotelem Rhetoricorum lib. καί τινων ἐξαγωγῆς, ἵνα πρὸς τούτοις καὶ συνθῆκαι καὶ συμβολαὶ γίγνωνται. id est, pacta, conventiones, contractus. Eodem genere posuit Tertull. lib. adversus Valentinianos: 'Ut nautæ ad symbolam semper exultant.' *Colv.* Florent. *epacta.* Edd. vett. cum Colv. *symbolæ.* Tertulliani loco, a Colv. cit. videtur vulgari sensu esse 'ad cœnam,' seu 'comissationem communem.' Edd. Wow. Scriv. *Symbolæa*, συμβόλαια. quod sane non placet. In Bas. sec. Lugd. est *symbola.* Omnia præcedunt et sequuntur in singulari; quare forsan rectius erit ex Ms. Fulv. ipsum nomen Græcum συμβολὴ, quo alludunt etiam Mss. aliquot, et Ed. Junt. post. *symbole.* Verum diserte Bened. Cod. habet *symbolum*, quod notat omne instrumentum servandæ fidei, et arrham. V. Glossas, &c. De distinctione *symbolæ* et *symboli*, quæ perperam Elmenh. in Indice confudit, vide Casaub. ad Athen. lib. III. c. 31. aliosque. Plauto etiam masc. gen. *symbolus.* Oud.

PAG. 603 *Ut pessimo quidem alienus ...esse velit*] Mirum in modum hæc corrupta sunt. Alter Ms. *divino illi et cœlesti bonis similiores se velit.* Alter vero, *divino illi et cœlesti boni similior esse velit.* Libri vulgares, *facultates suas divino illi melior esse velit.* Me judice recte emendabis: *Alterius vero irreligiosi et i. a. m. i. ut pessimo quidem, et averso a recta vivendi ratione alienus, facultates suas divino illi et cœlesti ac bono meliores esse velit.* Wow. Wowerii scrinia videtur compilasse

Florid. cum legit *averso*. nam antea jam correxerat edideratque Wow. *pessimo q. et averso a. r. v. rat. alienus:* sed male, ut statim videbimus. *ausus* Voss. *Oud.*

Facultates suas div. illi b. sim. e. v.] Alter Ms. *divino illi et cœlesti bonis similiores se velit.* Alter vero sic, *divino illi et cœlesti boni similior esse velit.* Mihi aqua hæret. Mendam esse puto in verbis, *facultates suas.* Fortasse : *facultate sua : divino illi et cœlesti bonus similior esse velit.* Malus irreligioso, bonus divino similiorem se mavult. Imo videtur relinquendum, *facultates suas:* posteaque legendum, *similiores esse velit.* Sciopp. in Symb. Locus corruptus. In Florent. et Puteani Exc. est *F. s. d. i. e. c. bonus si melior.* In Fulvii libris *d. i. e. c. bonis similiores se velit, &c.* Et *d. i. e. c. boni similior esse velit.* Unde Wower. legit, *facultates suas divino illi et cœlesti ac bono meliores esse velit.* Elmenh. Wowerii lectionem ceteri secuti sunt, sive *conducere magis et aptiores fore.* In vulgatis olim edebatur *facultates suas divino illi melior e. v.* Vulc. Ed. pr. *fac. s. divino illi bono similiores e. v.* Ed. sec. *fac. s. div. illi et cœlesti bono similiores e. v.* atque ita ejus Cod. Cum Florent. et Putean. facit etiam Voss. At Bened. amplius *declinare velit fac. suas d. et c. bonus similior esse vel.* Sciopp. conjecit e præcedentibus *Ut pessimo quidem alienus et aversus a. r. v. ratione facultates suas, divino illi ac cœlesti bonus similiores esse velit.* Verissime, ut puto, quod ad sensum. *Malus*, i. e. alienus et aversus a recta vitæ ratione, velit suas *facultates*, i. e. qualitates animi et conditionem vel fortunas potius *similiores pessimo esse. Bonus* vero velit esse *similiores divino illi ac cœlesti :* ut sensus sit *facultates similiores facultatibus divini, &c.* quomodo sæpe loquuntur auctores. Long. p. 139. ὁμοῖα Ἀδμωνι ἀνάγκη με ἐκέλευσε λέγειν. Vide Gron. Obs. IV. 8. ad Epit. Liv. lib. XLVII. Periz. ad Sanct. Min. IV. 7. p. 700. Vorst. ad Justin. II. 14. 'Atheniensium virtus ceteris prælata.' Cic. lib. I. Tusc. Quæst. cap. 1. 'quæ virtus cum majoribus nostris comparanda.' Forsan tamen propius insistendo Msstis legi posset *Ut pessimo q. alienus et aversus a recta vivendi ratione declinare velit fac. suas*, sive deferre, et in ejus inclinare partes (de qua re agitur) *divino illi ac cœlesti bonus similior esse velit.* Huc enim, non ad *similiores*, Msstorum major turba nos movet. Quidquid sit, clare patet, *aversus* et *bonus similior* vel *similiores* non fuisse mutandum, et pessime a Wowerio locum esse interpolatum. *Oud.*

Hinc Rhetoricæ] Hæc, et quædam quæ sequuntur, petita sunt ex dialogo ejusdem maximi Philosophorum, cui nomen, Gorgias. *Colv.* Vide Platonem in Gorgia, Photium Biblioth. f. 709. et nostrum Heinsium ad Maximum Tyrium, p. 44. *Elmenh.*

Hanc ἀνάξιον ληκύθου definivit Plato] Ms. nescio quid monstri alit : *Hanc* AΰNOMC INTOT MOI NAC ΦΥΤΟΝ *aac* KEIN *definivit Plato.* Sciopp. in Symb. Δύναμιν τοῦ τὰ ψευδῆ. Sic edidit Vulcanius. In Flor. et Leid. ΔΥΝΑΜΕΙΝ TOTE TOIN DEFITOTT DASKEIN. Bas. ἀνάξιον ληκύθον. Fulvii liber *aῦ* NOMS IN TOT MOI NAC ΦΥΤΟΝ *acc* KEIN. monstruose. *Elmenh.* Δύναμιν τοῦ τὰ ψευδῆ πιθανὰ δοκεῖν, h. e. 'potentiam docendi, qua falsa videntur probabilia ;' quomodo e suo Cod. et sine dubio ex verbis præcedentibus *verisimilium captatricem* in Ed. sec. effinxit Vulc. in pr. secutus est Edd. vulgares, in quibus ἀνάξιον ληκύθου. Sed in Ed. Junt. post. legas ἀνάξιον τοῦ ληκύθου λαχεῖν, sive 'indignam quæ accipiat pigmenta oratoria:' quod ab Auctoris mente alienum est. Ex Mss. Florent. Fulv. et Voss. in quo est ΔΥΝΑΜΕΙΝΤΟΤΗΘΙΝΑΕΦΥΤΟΥΔΑΟΚΕΤΗ, patet vere ad sensum emendasse virum doctum (credo

Mercerum e Mss. suis) ad oram Ed. Elm. a Florido visæ δύναμιν τοῦ πείθειν, ἄνευ τοῦ διδάσκειν, i. e. 'facultatem persuadendi absque docendo,' ut bene in Interpretatione expressit Floridus. Sic enim Plato in Gorgia p. 811. Ἡ Ῥητορικὴ πειθοῦς δημιουργός ἐστι πιστευτικῆς, ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς. p. 818. ait Rhetora ἐν ὄχλῳ πιθανὸν εἶναι, οὐ διδάσκοντα, ἀλλὰ πείθοντα. Verum quia istud ἄνευ nimis longe abit a litteris Mstorum, qui pro iis habent ΔΕΕΙ, ΔΕΦΥ ασφυ præcedente N, conjeci, num legi deberet eodem sensu, νόσφι; vel potius, quia illa particula videtur poëtica nimis esse, οὐχί. Hasens in Hist. Crit. tom. XIV. a. p. 194. legit δύναμιν τοῦ τὸν νοῦν ἄπειθον διδάσκειν. *Definivit* abest Ed. Junt. post. Edd. vett. *diffinivit*: male. Oud.

Pag. 604 *Quam civilis articuli*] Recte Lindenbrogius noster ad Ammianum lib. XXX. pag. 196. conjecit legendum, *civilis particulæ*. Elmenh. Ed. Junt. post. *quum civ.* et Mss. Eddque ante Elmenh. *articuli*. Rectius *particulæ* emendasse videntur Lipsius in marg. et Lindenbrog. ad Amm. Marcell. lib. XXX. cap. 14. 'Hanc professionem oratorum forensium jure πολιτικῆς μορίου εἴδωλον, i. e. civilitatis particulæ umbram vel adulationis partem quartam esse definit amplitudo Platonis.' Oud.

Exercitatione valetudo corp.] Cornelius Celsus I. lib. I. 'Ignavia corpus hebetat, labor firmat.' Plato in Theæteto fol. 153. Τί δαὶ ἡ τῶν σωμάτων ἕξις, οὐχ ὑπὸ ἡσυχίας μὲν καὶ ἀργίας διόλλυται, ὑπὸ γυμνασιῶν δὲ καὶ κινήσεων ὡς ἐπὶ πολὺ σώζεται; Paulus Ægineta lib. I. cap. 73. 'Maximum malum ad sanitatis custodiam otium perpetuum existit. Quemadmodum moderatus motus maximum bonum.' *Elmenh.*

Pag. 605 *Earum curationem*] Sive studium et curam sanandi morbos animæ; proprium enim de medicis verbum *curare*, et *curatio*: ut notum. Non ergo mutes in *rationem*: licet sæpe hæ voces varientur: v. supra. *Oud.*

Quasi ea quæ agit] Plato ibidem: Ὑπὸ μὲν οὖν τὴν ἰατρικὴν ἡ ὀψοποιητικὴ ὑποδέδυκε, καὶ προσποιεῖται τὰ βέλτιστα σίτια τῷ σώματι εἰδέναι. *Colv.*

Unguentariam vero professores juris imitantur] Cur hic personas nominat: cum in tota hac oratione *artes* ipsas taxet: et supra 'professio juris blanda' dicat; immo in conclusione 'sic hæc, sc. professio juris blanda, imitata scientiam juris?' *Oud.*

Et iterum colorem ad desidiam sang. mutat] F. *integrum*, aut *verum*. Brant. Male Edd. ante Vulcan. *iterum*. *Verum* est constanter et eleganter in Mss. Sic apud Terent. Eun. II. 3. 'color verus, corpus solidum et succi plenum:' ubi Donatus: 'naturalis, non fucatus.' Dein Ms. Vulc. ejusque Ed. pr. *ac desideriam*, et Ed. Vulc. sec. *ac desiderium*; alter Fulv. *ad desideria*: quod non capio. *Ad desidiam* cum ceteris Edd. habent Florent. Putean. Voss. Bened. quod exponit Florid. 'faciendo ut sanguis subsidat ad interiora.' Simpliciter malim *ad torporem sanguinis*, quo palleat homo. Adi Græv. ad lib. I. Cic. de Off. c. 36. Sic 'desidia maris' de Mundo p. 748. cui sensui forsan melius conveniret *calorem*: ut est in Bened. pro creberrima variatione. Vide notata ad Met. l. I. p. 61. a. 'Vitalis calor ei torpuerat.' Non enim Auctor hic videtur agere de *aliptis*, qui *vires* et *colorem* dicebantur dare, sed de unguentaria, quæ medicamentis internis operatur: quoniam illa videri vult remedio esse, quo *species* et *valetudo* servetur: cum interim *vires frangat* et homines *pallidos* reddat, vero calore torpescente. De aliptis vero Cic. l. I. ad Fam. 9. 'Sed vellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed ut aliptæ etiam virium et coloris rationem habuisset,' i. e. unctores in

balneis. V. Manut. qui tamen minus bene ibi γυμναστὰς intelligit. *Oud.*

Virtutes eas doceri] At in Menone fuse disserit, Virtutem doceri non posse. *Colv.* Contrarium Plato docet in Menone, ut jam ab aliis observatum. *Elmenh.*

PAG. 606 *Quæ est virtutum exopt. fructus*] Lege auctoritate Mss. *qui.* Sic enim Florent. Bened. Voss. Æque enim relativum convenire sequenti, ac præcedenti, e Grammaticis dudum notum est. Sæpe tamen in his est confusio. Vide Drak. ad Liv. XXXII. 30. ‘Brixiam quod caput gentis erat:’ et me ad Veget. l. IV. c. 5. ‘castellum, quem Burgum vocant:’ sic init. lib. seq. ‘studium sapientiæ, quam philosophiam vocamus:’ sic Mss. vulgo *quod.* Festus in v. *cœna.* ‘Vesperna, quam nunc cœnam adpellamus:’ sic Mss. O. et Edd. vett. vulgo *quod.* Solin. p. 32. ‘montibus, quas Herculis columnas dicunt:’ sic etiam Mss. 4. meliores cum Ed. Salm. vulgo *quos.* Post *fructus* demum τὸ *est* legitur in Voss. et Bened. *Oud.*

PAG. 607 *Quoniam nocent, a. obsunt*] Fulv. Voss. Bened. *quando.* Optime, pro *quandoquidem, quoniam.* Passim ita Terent. aliique. V. ad Sil. It. XIII. 768. Atque ita Noster de Mundo p. 744. ‘Non aliter, &c. status regitur, quando uno moderamine contenta omnia pensum sui operis agnoscunt.’ i. e. quoniam. p. 745. ‘Unde nihil mirum est, si mortales oculi ejus non capiunt adspectum, quando divinorum operum vestigiis sit conspicuus.’ Voss. hic *obsint.* Idem.

Peccata vero esse non m. lib.] Vide Chalcidium ad Platonis Timæum p. 238. et Heinsium ad Maximum Tyrium p. 36. *Elmenh.*

Sciens v. ad mala præcipitatur] Nihil hic mendi subest. Potest quis *sciens* aliquid peragere, quod malum est, licet sit errore et imagine boni deceptus. Non scit id malum esse, sed scit se id agere quod in se malum est, licet putet usuram sibi fore utilem, non vero, ut dein adparuit, noxiam. *Oud.*

Quid inter pauperiem ac divitias interest] Obvia et trita locutione: et ita de Mundo p. 727. ‘Inter hanc et Irida illud interest:’ ubi in Mss. optimis deest *inter:* ut Mart. Cap. lib. VIII. p. 281. ‘Interest octo et sex:’ sed rectius Mss. Leidd. *inter octo:* et hic Mss. Voss. Bened. *quid pauperies ad divitias i.* quæ constructio efficacior et doctior videtur, quam ut damnare ausim, vel a librariis inventam putem. Quasi dicat: quid pauperies, si cum divitiis comparetur, ab illis differat? Hanc enim vim præpositioni *ad* inesse notissimum est. Porro variis modis *interesse* in hoc sensu construitur. Sic posset dici *interest ille a stulto* et *stulto,* et *ille et stultus,* item *illi et stulto, &c.* Adi exempla apud J. Perizon. ad Sanct. Min. lib. III. 5. p. 420. Sed forsan scribendum *quid pauperiem ac div. int.* ut in Libro de Mundo. *Idem.*

PAG. 608 *Si quis ea poss. usu se abd.*] Censorinus de Die nat. cap. 1. *Elmenh.*

Voluptatem] Vide dialogum nomine Philebum, item Gorgiam, et alibi. *Colv.*

PAG. 609 *Amicitiam ait*] In Lyside, seu περὶ φιλίας dialogo. *Idem.*

PAG. 610 *Amicitiæ gen. dic. esse*] Vide Platonem in Lyside. *Elmenh.*

Plato tres am.] In Symposio. *Colv.* In convivio, et Dan. Heinsius ad Max. Tyrium pag. 72. *Elmenh.*

PAG. 611 *Ex utroque*] Bened. *ex utraque.* Male. Neutrum hoc adhibetur, cum volunt quid dicere, quod medium est et ex utraque parte, licet alius generis sint substantiva. V. Burmanni Comm. ad Suet. Claud. c. 38. et alios. Auson. Prof. 20. ‘Tu mihi, quod genitor, quod avunculus, unus utrumque.’ Præf. Epic. ‘in patrem sive is filius, sive pater, sive utrumque:’ et ita eleganter *uterque* dicitur Christus, Deus et homo, Pau-

lino c. 10. p. 470. ut leg. ex Ms. veterrimo. V. tamen Græv. ad Cic. Off. I. 1. *Oud.*

Abstemiorum] Excerpta Puteani *abstrenuorum*. Elmenh. Nec ego video, cum Florido, quo sensu avari φιλοχρήματοι, quos intelligit Auctor, *abstemii* dici possint. Quod tamen Flor. corrigere tentat *abstentorum*, in eo non persuadet. *Oud.*

PAG. 612 *Hunc talem*] Florent. Voss. Bened. *palam*. At frequens est Appuleio hæc conjunctio. pag. seq. 'Idcirco hunc talem:' et 'hunc talem numquam,' ut et p. 617. item l. I. Met. p. 1. et sæpissime: atque ita Cic. filius lib. XVI. Ep. 21. Ter. Eun. I. 2. 8. 'illum talem.' *Idem.*

Lucricupidinem] Φιλοκέρδειαν, Hipparcho: cui etiam titulus, φιλοκερδής. *Colv.* Repone *Lucricupidum*, nempe virum τῆς ὀλιγαρχίας studiosum. *Lucricupidus* Platoni in Hipparcho Dialogo. *Florid.* Quia agit de homine, ut patet ex seq. *accipitrem* φιλοκερδῆ non φιλοκέρδειαν. Tunc enim *hunc* debuit dicere. Sed hominem ipsum figurate forsan *Cupidinem* non amoris, sed *Lucri* vocaverit Appuleius talem. Non autem hæc ipsis verbis sed sensu existunt apud Platonem. Bened. *lucricupidine*. Oud.

PAG. 613 *Inscientiam*] Ita Mss. O. in Edd. ante Vulcan. *inscitiam*, tralatitia confusione. Vide ad Cæs. B. G. l. III. c. 19. Fabric. ad Cic. I. de Off. cap. 34. Restituendum quoque Boëthio lib. III. cons. Phil. pr. XII. 'Inscitiam eam professum' ex Mss. Rittersh. et Leid. *inscientiam*: et l. v. pr. 2. 'mox inscientiæ nube caligantes:' ita Leid. recte. Vulgo *inscitiæ caligant*. Idem.

Quæ secundum Nat. sunt] I. e. contra: ut lib. de Deo Socr. 'illos secundum adversari,' i. e. contra. Eod. lib. p. 167. a. 'secundum Pythagoricos' pro contra. Sed vide ibi. Sic *contra* pro *juxta* vel *prope* infima Latinitas posuit. V. omnino Salm. ad Solin. pag. 770. Mercerus ad D. Socrat. pag. 683. Ed. Flor. legi voluit *contra*. Floridus tacite infersit *non*. Ms. Bened. *qui natura sunt*. Antequam hanc significationem τοῦ *secundum* perspicerem, conjeceram *quæ secus quam natura sinit*. Idem.

PAG. 614 *Coloratos sole*] In Sole olim esse soliti veteres, quo corpori siccitatem conciliarent et colorem. Seneca Ep. CVIII. 'Qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur.' Arnob. lib. I. 'Quod si Sole aliquis torrere se suetus, et adquirere corpori siccitatem, ratione consimili conqueratur.' Ideo etiam ad Solem se lavabant. Aristophanes apud Pollucem: Λούσησθε καὶ κτενίσησθε πρὸς τὸν ἥλιον. Item ungebant. Vetus interpres Persii e Satyra IV. 'Et assiduo curata cuticula Sole.' 'Curata,' inquit, 'scilicet a Chromatiariis. Nam Chromatiarii dicuntur colorarii; vel qui toto die in arena sunt, vel a Sole. Antiqui enim ungebant se, et in Sole erant, ut oleum corpus imbiberet; ut Juvenalis: 'Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem, Effingatque togam.'' Hoc etiam notare est itidem ex Aristoph. concionantibus: 'Αλειψαμένη τὸ σῶμ' ὅλον δι' ἡμέρας 'Εχλιανόμην ἑστῶσα πρὸς τὸν ἥλιον. et Tertulliano lib. III. adversus Marcionem: 'Aliud est, si penes Ponticos, Barbariæ gentis infantes in prælium erumpunt, credo ad Solem uncti prius, dehinc pannis armati.' *Colv.* Arnob. lib. I. fol. 5. 'Quid si Sole aliquis torrere se suetus, et acquirere corpori siccitatem, conqueratur, frequentissimis nubilis jucunditatem serenitatis ablatam.' Vide Avicennam Doct. II. cap. 20. fol. 39. Aëtium serm. 3. Tetrab. cap. 9. fol. 131. *Elmenh.*

Modulatos artus magnificit] Ms. *medullatos*. Alius, *meditatos*. Scio me vere emendasse, *medicatos artus*. Wower. *Medullatos artus*. Sic Bas. 2. In Rom. Aldo et Bas. 1. est *modulatos*. Wower. *medicatos* legit. Ita

in Apologia dicit 'medicatum os.' Excerpta Puteani *magnificat*. bene. *Elmenh.* *Medullatos* est constans Mss. omnium scriptura, ut reposuere Vulc. et seqq. pro vulgari *modulatos*. Est qui conjecit *meditatos*. Sed Wow. probante Florido, emendasse se vere dicit *medicatos*. Non puto. Lego potius *emedullatos*, i. e. enerves et exsuccos nimia cura, quales artus præ vera pulchritudine ab iis amari dicit, atque, ut est apud Terent. Eun. II. 3. 25. 'graciles et curatura junceos,' quibus contrarii sunt 'suco pleni artus.' Apud Plin. et Sidon. Apollin. occurrit *emedullatus*. Dein *magnificat* Putean. probante Elmenh. Sed ceteros sequi tutius. Septim. tamen de B. Tr. II. 28. 'obsecrans uti magnificarent præsentiam Dei.' *Oud.* Pro *sed cura* legi posset *seu cura*, quamquam et *sed* repetitum ferri potest. *Medullatos*, i. e. medulla et adipe plenos, contra omnium Mss. auctoritatem mutandum non puto. *J. B.*

Multis modis] Voss. *multomodis*: unde quis facere posset *multimodis*. Plaut. Mil. Gl. IV. 4. 53. 'multimodis sapis.' Pacuv. apud Non. v. *copi*. 'O multimodis varie dubium.' Adi Faërn. ad Ter. Heaut. III. 3. 79. Munker. ad Fulgent. l. I. c. 11. Comment. ad Nep. Them. c. 10. Apud Paul. c. 9. 'Dulcia multimodis quædam subamara querelis:' sed leg. ex optimo Cod. *multa m.* ut e conjectura vidit Rosweidus. *Oud.*

PAG. 615 *Sicut gravius est, &c.*] Debuit addi, qua re gravius sit medicina carere et medentes fallere. Edd. ante Vulcan. *sed gravius, quam m.* nullo idoneo sensu: ille e suo Cod. dedit *siquidem gravius est m.* Vulgatum Elm. invexit e Mss. Florent. et Fulv. at manca, ut dixi, est oratio. Voss. *si quid gravius est m.* Lege: *sic vi gravius est, medicina carere:* sensu clarissimo, quem unice innuit Appul. Confer modo totum locum et sequentia *nec uri aut secari, &c.* *Vi* sæpe abiit in *ut*. Adi me ad Cæsar. l. I. B. G. c. 46. Infra p. 617. 'vitiis' degeneravit in 'ut his.' Attendenti tamen ad verba *medentes fallere* aliud quid forsan latere videbitur. *Idem.*

Eos mori præstat] Atqui præcessit *ita eos*. Scio sæpe pronomen illud repeti, et ipse id aliquoties monendum habui. At hic ejus iterandæ nulla necessitas vel elegantia. Immo id demum e suo Cod. inve[xit] Vulc. quem minus bene secuti sunt ceteri præter Wower. qui recte edidit *emori;* ut est in Edd. vett. nec non Mss. Voss. Bened. sive *omnino mori;* ut optimis scriptoribus passim in usu est. Infra p. 620. 'qui est emortuus.' Ms. Florent. *eo mori*. i. e. ideo. Fulv. *commori:* dein Voss. *præstant*. Idem.

Sed servire, ipsum aliorum adjici pot.] Dictum de eo, qui neque natura, neque industria sua ad rectum vivendi studium formari queat, quem ego aliorum potestati adegerim, non adjecerim: scripserimque, *ipsum aliorum adigi potestati;* nisi si quis malit *adigi potestatem:* sic in Sallustio, in Pandectis. 'adigi jusjurandum,' pro *adjici jusjurandum*, reponi debere alii suaserunt, membranæ mihi persuaserunt. *Stewech.* Ms. *servire servitium* Plautine. *Sciopp. in Symb.* Modius, *aliorumque addici potestati*. Colv. *Servire servitium* Florent. et Fulvii liber. Vulgo *subire s.* Vide Indicem. *Addici potestati* recte Florent. et Bas. 2. Aldus et Rom. *adjici*. Stewech. *adigi p.* inepte. Vide Indicem. *Elmenh.* Primo *servire servitium* e Fulv. Cod. cui accedit Voss. recepit Elm. et seqq. phrasi notissima. Vulc. et Wow. dederunt *subire servitium* e Vulc. Msto. In Edd. prioribus tantum *servire*. Dein *inpotem* primus editorum addidit Vulc. quam vocem agnoscunt Mss. O. præter Bened. scilicet in eo legas *servire servitiouni ipsum;* at in Florent. *servire, servorum inpotem ipsum:* ut conjicere possis olim fuisse *servire*. *Servitiorum inpo-*

tem ipsum, i. e. non valentem regere *servitia*, i. e. servos: nam sic *servitia* adhibet Noster cum aliis sæpissime. Sed facile adquiesco vulgari jam scripturæ. Mox *addici*, quod bene conjecit Modius, confirmatur a Mss. Florent. Voss. Bened. et bene jam Vulc. ceterique expresserunt: quare miror, a Pricæo adhuc monitum, mendam hic esse, et vulgo *adjici* legi ad Met. l. III. p. 162. De hoc verbo *addicere* dixi ad Metam. v. Ind. Stewech. ex priorum Edd. scriptura *adjici* conjecerat *adigi*. Frustra, ut vidimus. Modius etiam divinabat *servire ipsum, aliorumque ad.* Oud.

PAG. 617 *Atque iis jam tum a puero imbutus*] Sic Florent. et Edd. Elm. Scriv. Flor. Bene omnino. Cic. Tusc. Quæst. v. 22. 'homini præsertim docto a puero:' in Vatin. cap. 10. 'quod ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectaras.' Noster de Mundo in f. 'a tenero se ei dedit.' Ælian. XIII. 9. ἐκ παιδὸς πεπαιδευμένοι. *Idem.*

Electis ex animo] Explicat Flor. 'amplexus ex animo.' In Bened. *exsectis.* Ampliandum. *Idem.*

Via graderetur] Primum lege, *viam graderetur:* qua phrasi 'vivere vitam' alia multa olim efferebant. De cetero, nescio an persuadebo verum esse aut saltem vero admodum simile, *et esse quodammodo in tempore lectum:* quasi dicat commode repertum virum, quem Plato requirebat perfecte sapientem. *Stewech.*

PAG. 618 *Pertinere res suas ad Imm. D.*] Vide Cicer. Tuscul. lib. I. *Elmenh.*

Diem mortis] Operæ pretium, cui opera est, in Phædone hanc in rem multa præclare disserentem audire Socratem, jamjam moriturum. *Colv.*

Propitius nec invitus] Quid si *promptus?* Scioppo. in Symb. Maximus Tyrius Disput. I. pag. 13. ἥξοι σοι γῆρας ὁδηγοῦν ἐκεῖ, καὶ θάνατος, ὃν ὁ μὲν δειλὸς ὀδύρεται καὶ προσιόντα δέδιεν· ὁ δὲ ἐραστὴς τοῦ θεοῦ ἐκδέχεται ἄσμενος, καὶ προσιόντος θαρσεῖ. *Elmenh.*

Vinculis liberata corp.] Definit enim mortem τὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγήν. *Colv.* Cic. lib. I. Tusc. Quæst. 'Nos vero, si quid tale acciderit, ut a Deo denunciatum videatur, ut exeamus e vita læti, et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia, et levari vinculis arbitremur.' Vide notas ad Arnobii lib. II. *Elmenh.*

PAG. 619 *Animam corporis cons. sep.*] Phædone: οὐκοῦν ὅλως δοκεῖ σοι ἡ τοῦ τοιούτου πραγματεία οὐ περὶ τὸ σῶμα εἶναι, ἀλλὰ, καθόσον δύναται, ἀφεστάναι αὐτοῦ, πρὸς δὲ τὴν ψυχὴν τετράφθαι; Alia in eodem illo opere, quæ inde huc translata a Nostro videntur. Sed omnia exscribere, nec otium nobis nec voluntas. *Colv.* Quoniam (ut ait Porphyrius apud Augustin. de Tempore, Serm. 143.) 'ærumnosum ergastulum est animæ.' Plato Phædone: Οὐκοῦν δοκεῖ ὅλως σοι ἡ τοῦ τοιούτου πραγματεία οὐ περὶ τὸ σῶμα εἶναι, ἀλλὰ, καθόσον δύναται, ἀφεστάναι αὐτοῦ, πρὸς δὲ τὴν ψυχὴν τετράφθαι; ἐμοί γε. Ἆρ' οὖν πρῶτον μὲν ἐν τοῖς τοιούτοις δῆλός ἐστιν ὁ φιλόσοφος ἀπολύων ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας διαφερόντως τῶν ἄλλων ἀνθρώπων; φαίνεται. *Elmenh.*

Ideo existimandum, philosophiam esse] Florent. *Ideo existimandum p. e.* Tzetzes Chiliad. x. hist. 343. Φιλοσοφία μὲν ψευδὴς, ἡ λόγοις ὀγκουμένη· Ὀντὸς φιλοσοφία δὲ τῶν μοναστῶν τῶν ὄντως· Αὕτη θανάτου μάθησις, καὶ νέκρωσις σαρκίου, Καὶ γνῶσις δὲ τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων, Καὶ τοῦ θεοῦ ὁμοίωσις, ὡς δυνατὸν ἀνθρώποις, Καὶ τῆς σοφίας καὶ θεοῦ καθέστηκε φιλία· Τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη τῶν ἐπιστημῶν τε. Alcinous de doctrina Plat. Cic. Tusc. Quæst. lib. I. *Idem.*

Etsi sint] Edd. Vulc. pr. Wow. *sunt:* sed *etsi* æque cum subjunctivo ac indicativo construi vidimus ad Cæsar. lib. VI. B. G. c. 40. De re

ipsa vide Cicer. de Off. quoque lib. I. c. 17. *Oud.*

Inter solos b. &c.] De quo ubertim in Lyside. *Colv.*

PAG. 620 *Emolumenta virt.*] Si philosophorum scholæ patientur, scribam, *molimenta virtutis.* Sisenna IV. Hist. 'magno cum molimento ac perpetuo sono procedunt.' *Stewech.* Otiose. *Oud.*

Carissimis orbatus affectibus] Olim editi codices, *clarissimis affectibus.* Illa bona lectio e postrema est editione. Affectus, id est, liberi. Vulcatius Gallicanus Avidio Cassio: 'Nec tamen Antonius graviter est iratus, nec in ejus liberos aut affectus sæviit.' Jul. Capitolinus M. Anton. 'Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii, nec in ejus affectus sæviit.' Paullinus ad Militem: 'Ideo nec affectus, nec patriam, nec honores, nec divitias Deo præferre.' *Colv.*

Interdicitur adflictatio] Vide de hac verbi *interdico* constructione ad Cæsar. B. G. lib. VI. c. 44. Hinc Ovid. Met. lib. X. 336. 'Spes interdictæ, discedite.' *Oud.*

Neque sui gratia] Ita exprimi curavit tacite Floridus: atqui unice vere, certe quod ad sensum, ut ego quidem opinor. Nam ut reflectere debent illa 'obiti caussa' ad præcedentia 'propter eum, qui est emortuus;' sic hæc debent respondere τοῖς 'aut sua gratia.' Patet etiam e seqq. 'ut qui in se,' dicitque virum sapientem non dolere, quod amittat aliquem carissimum: quia *in se* reponit omnia; nec indigere virtute potest ob absentiam alicujus. *Idem.*

PAG. 621 *Sap. quippe pedissequum*] Ambrosius de Abraham lib. I. cap. 2. 'Inter septem sapientum dicta celebratur ἕπου θεῷ. *Elmenh.*

PAG. 622 *Cum corpus relinquit, &c.*] Plato Phædone fol. 62. Οὐκοῦν, ἦδ' ὃς, καὶ σὺ ἂν τῶν σαυτοῦ κτημάτων εἴτι αὐτὸ ἑαυτὸ ἀποκτιννύοι, μὴ σημήναντός σου ὅτι βούλει αὐτὸ τεθνάναι χαλεπαίνοις ἂν αὐτῷ, καὶ εἴτινα ἔχοις τιμωρίαν, τιμωροῖο ἄν; Πάνυ γ', ἔφη. Ἴσως τοίνυν ταύτην οὐκ ἄλογον, μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ, ὥσπερ καὶ τὴν νῦν ἡμῖν παροῦσαν. Cicero lib. I. Tusc. Quæst. 'Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare. Cum vero caussam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: næ ille mediusfidius vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit; nec tamen illa vincula carceris ruperit; leges enim vetant.' Plotinus Ennead. I. lib. IX. περὶ ἐξαγωγῆς. Et Macrob. in Somn. Scip. I. 13. docte. Apud Paganos autem nemini licebat sibi inferre violentas manus sine magistratus venia, ut ex Xiphilino et Sopatro Illustrissimus et, dum vitam agebat, nobis amicissimus Jos. Justus Scaliger ad Eusebium erudite observat. Adde locis inibi prolatis Libanium in Moroso, fol. 301. et Val. Max. II. 6. Si igitur quispiam non probata causa magistratibus, vita se privasset, inhumatus abjiciebatur. Seneca l. VIII. controv. 4. 'Homicida insepultus abjiciatur. Facinus indignum, si inveniantur manus, quæ sepeliunt eum, quem occidere suæ.' Festus: 'Carnificis loco habebatur, qui se vulnerasset, ut moreretur.' Ea propter et manum, qua facinus peregerat, separatim a corpore sepeliebant. Æschines contra Ctesiphontem fol. 467. καὶ γὰρ ἂν εἴη δεινὸν, ὦ 'Αθηναῖοι, εἰ τὰ μὲν ξύλα καὶ τοὺς λίθους, καὶ τὸν σίδηρον τὰ ἄφωνα καὶ ἀγνώμονα ἐάν τιν' ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ ὑπερορίζομεν· καὶ ἐάν τις αὐτὸν διαχρήσηται τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν, χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν. Atqui apud Christianos αὐτοχειρία summe nefaria semper habita, ut patet ex Lactantio lib. III. cap. 18. Salviano l. VI. de gubernatione Dei. Concil. Bracharensi cap. 10. Burchardo decret. lib. XIX. cap. 30. et D.

Augustino de Civitate Dei l. I. c. 22. 23. 24. 25. 26. et in Johannem tractatu 60. apud Hebræos similiter, si quis interficeret seipsum, intuitu propriæ personæ, (scilicet ut mortem turpiorem evaderet,) non item, si propter injuriam divini honoris (ne vituperium exerceretur in corpore redundans ad divinam majestatem) id fieret, sicuti notat Nicolaus Lyranus in gloss. ad lib. I. Reg. cap. ult. l. II. cap. 17. l. III. cap. 16. l. II. Maccab. cap. 10. et XIV. lib. Judic. cap. 17. Sic Beatus Hieronymus in Jonam l. I. fol. 136. Ed. Plantin. in persecutione ubi castitas periclitatur, permittit hominibus, ut propria manu vitam sibi adimant, cujus tamen sententiam omnino improbat Joan. Sarisberiensis l. II. de Nugis Curialium cap. 26. 'Ego evenire posse non arbitror, ut cujuscunque difficultatis articulo liceat propria authoritate homini sibi mortem inferre, nec etiam ubi castitas periclitatur, licet hunc casum videatur excipere Doctor ille Doctorum, cui in sacrario literarum vix audeo quemquam comparare. Hæc mors omnino desperatorum est, et eorum, qui licet corpore vivant, jam mentis morte præmortui, animo vivere desierunt.' Stoici quidem constanter asseverant, sapientem sumere mortem posse, quandocunque ipsi fuerit libitum; sed eos pereleganter refutat Clariss. et nunquam sine laude nominandus Justus Lipsius, quem l. III. cap. 23. Manuduct. ad Philos. Stoicam curæ pretium erit inspicere. *Elmenh.*

Accersire tamen eum mortem non debere] Phædone: Ἴσως τοίνυν ταύτην οὐκ ἄλογον, μὴ πρότερον αὑτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ Θεὸς ἐπιπέμψῃ. *Colv.* *Arcescere* exhibent Mss. Voss. Bened. In Ed. Vulc. sec. *accersere:* vulgari errore. Sed Florent. Fulv. et Edd. reliquæ *accersire* pro *arcessire:* uti Leid. pr. et Huls. in Solino c. 16. 'mortem accersiunt:' vitiose pro *arcessunt.* c. 52. 'vita repletos incensis rogis mortem arcessere:' ibi etiam 2. Mss. *arcessire.* Late de hac quarta conjugatione egi ad Cæsar. l. I. B. G. c. 31. lib. V. c. 10. 'alios arcessiri jubet.' Atqui τὸ *sibi* post *arcessire* primi addidere Wow. et Vulc. Ed. sec. ut est in Fulv. Florent. Bened. Sed abest etiam a Voss. nec opus est. Vide ad Met. l. I. p. 10. b. Dein pro *non debere* in Florent. Bened. Voss. exaratur *ejus,* et, pro *anteactæ vitæ* in Bened. *actæ vitæ,* Voss. *actæ vi vitæ.* Forsan turbata hic sunt multa, et *esse* e superiori vel inferiori versu huc revocandum ac scribendum *arcessire tamen vi* (vel *vi tamen*) *mortem, non ejus esse.* Oud.

PAG. 623 *Reg. alii citeriores*] Vide, si probe emendarim, *in quibus sunt regentes alii, alii citeriores.* Voces totas etsi geminandas, semel tantum librarios describere solitos, longo usu et Pompeio Festo observante didici, quod hominibus quibusdam scio non persuaderi, qui ipsi neque sua mihi omnia adhuc probare potuerunt. *Stew.* *Alii citeriores.* Ita lib. vulgati. Ms. *deteriores:* quod fortasse recipiendum. *Wower.* Wower. ex Mss. *deteriores,* bene. *Elmenh.* *Reg. alii, alii deter.* Sic vulgo: nam Stew. semel *alii* hic intrudendum esse, persuasit ita Elmenhorstio, ut sine ulla admonitione id in textum receperit, et post eum reliqui. Sed abest omnino a Mss. O. et Edd. prioribus; et recte, licet etiam Lipsius margini adleverit *alii alii* esse legendum, ut scio sæpe fieri. At in hisce quoque semel vox *alii* satis intelligenda per se solet omitti. Vide omnino ad Met. l. IV. p. 268. a. quare eam rejeci. Contra in Voss. et Bened. ne semel quidem *alii* occurrit. Dein Edd. ante Vulcan. habent *citeriores:* sed ille in utraque Ed. exhibuit *ceteriores,* quod confirmatum Mss. Florent. Voss. Bened. Vulc. inquirendum quid sit. Sensus requirit eos, qui reguntur, et regenti-

bus minores. An a *ceteri* comparat. *ceteriores?* Certe non placet istud *deteriores*, intrusum e Ms. Fulvii ab Elmenh. Nam nemo bonus, nedum Plato, dixerit, ceteros cives regentibus esse *deteriores*. Oud. Verum est *citeriores*, i. e. minores, inferiores, ut est *citra* sæpe pro infra. V. Burm. ad Quinctil. Decl. CCXCIX. pag. 577. *J. B.*

PAG. 624 *Ceteris janua non reclusa*] Ut l. III. Met. p. 212. 'arcula reclusa, horreo recluso,' &c. Mss. Fulv. Florent. *reclusis*. Voss. etiam et Bened. c. *non reclusis janua*. Ut *recludi* ipse homo dicatur pro excludi, secludi, seorsum haberi. Pro *cavea emisso* occurrit apud Stat. lib. II. Silv. 4. 32. de Psittaco: 'quo tu, melior dilecte, recluso Nunquam solus eras.' Sed doctiss. Markland. ait 'cavea recluditur, non psittacus, nisi cultro chirurgico:' legitque *relicto*. Oud.

His advertitur utilis, &c.] Timæo: "Οτι κοινὰ τὰ τῶν γάμων καὶ τὰ τῶν παίδων πᾶσιν ἁπάντων ἐτίθεμεν, μηχανώμενοι ὅπως μηδείς ποτε τὸ γεγενημένον αὐτῷ, ἰδίᾳ γνώσαιτο, νομίσωσι δὲ πάντες πάντας αὐτοῖς ὁμογενεῖς· ἀδελφὰς μὲν καὶ ἀδελφοὺς, ὅσοιπερ ἂν τῆς πρεπούσης ἐντὸς ἡλικίας γίγνωνται· τοὺς δ' ἔμπροσθεν καὶ ἄνωθεν γονέας τε καὶ γονέων προγόνους· τοὺς δὲ εἰς τὸ κάτωθεν, ἐκγόνους τε καὶ παῖδας ἐκγόνων. Colv.

PAG. 625 *Dicis causa*] Quod edd. habent *ditis causa*, id operarum somnolentiæ acceptum feramus oportet. Genuina enim lectura *dicis causa*. Varro v. de L. L. 'et nihil,' inquit, 'inerat, cui imperaret et dicis causa fiebant quædam: neque item facta, neque item semper.' Similis formula 'dicis ergo,' 'Dicis gratia:' quas reperi apud Charis. lib. I. et usi JCti nostri Ulpianus in lib. I. de SC. Sullano et Caius lib. IV. commodati. *Stewech.* Vulg. *ditis causa*. Emendavit hunc locum ante nos amicissimus Th. Canterus ad lib. IV. Arnobii. Glossæ ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ.' Forte intelligit locum Caii in lib. IV. commodati. *Colv.* Arnob. adv. gentes lib. III. fol. 64. 'Honoris et dicis causa vos species Diis accommodavisse mortalium.' Lib. IV. fol. 75. 'An ita ut assolet, dicis causa.' Quæ loca viri docti inepte mutant. Vetus sane hæc formula est, sæpe in authoribus ignoratione antiquitatis a librariis corrupta: ut observant Lælius Bisciola Subsecivar. lib. VIII. cap. 12. Antonius Augustinus lib. II. Emendat. Petrus Victorius Var. Lect. lib. VIII. c. 24. Brissonius de Verb. Signif. lib. IV. et Didacus Coverruvias Episcopus Segobiensis in Variis Resolutionibus. *Elmenh.* Adde quæ laudantur ad Nep. Att. cap. 8. § 5. et in Ind. Inepte Edd. ante Colv. *ditis:* et Bened. *judicis*. Oud.

PAG. 626 *Conventusque multitudinum*] Edd. Scriv. Flor. *multitudinem:* ut 'multitudo conventus' dicatur per Hypallagen, (de qua alibi,) pro cœtu multitudinis. Sed hic contra Mss. O. Noster de Mundo p. 745. 'populorum conventibus.' Quærendum tamen an alibi *multitudines* in plurali occurrat. *Idem.*

Quare et dites, &c.] Lib. VI. de Legibus: Τοίνυν φῶμεν, ὅτι ἀγαθῶν πατέρων φύντι τοὺς παρὰ τοῖς ἔμφροσιν εὐδόξους γάμους γαμεῖν οἱ σοφοὶ παραινοῖεν ἂν, καὶ μὴ φεύγειν τὸν τῶν πενήτων, μηδὲ τὸν τῶν πλουσίων διώκειν διαφερόντως, ἀλλ' ἐὰν τἄλλα ἰσάζῃ, τὸν ὑποδεέστερον ἀεὶ τιμῶντα, εἰς τὴν κοινωνίαν ξυνιέναι· τῇ τε γὰρ πόλει ξύμφορον ἂν εἴη ταύτῃ, ταῖς τε ξυνιούσαις ἑστίαις, τὸ γὰρ ὁμαλὸν καὶ ξυμμέτρον ἀκράτου μυρίῳ διαφέρει πρὸς ἀρετὴν, &c. Eadem sententia in his versibus Plautinis, Aulularia: 'Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri, Opulentiores pauperiorum filias Ut indotatas ducant uxores domum: Et multo fiat civitas concordior, Et invidia nos minore utamur, quam utimur.' *Colv.*

rint] Sic editum ab Elmenh. et seqq. In Edd. vett. Vulc. Wow. est *ubicumque civitatis parentes censuerint*. Sed Mss. Florent. Voss. Vulc. Bened. *utcumque parentes nec ita sexus esse stratus* (Lindenbr. Exc. *Aratus*. Vulc. *Jus*) *censuerint civitatis*. Consulendus Plato. Videtur mihi legendum *p. nec uti magistratus censuerint civitatis*: nam in his ab observatione prioris Reip. desciscit; de qua pag. 624. &c. egerat: ubi hæc ad magistratus referebat. Non ergo hanc scripturam mera Sibyllæ folia esse patet, ut putabat Elm. *Oud.* Contextum reliqui ut est in Edd. Elm. et seqq. In iis, quæ plura offerunt Mss. agnoscere sibi videtur Cl. Lennepius fragmenta glossematis adscripti ab eo, qui supra tradita p. 625. Ed. Flor. de magistratuum circa liberos utriusque sexus cura meminisset. *J. B.*

Constare rationem] Ita libb. manu exarati. Vulgo *constare nationem*. Quin potius legerim, *his debere constare gubernationem*. Wower. Potiores debent *rationem* posse dare omnium actorum suorum; et puniri, si male egerint. Quare recte se habet *rationem*, quod est in Fulv. Leid. Bened. et Edd. ante Vulcan. qui cum Florent. e suo Cod. edidit *rationem*. Statim Vulc. Voss. *potest pot.* Oud.

Pag. 628 *Quatuor culpabilium virorum*] Vide Politicum, sive, Περὶ βασιλείας. *Colv.*

Pag. 629 *Simili legum conjuratione adoptatus*] Scriptus: *s. l. conjuratione adoptatum imperium invaserit*. Fallor aut Appuleius scripserat, *simili legum conturbatione adopt. imp. i.* Wow. Fulvius *adoptatum* recte. *Elmenh.* Expone, *conjuratione adversus leges*, alias non video quis possit elici sensus. *Florid.* Ut 'injuria populi' pro 'in populum,' et similia innumera. At tunc *adoptatus* non habet quo referatur. Persona debet addi: et tum *conjuratio* sumi pro *conjuratis* foret durissimum. Frustra etiam Wower. conjecit *conturbatione*. Pejus e Ms. Fulv. Elm. Scriv. Flor. edunt *adoptatum*. At quid, quæso, significat *adoptatum conjuratione legum invadere imperium?* Non capio. Egregie vero emendavit ad marginem Lipsius *simili illegum conjuratione adoptatus*, i. e. adscitus a sui similibus qui, ut ille, *leges contumacia ruperunt* et simul conjurarunt. Glossæ: 'Illex, ἄνομος.' Plaut. Pers. III. 3. 4. 'In jure illex labes populi.' *Adoptatus*, quasi in idem collegium: quod sæpe *cooptari* vocant Latini scriptores. Sic in Florid. n. XV. 'A magistris adoptatus.' Si quid hic mutandum, potius e Ms. Bened. scribendum, *adoptatus in imperium invaserit*. Vide ad Met. lib. I. p. 348. a. 'sororis invadunt animum;' ubi alii *in soris inv. an.* Oud.

DE DOGMATE PLATONIS LIB. III.

DE PHILOSOPHIA RATIONALI

SIVE

ΠΕΡΙ ΈΡΜΗΝΕΙΑΣ.

ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ *sive de syllogismo categorico*] Partem hujus libelli vulgavit ante annos 80. Joannes Sichardus in opere cui index, *Disciplinarum liberalium orbis, &c.* [An. 1508.] ubi etiam ei solummodo titulum dat, *de Syllogismo Categorico.* Nos duplicem posuimus, quorum prior ex Isidori et scripti exemplaris fide est: posterior omitti debuisse etiam non videtur. Nam sic in Ms. *Incipiunt Periermeniæ Apuleii* et ad calcem *Periermeniæ Apuleii expliciunt, in quibus continentur categorici syllogismi.* Isidorus: 'Has formulas Categoricorum Syllogismorum qui plene nosse desiderat, librum legat qui inscribitur ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΙΑΣ Apuleii.' Sed et Jo. Picus Mirandula in Epistolis ad Hermolaum Barbarum, scribit in manus suas incidisse Apuleii fragmentum de Interpretatione. Opus, inquit, eruditum, et quod Apuleii plane esse cognoscas: post quærit, num alibi integrius exstare ipse sciat. Ceterum exemplar scriptum quo a Clarissimo doctissimoque viro Francisco Nansio usi sumus, vetus sane satis fuit, at non ex omni parte emendatissimum. Sed simile, etiam Apuleio adscriptum, exstare scimus Lutetiæ Parisiorum apud humanissimum eruditissimumque virum Nicolaum Fabrum consiliarium Regium, e quo fortassis corrigi hic quædam possent, quæ corrupta num esse pati debemus. Sed nos id quod in manu nostra fuit præstitimus. A Sichardo libelli hujus partem olim editam idem Nansius indicavit, e cujus exemplari omnes variantes lectiones, bonas malas, ad marginem libri sui quam diligentissime et fidelissime annotarat. Sed et ipsam Sichardianam editionem postea nobiscum quam benignissime communicavit. *Colv.* Hunc librum nec Codex Rom. nec Aldus, nec Florentinæ, nec Leidenses Membranæ continent, unde factum est, ut pauca saltem in ea sint emendata. Meminit ejus sub Apuleii nomine Isidorus Hispalensis lib. II. Orig. cap. 28. et Carolus Magnus de non adorandis Imaginibus l. IV. *Elmenh.* *De Philos. Rationali* l. III. *sive* Περὶ Ἑρμηνείας. Libelli hujus titulum sic cum Elm. et Scriv. concepi; partim quod initio statim Auctor dicat, 'et, de qua nunc dicere proposui, Rationalem;' partim quod eo titulo citetur a Carolo Magno l. IV. de Non Ador. Imag. c. 23. et rectius ab Isidoro sive Cassiodoro de Dialectica, ut bene jam monuit Colv. Hinc patet, alterum, quem insuper addunt *de Syllogismo Categorico* falsum esse. Saltem debuerant scribere *de Syllogismis:* ut recte in fine Ms. Nansiani et Biblioth. Leidensis legitur, sic: *Periermeniæ Apuleii expliciunt, in quibus continentur Categorici Syllogismi.* Vide Heum. Pœcil. t. II. l. I. p. 6. &c. Male igitur hunc titulum *de Syllogismo Categ.* præpositum a J. Sichardo, retinuerunt viri docti, sed ego exsulare hinc jussi. Ceterum Imp. Carolum vere

exhibuisse titulum libri ut in Mss. reperiebat, patet e Mss. Nansii Leid. ac Petavian. in quibus *Incipiunt Periermeniæ Apuleii*. Corruptissimum autem hunc librum, qui multis locis ex Aristotele et Cassiodoro emendari debet, nos modo transcursim perlegimus, variasque lectiones adnotavimus. Optime vero de illo meruit Floridus, plurima loca e Mss. duobus Ecclesiæ Carnotensis emendans. Sed singula tamen recenseamus. *Oud.*

Pag. 631 *Usitata nove* * *] Deest hic *proferre*, aut simile aliud, ut in describendo etiam Nansius observarat, et plerasque correctiones ad marginem annotarat. Eadem sententia Philostratus ad Aspasiam: Σαφῶς ἑρμηνεύσομεν καὶ ἔξω ἐντελείας, ἣν τῶν νοηθέντων τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς φράζωμεν. Quem locum indicavit nobis vir eruditissimus Bonaventura Vulcanius, concivis meus. *Colv.* Colvium seqq. Editores secuti sunt. *Oud.*

Pag. 633 *Quod dedicant aliquid de quop.*] Id est, adfirmant, adserunt; ut etiam notarat Nansius: nam Dicare est dicere, nuntiare, indicare. Lucillius apud Nonium, quem simul emendem, Satyr. l. xxx. ' Sic ubi ad aures Fama tuam pugnam claram alata dicasset.' Hinc dedicare αὐξητικῶς, id est, valde quid dicere, adseverare. Festus: ' Dedicare autem proprie est dicendo deferre.' Vide Marcellum: apud quem sic legendus etiam versus Attii Alphesibœa: ' At verior, cum te esse Alcmæonis fratrem factis dedicat.' Lucretius sæpius hoc verbo hac notione usus est. De quo doctissimi Gifanii nostri consulendus Index. Huic contrarium, Abdicare. *Colv.*

Pag. 637 *Cæterum univ. utravis*] Hunc locum facta Appuleii mentione laudat Carolus Magnus lib. iv. de non adorandis Imaginibus. *Elmenh.*

Pag. 646 *In prima formula*] Quæ hic de formulis Categoricorum Syllogismorum ut vulgariter, non secundum Apuleium, loquar, traduntur, verbatim pleraque lib. ii. Originum solemni sibi more transcripsit Isidorus: quem moneo hinc sæpius emendari adhuc debere. Porro Syllogismos Categoricos vocat Noster Prædicativi generis conclusiones. Isidorus: ' Formulæ Categoricorum, id est, Prædicativorum Syllogismorum sunt tres.' Desumpta etiam hinc nonnulla videri possint, ætas id patiatur, a Marciano Capella lib. viii. de Nupt. Philol. et Merc. ubi de Dialectica: et ab Aur. Cassiodoro in Dialecticæ compendio, quod ipsius nomine circumfertur, in quo etiam quædam hinc corrigenda. *Colv. Elmenh.*

Qui conducit] Id est, qui colligit. Isidorus. *Colv.*

Pag. 650 *Octavus modus*] Tres formulæ primi Modi hic omissi, nempe Quintus, Sextus, Septimus: qui tamen ab Isidoro ponuntur. Unde certe nec dum integrum hunc libellum ad manus nostras pervenisse videmus et dolemus. *Idem.*

CORNELII MARTINI,
Antwerpii, Professoris publici in inclyta Julia,

ANIMADVERSIONES IN APPULEII LIB. περὶ ἑρμηνείας,

AD GEVERHARTUM ELMENHORSTIUM.

Vir Clarissime, amice honorande, in Libello isto Apuleii, cum multa sint, quæ ille rectius, aut certe studiosæ juventuti commodius tradere poterat, nihil tu, homo in hisce literis exercitatissimus, ignoras. Agit non tantum de enuntiationibus; sed quoque de Syllogismorum doctrina. Et in priori quidem parte Aristotelem plerumque sequitur, nisi quod alicubi textus hiare videatur, vitio videlicet temporum, quæ multa eximia nostræ ætati inviderunt. Pagellas tuas scio, me libro cuidam inclusisse, qui in quotidiano mihi usu erat, ne mihi vel memoriæ meæ exciderent, nec

tamen minus quis liber fuerit, non memini, non etiamsi diligentissime plerosque explicarim, tamen fugitivas illas invenire potui, itaque quodnam illud fuerit exemplar, ignoro, et num in eo totus hic libellus, an vero ejus pars tantum descripta fuerit, scire non possum. Colvii editionem, quæ Lugduni Batavorum ex officina Plantiniana a Raphelengio An. 1588. edita est, ego habeo: in cujus notis invenio totam illam, quæ est de syllogismo doctrinam ab eo primum editam fuisse, quæ a prioribus editionibus absit: non tamen dubito quin totus libellus in pagellis fuerit, cum editio mea tot jam annos habeat. Itaque, ut dixi, agit de enunciatione et syllogismo, accuratius multo in priore quam in posteriore parte versatus: et miror homini philosophum in enunciationea doctrina placuisse, non itidem in doctrina syllogismorum, in qua ille profecto juventutem valde turbat. Neque hoc quoque minus miror quid Martianum Capellam et Isidorum impellere potuerit, ut Apuleium præ Aristotele sequi decreverint, cum tota illa syllogismorum constructio valde sit violenta. Nolo in omnia hic inquirere, sed quædam tantum ostendam in hisce de quibus loquor syllogismis. In primo modo formulæ (ut nos loquimur figuræ) primæ hic illi syllogismus est

Omne justum honestum
Omne honestum bonum
Omne igitur justum bonum.

Atqui si naturam et Aristotelem secutus fuisset, quam secundo loco collocat, primo ponere debuit. Ita enim dictum de OMNI ut logici loquuntur actu in syllogismo fuisset, et omnes termini suo quisque loco hoc modo:

Omne honestum bonum
Omne justum est honestum
Omne justum est bonum.

Hæc est naturalis terminorum dispositio, hic legitimus medii situs, quia, cum medius terminus contineatur in majore et minor in medio, necessum quoque erit minorem contineri in majore; ut nullus tam sit puer, qui vim consecutionis vel naturaliter non videat, cum alteram illam nisi per hanc ostendatur, assequi nemo possit. Si itaque enunciationes sic recte collocasset, habuisset cum Aristotele primum modum primæ figuræ, quem in scholis appellant BARBARA: hoc primum.

Deinde quod propter conclusionis conversionem novum nobis modum fabricat, quem deinde quintum facit, mihi quidem valde ridiculum est; non enim propter terminorum illam dispositionem, sed quia conclusio ita converti debeat, quod antea docuerat in libello de enunciatione, ille modus valere potest: ut quoque illi syllogismo alio sit opus, si consequentiam suam probare nitatur, cum tamen videri velit concludere in figurarum omnium perfectissima, quæ est prima Aristotelis. Galenus istiusmodi syllogismos etiam viderat, et propriam illis figuram constituerat, quam quartam esse volebat; sed eam confutavit Averroës, et Zabarella quoque pulcherrimo Libello de quarta syllogismorum figura illam refellit. Itaque rectius Apuleius noster Aristotelem, quem eum legisse video, quatuor modos in prima hac sive formula, ut ille, sive ut nos loquimur, figura tantum collocantem retinuisset. Sed ea dispositione, quam illi lux naturæ ostenderat, imo quoque imperarat, atque hic est primus cum quinto scriptoris nostri modus.

Jam et alter transpositis propositionibus est secundus Aristotelis in prima figura, quem in scholis vocamus CELARENT.

Sic Apuleius:

Omne justum honestum
Nullum honestum turpe
Nullum igitur justum turpe.

Ita autem Aristoteles:

Nullum honestum turpe
Omne justum est honestum
Nullum igitur justum turpe.

Evidens est in hoc syllogismo dictum de Nullo. Cum enim turpe de omni honesto removeatur, justum autem sub honesto contineatur, removetur quoque turpe de omni justo. Hæc altera rationis nostræ est facula in syllogismis negativis, quam propositionum non commoda positione perturbat ille Platonicus. Sed etiam hic denuo convertit conclusionem, atque ita nobis sextum modum fabricat, pari quo supra fundamento.

Tertius primæ figuræ modus apud Aristotelem erat quem in scholis vocant Darii, pro quo nobis hoc exemplum adfert,

Quoddam justum honestum
Omne honestum utile
Ergo quoddam justum utile.

Quam ille minori loco ponit esto major, et fiat major illius minor, hunc habebimus syllogismum:

Omne honestum utile
Quoddam justum est honestum
Ergo quoddam justum est utile.

Verus est syllogismus et recte positus. Etiam hic reflexim infert, et septimum modum cudit, pari cum reliquis absurditate; non enim in prima illi sunt figura, sed, quod tentavit Galenus, si Syllogismi essent, alia illis sedes sive alia figura assignanda foret.

Quartus modus erat Ferio, literæ ostendunt majorem debere universalem negantem, minorem particularem aientem esse, ille utramque loco movit et talem dat, qui particularem habeat majorem et negantem minorem, quod utrumque si ad leges Aristotelis emendaveris, vitiosum est; talis sit Apuleii syllogismus:

Quoddam justum est honestum
Nullum honestum turpe
Quod igitur justum non est turpe.

Aristotelis est:

Nullum honestum turpe
Quoddam justum est honestum
Ergo quoddam justum non est turpe.

Duos octavum vero et nonum, quos hinc colligit, rectius concludemus, si naturam secuti fuerimus: octavus est Apuleio:

Nullum turpe honestum
Omne honestum justum
Quoddam igitur justum non est turpe.

Natura ita concluderet:

Nullum honestum turpe
Quoddam justum est honestum
Ergo quoddam justum non est turpe.

Et in nono ita Apuleius:

Nullum turpe honestum
Quoddam honestum justum
Ergo quoddam justum non est turpe.

Natura sic:

Nullum honestum turpe
Quoddam justum est honestum
Ergo quoddam justum non est turpe.

Atqui hæc est prima ejus figura. Hi illi novem sunt modi, in quibus nihil naturaliter, sed omnia coacte concludit: et sunt quæ sequuntur ejusdem monetæ. Itaque ne molestus sim, manum tollo; unica admonitione juventuti succurrere potes, si illos monueris, ut Aristotelem hic potius quam hunc Auctorem sequantur ducem. Vale vir nobilissime et clarissime. Deum veneror, ut tibi tuisque, mihi meisque omnibus hunc novum annum felicem esse velit. Helmstadio An. 1621. 14. Januarii.

Vester

Cornelius Martinus.

Antwerp.

LIBER DE MUNDO.

ARISTOTELES mundum suum Alexandro illi Magno dicavit: Appuleius suum, Faustino. Quod ideo dico, ut Lectorem simul moneam, Appuleium non ex professo Aristotelis interpretem agere, neque semper singula ipsius verba minutatim consectari, sed quædam addere, quædam demere, et paraphrastice interdum sententiam exprimere, atque adeo ex Aristotele et Theophrasto peculiarem quemdam ac proprium sibi fœtum formare. Quod vero Appuleii in vertendis Græcorum scriptis consilium fuerit, ipsemet Apologia prima optime declarat, ubi de multijugis Aristotelis voluminibus agens, ita ait: 'quæ tanta cura conquisita si honestum et gloriosum fuit illis scribere, cur turpe sit nobis experiri? præsertim cum ordinatim et cohibilius eadem Græce et Latine adnitar conscribere, et in omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere?' et postea eadem Apologia: 'Ne ego reprehendar,' inquit, 'qui res paucissimis cognitas Græce, Latine propriis et elegantibus vocabulis conscribo.' Alibi etiam testatur, se Aristotelis libros περὶ ἀνατομῶν 'et explorare studio, et augere.' De Latinis etiam scriptis suis, ipse ita: 'In quibus,' inquit, 'animadvertes, cum in eis cognitu rara, tum nomina etiam Romanis inusitata et in hodiernum, quod sciam, infecta: ea tamen nomina labore meo et studio ita de Græcis provenire, ut tamen Latina moneta percussa sint.' Quæ omnia faciunt, ut ad utriusque linguæ tam Græcæ quam Latinæ proprietatem cognoscendam et consequendam, maximo usui accuratam hujus libelli Appuleiani lectionem et cum Aristotele collationem esse posse censeam: quod quidem plenius mea, uti spero, opera intelligetur, quantumvis illum non nemo inscite multa vertisse ἀριστ-αρχικῶς plane clamitet. *Vulc.*

DE MUNDO] Sic hic liber, &c. [Vid. Not. Delph.] . . . . proponi debeat. Abjudicant autem docti quidam viri hoc scriptum ab Aristotele, inter quos etiam nomen suum profitetur, qui in his literis familiam ducit Clariss. et amicissimus noster Heinsius, cui ut libens in omnibus cesserim, ita hac in re consensum accommodare non possum. Facit id ut faciam Johannis Grammatici Philoponi (a Patribus Sextæ Synodi Act. II. fol. 168. ed. Roman. propter quasdam incommodas opiniones in sacris rebus ματαιόπονος appellatur) authoritas, qui laudato Aristotele, ipsissima verba adducit, quæ etiam nunc in hoc de mundo libello leguntur. Sed locum ipsum apponam ex lib. de mundi æternitate contra Proclum l. VII. argum. 6. fol. 79. 81. ἀρχαῖος γάρ τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ τοῦ κόσμου λόγῳ, ὡς ἐκ θεοῦ πάντα, καὶ διὰ θεὸν ἡμῖν συνέστηκε, καὶ οὐδεμία φύσις ἐστὶν αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας. Sic Philoponus ex Aristotele, quæ eadem mox post sub ejusdem auctoris nomine citantur, et non aliter in Aristotele de mundo comparent. Et hæc obiter de titulo et authore hujus libri. Nunc ad incepti operis ordinem, i. e. ipsum Appuleium revertamur. *Elmenh.* In Mss. meis incipit hic liber sine titulo. Ante Colv. vulgo edebatur *Cosmographia sive de Mundo ad Faustinum.* Ald. et Junt. post. ad-

dunt *filium* ex libro scil. de Philos. Mor. Alii addunt *liber unus*. *De Cosmographia* citat Boccatius lib. I. Gen. Deor. c. 5. ut habent quidam Msstorum tituli. Sed recte *de Mundo* August. IV. de Civ. Dei 2. ut bene animadvertit Elmenh. Sic περὶ κόσμου inscripsit, quem, non tamen sine magnis erroribus, frustra eum defendente Vulcanio, Noster paraphrastice expressit, Aristoteles, sive quicunque istius libelli auctor. Vid. D. Heins. dissert. de eo, inter Orationes p. 533. &c. sunt qui ex Appuleio putent Græcum et primo Arabicum factum. V. Nunnes. Misc. Obs. v. 7. p. 166. Huët. credit esse Posidonii Elementa Meteorologica, de Interpret. p. 199. Ceterum usque ad *Mundus omnis* est justa præfatio ad Faustinum; quare aliis characteribus eam exprimendam curavimus. *Oud.* Librum περὶ κόσμου Aristoteli abjudicandum censuerunt bene multi. Sed in utramque sententiam variis argumentis ab innumeris viris doctis disputatum est. V. Fabricii Bibl. Gr. l. III. c. 5. § 13. et ibi Harles. Heumannus ibid. Appuleium verum esse libri auctorem credit, Græcum vero textum esse versionem. Sed idem paullo post Aristotelicum quemdam libri περὶ κόσμου auctorem facit. *J. B.*

Expultrixque vitiorum] Leid. *excultrixque v.* inepte. Dicit Philosophiam primum errores et vitia expellere, ut virtutem deinde inserat. Cicero lib. V. Tusc. Quæst. fol. 123. 'O vitæ Philosophia dux, o Virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum et vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum, et disciplinæ fuisti.' Vide Isidor. Hispal. lib. II. Orig. c. 24. Senecam lib. I. Nat. Quæst. Pythagoram apud Stobæum serm. 80. *Elmenh.* Mss. Vulc. Voss. uterque, Bened. *excultrixque*: uti etiam Codd. nonnulli apud Ciceron. l. ab Elmenh. cit. unde hæc videtur desumsisse Auctor. Vide ibi Davis. Alias cogitare posses, scriptum olim fuisse *exculcatrixque*, vel sensu expellendi, vel indagandi: nam *exculcatores* sequiore ævo dicti sunt hostium exploratores. Adi ad Veget. lib. II. c. 15. in Obs. Misc. vol. VIII. t. II. p. 242. Vide etiam infra h. l. *Oud.*

PAG. 705 *Condiscere ac decere*] Ita melius, quam ut quædam Edd. *conducere ac decere*. Nam Aristot. de Mundo: ἀλλὰ καὶ συγγενεστάτην ἑαυτῇ καὶ μάλιστα πρέπουσαν ἐνόμισεν εἶναι τὴν ἐκείνων μάθησιν. Ad quæ Noster respexit: qui sæpius verbatim e libello illo multa transtulit elegantissimis et significantissimis verbis; ita ut nobis esse possit, cum Græca Latinis reddere institutum, unicum et optimum, ad quod orationem nostram formemus et effingamus, exemplar. *Colv.* Non assentior Colvio qui hanc lectionem probat præ illa, quam alia habent exemplaria, *Conducere et decere*: quæ verba explicant optime illud, συγγενεστάτην ἑαυτῇ καὶ μάλιστα πρέπουσαν μάθησιν, id est, cognitionem. Nam de docendo hic verbum nullum, sed de discendo. Confirmat hanc lectionem Codex Ms. optimæ notæ. *Vulc.* *Res et ejusmodi opera*. Ms. cod. *artes et ejusmodi operam*: rectissime: *operam* enim vocat laborem qui huic μαθήσει sive investigationi impenditur. *Idem.* *Et congruere*. Hæc et quæ sequuntur ad finem periodi usque, putarim glossema merum esse, explicationemque præcedentium verborum atque ita hæc margini adscripta fuisse, cum nota aliqua quæ significaret, *id est*: proque ea nota positam esse a sciolo aliquo conjunctionem *et*, quæ cum iis quæ sequuntur in contextum irrepsit. Quid enim aliud est *congruere*, quam quod antea dixit *decere*:

quid aliud *curam*, quam quod antea dixit *operam?* Idem. *Et ejusmodi curam talibus studiis et moribus congruere.* Hæc verba male expunxit Vulcanius. *Elmenh.* Alii *condiscere ac decere tam bonas res, et ejusmodi opera cum ingenuitate suæ professionis credidit, et congruere istiusmodi curam talibus studiis et moribus.* Inepte prorsus Aldina et Florentina Edd. *conducere ac decere tam bonas artes et ejusmodi operam cum ingenuitate professioni suæ convenientem, et congruere, &c.* Melior est quorumdam vett. Codd. scriptura *sed conducere ac decere tam bonas res et ejusmodi operam ingenuitati suæ professionis credidit.* Neque sic tamen examussim recta est, scribendumque: *sed conducere ac decere artes et ejusmodi operam ingenuitati suæ professionis credidit:* quod in quibusdam exemplaribus Mss. est et convenit rectissime cum Græcis. Sequentia verba *et congruere istiusmodi curam talibus studiis et moribus* recte expunxit Vulcanius, quamvis conamine eo apud nonnullos male audiat: videntur enim vel ex prioribus corrupta esse, vel exscriptoris glossema. Verbum *decet* hic dandi casui jungi videmus, quod Latina consuetudine accusativum exigit. Sed Hellenismus est Latinis tamen etiam non infrequens. Ter. Ad. III. Sc. ult. 'Hæc primum ut fiant, deos quæso, ut vobis decet:' et IV. Sc. 8. 'Imo hercle ita nobis decet:' ubi sic Donatus: 'Antiqui si addebant statim verbum *facere*, *nos decet facere*, dicebant: si non addebant, *nobis decet*, dicebant.' Locutus eodem modo Sallust. 'locum editiorem quam victoribus decebat.' Et: 'decet principi orbis terrarum populo et tanto regi' apud Liv. XXXIV. Similiter in Ms. Lucretio ex lib. I. 'Consimili ratione herbis quoque sæpe decebat:' ubi tamen τὸ *herbas*, quemadmodum in editis est, retinendum propter τὸ *latices*, quod sequitur. *Anon. f. Tollius in Ed. Scriver.* *Sed conduc. ac dec. t. bon. art. et congr. ist. cur. tal. st. et mor. cum ingen. prof. suæ cred.* Phrasis hæc non videtur omnino sana. Sensum tamen elicui quam potui optimum: neque enim habeo unde emendem. *Florid.* O pauperem hominem, qui non habuerit aut non consuluerit Mss. et Edd. vett. Ex his enim locus hic misere vexatus et ab editoribus interpolatus sanitatem facile reparare potest. Quod nunc editur, ab Elmenhorstio temere profectum est, qui dum accusat Vulcanium, quod male expungat (in Ed. tert. scilicet, et de quo egerat Vulc. Ed. pr.) *et ist. curam, &c.* longe pejus tacite omittit *et ejusmodi operam;* totumque etiam verborum ordinem invertit, ut mox videbimus. Wower. edidit hoc modo *sed c. ac d. t. b. a. et ej. operam cum ing. prof. s. et ist. curam t. st. et m. congr. credidit.* Multo melius: abit tamen a Mss. Mire quoque hunc locum interpolavit Ed. Junt. post. sic *sed conduc. ac dec. t. b. a. et ej. operam cum ingen. professioni suæ convenientem, et congruere ist. c. t. st. et m.* sine verbo *credidit.* Edd. aliæ et Colv. edunt *sed condiscere ac docere tam bonas res et ejusmodi opera cum ingenuitate prof. s. credidit, et congr. ist. curam t. st. ac mor.* quem ordinem servant etiam Mss. At illi cum Aldo, Junt. post. Bas. sec. Vulc. et seqq. bene dant *conducere ac decere.* Nam errant hic Colv. et Vulc. quippe Auctor paraphrastice, ut solet, Aristotelis sensum inverso ordine exponit ἀλλὰ καὶ συγγενεστάτην ἑαυτῷ, hoc est, *congruere*, καὶ μάλιστα πρέπουσαν, i. e. *conducere ac decere*, ἐνόμισεν εἶναι τὴν ἐκείνων μάθησιν. Dein *artes* et *operam* etiam primus exhibuit Aldus, estque in Mss. meis Omnibus: quare bene saltem τὸ *artes* restituit Vulc. Verum quid erit *cum ingenuitate?* Hic hæret menda. Legendum enim cum G. J. Vossio (nisi potius videatur emendatio Scaligeri, quas multas et in his hanc a Vossio se accepisse in Add.

testatur Elmenh.) e Ms. suo, quem a filio ejus Isaaco collatum nominare soleo. *Voss. primum*, sic: *sed conduc. ac decere t. b. artes, et ej. operam* vel *opera ingenuitati prof. suæ credidit, et ist. curam congr. t. st. ac moribus*: sensu clarissimo ac facillimo. *Decere* dativo junctum fraudi fuit librariis et editoribus; unde etiam *ac decere* caret Bened. et pro eo in Voss. sec. est *accidere*. At vide Vossium de Constr. c. 35. et Comment. ad Gell. lib. IX. c. 15. 'ætati ejus decebat.' Lib. XXIII. ff. de Legatis 'Decet tantæ majestati.' *Oud.*

N. cum homines Mundum ejusque penetr. ad. non poss.] Vett. edd. *nam cum Mundi pen. homines ad. non poss.* inter quas tamen Aldina, *Nam cum Mund. ejusq. pen. corpore adire non posset.* Quam scripturam poscere videtur Aristoteles: ἐπειδὴ γὰρ οὐχ οἷόν τε ἦν τῷ σώματι εἰς τὸν οὐράνιον ἀφίκεσθαι τόπον, καὶ τὴν γῆν ἐκλιπόντα, τὸν οὐράνιον ἐκεῖνον, &c. quæ digna conferri cum hoc loco. Non enim omnia istinc describere propositum est nobis: sed ea dumtaxat quæ vel ad veriorem hic lectionem adfirmandam, vel dubiam confirmandam facere visa sunt. Eleganter opponuntur hic autem Corpus et animus. *Colv.* Ovid. lib. XV. Met. 'Mente Deos adiit, et quæ natura negavit Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.' *Elmenh.*

Animo peregrinari ausi s. &c.] Philo de migratione Abrahami: ὦ θαυμάσιοι τοσοῦτον αἰφνίδιον ἀρθέντες ἀπὸ γῆς εἰς ὕψος ἐπινήχεσθε, καὶ τὸν ἀέρα ὑπερκύψαντες αἰθεροβατεῖτε. Vide Notas ad Minutium Felicem. *Idem.*

Cogitationibus viderant] Bas. 1. *cognitionibus vid.* Sed Aristoteles: καὶ τὰ πλεῖστον ἀλλήλων ἀφεστῶτα τοῖς τόποις, τῇ διανοίᾳ συνεφρόνησε. *Colv.* Lib. I. de habit. doctr. Platonis: 'Quæ substantiam non habent corpoream, cogitationibus ea videri.' *Elmenh.*

Volucrique] Cogitationum pernicitas volucri curriculo intimaret nos immensitati ejus. De *volucri cæli curriculo* ne γρὺ quidem in Aristotele, nec etiam locum hic habet. Ceterum pro ἐπεραιώθη sive *transmisit* Vossius Nostri respectu conjecit ἐπτερώθη sive *alis invectus est*. Oud. Vel ἐπαερώθη, ut scriptum video in marg. exemplaris, quod ex Bibliotheca Vossiana in Leidensem devenit, in quo etiam huic Nostri loco adscriptum est *volucri undique*. J. B.

De quo origo ejus est] Virg. Æn. VI. fol. 714. 'Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo.' Ad quem locum vide quæ Ludovicus de la Cerda observat, et præterea Lipsii Physiologiæ Stoicæ lib. III. discept. 8. *Elmenh.*

Pag. 706 *Mœnia urbis*] Ms. cod. meus legit *Amœnia*, et quidem meo judicio rectissime: ut sint Amœnia, quæ Græcis ἀκταὶ, quæ ipse Appul. p. 390. lin. 26. periphrastice vocat *Sinuosis inflexam littoribus terram*: et Servius illud Virgilii Æn. V. 'At procul in sola secretæ Troades acta' ita interpretatur: Acta nomen substantivum, significat secreta et amœna locorum.' Et Glossarium vetus: 'Amœnia, αἱ ἀκταί.' et Glossarium Græco-latinum: Ἀκτὴ, Ora, scilicet maritima. Ex quibus liquet, quam probi sint interpretes, qui passim dum in Græcis authoribus occurrit nomen ἀκτῆς, *littus* vertunt, citra ullam adjectionem. Amœnia periphrastice describit Seneca Nat. Quæst. lib. VI. cap. 1. cum ait: 'mareque ex aperto conductum amœno sinu cingit.' *Vulc.*

Olympi sacra] Malim legere, *Acra*, id est Fastigia. de quibus ita Strabo lib. XII. Ἔστι τοίνυν Ὄλυμπος κύκλῳ μὲν οὐ συνοικούμενος, ἐν δὲ τοῖς ὕψεσι δρυμοὺς ἐξαισίους ἔχων, καὶ λῃστήρια δυναμένους ἐκτρέφειν τόπους εὐερκεῖς, ἐν οἷς καὶ τύραννοι συνίστανται, οἱ δυνάμενοι συμμεῖναι πολὺν χρόνον, et de Cleone ibi commemorat, qui erat τῶν λῃστηρίων ἡγεμὼν, et primum Antonium juvit, deinde Cæsarem, multo honore

ab utroque affectus. Capitolium etiam vocatur, quod Græcis ἄκρα. quod esset κορυφὴ τῆς πόλεως. *Vulc.* Vulcanii conjecturam recepere Elm. et Florid. In Mss. et Edd. ceteris *Olympi sacra:* quod multo elegantius. Magis enim proprium Olympo est Epitheton *sacra*, quam *acra*, quod nescio, an Latine alibi occurrat. Licet enim *magnus* et *summus*, quia *nubibus* dicitur *excelsior*, passim audiat; plurimi tamen montes habent altissimum verticem. Pauciores vero sunt tam *sacri*, quam *Olympus*, qui *sedes Deorum* vocatur ab Homero, aliisque poëtis. Hinc etiam Scholiast. Il. A. vs. 353. Ὄλυμπος ὄρος Μακεδονίας ἱερὸν, οἰκητήριον τῶν θεῶν. sic enim malim distinguere. Vulgo jungunt ἱερὸν οἰκητήριον. *Oud.* Forte *aëria*, si conjecturæ locus esset: sed omnino probum *sacra*, bono et plano sensu, quod jam postliminio redeat. *J. B.*

Ossæ ardua] Maximus Tyrius serm. 2. ἡ ὄσσα ἐπιτιθεῖσα τῷ Ὀλύμπῳ. *Elmenh.*

PAG. 707 *Ultra Deorum domus e.*] Id est, supra aërem. Vide Achillem Statium in Arati Phænomena fol. 84. *Elmenh.* Mox Voss. sec. *cœlum vocamus.* Oud.

Corporibus onustum] Ed. Vic. *honustum*, ut placebat quoque Freinshemio ad Flor. Ind. v. *honerare*, distinguenti scilicet cum Servio ad Æneid. I. 293. inter *honustus* ab *honore*, et *onustus* sive *oneratus*, sed prave. *Onustus* dicitur is, qui gravatur rebus, quas habet, sive bonis et laudabilibus, sive malis et turpibus. *Idem.*

PAG. 708 *Discretio quædam profecta*] Hæc lectio e Vulcanii Codice profluxit, sive linea recta, ducta per mediam sphæram. εὐθεῖαν vocat Aristot. Verum Mss. reliqui et Edd. vett. habent *directio*, quod revocari debet, sive directa linea, axis et divisor mundi. Alioquin bis idem dicit. Vox est architectis propria. In eadem re *dimensio* Hygin. Astron. c. 3. 'Rectæ lineæ perducuntur, quæ dimensio a compluribus Axis est adpellata.' Dein *profecto* Voss. sec. *profecti* Bened. *Idem.*

Disterminator] Ita Mss. O. cum Edd. Junt. post. Vulc. ac seqq. In reliquis edebatur *discriminator;* quod non displiceret, si Mss. addicerent. Passim 'discrimen,' 'discriminare,' 'discernere,' dicitur de limitibus, regionem vel quidquid aliud dividentibus et separantibus. At frequens in Mss. varietas. V. Heins. ad Claudian. lib. I. in Ruf. vs. 175. 'Odrysiis Asiam disterminat oris.' Eadem confusio mox: 'Luna altitudinis ætherea principia disterminans:' ubi Edd. eædem *discriminans.* Idem.

PAG. 709 *Circulorum*] Mutila, meo judicio, oratio: addendum enim *medius*, ut respondeat τῷ μέσος, quod est apud Aristotelem: ac tametsi id verisimili conjectura constare possit: malim tamen pro *circulorum* legere *circumlator*, hoc est, ut veteres Grammatici exponunt, περιφοράριος, quod aptissimum est signifero Epitheton, vel potius συνώνυμον, quid enim aliud est *Circumlator*, quam qui signa circumfert, hoc est, Signifer? quem Aristot. vocat ζωοφόρον κύκλον, alii ζωδιακόν. Glossæ veteres: 'Signifer, ζωδιακός, Σημειοφόρος. Idem enim sunt ζώδια quod σημεῖα, quæ Græci poëtæ τείρεα vocant, παρὰ τὸ εἴρειν, id est, ἀγγέλλειν τὰ μέλλοντα, quod futura pronuncient. *Vulc.* Fulv. Ursinus de conjectura legit, *quam circum ambit Sign.* Ego minimum a literarum ductu devians malim, *quam in circulum ambit Sign.* In circulum, pro ad instar circuli, quam Appuleane dicatur, sciunt omnes, nisi qui Appuleium nesciunt. *Sciopp. in Symb.* Flor. *quam circulorum a. s.* Wower. *quam circulo ambit s.* Fulvius *quam circum ambit signifer.* Vulc. *quam circumlator a. s.* Ald. et Rom. *q. circulorum a. s.* Scioppius *quam in circulum ambit signifer.* Ego legendum

puto, *quam cingulo ambit signifer.* Vide Isidorum Hispal. Orig. lib. III. cap. 65. Plinium Nat. Hist. lib. I. cap. 4. Censorinum de Die Nat. cap. 8. Eustathium in Hexaëm. Basil. Hom. I. *Elmenh.* Forte transponendus locus *partim labitur circulorum inerranti regione quam orbis ambit.* Burm. Pro *quam* Edd. Vic. Junt. pr. Bas. pr. *quem*, ut ad *orbem* referas; sed nil muta. Dein Mss. O. et Edd. vett. constanter præbent *circulorum*, unde Vulc. emendavit et edidit *circumlator;* sed in margine libri sui *circulariter.* Non male Sciopp. *in circulum.* Pro lectione Ursini *circumambit*, rectius videtur fore *circulo circumambit*, verum sequitur *circumdatus:* unde, ut etiam aliquid adferam, posses reponere *circulatim* vel potius *circuli vicem*, i. e. instar circuli: ut Noster sæpissime. V. Ind. Not. Aristot. ὧν μέσος ὁ ζωοφόρος καλούμενος κύκλος. Is. Voss. conjecit *q. circum loro ambit s.* Oud. *Circulo suo* dedi ex verissima, ni fallor, conjectura V. Cl. Lennepii. *J. B.*

Illius orbis, qui Inerrabilis dic.] Sic bene Aristoteles: ὑπὸ τῆς τῶν ἀπλανῶν σφαῖρας περιειλῆφθαι. *Colv.*

PAG. 710 *Phænonis*] Firmicus Astron. lib. II. cap. 2. 'Qui a nobis Saturnus dicitur, est Ægyptiis φαίνων.' Achilles Statius in Arati Phænomena p. 89. *Elmenh.*

Phaëthontis] Sic lego ex Flor. et Rom. in quibus est *Phetontis.* Isidorus de natura rerum c. 3. 'Quintum a stella Jovis, quam Phaëthonta dicunt.' Achilles Statius fol. 98. περὶ τῶν ὀνομάτων τῶν πλανήτων. Τὰ ὀνόματα τῶν πλανήτων διαφόρως ἐκλήθησαν, καὶ περὶ τοῦ χρόνου ἑκάστου διαφωνία πολλὴ γέγονε πολλοῖς. Αἰγυπτίοις γὰρ καὶ Ἕλλησι τοῦ Κρόνου ὁ ἀστὴρ καίτοι ἀμαυρότατος ὢν Φαίνων λέγεται. ἀλλὰ παρ' Ἕλλησι μὲν κατὰ τὸ εὔφημον λέγεται οὕτω. Παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Νεμέσεως ἀστήρ. Δεύτερος ὁ τοῦ Διὸς καθ' Ἕλληνας Φαέθων κατὰ δὲ Αἰγυπτίους Ὀσίριδος ἀστήρ. Τρίτος ὁ τοῦ Ἄρεως παρὰ μὲν Ἕλλησι Πυρόεις· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Ἡρακλέους ἀστήρ. Τέταρτος ὁ τοῦ Ἑρμοῦ· δεδόσθω γὰρ νῦν τέταρτον αὐτὸν εἶναι· εἴρηται γὰρ, ὅτι διαφωνία πολλὴ περὶ τῶν ἀστέρων τούτων ἐστὶν Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Ἡλίου. ὁ τοίνυν τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ καλεῖται παρὰ μὲν Ἕλλησι στίλβων, παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Ἀπόλλωνος ἀστήρ. Πέμπτος ὁ τῆς Ἀφροδίτης παρὰ μὲν Ἕλλησιν Ἑωσφόρος. *Elmenh.*

Stilbon] Plato Epinomide fol. 987. Chalcidius p. 176. *Idem.*

Phosphorus] Isidorus de natura rerum cap. 3. *Idem.*

Vivacitates ignium] Ἐκζωπυρήσεις. Ignis animatus. Infra: 'Ignesque illi virtutis Dei vivacitate flammantur.' Plaut. Aulularia Sc. *Nunc defæcato, &c.* 'Næ causæ quid quod te quisquam quæritet. Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.' Lucretius lib. I. p. 33. 'vivant labentes ætheris ignes.' Lib. III. p. 145. 'Quod cupido adfixum cordi vivescit ut ignis.' *Idem.*

Post eam vero pars est] Hoc est, post Lunam statim sequitur pars Mundi Elementaris. Si vero legamus, ut Codex meus Ms. habet, *Post eam vero partem*, sententia pendet, nisi post sequentia illa verba, *quæ sancti ætheris finibus coërcetur*, adjiciamus hæc, *natura elementaris existit:* plane ex mente Aristotelis, qui hoc aperte statuit: incorruptibili naturæ Ætheris proximam esse naturam passioni alterationique obnoxiam: hoc est, Elementarem: cujus quidem naturæ Elementaris summum ætherique maxime vicinum locum occupat τὸ θερμὸν καὶ ξηρὸν, ὃ λέγομεν πῦρ, ut Aristotelis verbis Meteor. lib. I. cap. 4. utar; hoc est, calidum et siccum, quod vocamus ignem. Naturam itaque igneam sive φλογώδη rectius id appellaverimus, quam Ignem ... Veritus itaque Appuleius id quod Ætheri proximum est, Ignem ap-

pellare, Partem vocavit, Mundi scilicet. *Vulc.* *Natura immutabilis regio et mortalis.* Movit hic locus nonnullis difficultatem, legentibus τὸ *natura* nominandi casu; atque ita statuentibus periodi notam post *immutabilis:* cumque in nonnullis Edd. pro *regio* legatur *origo*, sequentem dictionem *et* mutandam censent in *ei:* atque ita legunt *Origo ei mortalis.* Hoc sensu: Naturam immutabilem, hoc est, ætheriam, originem suam habere a mortali natura: respectu nimirum ejus quod paulo ante dixit Ap. divinas et immortales vivacitates ignium cœlestium a Luna pasci: quod tamen, ut est adjectum ab Appuleio, ita est præter mentem Aristotelis. Ego in verbis Appuleii nihil desidero, neque quicquam mutandum censeo. Sententia enim est planissima: Elementaris scilicet regionis supremam partem igneam, dispescere ac disterminare regionem sua natura immutabilem a mortali ac pæne terrena. Naturam enim illam Ætheri substratam φθαρτὴν καὶ ἐπίκηρον vocat Arist. ob varias passiones alterationesque quibus est obnoxia, ut supra Æthera στοιχεῖον ἕτερον τῶν τεσσάρων, ἀκήρατόν τε καὶ θεῖον. ubi τὸ ἀκήρατον Appuleius vertit *inviolabile:* hic τὸ ἐπίκηρον, *mortale*, sive σαθρόν. *Vulc.* *Cujus mensu appensuque distincta est natura immutabilis regio.* Cod. scriptus: *post eam vero partem .... cujus mensa appensaque distincta est natura.* Scribe: *naturæ mutabilis regio.* Nemo hanc emendationem veram negabit, nisi qui Græca verba, unde hæc translata, non inspexit. μετὰ δὲ τὴν αἰθέριον καὶ θείαν φύσιν, ἥντινα τεταγμένην ἀποφαίνομεν, συνεχής ἐστιν ἡ δι' ὅλων παθητή τε καὶ τρεπτὴ φθαρτή τε καὶ ἐπίκηρος. *Wower.* Excerp. Batav. *c. mensu p. distincta est naturæ m.* Lego: *c. m. a. q. distincta et n. æris.* *Origo ei mortalis.* Elmenh. *Cujus mensu appensuque distincta est naturæ mutabilis regio, et mortalis, ac jam pæne terrena.* Hoc est, 'cujus spatio, quod suspensum est in medio Æthere, continetur pars illa Naturæ, quæ mutabilis est et mortalis, ac jam pæne terrena:' nempe regio elementaris, quæ sola secundum Aristotelem corruptibilis est et mutabilis. Mitto varias hujus loci lectiones, huic, ut meliori, inhæreo, et certe magis cum Aristotelico textu congruit. *Florid.* Emendatio est Wowerii vel Scaligeri. At Edd. cunctæ habent *inmutabilis* et pleræque *natura.* Vulcanii lectio omnino quadrat Aristotelis menti: unde patet Lipsii conjecturam esse falsissimam *natura immutabilis.* *Origo ei mortalis;* quia in Edd. Rom. et Bas. pr. est *origo:* et pejor etiam Elmenhorstii. Inter æthera et regionem mortalem statuunt Arist. et App. aliam insuper partem, quæ est etiam *immutabilis.* Sine dubio pejus hic est corruptus Auctor. Recenseamus ergo Mss. lectionem; ac primo *post ea* habent uterque Voss. et Bened. et *partem* Florent. Fulv. Bened. Vulc. uterque Voss. Dein *mensa pensaque* (*appensaque* Fulv. *pnsaque* Bened.) *distinctum est et natura inmutabilis r.* iisdem est in Codd. Ex solo Voss. pr. enotatur *naturæ mut.* Quare si non vere, at certe vero proxime lego *Post eam vero partem q. s. æ. f. c. cujus mensa adpensaque* (forsan tamen non damnandum *pensaque*) *distinximus, est et natura inmutabilis regio, et mortalis.* vel, si vis, *naturæ immutabilis r.* Res eodem redit. Scriptum erat *distinctimus:* hinc natus est error. Sensus est: Post æthera, cujus dimensiones et adpensiones ostendimus (per stellarum scil. orbes) est etiam regio, quæ natura inmutabilis est, et alia, quæ natura est mortalis. Sic clare Aristot. Μετὰ δὲ τὴν αἰθέριον καὶ θεῖαν φύσιν, ἥντινα τεταγμένην ἀποφαίνομεν, ἔτι δὲ ἄτρεπτόν τε καὶ ἀνετεροίωτον, i. e. natura immutabile, &c. συνεχής ἐστιν ἡ παθη-

τή τε καὶ τρεπτή, &c. unde simul adparet, male a Vulcanio tentatam esse vocem Aristotelis *τεταγμένην* in *τεταμένην*. *Oud.*

PAG. 711 *Ejaculari*] Lege *se ejaculari.* Elmenh. Quod expressit Scriv. Nos cum Mss. Voss. sec. Bened. Vulc. ejusque Ed. sec. rescripsimus *se jaculari*. Sed utrumque sæpissime occurrit. Ovid. Met. lib. VII. 260. de sanguine: 'seque ejaculatus in altum Emicat, et longe terebrata prosilit aura.' Lucan. lib. II. 155. de homine: 'hic se præcipiti jaculatus pondere.' Solin. pag. 17. 'se in profunda præcipitatem jaculata.' Flor. lib. I. cap. 14. § 4. 'in confertissima se hostium tela jaculatus:' ubi vide Græv. et Duker. ac Bentl. ad Manil. V. 598. 'semet jaculata profundo.' cf. et Plin. VIII. 27. *Oud.*

Cometas] Vide Isidor. Orig. l. III. c. 70. *Elmenh.*

Docydas] Flor. et Leid. *Cydas*: male. Achilles Statius: *περὶ δὲ κομήτων καὶ δοκίδων ἐπραγματεύσαντο πολλοί, ὥσπερ καὶ Δημήτριος. εἰσὶ δὲ οὐκ ἐν οὐρανῷ ἀλλὰ ἐν τῷ ἀέρι. οἱ μὲν οὖν κάτω τὸ φῶς ἔχοντες, καὶ τὰς μαρμαρυγὰς κάτω νευούσας καλοῦνται κομῆται. Οἱ δὲ ἄνω τὸ φῶς νενευκὸς ἔχοντες καλοῦνται λαμπάδες, ὁπότε δὲ ἐπίμηκες ἔχουσι τὸ φῶς, καλοῦνται δοκίδες. ὁπότε δὲ ἱκματώδες φῶς ὁρᾶται, καλεῖται ἶρις. ὅταν δὲ περὶ τὸν ἥλιον ᾖ κύκλος ἐνίοτε καὶ δύο καὶ τρεῖς γίνονται. Idem.*

Luce vestitur] Sic emendavi et male vulgari arbitratus sum, *luce vescitur*. Virgilius: 'Lætior hic campos æther et lumine vestit Purpureo: solemque suum, sua sidera norunt.' Arnobius lib. I. 'Siderum Sol princeps cujus omnia luce vestiuntur atque animantur.' Tertullianus: 'Æqualitas enim circumfusi aëris pari luce vestiens angulos.' Aristotelica e quibus hic totus locus: *Ἑξῆς δὲ ταύτης ὁ ἀὴρ ὑποκέχυται, ψοφώδης ὢν καὶ παγετώδης τὴν φύσιν, ὑπὸ δὲ κινήσεως λαμπόμενος ἅμα καὶ διακαιόμενος, λαμπρότερός τε γίνεται καὶ ἀλεεινός. Colv.* Lucret. lib. I. 'Quam subito soleat Sol ortus tempore tali Convestire sua perfundens omnia luce.' Arnob. l. I. 'Nunquid ipse siderum Sol princeps, cujus omnia luce vestiuntur, atque animantur calore.' Sic enim istum locum interpungo. Scholiastes Horatii Vetus, in Carmine seculari 'Calore Solis animantur semina.' Lactant. lib. I. cap. 12. 'Sine Solis igneo calore neque nasci quicquam, neque augeri potest.' *Elmenh.* Mss. O. consentiunt. Ante Colv. edebatur *vescitur*. Sic contra 'vestire umbra.' *Oud.*

PAG. 712 *Sapiens genus homo*] Noster Afer adv. Gentes l. I. e contra 'brutum genus' appellat homines. et l. II. 'homo animal cæcum, et ipsum se nesciens.' *Elmenh.* Male Bened. caret *τῷ genus*, (v. supra ad lib. I. de Dogm. Plat. p. 588. Flor.) quod est accusat. *κατὰ τὸ γένος*. Virg. Æn. VIII. 113. 'Qui genus?' ubi vide Heins. in Solino p. 25. leg. 'hoc genus canes crescunt.' Cat. Burm. pag. 495. 'genus hoc arbos.' *Oud.*

Partem ej. ins. esse, partem] Salmas. ad Solin. p. 1178. *partim ejus insulas, partim*. Idem.

PAG. 713 *Ignescunt superna*] Locus corruptus. Quivis enim videre possit, discrepare inter se generibus, *incensi* quod præcessit, et *Superna*. Rectissime itaque Cod. meus Ms. qui post *ignescunt* periodi notam ponit: atque ita deinceps legit, *Superna quapropter Dii superi sedes habent*: optimo sensu. Superna enim vocat, *τὰ ἄνω*, ut etiam Infima, *τὰ κάτω*. quæ superna (neque enim adjiciendum est, loca) Dii Superi (ad differentiam *τῶν ὑποχθονίων*) sedes habent, hoc est, inhabitant. Neque est quod quenquam moveat adverbium *Quapropter*, non suo, ut alicui videri possit, loco positum: cum usitatius sit ab eo periodum ordiri. Familiaris enim Apuleio hic loquendi modus. *Vulc.* Optime, et adsentiunt mei omnes præ-

ter Bened. Vulgo erat prave *superna.* *Quapropter d. superas s. h.* Lipsius margini adlevit *ignescunt superne. Q.* Sed de secundo loco τοῦ *quapropter* vide ad l. II. de Dogm. Plat. p. 611. Ed. Flor. *Oud.*

Quæ meatus] Notandum est quantam lucem, quantumque ornatum Apuleius hoc loco Aristoteli attulerit, non interpretem tantum, sed paraphrasten suo more agens. *Vulc.*

Ut nebulæ quidem] Ms. cod. meus nunquam satis laudatus legit *ut nebuli quidam*; quem locum cum aliquando V. Cl. J. Lipsio collegæ et amico meo ostendissem, facile mecum, non tam scribæ quam ævi illius vitium animadvertit, quo promiscue litera B et V consonante utebantur: ut vel e Veteri illo Glossario satis constat, ubi Benenum pro Venenum, Bicani pro Vicani, Bomer pro Vomer reperies. In quo pronuntiationis vitio hodie adhuc hærent Hispani, præcipue Burgenses: apud quos interdum, non absque risu audivi sacrificum, ita hæc Servatoris nostri verba pervertentem: *Qui mandoucatt mean carnen et vivitt meum sanghinen, bibett in æternoun.* Eodem itaque modo etiam hic scriptum est *Nebuli* pro *Nevuli*; elegantissima metaphora, a Nævis qui sunt cutis eminentiæ, quos Veteres ἀκροχορδόνας vocant: nonnulli Latine Verrucas, quas tamen veteres Græci μυρμηκία vocant. De utrisque vide Æginetam l. IV. c. 28. et Celsum l. V. c. 28. *Idem.*

PAG. 714 *Quæ frequentioribus maribus alluuntur*] Vet. cod. meus habet *molibus.* Putarim vero non incommode pro *frequentioribus* legi posse *ferventioribus* ut ferventiores motus vocet Decumanos fluctus, quibus Cyclades infestantur utpote in Ægeo mari sitæ, quod quidem, ut meus Constantinus Porphyrogenneta describit, βαρύπλουν ἐστὶ καὶ δυσπέρατον, καὶ κύματα μακρὰ καὶ ὄρεσιν ἐοικότα ἀνεγεῖρον τοῖς πλέουσιν, εἴτε διὰ τὸ πυκνὸν τῶν νήσων, εἴτε καὶ διὰ τὸ ῥεῦμα τοῦ πόντου τὸ καταβαῖνον εἰς Ἄβυδον καὶ προσρασσόμενον ταῖς νήσοις, μετὰ μεγάλου ῥοιζήματος. Vel si retinemus lectionem *frequentioribus molibus*, per hoc ipsum intelligi potest τὸ πυκνὸν τῶν νήσων. ut metaphorice Insulas ipsas Moles maris vocet. Pomponii tamen Melæ locus facit, ut commodissime legi posse putem, *frequentioribus motibus*: hoc est, 'æstibus marinis.' Ita enim ille lib. III. cap. 1. 'Oceanus ingens et infinitum pelagus, et magnis æstibus concitum (ita enim motus ejus appellant):' ut videatur Motus maris appellatio antiquior et notior esse, quam Æstus. *Idem.* Lips. legit *motibus.* Ego non male crediderim legi posse, *ferventioribus maribus.* Idem in altera Ed. *Frequentioribus molibus alluuntur.* Ita nonnulli Mss. Vulgo, *maribus alluuntur.* Malim ex aliis libris, *quæ frequentioribus maris motibus alluuntur.* Wowerius. Voss. pr. *quas freq.* Voss. uterque *frequentatioribus*; quod notaret, eas insulas magis ceteris frequentari incolis et advenis, si cum Vulcanio *molibus* explices de insulis ipsis, qui nunc potius intelligit τὸ πυκνὸν spissum insularum numerum. *Motibus* edidit Wow. Verum *molibus* habent Mss. O. ut edidere Vulc. Ed. sec. Elm. et seqq. Antea edebatur *maribus.* Is. Vossius conjecit *maris meatibus. Ferventioribus molibus* de decumanis fluctibus, quod conjecit Vulc. eo defendi possit, quod hi sæpe poëtis *montes* et *moles* dicuntur. Infra p. 730. 'fluctuum currentium mole.' Apud Justin. l. IV. init. pro *toto undarum onere* Heins. ad Val. Flacc. lib. I. 285. legit *tota und. mole.* Sed tamen nihil recedens a Mss. malim cum Florido capere de scopulis, quibus frequentes sunt et scatent Cyclades; nec enim frequentioribus fluctibus illæ, quam aliæ insulæ in medio mari sitæ alluuntur. Prave vero Ms. Bened. Edd. Bas. sec. Lugd. *abluuntur*:

de more. Vide me ad Frontin. l. I. c. 4. § 7. 'alterum latus mare adlueret.' Restituendum id quoque Avieno Desc. Orb. vs. 1105. 'Abluit æstus Persicus hanc:' immo vero *adluit*, ut editor Anglus jam emendavit vs. 881. 'Caspinam late terram super adluit unda:' ubi idem, ut passim, error. cf. Drak. ad Liv. XXVI. 45. *Oud.*

Per angustias oris] Aristot. στενοπόρῳ στόματι sive freto Gaditano: quod itidem sic vocatur a Floro l. II. c. 17. § 7. 'ad Gades et Oceani ora pervenit:' ubi vide Duker. et, quem laudat, Burm. ad Vellei. l. II. c. 101. et ad Serv. in Virg. Æn. II. 312. *Idem.*

Fretorum cervicibus procedentibus] Locus elegantissimus turpissime fœdatus. Cod. meus Ms. pro *procedentibus* legit *premitur*, id est, πιέζεται, quod idem est atque ἀναστομοῦται, id est 'artatur,' vel ut Mela ait 'in artum cogitur.' Pulcherrima vero Metaphora Fretorum cervices ἰσθμοὺς vocat: quod nimirum pectus hominis circa collum et cervicem in arctum cogatur: ἰσθμίον enim significat τὴν αὐχένα καὶ τράχηλον, et ut annotat Hesychius τὰ στενὰ μεταξὺ δύο θαλασσῶν. Verbo autem πιέζεσθαι hac significatione utitur etiam Procopius, de Syrtibus loquens lib. περὶ κτισμάτων Ἰουστινιανοῦ: Ταύτῃ, inquit, ἡ θάλασσα πεπιεσμένη, τῆς ἠπείρου ἐντὸς τὸν κόλπον ποιεῖται. Non est autem τὸ *fretorum cervicibus* conjungendum cum *premitur*, sed cum præcedentibus, ut sit sensus: cum oræ terrarum veluti junctis fretorum cervicibus coëunt, mare premi, id est, artari; cui opponitur τὸ πλατύνεσθαι, quod Appuleius vertit 'Immensum est.' *Vulc.* Optime, et accedunt reliqui Mss. et Edd. seqq. In prioribus erat [illegible] *procedentibus*. Sic Mela l. I. c. 1. 'Propontis ubi se expandit; ubi iterum pressit Thracius Bosporus.' Forsan utrumque reliquit Auctor. *Procedit terra* cum angustatur mare, in quod procurrit; ut contra *recedit* cum sinum facit. Passim ita apud Geographos, ut statim 'cedentibus terris est immensum,' ubi Bened. et Voss. inverso ordine *c. est terris inm.* Pro *idem* Lips. *itidem*. Oud.

Primum igitur columnis] Facit Aristoteles, ut scribam, *Primum igitur Columnas navigantibus dextrum latus duobus sinibus cingitur*: ait is enim: Πρῶτον μὲν οὖν λέγεται ἐγκεκολπῶσθαι ἐν δεξιᾷ εἰσπλέοντι τὰς Ἡρακλείους στήλας. *Colv.* *Dextros latus.* Talpa cæcior sit, qui non videat legendum esse *dextrum*: neque quicquam muto in *Columnis*: hoc est, a Columnis Herculis dextrorsum navigantibus. *Vulc.* *Columnis navigantibus dextrum latus*, i. e. iis, qui navigant a columnis. Si cum Colv. Wower. et Scriver. legas *columnas*, exponendum erit pro *prænavigantibus*. Verum obscurissima tum reddetur oratio; debet enim intelligi solum de iis, qui ex Oceano mare Mediterraneum introëunt: quare si quid mutandum est, ne hi casus Ablat. et Dat. in eodem numero occurrant, malim *naviganti*: verum ita solent aliquando, licet minus eleganter, loqui auctores. Vide Wopkens. Misc. Obs. vol. VIII. p. 34. Veget. l. III. c. 19. 'In paludibus occupatis, in campis sparsis atque securis opportunum prœlium infertur.' Habent autem Edd. ante Vulcan. *dextros*, atque ita Mss. Voss. unde Schikeradus in Epist. conjiciebat *columnas n. dextras*. Prave. *Dextro* Bened. Sed *dextrum* Mss. Vulc. Florent. cum Lips. Vulc. et seqq. *Oud.*

PAG. 715 *Sardiniense*] Σαρδόνιον. *Colv.*

PAG. 716 *Albion et Ierna*] Si Aristotelem sequamur, scribemus *Albium*: nam apud eum τὸ Ἀλβίον. Sed apud Stephanum est Ἀλβίων; apud Ptolemæum Ἀλουίων. Iernam vero quam Noster, et Aristoteles Stephanusque Ἰέρνην vocant, Ptolemæus Ἰουρνίαν,

Plinius *Hiberniam* appellant. *Colv.* Cod. Ms. *et Lebeone et Hidera.* Super hoc loco ἐπέχω. Sunt qui hunc librum de Mundo Aristotelis esse negent, quod Hibernia eo tempore fuerit ignota. Sed an hæc insula, quam ἰέρνην hoc loco vocat Aristoteles, Ptolemæus ἰουερνίαν, Eustathius οὐερνίαν, eadem sit cum hac Appuleii ambigo. *Vulc.* Sic Bas. et Aldus. Flor. *Labeon et Hibernia.* Leid. *Lebione et Hiderne.* Fulvii liber *A. et Hibernia.* Tzetzes Chil. VIII. hist. 218. ἰουερνία καὶ ἀλουβίων. Eustathius in Dionysium p. 82. αἱ Βρετανίδες δύο νῆσοι Οὐερνία καὶ Ἀλουΐων, ἤτοι βερνία καὶ Ἀλβίων. *Elmenh.* Sic Hegesippus seu quiscunque auctor Britanniam novi orbis appellatione cohonestat. *Scriv.* Voss. sec. *et Labeone.* Male, ut notum. Pro *Ierna* Ms. Vulc. *Hidera.* Sed Mss. reliqui et Edd. Vulc. sec. tert. *Hibernia* verissime. Ἰέρνη enim Aristoteli aliisque (v. Ortel. Thes.) est *Hibernia*, Ierland, quomodo ea insula jam audit apud Cæsar. l. v. B. G. c. 13. et Plin. l. IV. c. 16. *Oud.*

Quas supra diximus esse majores] Cod. Ms. *quas supra ea diximus esse majores.* in utroque mihi videtur redundare τὸ *esse.* Neque enim supra ulla mentio Albii aut Iernæ facta est: ut sit sensus: Sed in altera parte orbis jacent Britanniæ duæ, insulæ majores iis quas supra diximus, hoc est, ut Aristoteles habet, τῶν προειρημένων μείζους. *Vulc.* Corrigo ex Aristotelis verbis: *iis, quas supra diximus, majores.* Idem. *Albion et Ierna, quas supra diximus esse majores. Verum, &c.* Ita hæc nobis exhibuit postrema editio, quam emendatissimi libri expresserunt; quæ tamen adeo corrupta sunt, ut ægre ea caperemus, nisi verba Græca viam ostenderent, aut ipsi mediocri quadam sagacitate præditi verum indagaremus. Nulla autem hactenus mentio incidit Albii et Iernæ insularum, quas tamen sese dixisse aliis majores hæc verba referunt. Illa vero quæ sequuntur in Græco exemplari ita concepta: τούτων δὲ οὐκ ἐλάττους ἥ τε Ταπροβάνη καὶ ἡ Φεβὸλ καλουμένη. Qua ratione igitur minores Taprobana et Phebol. Minus recte etiam illa constant, *multæque aliæ urbes admodum sparsæ.* De insulis enim loquitur, non de urbibus. Plane ergo absurde urbes pro insulis sparsas esse dixerit. Illa vero: *id est, hunc terrarum orbem*, inducenda, ut superflua et aliena. Interpretantur enim verba ista, *hanc nostram insulam.* Sed facilius erit, corrupta hæc et depravata convincere, quam vera proponere. Certe verisimilia me protulisse crediderim, si ita rescribendum dixero: *Albion et Ierna, iis, quas supra diximus, majores. Verum hæ Celtarum in finibus sitæ. Non minores vero ultra Indos Taprobana et Phebol, multæque aliæ nubis ad modum sparsæ hanc nostram insulam, quam maximam diximus, ornamentis suis pingunt.* Verba Græca: Ἀλβίον καὶ Ἰέρνη, τῶν προϊστορημένων μείζους, ὑπὲρ τοὺς Κέλτας κείμεναι. τούτων δὲ οὐκ ἐλάττους ἥ τε Ταπροβάνη, πέραν Ἰνδῶν, λοξὴ πρὸς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ Φεβὸλ καλουμένη οὐκ ὀλίγαι δὲ μικραὶ περὶ τὰς Βρετανικὰς καὶ τὴν Ἰβηρίαν, κύκλῳ περιεστεφανῶνται τὴν οἰκουμένην ταύτην, ἣν δὲ νῆσον εἰρήκαμεν. *Iis, quas supra diximus, majores*, τῶν προϊστορημένων μείζους. Intelligit autem Trinacriam, Eubæam, Cyprum, et alias, quarum meminerat. *Nubis ad modum sparsæ.* Insulæ adinstar nubium in mari sparsæ adspicientium oculis apparent. Repetit eandem orationem, quam supra protulerat: 'Creta, Peloponesus, Lesbus, minores autem aliæ, ut nebulæ quædam per apertas Ponti sunt sparsæ regiones.' Ita enim locus iste in omnibus fere libris conceptus, licet elegans et speciosa Ms. lectio, quam eo loco secuti sumus. 'Hanc nostram insulam quam maximam diximus:' τὴν οἰκουμένην ταύτην, ἣν δὲ νῆσον εἰρήκαμεν. Intelligit autem hæc

verba: ‘Omnem hanc terrenam immensitatem Atlantici maris ambitu coërceri, insulamque hanc unam esse cum insulis suis omnibus.’ *Wower.* Lege *diis majores.* Elmenh. Voluisse credo Elmenh. *d.* sive *diximus iis maj.* ut est in Florent. sed malim tum invertere *iis majores, quas s. d.* Verum bene emendarunt Vulc. et Wow. Sed ille in Ed. sec. edidit *iis quas supra Ierna diximus majores:* quod non capio. Putem typothetarum errore, *Ierna* in textu relictum esse, quod correxerat in *Hibernia.* Oud.

Taprobana et Phebol] V. Cod. *Bromanæ atque Zoxæ.* Zoxæ corruptum videtur ab eo quod Aristoteles habet λοξή. Apud Stob. legitur Φόβεα καὶ Εὔβοια. *Vulc.* V. C. *Indros, Bromanæ et Zoxæ:* utrobique monstra vocabulorum. *Id. in Ed. An.* 1594. Leid. *Bromanæ et Zoxæ.* Flor. *Bromanæ atque Oxæ.* Fulvii liber *B. et Ose.* Forte legendum *Toprobana et Telos.* Isid. l. Orig. XIV. c. 6. ‘Toprobana insula Indiæ subjacens ad Eurum. Telos insula est Indiæ ferens omni tempore folia.’ Vide Tzetzen Chil. VIII. Hist. 213. *Elmenh. Taprobane et Phebol* ex Aristotele quidem Aldus et seqq. edidere: at quænam sit illa *Phebol* ad Arabicum sinum jacens, non convenit inter eruditos. Mss. etiam Appulei eam non agnoscunt. Præter jam laudatos Bened. Voss. habent *Bromanæ atque Zonæ:* quare non alienus sum a sententia Vulcanii et Salmas. ad Solin. p. 782. existimantium, vocem λοξὴ sive *inflexa* apud Aristotelem sumtam esse ab Appuleio pro nomine proprio, ut putarit λοξὴν etiam vocatam esse ab eo Φεβόλ. Ita enim Aristot. ἥτε Ταπροβάνη πέραν Ἰνδῶν, λοξὴ πρὸς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ Φεβὸλ (Ψεβὰ leg. cum Salm.) καλουμένη. Scriptum ergo foret ab Appuleio *Taprobane atque Loxe.* Sic certe scimus, multa urbium epitheta apud Homerum, a posterioribus Geographis sumta esse pro nominibus propriis. Prave profecto ex Isidoro Elm. conjecit *Telos.* Oud.

PAG. 717 *Jacet constringiturque*] Si ita legas, tunc in illis *quæ, &c.* subintelligendum eas τὸ *sunt;* nisi aliud quid lateat sub illo *finem.* At Ms. Bened. et Ed. Wow. habent *jacent;* ut ad *angustias* referatur, et *constringiturque* more Appuleii per Polysyndeton construatur: quamvis clarius locutus esset, si *que* tum τῷ *Oceani* adjecisset. Sic Arist. μέχρι θατέρου Ἰσθμοῦ, ὃς μεταξὺ κεῖται τοῦ Ἀραβικοῦ κόλπου, καὶ τῆς ἔσω θαλάσσης περιεχόμενος ὑπό τε ταύτης καὶ τοῦ πέριξ Ὠκεανοῦ. Placet tamen mihi magis τὸ *jacet* sc. Asia in latitudinem: ubi hoc verbum est proprium. Lucan. IV. 674. ‘a medio confinis Syrtibus Hammon At qua lata jacet vasti plaga fervida regni:’ ubi nil mutandum. Ovid. Her. Ep. XII. 28. ‘Ponti qua plaga læva jacet.’ Mela lib. I. c. 1. ‘Porrecta in occasum (ita Ms. quoque Dorvill.) et qua sic jacet aliquanto quam ubi latissima est longior:’ sic enim e Mss. leg. Vulgo *quia.* Vide Misc. Obs. vol. VII. p. 430. Claud. l. II. in Rufin. 38. ‘Omnis qua mobile Ponti Æquor et Hadriacas tellus interjacet undas:’ ubi male Barthius vult *quæ.* Prave vero hic Edd. nonnullæ *jacet* legentes jungunt cum *quæ, &c.* Idem.

PAG. 718 *Usque ad ora Nili*] Μεχρὶ Νείλου στομάτων. *Colv.*

Ut insularum situs] Locus corruptus, cui neque a Ms. codice meo remedium: qui hoc etiam pacto legit: *ut insularum situs sunt qui eam finitimis locis comprehendunt, et sunt qui in alia divisione eas habendas putent.* Utrobique male, meo quidem judicio, hæ tres dictiones cum præcedenti periodo conjunguntur, cum potius periodus claudenda sit post *adjungunt:* deinde ita legendum: *at insularum situs, sunt qui cum finitimis locis comprehendunt; et sunt qui in alia divisione eas censendas putent:* ut pro eo quod

est Ms. *eam*, legamus *cum:* hoc sensu. Diviso in tres partes Orbe, dubitatur a nonnullis de Ægypto, Asiæne an Africæ sit adjungenda, quemadmodum et de insulis per maria diffusis: an ei parti orbis cui proximæ jacent sint adscribendæ, an vero in divisione orbis quartam partem obtinere debeant Insulæ. Nam quod Arist. dixit καὶ τὰς νήσους οἱ μὲν ἐξαιρέτους ποιοῦσι vertit Appuleius, 'In alia divisione habendas putent:' hoc est, peculiarem illis in divisione orbis partem dandam. *Vulc.* Ego, ut sensus constet, ita legerim *adjungunt. At insularum situs sunt qui cum finitimis, &c.* Id. in Ed. 1594. *Eas* lego. *Brant.* Nansius *q. eas amfinitimis l.* ut Festus 'amptermini.' *Elmenh.* Ridicule. *Adjungunt, ut insularum situs. Sunt, qui eam f. l. comprehendunt* est veterum Edd. lectio, in qua Vulc. jam vidit durissime *situs* connecti cum verbo *adjungunt*, et *eam* nihil habere, quo referatur, atque, ut ille correxit, habet ejus Ed. tert. Recepit Wow. *cum* et Vulcanii distinctionem, quæ etiam recte exstat jam in Ed. Ald. Junt. post. et prave post *situs* Edd. recentiores punctum posuere. Sed *ut* Wow. retinuit cum ceteris, ac Mss. Florent. Fulv. Vulc. Voss. pr. Sed delent τὸ *ut* Voss. sec. et Bened. Nimis vero audacter pro *eam*, quod constanter retinent Mss. *eas* e conjectura Brantii recepere Scriv. et Flor. Lipsius conjecerat *qui in finitimis.* Quidni? *adjungunt. Ut insularum situm, sunt qui eum f. l. &c.* ut πλεονάζει τὸ *eum* pro more Nostri frequenti. Vide Casaubon. Init. Apol. in qua sæpe ita occurrit, ut et Ind. Not. Apud alios sæpissime hoc pronomen abundare, constare tibi poterit, Lector, e collectaneis ad Cæsar. lib. VIII. B. G. c. 3. comm. ad Suet. Aug. c. 67. *s* in *situs* adhæsit a seq. voce *sunt*, postquam omiserant addere *m*, vel lineolam super *u* pingere. *Oud.*

Ad superna minari] Recte Lindenbrog. et Elm. exponunt ἄγεσθαι, ut 'minare asinos,' 'pecua,' habuimus; vel 'tendere,' 'efferri:' ut simul videatur hausisse Auctor e Virg. Æn. l. I. vs. 162. 'geminique minantur In cœlum scopuli:' ubi vide Servium. *Idem.*

Et egelida] Ald. *gelida.* Porro Aristoteles: ἡ δὲ νοτερὰ καὶ ἀτμώδης. Ovidius: 'Et gelidum Boream, egelidumque Notum.' Egelidus, id est, parum gelidus, vel non gelidus: nam particulam E minuendi eam vim habere scribit in II. Georg. Servius; ubi alias legi notat, 'Plantis eduræ coryli nascuntur, . . . id est, quasi non duræ: ut paulo post, Enodes trunci, id est, sine nodis.' Nec nos movebit idem Grammaticus de hac sententia, contrarium dicens lib. VIII. Æn. ad illud: 'Ut procul egelido secretum flumine vidit.' Nam pro nobis etiam Catullus: 'Jam ver egelidos refert tepores.' Et elegantissimus Medicorum Corn. Celsus lib. IV. 'Vinum austerum, meracum: per æstatem frigidum, per hiemem egelidum.' *Colv.* Colvius, cum Edd. omnes legant *gelida*, reposuit *Egelida*, id est, non gelida. At vero tametsi exhalatio, tam quæ ex terra quam quæ ex aqua sit calida respectu caloris attrahentis: tamen ea quæ fit ex aqua respectu naturæ ipsius aquæ, gelida dici potest; certe multo magis quam quæ fit e terra. Veterem itaque lectionem codicis mei fide comprobatam retineo. Cum vero exhalatio hæc ex aqua sit ἀτμώδης, id est, vaporata, Appuleius maluit vertere *Gelidam*, quod nimirum Gelidum duas significationes habeat, ψυχροῦ videlicet sive frigidi, et τοῦ παγώδους, id est, quod facile condensetur et constipetur: quæ utraque significatio optime convenit exhalationi quæ fit ex aqua. Multo itaque rectius ἀτμώδη interpretemur 'Gelidam,' quam, ut Budæus, 'roscidæ exspirationis ple-

nam.' *Vulc.* *Egelida.* Ἀτμώδης. Ita Flor. et Colv. vulgo *gelida.* Vide Indicem. *Elmenh.* Voss. uterque etiam et Bened. cum Edd. Junt. post. Bas. sec. Lugd. Colv. *egelida*, i. e. parum gelida. Prave Vulc. e suo cod. cum Aldo et Wowerio dedit *gelida*, quod intricate explicat: τὸ *et* exsulat a Florent. et Edd. Elm. Scriv. Flor. *Oud.*

Effluentis] Ms. cod. meus legit, *ex fluentis*, hoc est, ἐκ τῶν ναμάτων. vel ut Arist. ἐκ τῆς ὑγρᾶς φύσεως. apertissimo sensu, qui, si legas *effluentis*, nullus est. *Vulc.*

Pag. 719 *Vaporis*] Si quis pro *vaporis* legere velit *caloris*, non repugnaro. Nam ut ait Arist. in Meteoris, δῆλον ὡς ἡ ἀτμὶς θερμοτέρα ὕδατος· ἔχει γὰρ τὸ ἀνάγον ἔτι πῦρ. Ita ut Calor Aëris dicatur ἀνάγειν, hoc est Trahere ad se τὴν ἀτμίδα. *Idem.* Non opus hic ulla mutatione. *Vapor* enim et *fumus* includit calidum quid: unde passim *vapores* dicuntur calidissimæ exhalationes. Vide Ind. Not. *Oud.*

Quem serenitas tenuiter spargit] In vet. libro, *quem serenitas sudat.* Quod, cum perelegans visum, notare libuit. Ita Fulgentius I. Mytholog. 'Ubi guttas florulentæ Mane rorat purpuræ Humor algens, cum serenis Astra sudant noctibus.' Lepidi sane versus, sed deprehensi sub aperto furto, quod data occasione indicabo. Auctor poëmatii, cui index: Pervigilium Veneris: 'ipsa roris lucidi Noctis aura quem relinquit; spargit umentis aquas. Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos. In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ: Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus, Mane virgineas papillas solvit humenti peplo.' Tota oratio elegans et lepida de humore noctis. Rectius autem scribi existimarim, *In sudore florulentæ prodierunt purpuræ.* Rosas appellat florulentas purpuras, easque uvidas noctis sudore ait. Manifesta vero Fulgentii imitatio. Non puto illustrius exstare testimonium, quod auctoritatem astruat huic poëmatio. Et miror sane inter tot eruditos hujus carminis interpretes neminem hoc observasse; quos nollem poëmatis natalem ævo Augusti transscripsisse. Non recipit tam molles et deliciosas elegantias. Sed non flectam ad aliena institutum. In Fulgentio legendum, *Humor algens, quam serenis.* Et in Pervigilio: *ipsa roris, lucidæ Noctis aura, quem relinquit, spargit humentes aquas.* Neque enim assentior corrigenti, *cum reliquit.* Ipsa Dione spargit humorem roris, quem relinquit aura lucidæ noctis. Nam, ut Appuleius: 'Ros nocturnus humor, quem serenitas spargit.' Aristoteles Meteorolog. l. II. c. 60. Inde Alcmani Lyrico: δρόσος ἀέρος θυγάτηρ καὶ σελήνης. ut refert Plutarchus, et ex eo Macrobius Saturn. l. VII. c. 6. Sed longius recessi a consueto more et instituto, quod accurate in his servare constitui. *Wower.* Inverse Voss. sec. *ten. seren.* Edd. Vic. Junt. pr. *spergit.* Eleganter sane Ms. *sudat*, si fides Wowerio. Vide Munker. ad Fulgent. I. 15. 'arbores quæ succinum sudant:' et ita Virg. Ecl. VIII. 55. Claudian. Cons. Olyb. vs. 221. 251. et alii poëtæ. *Oud.*

Mollitia] Cum Vulcan. Wower. et Elmenh. e Mss. Florent. Vulc. Bened. Voss. sec. sic edidi. Vulgo *mollities.* Ita in Apolog. p. 522. 'Rudi mollitia.' p. 526. 'tanta mollitia animi.' De Dogm. Plat. lib. I. p. 589. 'Pulmonum mollitia.' Plura vide ad Cæsar. lib. VII. B. G. c. 77. 'Animi est ista mollitia.' *Idem.*

Denset] Se denset, densetur. Lucretius lib. I. 'Nec tali ratione potest denserier aër.' Virg. Georg. I. 'Jupiter humidus astris Denset, erant quæ rara modo, et quæ densa relaxat.' Notandum verbum, Densere: quod sæpius apud eundem Virgil. et locus Aristotelis: Ὄμβρος δὲ γίνεται μὲν κατ' ἐκπιεσμὸν νέφους εὖ μάλα πεπαχυσμένου: id est, Densentis. *Colv.*

Imber exprimitur] Vide Isidorum de Natura rerum, cap. 33. et 34. *Elmenh.*

Aër nubium conditionibus] Modius rescribit, *nub. coitionibus*. Ego malim, *conflictionibus*, et ab Aristotele juvari putem: cujus verba jamjam dedi; post quæ consequenter additur: Διαφορὰς δὲ ἴσχει τοσάσδε, ὅσας καὶ ἡ τοῦ νέφους θλίψις. Sed certissima elegantissimi Lipsii conjectura *conlisionibus*, Aristotelisque auctoritate etiam nixa. *Colv.* Ms. Cod. habet *nubili conditionibus coagitatur*. Posset quidem ex conjectura Lipsii, quam adfert in Notis uberioribus Colvius noster, legi *collisionibus:* quod exprimit vocem θλίψις: sed eam antea explicavit Appuleius, inquiens, 'cum inter se urgentur,' quod idem est atque *colliduntur*. Cum itaque dixit Appuleius, *nubili conditionibus*, respexit ad ipsam nubili naturam et constitutionem, raram videlicet vel densam; non autem ad collisionem, cujus antea fecerat mentionem: et plenius explicatur per verbum *coagitatur:* quod multo est ad sensum Aristotelis accommodatius, exprimendæ videlicet θλίψει, quam *cogitur:* ut in omnibus Edd. legitur. *Vulc.* *Aër nubili conditionibus coagitatur.* Sic edidit Vulcanius: at in Ms. Fulvii legitur, *aër nubilis conditionibus cogitur:* cum in vulgatis sit, *nubium conditionibus cogitur.* Unde suspicatur Fulvius legendum, *nubium coitionibus cogitur:* quomodo Virg. 'in nubila cogitur.' Vid. Arnob. lib. I. *Sciopp. in Symb.* In scripto Fulvii, *nubilis conditionibus cogitur.* Vulgo, *nubium.* Fortasse legendum, *nubium coitionibus cogitur.* quod et Fulvius reposuit. *Wower.* Sententia clamat rescribendum *q. m. a. n. coitionibus c.* Homero νεφεληγερέτα Jupiter appellatus. *Roald.* *Nubium coitionibus cogitur.* Sic lego cum Fulvio et Modio. Flor. *nubilis conditionibus cogitur.* Leid. et Bas. 2. *nubili conditionibus coagitatur:* alii *nubium collisionibus.* Virg. Æneid. V. 'in nubem cogitur aër.' Job. cap. 38. 'Subito aër cogetur in nubes.' Vide Collectanea ad Arnob. p. 23. *Elmenh.* Conjecturam Ursini Modiique cum Elmenh. amplexus est Florid. At primo *nubium* est in nullo Ms. nec Ed. vet. Sed *nubilis* præter laudatos ab aliis, Voss. pr. *nubili* Bened. Voss. sec. cum Edd. vett. Vulc. pr. sec. et Scriv. Dein *conditionibus,* quod habent Edd. vett. et Scriv. cum aliis servant etiam Bened. et Voss. sec. unde si quid mutandum hic foret, facile conjici possit cum Lipsio et Scaligero, quodque expressit Vulc. Ed. sec. tert. ac Wow. *conlisionibus,* i. e. θλίψεσι Aristotelis: immo sic, quasi esset in Voss. pr. enotavit Is. Vossius. Colvii quoque *conflictionibus* propius accederet, quam *coitionibus.* At nulla mutatione opus fuerat; rescribo enim e Mss. *nubilis conditionibus,* sive varia nubium constitutione. Tandem minus bene sui solius codicis auctoritate Vulc. eumque secuti Wow. et Scriv. ediderunt *coagitatur,* pro *cogitur:* quod est in Mss. et Edd. ceteris. Recte, pro densatur. Vide Elmenh. Lucan. lib. III. 59. 'medium Borea nubes cogente sub axem.' Solin. p. 63. 'aëre nebuloso et coacto:' et passim. Nostro p. 721. 'In unum coacti aëris flumen.' p. 721. 'Nubes coactas conlidit.' *Oud.*

Effundunt agm. larg.] Illud etiam monebo, Appuleium suo more hoc loco Aristoteli aliquid, quod desiderari videbatur, addere. Cum enim Aristoteles Pluviam tantum statuat et imbrem; Appuleius tertium genus facit Nimbum, qui ut Pluvia et Imbre præceps magis et repentinus est, atque improvisior, ita breviore, ut ipse loquitur, casu restinguitur: ut *brevitas* hic ad tempus referatur, ut apud Horatium 'Breve lilium' dicitur, id est, exiguo tempore florens. Ego tamen non male crediderim hæc discrimina ita poni posse, ut Pluvia sit βροχετὸς, Imber ὑετὸς, Nimbus ὄμβρος. *Vulc.*

Quanto repentinior] V. C. *quanto repentinus*, pro, *quanto magis repentinus*. Idem. Veterum Edd. lectionem *quanto repentinior*, male revocarunt Scriv. et Flor. nam Mss. O. cum Vulcan. Wower. Elmenh. habent *repentinus*, Appuleii more, qui solet τὸ *magis* omittere. Adi ad Flor. N. XVI. Sic cum *tanto* et *quanto* sæpius. Lib. VIII. Met. p. 237. 'Tanto illo quidem fidentius, quanto crederet ferri vulnera similia futura prosectu dentium.' Flor. N. XXIII. 'Quanto orationi modificabor, tanto a vobis in majus tolletur.' Apol. p. 405. 'Quanto contumeliæ insolens, multo tanto ex animo laborat.' Hoc ipso libro p. 739. 'Quanto finitima sunt ei, tanto amplius de deo carpere.' Solin. p. 25. 'quanto quis anteit:' sic etiam Mss. Leid. 9. *Oud.*

PAG. 720 *Et mox gelatus humor rigore frigoris inhorrescit*] Ms. cod. legit *gelatu summo rigore frigore inhorrescunt*. Ego legendum putarim, *et mox gelatæ, summo rigore frigoris inhorrescunt*. Proprie autem admodum et eleganter utitur hoc verbo *Inhorrescunt:* quod Græci φρίσσειν. quo Homerus frequenter utitur, ut: λήϊον στάχυσι φρίσσει, ἄνθρωπος θριξὶ, θάλασσα κύμασι, μάχη ἔγχεσι, et Virg. 'seges horret aristis.' Significat autem proprie φρίσσειν sive *horrere*, ut definiunt Græci, πύκνωσίν τινα ὀρθωτικὴν κατὰ ἡσύχιον κίνησιν, id est, densitatem quamdam erectivam cum leni motu conjunctam. *Vulc.* Uti Vulc. legit, est in Voss. pr. at in Ed. sec. ac tert. Vulc. omisit *frigoris*, quomodo sine hac voce diserte legitur in Bened. ac Voss. sec. Verum modo locutus erat de *nubibus;* hic de ipsis *nivibus* debet intelligi: quare sine dubio ea vox debet intercedere. Præterea quomodocunque legas, inest his Solœcismus. Quo enim pertinet *Hæc?* cum præcedat *nives* et *humor*. Hoc videns Wow. tacite edidit *mox gelatus earum h. r. fr. inhorrescit, ac v. n. &c.* Nimis interpolate. Cod. Florent. accedit vulgatis. Arist. ἐργάζεται δὲ ἡ σύμπηξις τοῦ ἐνόντος ὑγροῦ τὴν ψυχρότητα. Quare legendum mihi omnino videtur *et nix gelata ex humido rigore inhorrescit. Hæc, &c.* Sic omnia sana et facillima, ac cum Aristotele convenientia. *Frigore* vel *frigoris* est glossa τοῦ *rigore*, ut supra. Corrupta vox *umido*, ut solent librarii scribere pro *humido*, ansam depravationi dedit. Dein pro *victis n.* Lipsius margini adlevit *vietis*, sed frustra. *Victis* idem est, quod supra 'fractis,' 'discissis,' 'fissis.' Ita non raro 'navis vinci hieme' dicitur, quæ dissolvitur. Adi Cl. Burm. ad Ovid. Ep. XIX. vs. 183. 'Arte laboratæ vincuntur ab æquore puppes:' quomodo sæpe Lucanus. Vide Ind. et lib. v. 597. 'sonuit victis compagibus alnus.' Immo et de aliis pro *diruptus:* ut lib. v. 616. 'quam celsa cacumina pessum Tellus victa dedit.' Lib. VIII. 857. de Sepulcris, 'Effundere suas victis compagibus urnas.' *Oud.* An *hinc v. n.?* J. B.

Nigrorem vocamus] In Aldina Appuleii edit. legitur *Nigorem*, quod præteriit in suis notis Colvius, credens, uti arbitror, corruptum id a *Nigrorem*. quod in aliis omnibus excusis Appuleii exemplaribus ita legitur. Cod. vero meus Ms. nunquam satis laudatus, legit *Ningorem*. e qua dictione sciolus aliquis *n* literam expunxit, et *Nigorem* fecit. Ex hac alius quispiam (ex Anaxagoræ schola fortassis, qui, ut testatur in Paradoxis Cicero, Nivem nigram esse dicebat) *Nigrorem* effecit: vel quod Nigredinem tempestati (ita enim eam vocat Appuleius) convenientem putaret. Vera itaque lectio est, *Ningorem:* unde et *Ningidus:* ut ea sit differentia Nivis et Ningoris, quæ Pluviæ et Imbris. Glossarium vetus interpretatur νιφετὸν Nimbum, quem Appuleius supra definivit, Repentinum, præcipitem et brevem imbrem;

et *νίφει*, Ninguit. Recte etiam Hesychius qui discrimen aliquod statuere videtur inter *χιόνα* et *νιφετὸν*, cum *νιφετὸν* interpretatur *τὴν χιόνος καταφοράν*: Ex glossario autem veteri colligere possumus, Nimbum tam de pluvia, quam de nive dici solitum. *Vulc*. Egregie reposuit Vulc. cum seqq. *ningorem* ut est in Mss. O. immo a Vossio suprascriptum *ninguorem*, quæ scil. emendatio est Scaligeri, ut edidere Scriv. et Flor. quem vide et Gifan. ad Lucret. Pier. ac Cerd. ad Virg. lib. III. Georg. vs. 367. Edd. Ald. Junt. post. *nigorem*. Oud.

Cedente aëris molli cura: pr. ind. veh. humana verb.] Miror interdum nonnullos qui in castigando Appuleio multum operæ posuisse videri possint, quam plurimos ejus locos ita corruptos, ut nullus ex iis sensus elici possit, ita præterire perinde ac si ne per somnium quidem de eorum integritate dubitassent. Inter quos etiam hunc pono, quem in morbo cubare ne animadverterunt quidem: quem tamen satis prodit sensus alienatio. Quid enim est *aëris mollis cura?* aut quomodo *τὸ humana* congruere possit cum *præcipitatam?* Pro *molli cura* itaque lege *mollitura*, nisi hæc vox nimium insolens videtur: aut cum vet. Cod. meo, *mollitie:* deinde pro *humana* lege *humum:* atque ita integrum Appuleio sensum, facili admodum curatione, reddideris. *Vulc*.

Humum verberat] Pro *humum* Mss. Voss. sec. Vulc. et Edd. ante ipsum *humana*. Sed Bened. *reverberat humum*. Unde suspicor, Auctorem scripsisse *terræ præcipitatam indignatione veh. humus reverberat*. Eleganter sane. Certe nequaquam *humus* potest dici *præcipitata*, sed grando; quod miror non vidisse Vulcanium. Grandinem autem reverberat, i. e. resilire facit humus, quasi indignata, se ea feriri: ut Virg. 'Pontem indignatus Araxes:' et l. II. Ge. 163. 'Indignatum magnis stridoribus æquor.' Lucan. x. 319. de Nilo 'Obsistere cautes Indignaris aquis.' Si *humum* retineas, posset legi *terræ præcipitata cum inclinatione veh. humum verberat:* nam *inclinatione* est in Bened. et sic Arist. *καταφορὰ ταχυτέρα*. Immo ita si legas posses *humana* retinere, sive quascunque humanas res, me tamen non suffragante. Vel sic tamen mallem *humo reverberatur*. Ita 'terræ resultare' Met. l. III. p. 213. b. Nec movere debet locutio: 'terræ præcipitatam humus reverberat:' sic enim p. 748. 'tremoribus terrarum dissiluisse humum.' *Oud.*

Animalia o. extrinsecus] Lego, *intrinsecus*. Elmenh. Malim *intrinsecus*, quod etiam video Elmenhorstio placuisse. *Florid*. Pessime: nec etiam bene Lipsius adlevit margini *vitalis tactus sui et fæc. ope*. Auctor dicit, spiritum vegetare omnia illa animalia, quæ *extrinsecus* spiritum trahendo vivunt, ope vitali *tractus* sui: nam trahendo spiritum vivimus; unde passim 'trahere,' 'ducere spiritum.' Arist. *πνεῦμα* describit *ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις καὶ διὰ πάντων διήκουσαν*, extrinsecus pervadentem per omnia *ἔμψυχον καὶ γόνιμον οὐσίαν*, i. e. vitalem et fœcundam facultatem. *Vitalia* posset videri apud Nostrum *παρέλκειν*, ut *extrinsecus* referas ad *vegetat*, sed non puto. Voss. *extrins. omn.* Bened. non male *vegetet*. Oud.

Encolpiæ de recessu sunt nominati] Emendo locum corruptum e Ms. cod. meo, *Encolpiæ Græce sunt nominati*. 'Εγκολπίαι vero quo pacto concipiantur, eleganter describit Seneca Nat. Quæst. l. III. cap. 8. 'Quicquid,' inquiens, 'ex se paludes et flumina emittunt (id autem multum est et assiduum) per diem, Solis alimentum est: nocte autem exhauritur; sed montibus inclusum in unam regionem colligitur. Cum illam implevit, et jam non se capit, sed exprimitur aliquo, et in unam partem procedit,

hic ventus est.' (Encolpias scilicet.) 'Itaque eo incumbit quo liberior exitus invitat, et loci laxitas in quam coacervata incurrant.' *Vulc.* *Encolpiæ.* Flor. *Enetede.* Leid. *Enetele:* male. Achilles Statius in Aratum p. 102. Ἀναξίμανδρος τοίνυν ῥύσιν ἀέρος τὸν ἄνεμον εἶπε. τινὲς δὲ ἀναθυμίασιν ἀέρος. ἄλλοι δὲ διαφέρειν ἄνεμον λέγουσιν αὔρας· ἄνεμον γὰρ εἶναι ῥύσιν ἀέρος. αὔραν δὲ ἀναθυμίασιν γῆς, καὶ τοὺς μὲν ἐκ νεφῶν λέγουσιν εἶναι ἀνέμους, καὶ καλεῖσθαι Ἐκνεφίας· τοὺς δὲ ἀπὸ γῆς φερομένους ἀπογείους· τοὺς δὲ ἀπὸ ποταμῶν ἐνυδρίας· τοὺς δὲ ἀπὸ κόλπων κολπίας· ἀπὸ δὲ ὀρῶν ὀρίας ἢ ὀρεστίας. *Elmenh.* Ante Vulcan. hic legebatur *Encolpiæ de recessu sunt nominati.* Verum recte *τὰ Græce sunt* reposuit in Ed. tert. et eam sequentes, ut habent Mss. O. In Vulc. Ed. sec. et Wow. abest *sunt:* sed *Encolpiæ* non est in Mss. At ENHNIΔE in duobus Voss. ENHTIΛE Vulc. *Eneteæ* in Bened. Hinc suspicor, omissa et transposita esse quædam. Nempe ut simpliciter hic exciderit e Mss. vox Latina, qua ἐγκολπίους verterit Auctor, sicut ἀπογείους vertit *Terrigenas;* ac subintelligendum sit e priore *nuncupantur:* immo hinc forsan natum illud *de recessu.* Deinde legendum *Ecnephiæ Græce sunt nominati,* sive ἐκνεφίαι, ponendumque post *conglobantur*, ubi de conjectura Vulcanii Elm. Flor. ex Aristotele supplerunt, *qui Ecnephiæ adpellantur*, et Wow. *qui Ecnephiæ dicuntur.* Sed conjecturam meam puto verissimam. *Oud.*

Qui ruptis nubibus] Hæc omnia usque ad *Nunc nomina, &c.* nequaquam satis integra vel sana videntur: nec mederi quidquam possumus. Sed pro iis en tibi Aristotelem: Οἱ δὲ κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι καὶ ἀνάλυσιν τοῦ πάχους πρὸς ἑαυτοὺς ποιούμενοι, ἐκνεφίαι καλοῦνται, μεθ' ὕδατος δὲ ἐκραγέντος ἀθρόως, ἐξυδρίαι λέγονται. Ad quæ procuidubio hoc loco Noster respexit, et inde fortassis restitui potest. Quod qui faciet, non parvam a me inibit gratiam. *Colv.*

Aperta cœli] Prave Edd. ante Vulcan. *operta.* *Aperta cœli* sunt inania cœli, cœlum liberum: ut passim apud poëtas. Ovid. Art. Am. I. 247. Met. VI. 693. et adposite ad hunc locum Fast. I. 681. 'cœlum ventis aperite serenis.' supra: 'apertas ponti regiones.' *Oud.*

PAG. 721 ***In crassam nubium speciem conglobantur***] Videtur aliquid desiderari hoc loco in versione Appuleii. Pendet enim omnino mutila sententia: neque explicavit aut vertit Apuleius nomen venti quem Arist. vocat ἐκνεφίαν, nisi forte a librario sit omissum. Censuerim itaque, post *conglobantur* addendum esse, *qui Ecnephiæ vocantur:* ut sint ἐκνεφίαι venti nubibus excussi. Seneca Nat. Quæst. lib. V. c. 12. 'Sunt,' inquit, 'quædam genera ventorum, quæ ruptæ nubes et in pronum solutæ emittunt, hos Græci ventos ἐκνεφίας vocant.' *Vulc.* Ἐκνεφίας ventos designat Apuleius, ut Græca verba et Seneca Nat. Quæst. lib. V. c. 12. ostendunt. Fortasse exciderunt illa, *qui ecnephiæ dicuntur.* Wower. Recte Vulcanius auget ex Aristotele hunc locum. *Elmenh.* Hæc non habentur apud Aristotelem, vel ei contraria sunt: ἀνάλυσιν τοῦ πάχους πρὸς ἑαυτοὺς ποιούμενοι, i. e. resolutionem densitatis (sc. nubium) inter se facientes. Noster videtur innuere, ventos hosce ruptis nubibus evolare, sed ipsos dein se rursus conglobare in nubium speciem. Bened. habet *incursam.* Ceterum, ut dixi, hic jam supplendum e Mss. *Ecnephiæ Græce sunt nominati. Oud.*

Euros Oriens, &c.] Vide Isidorum Orig. lib. XIII. c. 11. de Nat. Rerum c. 37. Plin. Nat. Hist. lib. II. c. 47. Nicetam in Thes. Orthod. fidei lib. I. c. 28. *Elmenh.*

Ventos alii plures interfluunt] Vet. cod. *interfluant.* Ego legendum pu-

tarim *Interflant*: hoc est, inter hos flant: id est, ex horum quatuor lateribus. *Vulc.* Seneca quoque de ventis *fluere* dixit. Legit tamen lib. scriptus *interflant*. Wower. Retinui lectionem codd. Aldini et Flor. quoniam et Seneca de ventis *fluere* dixit. Et Lucret. lib. I. p. 9. 'nec ratione fluunt alia.' Arnob. contra Gentes lib. VI. p. 116. 'Omnes ventos aëris esse fluorem pulsi.' Varro apud Servium ad VI. Æn. fol. 361. 'Nihil enim venti, ut docti dixerunt, nisi aër multus fluens transversus.' Vide Isidorum Hispal. de Nat. Rer. c. 36. Augustin. de Genesi ad literam imperf. c. 4. alii legunt *interflant*. Elmenh. Abest *plures* a Bened. *Interfluant* Voss. sec. cum Vulcan. qui inde emendavit *interflant*, quod est in Fulviano, unde eum sequuntur Wow. Scriv. Flor. Verum cum membranæ Florent. Bened. Voss. pr. servent *interfluunt*, id restitui cum Elmenh. quem vide. Lucan. lib. VIII. 247. 'Aura fluens:' ubi vid. Burm. Apud Serv. de Metris p. 1822. 'Tremulum mare melliflua nitet aura:' in Ms. vetust. Leid. *molliflua*: nihili est *aura melliflua*. Vitruv. I. 6. 'Ventus est aëris fluens unda.' VIII. 2. 'Recipiunt aëris ruentis undas:' ibid. 'undas crescentes ventorum.' Festus: 'confluges loca dicuntur in quæ undique confluunt venti.' Ubi non opus Dacierii mutatione *conflant*. Joseph. Iscan. de B. Troj. III. 175. 'lene fluentes Arcessit Zephyros.' Hinc et 'affusi venti' apud Sil. It. XVII. 219. 'Liquidus Favonius' apud Claudian. Cons. Prob. et Olyb. vs. 273. Plura vide apud Dalec. et Hard. ad Plin. lib. XI. c. 42. 'quoniam ventus haud aliud intelligatur, quam fluctus aëris:' contra Mss. Hard. *fluxus*. Immo Noster paullo ante ventum describit 'aëris in unum coacti flumen:' et mox: 'ventum oriens effluit.' Habet et hoc a Græcis. Sic Æl. H. An. lib. III. c. 13. ἄνεμον κατόπιν ῥέοντα. *Oud.*

Aparctias incipit nominari] Ita habent omnia exemplaria, tam excusa, quam manuscriptum. Legendum tamen omnino est pro *Aparctias*, *Cæcias*: quod et Aristotelis verbis et veritati est consentaneum. Aparctias enim, ut vox ipsa indicat, a Septentrione flat. Cæciam tamen Aristoteles a nonnullis Thraciam appellari ait. *Vulc.* Ita fere omnes Mss. quos videre contigit, sed mendose. Verba Græca: καικίας μὲν λέγεται, ὁ ἀπὸ τοῦ παρὰ τὰς θερινὰς ἀνατολὰς τόπου πνέων ἄνεμος. Quare legendum est *Cæcias*. At fortasse scripserat *Thrascias*, si vulgarem lectionem intueamur: nam et Cæciam Thrasciam appellari eodem auctore discimus. Sed verba Græca, quæ adduximus, monstrant præterea scribendum *cum eum oriens æstivus emittit*, non *æstivo emittitur*. Wowerius. Flor. *accipitur A. n.* Leid. *A. accipit nomen*. Lege cum Vulcanio *Cæcias i. n.* Elmenh. *Cæcias* debuisse scribere Auctorem, patet ex Aristotele et rei veritate. Vide Plin. lib. II. c. 47. Veget. V. 8. Gell. II. 22. aliosque. In sec. et tert. Edd. nomen delevit Vulc. Licet vulgo apud Aristotelem habeatur *Thrasciam*, de quo ut et *Aparctia* infra loquitur recte Auctor, etiam vocari *Cæciam*; demonstrare tamen debuerat Wow. vice versa *Cæciam* etiam dictum *Thrasciam*: sed præterea corruptus est ibi Aristoteles, et cum Salmasio pro καικίαν omnino legendum κερκίαν. Vide omnino Vitruv. I. 6. et Veget. V. 8. Non potuit tamen errare Auctor, qui tam clara Aristotelis verba ante oculos habuit. Mss. ergo consulamus. Voss. sec. cum Florent. *Apartias accipitur nomen*. Fulv. Vulc. *Ap. accipit nomen*. Bened. *Aparartias accipit nomen*. Voss. pr. *Cæcias accipit nomen*: verissime, si non potius primum sit conjectura Is. Vossii, quam scriptura codicis ejus. Salmas. Exerc. Plin. p. 888. emendavit *habet Cæcias nomen*. Verum vide, num verior sit mea, Mss.

litterarum ductibus insistentis conjectura, de qua vix dubito *A parte Cæcias accipit* (vel *capit*, ut Cæs. lib. I. B. G. c. 13.) *nomen*. Sic infra in Mss. ‘Et is Septemtrio habet cognomentum:’ vulgo *Septemtrionis*. Immo p. 734. ‘κόσμος Græce nomen accepit:’ et paullo infra: ‘procella a Græcis πρηστὴρ nomen accepit.’ Cæciam Vegetius vocavit *Euroboreum:* ut nos e Mss. verissime emendavimus lib. v. c. 8. *Oud.*

Oriens æstibus emittit] Variant hic vehementer Mss. et Edd. Ac primo *æstibus* habent Edd. Bas. sec. Lugd. Colv. unde *æstivus* cum Lipsio, Is. Vossio emendat Vulc. et seqq. Et sane ita legas quoque in Bened. et Edd. Ald. ac Junt. post. Sed Florent. Voss. uterque, Vulc. Fulv. dant *æstivo*. Verissime, per ἔλλειψιν τοῦ *tempore:* quod et vidit ibidem Salmas. Sic enim defective loquebantur ‘verno,’ ‘æstivo,’ ‘autumno,’ ‘hiberno.’ Adi omnino Gronov. Obs. l. III. c. 24. Mart. Cap. p. 222. ‘quamvis verno etiam serpentibus occultantur.’ Vide etiam ad Veget. l. III. c. 2. Burm. ad Lucan. x. 229. ‘nec tumet hiberno:’ ut in Mss. multis. Pro *efflat* autem habent Fulv. Voss. sec. Bened. Vulc. *effundat* cum Ed. Elm. *emittit* Voss. pr. et Edd. vett. ac Wow. *emittatur* Vulc. Ed. sec. *amittat* Ed. tert. Sed *effluat* Florent. membranæ, unde *efflat* Salmas. cum Edd. Scriv. ac Flor. Verum male. Vel enim cum plerisque Mss. *effundit* est scribendum (nam *at* corruptum est ex seq. voce *Apel.* ut statim videbimus) ut apud Lucan. l. IX. 417. ‘nam cum communiter istæ Effundant Zephyrum:’ vel potius hoc verbum æque ac cetera hic Glossæ sunt verioris *effluit:* quo lusisse videtur ad vocis Etymologiam. Eurus enim ἀπὸ τῆς ἠῶας ῥέων dicitur infra. Et *effluere* cum accusativo invenias apud Claudian. Cons. Prob. et Olyb. vs. 52. ‘Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis Effluxere decus:’ pro *effudere:* ut et apud alios. V. Burm. ad Catal. p. 10. ‘Effluas dulcem liquorem.’ Totus ergo locus ita legendus e Mss. *A parte Cæcias accipit nomen; cum eum oriens æstivo effluit.* Oud.

Apeliotes] Flor. et Leid. *Elyontes*, male. Isidorus de Nat. Rer. c. 37. ‘Apeliotes ab ortu Solis intonat, et est temperatus.’ Achilles Statius p. 202. καὶ ὁ μὲν ἀπὸ ἀνατολῶν πνέων καλεῖται ἀπηλιώτης. Catullus Epig. 23. ad Furium. Tzetzes Chiliad. VIII. hist. 215. *Elmenh.*

Meridianis ex montibus] *Montibus* intrusum a librariis, cum hic excidisset *portis*. Sic passim enim loquuntur Veteres de quatuor mundi cardinibus. Stat. lib. I. Theb. 158. ‘porta vergens prospectat Hibera.’ Lib. VII. 36. ‘Arctoæ labentem vertice portæ.’ Lactant. Phœn. init. ‘Est locus in primo felix Oriente remotus: Qua patet æterni maxima porta poli:’ sic etiam Ed. Ven. a. 1509. et Betul. non ‘janua celsa:’ quibus locis consule J. F. Gronov. Barth. et N. Heins. Auson. Ecl. ‘autumni reserat portas:’ et in Ephemeride: ‘Mane jam clarum reserat fenestras.’ Apud Liv. l. XXXVI. c. 17. ‘usque ad ortus Solis.’ Ms. *portus*. An *portas?* Sic ‘utraque Solis domus’ Ovid. Ep. IX. 16. ubi vide. *Oud.*

Favonium novit] Ald. *Favonium nominat*. Lactantius in l. II. Theb. Statii: ‘Quem Græci Zephyrum; nos Favonium vocamus. Nos Aquilonem: illi Borean dicunt. Illi Curum’ (lege *Corum*) ‘nos Africum vocamus.’ Vide Isidorum de Nat. Rer. c. 37. *Elmenh.* Mss. O. quod sciam habent *novit:* ut et Edd. Vulc. sec. tert. Wow. Elm. quos miror non secutos esse Scriverium et Floridum prave revocantes Edd. vett. scripturam *nominat*. Oud.

Iapygis cieri nomine] Omissa hic quædam existimo, quæ comparent apud Aristotelem. Ventus enim hic etiam *Argestes* et *Olympias* dictus.

Mox Auctor quoque eum *Argestem* nominat: quare forsan et hic illud nomen excidit. Nusquam enim patet, ab Auctore nostro *Argesten* ab *Iapyge* esse distinctum, ut perperam censet Salmas. Exc. Plin. p. 882. Immo juvat conjecturam meam Bened. *et Iapygis.* Voss. sec. *Iapyis.* Ceterum Edd. ante Vulcan. habent *efferri.* Prave. Frustra quoque Elm. conjicit *censeri:* ut enim *vocare* pro *nominare* ponitur, ita etiam *ciere* et *citare.* Noster p. 752. 'pluribus nominibus cietur.' V. Salmas. ad Solin. p. 891. Banem. ad Lact. l. IV. c. 1. 'hominum vocabulo cieri.' *Idem.*

PAG. 722 *At ille qui prior*] Putarim legendum *propior.* Ita postea, 'Huic propiores.' *Vulc.* Recte locus hic mire corruptus videtur restitui non posse, nisi meliorum Mss. ope: quia quædam omissa sunt. Adi Aristot. et Salmas. ad Solin. p. 892. *At ille qui prior est, &c.* cum Scriverio expressi, auctoribus Mss. O. et Edd. ante Vulcan. qui e conjectura cum Lipsio prætulit *propior.* Locum tamen sic legendum puto *At propior est Æquinoctiali plagæ Corus; et Aquilo* (scil. ex contraria parte) *qui VII. st. reg. generatur.* Nam æquinoctiales plagas possident ipsi *Notus* et *Aparctias,* sibi invicem oppositi, ut et *Libonotus* sive *Corus* et *Aquilo.* Vide omnino Veget. d. l. 'A sinistra parte Λιβονότος, i. e. Corus,' &c. Statim Favorin. 'Caurus est adversus Aquiloni.' Hinc oppositi etiam Columellæ l. XI. c. 2. 'frigidus dies, Aquilone vel Coro.' Non autem Aristotelis mentem cepisse videtur App. Aristoteles enim non loquitur de *Coro,* sed *Africo,* qui Gr. λὶψ flans ab occidente hiberno contra Cæciam. Verum et alii Africum et Corum confundunt, alii Corum statuunt eumdem, qui alias Argestes, Iapyx et Olympias dicitur. *Oud.*

Indidem flantes in omnibus austrorum] Locus mirum in modum depravatus. Aldinum exemplar pro *indidem* legit *Indiam,* fœdiore errore. Ms. cod. meus, *Indidem flantes nominibus.* Vera et genuina lectio est, si post *indidem flantes* claudas periodum: deinde ita legas, *Austrorum in nominibus illa observata diversitas:* ita enim legit cod. meus, non, ut alii, *observanda:* quo sensu quid potest esse manifestius? Nam Trascias et Argestes *indidem* hoc est Medium diem versus flant. Nunc varias Austri appellationes subjungit. *Vulc.* Flor. *Tracius et Argastas sunt in Indiam,* male. Isidorus: 'Corus qui et Argestes a sinistra parte Favonii aspirans: eo flante in Oriente nubila sunt, in India serena.' *Elmenh.* Pro *indidem* Bened. *ibidem.* Sed membranæ Florent. cum Aldo *Indiam,* sine dubio vere. Sic enim hic locus omnino cum Salmasio Plin. Exerc. p. 882. legendum puto e Mss. *Hic prior est indidem ad diem medium,* sc. Aparctias; *Thrascias et Argestes sunt in Indiam flantes.* Vide et Vitruv. I. 6. Perperam prius legerat Vulc. *Hic propior ad diem m. Thrascias et Arg. sunt indidem flantes.* Non enim *indidem* notat *medium diem versus:* (quod etiam non verum est de iis ventis: nam Aparctias solus in medium diem sive notum flat) sed *indidem* notat *ex eodem loco* ex Septentrionalibus sc. partibus. Vide ad Met. l. I. p. 83. a. Favorin. apud Gell. l. I. c. 22. 'Oritur enim Sol non indidem semper.' Infra p. 728. 'flatu incendia indidem suspirant.' Vide Isidor. de Nat. Rer. c. 37. cit. ab Elmenh. *Oud.*

Notus est] Omisit Appuleius in sua versione illud Aristotelis ἀντίπαλος τῷ ἀπαρκτίᾳ, prudens credo ac sciens, ne a se ipse dissentiat. Nam supra, quem Aristoteles vocavit Cæciam, Appuleius vertit (nisi vitium fuerit librarii, ut ibi monui) Aparctiam. Cum itaque ibi fecerit Aparctiam, eum quem Oriens æstivus emittit, non poterat nunc, nisi ipse sibi contradicens, facere Notum ἀντίπαλον τῷ

ἀπαρκτίᾳ. Aparctiam enim, ut dixi, statuit loco Cæciæ. Adeo ut videatur Appuleius in his ventorum appellationibus et regionibus ab Aristotele dissensisse. *Vulc.*

Effringit] I. e. *se erumpit*. Sil. It. l. I. vs. 647. de fluctu 'Vestras effringet in urbes,' ubi vide, et ad Lucan. l. I. vs. 113. *Oud.*

Pag. 723 *Qui directo spiritu pro flabris reciprocis Cæcias putatur esse*] Ald. exemplar legit, *directis:* vet. cod. *directo spiritum:* et in omnibus Edd. continue hæc citra ullam dispunctionem leguntur: manifesto errore. Cum enim Aristoteles aliam ventorum distinctionem faciat, alios esse dicens εὐθυπνόους, alios vero ἀνακαμψιπνόους: Appuleius τοὺς εὐθυπνόους vertit 'directo spirantes:' ita enim legendum censeo in Appuleio *qui directo* (vel alioqui *directi*) *spirant:* atque ibi claudendum esse sensum: ut *directo* sit κατ' εὐθεῖαν. deinde ita legendum, *Pro flabris reciprocis*, hoc est, ex flabris reciprocis (ita enim vertit Appuleius τὸ ἀνακαμψιπνόους, Budæus *Reflexos* et *refractos*.) *Cæcias esse putatur*. Sunt ἀνακαμψίπνοοι, qui in sua se reflectunt primordia. Hoc etiam monebo, apud Hesychium corrupte legi, Ἀνακαμψίπλοος ὁ Καικίας καλούμενος. pro ἀνακαμψίπνοος. Ἀνακάμψαι vero est ἀναστρέψαι. Cæcias vero, ut ait Seneca, apud Latinos sine nomine est. *Vulc.* Verba Græca: τῶν δὲ ἀνέμων οἱ μὲν εἰσιν εὐθύπνοοι, οἱ δὲ ἀνακαμψίπνοοι, καθάπερ ὁ καικίας λεγόμενος. Distinguit ventos in εὐθυπνόους καὶ ἀνακαμψιπνόους. Εὐθύπνοοι Appuleio, qui directo spiritu feruntur, Ἀνακαμψίπνοοι, qui reciproco. At ἀνακαμψιπνόους vertit reflabros, non reciproca flabra. Plana sententia, si rescribas: *Excursores venti habentur, qui directo spiritu, reflabri reciproco, ut Cæcias p. e.* Wower. Wowerius et excerpta Batav. *qui d. s. reflabri qui reciproco ut Cæcias p. e.* Ego lego, *qui e directo spirant. Porro flabris reciprocis ut Cæcias p. e.* Elmenh. Sic habent Edd. vett. nisi quod Ald. et Junt. post. *directis:* et Vulc. sec. tert. *putantur* vitiose. At Scriv. et Florid. ediderunt *q. d. spirant; reflabri, reciproci, ut C. putatur esse.* Nimis interpolate: nam Mss. O. vulgatis consentiunt, excepto quod in Cod. Vulc. sit *directo spiritum* (fallit enim Elmenh.). Cum Wowerio faciunt Is. Vossius et Lindenbrog. qui tamen addunt inter *reflabri reciproco* τὸ *qui:* ac Scalig. qui interponit *aut.* Verisimillima mihi conjectura videtur Salmasii, qui p. 889. Exerc. Plin. emendat ex Aristotele *q. d. spiritu proflant: flabris reciprocis Cæc. p. e.* De verbo *proflare* vide ad Met. l. VIII. p. 545. b. *Cæras* Bened. *Oud.*

Equidem hiemales] Nunc ventos distinguit, a variis temporibus anni quibus spirant. Putarim vero τὸ *ut* παρέλκειν atque ita legendum esse, *Et quidem hyemales habentur Noti.* Vulc. Lipsius cum Vulcan. malit *et quidem.* Vide ad Met. l. III. p. 226. b. Rectius Florid. *et quidam.* Arist. καὶ οἱ μέν. *Oud.*

Ornithiæ verni] Ms. cod. meus pro *Verni* legit *venti:* quæ lectio mihi occasionem dedit accuratius paulo in hunc locum, atque adeo in Aristotelis ipsius textum inquirendi, qui ita habet: ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι, hoc est, verni quidam existentes venti. Cum tamen Aristot. lib. Meteor. II. ubi περὶ ὀρνιθίων ἀνέμων agit, dicat eos spirare μετὰ τὰς χειμερινὰς τροπὰς, id est, post conversiones brumales, atque hoc tantum inter hos et Etesias discriminis statuit, quod Ornithiæ εἰσὶν ἐτησίαι ἀσθενεῖς, ἐλάττους τε καὶ ὀψιαίτεροι τῶν ἐτησίων πνέουσι. Ad quem Aristotelis locum videtur respexisse Appuleius, imo vero verbatim eum vertisse. Nam illud ἀσθενεῖς vertit *Minore nisu.* ἐλάττους vero, *Nec jugi perseverantia:* ita ut τὸ ἔλαττον ad tempus sit referendum. Rectissime itaque Cod. meus Ms. pro *verni*

legit *venti:* et in Aristotele pro *ἐαρινοὶ* legendum contenderim *ἀέριοι* quod Appuleius vertit *Aëre prosati,* id est, progeniti, elegantissima metaphora, non ut omnes Edd. habent *prolati, &c.* Neque tamen sum nescius *ὀρνιθίας* aliqua etiam ratione ex sententia Aristotelis *ἐαρινοὺς* dici posse, non quod ipso vere, sed sub ver spirent. Incipiunt enim spirare, ut Aristoteles in Meteoris scribit, septuagesimo post conversionem brumalem die: *ἀερίους* vero eos vocavit Arist. ad differentiam *τῶν ἀπογαίων ἀνέμων,* quos Appuleius *Terrigenas* vocavit. Eadem itaque ratione Ornithiæ vocari possint *Aërigenæ.* quos Appul. vocavit *Aëre prosatos.* At si legamus *Ornithiæ verni,* legendum etiam erit, *vere prosati.* Vulcanius. Flor. *Atnitiæ,* male. Columella de Re Rust. l. II. c. 2. 'Venti septentrionales, qui vocantur Ornithiæ.' *Elmenh.* Neque minus hic locus est corruptus, sed ex Mss. et Aristotele facile corrigendus, cujus Græcis vulgo hæc non respondent: *οἱ δὲ θέρους ὡς οἱ Ἐτησίαι μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων καὶ Ζεφύρων. οἱ δὲ Ὀρνιθίαι καλούμενοι ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι, Βορέαι εἰσὶ τῷ γένει.* Hinc primo patet perperam in Ed. Vulc. tert. edi *tempestute autumni* pro *æstate anni,* ut est in Mss. Bened. Vulc. sed *æstate annis* Florent. Voss. sec. Edd. Ald. Junt. post. dein pro *tempestate veris* Bened. *tempestates v.* Florent. *tempestatis veris.* Pro *venti* vero, quod est in Mss. O. legitur *verni* in Edd. ante Vulcan. qui et *ἐάρινοι* apud Aristot. corrigit in *ἀέριοι.* sed perperam. Omnino legendum *Etesiæ sunt frequentiores æstate, animis Septemtrionis ac Zephyri temperati; sed veris Ornithiæ venti adpellantur:* atque ita ibid. Salmas. nisi quod male rationem non habeat *τοῦ s* in *tempestatis* (unde feci *temperati; sed*) et *sunt* exhibeat pro *adpellantur.* *Animæ* de ventis non raro dicitur. Quis nescit 'animas Thracias' ex Horatio l. IV. O. 12.? V. supra h. l. p. 719. unde et passim pro 'flatu oris:' ut Flor. N. III. Vide Zinzerl. Prom. Crit. c. 15. 'Ornithiæ venti sunt Septemtrionales, sed vere flant:' quare frustra se fatigarunt in his viri docti. V. Vulc. Wower. de Polym. c. XI. p. 108. Plin. l. II. c. 47. Ceterum Voss. sec. *Ethæsiæ.* Pro *Ornithiæ* Mss. Vulc. Voss. Florent. *Atnitiæ.* Bened. *Ænitiæ.* Oud.

Catægis] Florent. *Catagis.* Gregorius Nyssæus in Psalmos tractat. I. cap. 8. p. 283. *Καταιγὶς λέγεται βίαιος ἄνεμος, οὐκ ἐπ' εὐθείας προσπίπτων ἀλλὰ περὶ ἑαυτὸν ἐνειλούμενος δι' ὀξείας στροφάλιγγος, ὃς ἐπειδὰν ἐμπέσοι ποτὲ βίαιος τῷ ὕδατι καθάπερ τινὸς πέτρας ἐγκαταβληθείσης μεγάλης ὑποκλεισθεῖσα τῷ βάρει ἡ θάλαττα σχίζεται κατ' ἀνάγκην τῇ βίᾳ τοῦ πνεύματος, ὅπουπερ ἂν ἐνσκήψῃ βρίσας ὁ ἄνεμος τῆς τοῦ βάρους ἐμπτώσεως ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἐπὶ τὸ ἄνω τὸ ὕδωρ ἀναπτυούσης.* Hesychius in *καταιγίς. Elmenh.* Habet hæc Elm. a Lindenbrogio. Ceterum male cum Florent. Bened. Vulc. Voss. sec. *catagis.* Oud.

Præfractum] Videtur Apul. deducere nomen *καταιγὶς ἀπὸ τοῦ κατάγνυμι.* Eustathius *καταιγίδα,* ut et *αἰγίδα* ab *ἀΐσσω. καταιγὶς* alioqui proprie est, quod Latinis *procella.* Virg. 'Creberque procellis Africus.' Legendum vero est continue *quem Præfractum possumus dicere,* per parenthesin, cui subjungitur definitio Procellæ. Ventus qui, &c. *Vulc.* Prave enim post *τὸ dicere* vulgo distinguunt. Nam pergit cum Aristotele ventum Catægida describere. Male *præfinctum* Bened. *Oud.*

Vortex] Ms. cod. legit *vertex:* et recte. Fl. Sosipater Instit. Gram. 'Vertex,' inquit, 'a vertendo dicitur; vortex a vorando:' (quod tamen non probo) et vult Plinius Verticem immanem vim impetus habere, ut, 'Ingens a vertice pontus:' vorticem vero, circumactionem undæ esse, ut

'Rapidus vorat æquore vortex :' Vortex enim est ἴλιγξ ὕδατος. *Vulc.* Florent. Bened. *vortex.* Alibi de hisce latius egi. Puto vero jam Veteres non distinxisse, et pro lubitu scripsisse de rotatione aquæ, flammæ, venti. Magisque inclino in *vortex,* si agitur de rotatione quacunque ex his. *Verticem* contra solum adhibuisse puto, nunquam vero *vorticem,* si intelligatur capitis vel aliarum rerum summitas. Certe in Mss. semper variatur *vertex* et *vortex,* si res est de rotatione, nunquam vero si occurrit de summitate: tum semper *vertex.* Oud.

Dicitur Pinea] Cod. Ms. pro *Pinea* legit *Pineas.* Utrobique monstrum vocabuli est: quod me non parum torsit: donec tantum omnia tentanti, venit in mentem genuina lectio. Neque enim dubitarim, quin ita legendum sit, *vel, uti Græce dicitur, Dine.* Quid enim aliud est δίνη, quam vertex? Quemadmodum enim vertex dicitur a vertendo, ut supra diximus, ita δίνη ἀπὸ τοῦ δινεῖν, i. e. στρέφειν. Ac tametsi quispiam contendere velit δίνην proprie vorticem significare, ea videlicet significatione quam antea attulimus, ut ad aquam referatur (unde ποταμὸς Homero frequenter δινήεις dicitur, id est, vorticosus) nihilo tamen minus etiam de vento qui circum agitur et torquetur in orbem, dicitur δίνη. Ita apud Aristophanem συστροφαὶ ἀνέμων explicantur δῖναι φλυκτανώδεις. Unde etiam elegans illud et salsum in Nebulis scomma in Socratem, ubi quendam Δῖνον αἰθέριον, ἀντὶ Διὸς in infima aëris regione regnantem facit, alludens ad vocem δίνην. Vocatus autem est vertex sive vortex δίνη metaphorice a similitudine δίνου, i. e. torni: a violenta scilicet illa et strepera torni circumactione. Sed in his longior fortasse sum, quam par est: finem itaque faciam, ubi ea quæ dixi fide veteris illius nunquam satis laudati Glossarii, confirmaro. Turbo, ait, ῥόμβος, πρηστὴρ, καὶ συστροφὴ ἀνέμων, ἴλιγξ. Idem, ῥόμβος tornus: quibus omnibus majorem lucem addit auctor vetus Etymologiarum Græcarum; qui ita habet: Δινεύοι, id est, ἀναστρέφοιτο. ὅθεν καὶ συστροφαὶ δῖναι λέγονται. Ambigi itaque amplius non potest quin et δίνη de ventorum perinde ac de undarum procella dicatur: et ita omnino, ut dixi, hic Appuleii locus sit castigandus. Utitur vero etiam Epicurus in suis Meteoris voce δίνης pro circumactione, dicens, κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην. *Vulc.*

Pag. 724 *Fit procella*] Adde ex cod. meo Ms. *terrestris:* ut *terrestris* sit quod Aristoteles vocat χθόνιον, ad differentiam πρηστῆρος οὐρανίου. alioqui ἀπόγαιος ἄνεμος, quem et χθόνιον possimus dicere, significat etiam eum qui apud Aristot. lib. II. Meteor. non longe a loco unde spirare incipit, procedit, quale facit τὸ βόρειον πνεῦμα. *Idem.*

Tormentum illud ire pergit] Sive ipsa procella, quasi tormento excussa. Verum Mss. Voss. Bened. *tormento;* et pro *illud ire* Bened. *illis 've* quasi fuerit *tormento elisa ire p.* Vide de hac confusione ad Cæsar. lib. III. B. Civ. c. 51. 'telum tormentumve missum.' De verbo *ire* in hac re vide ad Lucan. lib. I. vs. 229. *Oud.*

Favorinus, non ignobilis sapiens] Apud Gellium lib. II. c. 22. nec putem aliud ejus super hac re extitisse scriptum: sed hæc omnia quæ posthac de ventis disseruntur e Noctibus Atticis petita ab ipso Apuleio, aut potius a studioso quodam ad marginem olim adjecta, post ab aliis in contextum admissa. Sed et Favorinus hic ab Aristotele quædam mutuatus est: quod, qui conferet videbit. *Colv.* Hæc in Aristotele non leguntur; ut neque in Apuleio, sed a sciolo aliquo inserta existimo ex Agellii Noct. Att. lib. II. c. 22. desumta. Cum tamen in vett. etiam membranis exstent, ea nequaquam prætermit-

tenda putavi. Pauca etiam in quibus ab editis exemplaribus dissentiunt annotabo. *Vulc.* Tolle glossema 21. versuum, qui hic transcripti verbatim ex Agellio Noct. Att. lib. II. c. 22. Ea omnia jure ignorat Aristoteles et princeps editio. *Elmenh.* Bene monuerunt VV. DD. tum ad Gellium, tum hic, a studioso quodam hæc Appuleii margini adlita, dein in textum adsumta esse: non vero ab ipso Appuleio, ut censet Salmas. p. 887. Non enim pertinent ad Aristotelis versionem, neque agnoscunt Edd. vett. ante Aldum, ut nec Wow. nec Scriv. Cum Florido itaque alio charactere exprimi jussi. *At* non comparet in Edd. ante Vulc. sec. contra Mss. *Faborinus* Voss. sec. *Oud.*

Quatuor mundi plagas] Vetus cod. meus legit *Tres*, et quidem recte. Sciolus mutavit in *quatuor*. Innuit vero tres cæli partes: Ortum scilicet, Æquinoctialem, Solstitialem, et Brumalem, iisque oppositos Occasus. Imparem vero numerum vocat qui ex hisce tribus plagis spirant: ab aliis, Meridie videlicet et Septentrione: quod ab illis plures venti variis nominibus præditi spirent. A Meridie vero, et Septentrione, singuli. *Vulc.*

Ἀπηλιώτης] Versus antiqui de Ventis apud Isidorum de Nat. Rer. c. 37. 'Subsolanus flat rectus Solis ab ortu, Græcus Apelioten apto quem nomine dicit.' *Elmenh.*

Βορέας] Ibid. 'Hinc lævus boreas glaciali turbine mugit, Frigidus hic aquilo nostris vocitatur in oris.' *Idem.*

Pag. 725 *Tertium ventum*] Apud Gellium: 'Tertius ventus, qui ab oriente hyberno spirat Vulturnum Romani vocant: eum plerique Græci mixto nomine, quod inter Notum et Eurum sit, εὐρόνοτον.' *Colv.*

Caurus qui Græce, &c.] Burman. ad Anthol. Lat. lib. v. Ep. 114. notandam esse ait Glossam cod. Reg. Gallicani ad Ovid. lib. v. Fast. 161. 'Apuleius in Cosmographia sic inquit, ubi de ventis agit. *Eurus*' (leg. esse *Corus* vel *Caurus* monet Burm.) '*qui Græce Ergastes*' (leg. *Argestes*, eodem monente) '*vocatur, is est adversus Aquiloni*.' J. B. in Addend.

Λίψ] Versus antiqui: 'Huic dextram tangit dictus Lips Attide lingua Africus.' *Elmenh.*

Ἕλκων ἐφ' ἑαυτὸν] Sic rescripsi ex Aristotelis Meteor. lib. v. c. 6. In Leidensi est ἕλκων νεφέλητον ὡοκυκέκιας νέφος. Theophrastus de Ventis fol. 410. ὁ μὲν γὰρ καικίας μόνος ἐφ' ἑαυτὸν ἄγει τὰ νέφη καθάπερ καὶ ἡ παροιμία λέγει ἕλκων ἐφ' ἑαυτὸν ὥστε καικίας νέφη. Cur autem solus *Cæcias* nubes ad se attrahat, docet Aristoteles Problem. sect. 26. fol. 458. et 461. *Idem.*

Cum loquare] Verba Catonis apud Gellium. *Colv.*

Præstigiis] Vett. edd. *præsagiis*: post: *Eorum quæ hujusmodi præstigias nostris inferunt oculis.* Hic iterum Aristotelem sequi incipit. *Idem.* Rom. et Ald. *præsagiis*, male Aristoteles φάσματα dicit. *Elmenh.* Junt. post. *præstrigiis*, et mox: *quæ ejusmodi præstrigias inferunt oculis:* ubi vulgo quoque *præstigias*. In sing. *præstigia* est apud Quinctil. IV. Inst. Or. 1. Sed *præstrigias* ubique legi vult Ill. N. Heinsius ad Prudentium in Add. p. 148. V. et apud Menk. in Misc. Nov. Lips. v. III. p. 2. Nec aliter Mss. plerique *præstrigiatrices* apud Mart. Capell. p. 167. *Oud.*

Pag. 726 *Penetrabiles*] Edd. ante Junt. post. *penetrales*. Active Virg. Ge. I. 93. 'penetrabile frigus.' Lib. v. Met. p. 147. 'sono penetrabili.' De Dogm. Plat. lib. I. p. 580. 'penetrabili cogitatione.' Mart. Cap. lib. VI. init. 'penetrabile monstrat acumen:' ubi etiam contra metrum in aliquot Mss. optimis *penetrale*. Contra p. 302. 'in penetralibus virginis.' Mss. aliquot *penetrabilibus*. Idem.

Ubi nubes adflictu] Vetus codex habet *adflictæ*, hoc est, collisæ. *Vulc.*

Variant libri. Sunt qui habent: *quippe ubi nubes affulsit, ut ignifera.* Alii: *q. u. nubes afflictrix et ignifera saxa attrita inter se.* Plana omnia, si distinctionem nostram admiseris. *Wower.* In libris Mss. magna hic varietas. Flor. et Leid. *Q. u. n. afflictrix ut ignifera s. a. i. sese dat:* alii, *ubi nubes affulsit.* Rom. et Ald. *quippe ut ignis fertur ad saxa attrita.* Nos probavimus Vulcanii emendationem. Vide Isidor. de Nat. Rer. c. 30. *Elmenh.* *Ubi nubes adflictu ignem, ut ignifera saxa adtrita inter se, dant.* Sic locus cum Woweric et Scaligero distinguendus, si *ignifera* retinemus: male vulgo post *adtrita* ponitur comma, vel junguntur *adtrita inter se dant:* constructio est: 'nubes dant ignem adflictu, ut,' &c. Salm. ad Solin. p. 804. legit: *afflictu, ceu ignifera saxa adtritu ignem ex se dat.* Vitiose autem in Edd. ante Junt. post. legas simpliciter *ut ignis fertur ad saxa attrita.* Mss. Florent. Voss. uterque Bened. *ubi nubes afflictrix, ut ignifera.* Fulvianorum lectionem vide apud Wower. Vulc. *ubi nubes adflictæ ut ignifera.* Edd. Junt. post. Bas. sec. Lugd. Colv. *adflictu ignem ut ferro.* Quare, licet *ignifera* non damnem plane, videtur potius legendum *ubi nubes adflictæ, ut ignes ferro, &c.* vel si vis *adflictu*, sed tunc post *adtrita* est distinguendum. Solin. c. 25. 'dentes elephanti arbori adfligunt utrosque:' ubi verbum hoc in Mss. O. est, nec mutandum. Statim: 'quam nubium adflictus excussit.' Uti passim 4tæ Decl. nomina amat Noster. *Ignis* scriptum de more pro *ignes.* Dein *inter sese* bene Fulv. et Florent. Iidem cum Vossianis habent *dat*; ut cum *afflictrix* respondeat, sed una nubes *afflictrix* non dat ignem, at plures *afflictæ* inter se. *Oud.*

Saxa attrita] Eustathius Homil. I. in hexaëm. 'Ex ferro et lapidibus ignis per frictionem solet excuti.' *Elmenh.*

Seriore sensu concipitur] Plin. lib. II. c. 54. *Idem.*

Presteras] Plinius lib. II. c. 48. Et Nicetas de fide orthod. lib. I. c. 28. *Idem.*

Fallunt imaginem] Ludit Appul. copia verborum: quod enim Græci dicunt παραλογίζεσθαι, id antea 'Præstigias summis oculis inferre,' nunc 'Fallere imagine' dixit: atque ita in V. cod. legitur, *Fallunt imagine Irides*, hoc est specie sui. Ovid. 'Spectantia lumina fallit.' *Vulc.* Recte quoque Florent. et Voss. pr. *imagine*, ut reposuit e suo cod. Vulcanius. *Irides* etiam Florent. Ante Vulcan. edebatur *Iris et arcus.* At Voss. uterque *Iridis:* immo Bened. *fallit imaginem Iridis arcus Italia:* unde legam lubens *f. imagine Iridis arcus, item alia*, ut Rhabdos, Halysis, Selas, &c. quæ sequuntur. Non enim *imaginem fallunt*, sed mentiuntur, et imagine fallunt oculos. *Irides et arcus* posset stare per ἓν διὰ δυοῖν. Mox pro *vere* Bened. *que. Oud.*

PAG. 727 *Cavam nubem*] Junt. post. *canam*, ut et Florid. in Interpretatione. Male. *Cava nubes* est tenuis, non *densa*, quæ hic describitur. Vide de Deo Socr. p. 681. Ed. Flor. Sed passim 'cava nubes' et 'cava nubila' apud poëtas. Sic 'cavi amnes' apud Auson. Cupid. vs. 69. sunt vani et inanes. *Idem.*

Halysis] Videtur legendum, *Hallos.* Nam ex Aristotele hæc omnia, qui sic scribit: 'Ῥάβδος δέ ἐστιν ἴριδος ἔμφασις εὐθεῖα. ἅλλως δέ ἐστιν ἔμφασις λαμπρότητος ἄστρου περιαυγοῦς. διαφέρει δὲ ἴριδος, ὅτι ἡ μὲν ἶρις ἐξεναντίας φαίνεται ἡλίου τε καὶ σελήνης, ἡ δὲ ἅλλως κύκλῳ παντὸς ἄστρου. *Colv.* Flor. *Alypsis.* Lege ἅλως, &c. Vide Nicetam in Thes. Orthod. Fidei lib. I. c. 25. Achillem Statium in Aratum fol. 102. *Elmenh.* Edd. primæ *Alysis.* Florent. Bened. Voss. *Alypsis.* Male vero Colv. et Elm. volunt legi *Hallos* vel ἅλως, et edidit *Halos* Wower. ex A-

ristotele. Id enim non *catenam* notat, sed *aream*: ut Latini vocant eam coronam, ambientem Solis circulum. Vide Vulcan. Nihil verius est, quam Appuleium incidisse in corruptum Aristotelis codicem, in quo pro ἅλως scribebatur ἄλυσις. *Oud.*

Stellæque fluor, ignitusque liquor. quicunque l. panditur, C. v.] Locus corruptus, et a depravata distinctione laborans. Vet. cod. ita legit: *Sed prolixa lux stellæ, quæ efflueret ignitus liquor, qui cum latius quatitur, Cometes vocatur.* Seneca Nat. Quæst. lib. I. c. 15. ‘Horum ignis in exitu sparsus est: hoc est in extremis partibus.’ *Vulc. Stellæque fluor, et ignitus liquor.* Ita recte Edd. vett., nisi quod cum Mss. *ignitusque* habent, et Edd. Elm. Scriv. Flor. cum Codd. Florent. Voss. Bened. pro quo prave e suo Cod. Vulcan. Wower. habent *stellæ, qua efflueret ignitus liquor.* ‘Fluor stellæ’ est ἄστρου ῥύσις. Sic ‘lactis fluor’ Nemes. Ecl. III. in f. ubi vide Barth. et in Add. ‘Fluor sanguinis’ Arnob. lib. V. 160. Noster Apol. p. 426. ‘Imagines jugi fluore a corporibus manantes.’ Hinc Manil. I. 746. ‘Cum vaga dispersi fluitarunt lumina currus:’ ubi male Bentlei. *fragmina.* Hic illic lumina vaga currus in varia fragmenta dispersi fluorem ediderunt, et visa sunt. *Oud. Liquor, qui cum l. quatitur*] Ita bene Vulc. legit distinxitque e suo Cod. eique accedunt Mss. O. et Edd. seqq. Vulgo erat, *liquor. Quicumque l. panditur.* Lipsius etiam *quicum* legendum viderat. *Panditur* male retinuit Wow. invitis Mss. O. *Quati* enim dicuntur motæ faces, &c. ut crescant lumine. Vide Heins. ad Ovid. Met. IV. 756. et passim. Hoc metaphorice transtulit ad cometen. Aristotelis πλατυνομένη expressit satis per adverbium *latius.* Idem. *Vocatur*] Voss. sec. *vocantur.* Idem.

Et item ut se ostenderint] Vide quid Aristot. dicat: Πολλάκις δὲ τῶν σελάων, τὰ μὲν ἐπιμένει πλείονα χρόνον, τὰ δὲ παραχρῆμα σβέννυται. Duo genera constituuntur, alterum diutius manentium, alterum statim evanescentium. Propius ad Aristotelem accedunt Appuleiana, si cum Oudendorpio transponas: quum tamen ne sic quidem omnia congruant, nihil equidem mutem, donec e Mss. certius quid adferatur. *J. B.*

PAG. 728 *Docidas*] Seneca Latino nomine Trabes vocat, πίθους vero (ita enim in Appuleio legendum) Pithias. *Vulc.*

Nominant raro] Locus Appuleii hiulcus et mutilus: neque enim reddit verba illa Aristotelis καὶ τὰ μὲν τούτων, ἑσπέρια. τὰ δὲ ἑῷα. quæ ex Ms. cod. ita supple *Et quædam vespertina sunt notiora.* Putarim legendum, *Et quidem vespertina sunt notiora:* ita ut brevitatis causa alteram partem omiserit, nimirum matutina non ita esse nota. Per hoc autem Vespertina sunt notiora: videtur Appul. interpretari voluisse illa Aristotelis τὰ δὲ ἀμφιφαῆ θεωρεῖται, pro quo legendum omnino censuerim, τὰ δὲ ἑσπερινὰ ἀμφιφαῆ θεωρεῖται, cui opponit τὸ σπανίως, quod sequitur. ... Videtur autem Arist. per ἑσπέρια et ἑῷα potius intellexisse quæ ad occasum et Orientem apparent: et raro ad Meridiem vel Septentrionem videri. In quo videtur Appul. ab Aristotele dissentire. Et omnino pro eo quod est in omnibus Appuleii Edd. *raro de Septentrione vel Meridie videas:* Ms. cod. meus legit, *paria de Sept. vel Mer.* Idem. Leg. *parca,* vel *rara.* Id. in Ed. A. 1594. Florent. et Leid. *paria autem.* Elmenh.

Nihil horum quippe * *] Hic etiam tale quid deest: ut, *immobile esse, pristinis libris proditum est:* quemadmodum loquitur supra Metam. l. IX. nam proculdubio Aristotelica illa interpretari volebat: Οὐδέποτε γάρ τι τούτων ἀεὶ φανερὸν ἱστόρηται κατεστηριγμένον. *Colv.* Pendet plane mutila sententia. Colvius Appuleii castigator δεύτατος, in Notis suis tale quid

deesse autumat: *Immobile esse pristinis libris proditum est*, ubi quid per pristinos libros intelligendum sit, ipse sibi sit Œdipus. Ego simpliciter verterim, id quod Aristoteles ait, οὐδέποτε γάρ τι τούτων ἀεὶ φανερὸν ἱστόρηται κατεστηριγμένον, 'Nunquam enim quicquam horum perpetuo conspicuum obstinuisse in historiis legimus.' Vetus cod. hanc lacunam ita supplet, *Nihil horum quippe loci vel temporis in nascendo idem potuit obtingere*: quæ etiam ipsa corrupta et mutila videntur. Sensus est: Non diu uno in loco hærentia unquam visa. Subjungit deinde Ms. cod. *de re tantum habuimus quod diceremus*: lege, *De Aëre tantum, &c.* Respondet enim illis verbis Aristotelis, τὰ μὲν τοίνυν ἀέρια, τοιαῦτα. *Vulc. Potuit obtingere.* Rectius fortassis *obtinere* vel *obstinere.* Aristotelis verba ita habent οὐδέποτε γάρ τι τούτων, &c. *Id. in Ed. A.* 1594. Adde ex Græco, *semper conspicuum stetisse memoriæ proditum.* Wower. Nesciebant scilicet Colv. et Wow. jam in Ed. Junt. post. editum esse *temporis in nascendo idem potuit obtingere.* Vulc. vero cum seqq. consentientibus etiam Mss. Florent. Voss. Bened. exhibuit *loci vel temporis, &c.* Recte tamen censet, ea etiam corrupta esse. Forsan pro *potuit* legendum modo *patuit.* Quippe patuit, nihil horum obtingere idem loci vel temporis; cum nascitur. *Oud.*

Ut Liparis, ut Ætna, ut Ves.] Flor. v. L. *eunta*, male. Papias: *Liparis insula Siciliæ, sicut Ætna.* Claudianus de Consul. Honorii l. III. 'Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.' Vide Plinium lib. II. cap. 10. l. XXX. cap. 8. et 9. Plinium Nepotem l. VI. Epist. Epistola: 'Petis ut tibi avunculi mei,' &c. *Elmenh.* Hic locus etiam fœde habitus est a librariis et Editoribus. In Edd. primis, item Junt. pr. Ald. Bas. pr. non comparent. In ceteris ante Elmenh. *ut Lipara, ut Ætna, &c.* nisi quod in Ed. Junt. post. Bas. sec. Lugd. sit *Lipare*; ut solet Græca declinatione Λιπάρη dici a poëtis Virgilio, Silio Italico, Claudiano, &c. Rectius ergo hoc quam *Liparis* ut edidere Elm. Scriv. et Flor. auctoritate Papiæ, minus idonei ad hanc rem. *Liparis* alias est fluvius Ciliciæ. Sed Mss. Florent. *Lipara cunta ut Ætna.* Bened. *Lipara emutia Enhra.* Voss. pr. *Lipara civita etna.* Voss. sec. *Liparaunta ætna*, nec ambigo, quin etiam alii codd. habeant similia. Aristot. ὥσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτνη, καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. Quare absque ullo dubio lege *ut Liparæ cunctæ, ut Ætna.* Uno nomine Æoliæ insulæ passim vocantur *Liparæ.* Vide Geographos et me ad Frontin. l. IV. 1. 33. Virg. Æn. VIII. 417. 'Æoliam Liparen.' Sequentia vero, *ut Vesuvius etiam noster solet* e marginali glossa ab Italo quodam adtexta, in textum intrusa sunt: nam nec sunt apud Aristotelem, qui e Stagira Macedo quum fuerit, nec interpres ejus Appuleius, e Madaura Afer talia scribere potuerunt: quod miror, nemini interpretum suboluisse. Vulc. Cod. *Vesevus*: ut alii vel *Vesvius, Vesbius.* Vide ad Frontin. p. 81. 82. *Oud. Vesuvius noster* recte, ut puto, dicitur a scriptore Latino, et in provincia Romana habitante. Liparæ et Ætnæ ab Aristotele memoratis Vesuvium Latinorum addidit App. *J. B. Lipare.* Nimis religiose Oudendorpii emendationem *Lipare cunctæ* non adoptavimus. *Idem in Addend.*

Opposito incendio, &c. ... Inferorum] Hæc in Ed. Aldi demum leguntur post *percellere.* Non sunt quoque in Aristotele. *Opposito* abest ab uno Fulv. *Oppositiones* Vulc. Cod. *Opposito* explicat Floridus 'earum cursibus:' sed male. Notat enim 'vicinum,' 'junctum:' unde forsan rectius Edd. Vic. Junt. pr. Bas. pr. habent *apposito.* Al. *adpositæ.* Sed ubique hæ præpositiones hoc sensu

variantur in Mss. et Noster *ob* crebro sic utitur; ut 'ob os,' 'occurrere,' pro adcurrere, ad os. Malim tamen ego *adpositus* scribi de vicino simpliciter, *obpositus*, quando vicinam adversitatem vel occursum denotat, vel munimentum aut præsepimen: ut in Festo leg. V. *Plutei*. e Mss. De hac varietate vide quæ laudo ad Hirt. B. Afr. cap. 49. et Front. III. 5. 8. 'civitatem litori adpositam:' ubi eadem varietas, ut et infra pag. 743. 'adpositi sunt torrentium cursus:' cf. Sil. It. v. 474. *Oud.*

PAG. 729 *Vide et ipse*] Hic App. exspatiatur et inserit verbis Aristotelis, qui tantum ἀναιρεῖ τὰ ἐν Φρυγίᾳ, illa quæ ad Hierapolin pertinent, usque ad *atqui*. Idem.

Hierapolin] Stephanus de Urbibus: 'Ἱεράπολις μεταξὺ Φρυγίας καὶ Λυδίας πόλις. *Elmenh.*

Ditis spiracula] Plautus Trinummo: Scena *Minus quindecim, &c.* 'Acherontis ostium in nostro est agro. Primum omnium olim terra cum proscinditur, In quinto quoque sulco moriuntur boves.' Vide Turneb. Advers. l. XXVI. c. 28. *Idem.*

Ant. den. ipsos semivivos esse] Num *Antist. deniq. ips. in viris esse:* id est vivere adhuc? an potius, *Antistites semiviros* scribas, et Deum matris emasculatos illos sacerdotes intelligas? Varro Eumenidibus: 'Nunc semiviri teretem comam volantem jactant tibi Galli.' *Colv.* Ita omnes Edd. et vet. etiam cod. corrupte procul dubio. Legendum enim omnino *semiviros* (ut et Colvius emendavit) hoc est, Eviratos. Sacerdotes enim Cybeles intelligit, Gloss. vetus 'Evirati, ἀπόκοποι.' et aliud Gloss. 'ἀπόκοπος, Castratus,' qui aliis vocabulis σπάδωνες, τομίαι, et εὐνοῦχοι vocantur. *Vulc.* *Semiviros* Colv. et probo Plinio: 'Simili modo Hierapoli in Asia Matris magnæ tantum sacerdoti innoxium.' *Brant.* Colvius et Vulcanius *semiviros* legunt, et capiunt de ministris matris magnæ. Recte. Ammianus Marcell. l. XXIII. p. 269. 'In his pagis hiatus quoque conspicitur terræ, unde halitus lethalis exsurgens, quodcunque animal proxime steterit odore gravi consumit. Quæ lues oriens a profundo quodam puteo, cum os ejus excesserit latum, antequam sublimis vagaretur, terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecisset. Cujus simile foramen apud Hierapolim Phrygiæ antehac, ut asserunt nonnulli, videbatur: unde emergens itidem noxius spiritus perseveranti odore, quicquid prope venerat corrumpebat, absque spadonibus solis: quod qua causa eveniat rationibus Physicis permittatur.' Vide Plinium Nat. Hist. lib. I. cap. 93. *Elmenh.* Emendaverat etiam ad marginem Lindenbrog. se ipse citans ad Amm. Marcell. lib. XXIII. cap. 6. Vide et Harduin. ad Plin. l. II. c. 93. Gallos istos, Cybeles sacerdotes, cum aliis *semiviros* Noster in Metam. quoque vocat. Vulgo et in Mss. erat *semivivos*. Dein *aiunt* post *semiviros esse* inseruit Vulc. cum seqq. contra Mss. et male. Nam subintelligendum ex præcedentibus *vidi ipse*. Oud.

Et inferiora] Forte, *etiam inferior*, vel *inferiore*, vel *inferioris*. Colv. Verbum *est* periodum claudens loco suo motum, et literæ aliquot mutatæ sententiam turbant: cui ita ope mei codicis Ms. subveni: *adeo illis cognita est vis mali ad inferiora aëris noxii crassitate densa.* Nam quod Colvius pro *et inferiora* autumat legendum, *etiam inferior*, vel *inferiore* vel *inferioris*, frustra est: neque enim cum subsequenti verbo *est* recte cohærere possunt: nisi ita, ut ex vet. codice emendavi, legantur. Ponendum itaque est post *densa* comma: et deinceps ita legendum, *inferiores quoque facilius adire atque percellere:* ut sit sensus: quo quis penitius hiatum illum ingreditur, eo magis venenati illius spiritus contagione, ex imo ex-

halantis, infici ac laedi. *Vulc.* Florent. *cognitu e. v. m. ut i. aeris noxii.* Forte *a. c. e. i. vis mali ad interiora a. c. d.* Elmenh. *Adeo illis cognita est vis mali et inferior aëris noxia crassitate densa est, inferiores quoque adire, &c.* Hæc corrupta est lectio ante Vulcan. qui emendavit, ut sequentes edidere: *adeo illis cognita est vis mali ad inferiora aëris noxii crassitate densa; inferiores quoque facilius ad.* Verum ne sic quidem intelligo. Lipsius solum deleri vult *et*. In Edd. *noxia* retinuere Vulc. et Wow. Quod ad Msstos, Vulcanii codici accedit Bened. pro *adeo* Voss. uterque *ad eos* dein *cognitus* iidem. Voss. etiam *ad inferiora*, sed Florent. *ut inferiora.* Mss. O. dant *noxii*, et hic *est* ab illis exsulat. Pro *quoque* in Bened. *quosque:* dein *facilius* addunt vere Mss. cuncti. Emendandum videtur *adeo illis cognita est vis mali, ad inferiora aëris noxii crassitate densati, inferiores* (sc. animales vel res) *facilius adire:* Constructio est 'mali densati ad inferiora, crassitate a. n.' et 'vis cognita adire' Hellenismus est pro 'cognitum est, vim adire.' Vide ad Met. l. IX. p. 642. b. *Oud.* *Quoque* haud dubie retinendum est. Respondent sibi invicem *ad inferiora ... inferiores quoque* sc. homines, quod facile e præcedentibus intelligitur. Clar. Lennep. legendum putat *Adeo illis cognita est vis magis ad inferiora aëris noxii crassitate densa, &c.* ut jungantur in constructione 'vis aëris magis noxii ad inferiora.' *J. B.*

Continerent solida terrarum] Scripserim, *concuterent sol. terr.* Enim Aristoteles: Πολλάκις δὲ καὶ συγγενὲς πνεῦμα εὔκρατον ἐν γῇ παρεξωθὲν εἰς μυχίους σύριγγας αὐτῆς, ἔξεδρον γενόμενον ἐκ τῶν οἰκείων τόπων, πολλὰ μέρη συνεκράδανε. πολλάκις δὲ πολὺ γενόμενον ἔξωθεν ἐγκατειλήφθη τοῖς ταύτης κοιλώμασι, καὶ ἀποκλεισθὲν ἐξόδου μετὰ βίας αὐτὴν συνετίναξε ζητοῦν ἔξοδον ἑαυτῷ, καὶ ἀπειργάσατο πάθος τοῦτο, ὃ καλεῖν εἰώθαμεν σεισμόν. *Colv.*

Ut spiritus crescente violentia] Vide Ammianum Marcellinum lib. XVII. p. 106. docte de terræ pulsibus disserentem. Theologi ad θεομηνίαν sive indicia Dei irati hos referunt, ut observat Nicetas in Thes. de Orthod. fidé lib. I. cap. 26. *Elmenh.*

Et insinuante se] Lege ex cod. Ms. *insinuantes*, et quidem recte. Respondet enim hoc illi quod sequitur, 'nec invenientes exitum:' quod idem est atque quod Seneca ait, 'cum illi cursus interdictus est.' Invicta enim res est spiritus ut idem ille eleganter ait, quandiu non impeditur, placide fluit: cum offenditur et retinetur, insanit et moras suas arripit, non aliter quam ille Poëtæ 'Pontem indignatus Araxes.' *Vulc.*

Pag. 730 *Excutientes onera et recuperantes*] Adde ex Ms. cod. *directis angulis mobiles.* Hoc enim respondet verbis Aristotelis Κατ' ὀρθὰς γωνίας. *Idem.* Græce: οἱ δὲ ἄνω ῥιπτοῦντες, καὶ κάτω κατ' ὀρθὰς γωνίας βράσται. Aptius ad mentem Græci auctoris: *Excutientes onera, et reciprocantes.* Quid, quæso, exactius exprimeret ῥιπτοῦντες ἄνω καὶ κάτω? Quid rectius definiret βράστας, cum terra succutitur, et sursum ac deorsum movetur. Nam et βράσται κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τῶν ἀναζεόντων ὑδάτων. *Wower.* Is. Vossius quoque conjecit *recipocrantes:* sed Mss. et Edd. vett. item Vulc. pr. sec. *recuperantes* vel *reciperantes:* quod retinere malim. *Excutientes onera et recuperantes* sive ad se recipientes *onera directis angulis:* nam quæ directe succussa sunt, directe etiam recidunt. Ceterum *directis angulis* legas in Mss. Florent. Voss. utroque, item Vulc. ac Bened. qui addunt cum Vulcan. et seqq. τὸ *mobiles.* Mihi id verbi potius videtur e præcedentibus *acutis ang. mobiles* repetitum. Ab Edd. vero prioribus absunt *dir. ang. mob.* Oud.

Brastæ vocantur] Ammianus: 'Bras-

matiæ humum intus suscitantes sursum propellunt immanissimas moles.' *Elmenh.*

Qui abstrudere videntur] Ut semel impune quod sentiam dicam, nullus inter omnes Latinæ linguæ auctores, qui majorem correctorum intemperantiam passus. Nemo fere imperitorum adolescentum repertus est, quin raptus præpostera curiositate, et præcocis judicii fervore plures notas illi inussit, quam quisquam deditiorum in ergastulo tulit. Hanc ferimus ociosæ juventutis effrenem lasciviam. Nonnullis vero, qui ærumnis commentariorum, notarum, quæstionum Apuleium onerarunt, sæpius obrepsisse somnus videtur. Equidem facile esset vel ingentia volumina arguendis illorum erroribus condere, et quod solet, stili ubertate ad illorum contemtum uti. Sed nunquam candor meus permiserit, ut aliorum reprehensione gloriam aucupari sustineam. Hic autem Appuleii locus eminet inter illos, qui negligentiam censorum experti sunt. Usque adeo, ut incuriose ab Appuleio prætermissam horum verborum interpretationem adserere non dubitarint: οἱ δὲ συνιζήσεις ποιοῦντες εἰς τὰ κοῖλα, χασματίαι. Cum tamen hæc minime ab eo omissa, indicio esse poterat lectio Cod. Ms. licet monstruosa sit et corrupta: *Illi qui abstrudere videntur extimati edictis.* Hæc secutus vestigia vere restituo: *Illi qui abstrudere videntur Chasmatiæ dicti: quorum impulsu dissilit tellus, Rhectæ sunt nominati.* Wower. *Chasmatiæ dicti.* Sic Scaliger. In Leidensi et Florent. est *Extimatie.* Schikeradus *extima Ditis:* inepte. Ammianus: 'Chasmatiæ, qui grandiore motu patefactis subito voratrinis terrarum partes absorbent.' Suidas Σεισμός· πνεύματος εἰς τὰ κοιλώματα τῆς γῆς ἐγκατειρχθέντος. εἶναι δὲ αὐτῶν τοὺς μὲν χασματίας, τοὺς δὲ βρασματίας. Heraclides Ponticus in allegor. Hom. p. 110. τὸ γάρ τοι σεισμῶν διαφέροντα τοῖς παθήμασιν οἱ φυσικοὶ λέγουσιν εἶναι ἴσα κατά τινας ἰδίους χαρακτῆρας ὀνομάτων ἐπιγράφουσιν αὐτοῖς βρασματίαν τινὰ καὶ κλιματίαν προσαγορεύοντες. *Elmenh.* Verissime Wower. ex Aristotele aliisque (vide Elmenh.) emendavit et recepit Scaliger sive Vulc. Ed. tert. *Chasmatiæ dicti* aberant ab Edd. prioribus ut et Ms. Voss. sec. Bened. *existimatie dicti sunt.* Voss. pr. *extimatiædutis.* Videtur tamen casus verbi *abstrudere* deesse. Pro *tellus* Florent. *terra.* Oud.

Isti sunt motus] Quisquis non oscitabundus Apuleium cum Aristotele contulerit, facile deprehenderit legendum esse, *Ostæ sunt motus:* cum Aristoteles aperte dicat οὓς καλοῦσιν ὤστας. Sed et Ms. cod. ita legit. In Apuleio autem mutila est Ostarum definitio, vitio scribarum fortasse. Omissa est enim differentia qua a reliquis Terræ motus speciebus distinguuntur, ἀνατρέποντες scilicet κατὰ μίαν πρόωσιν. *Vulc.* Flor. et Aldus *Isti,* male. *Elmenh.* Mei omnes et Edd. vett. *Isti.* Sed bene Vulc. qui hic omissa esse *una propulsione,* aut quid simile recte suspicatur. *Oud.*

M. vocatur tetri odoris inq. t.] Verba Græca: γίνονται δὲ καὶ μυκητίαι σεισμοί, σείοντες τὴν γῆν μετὰ βρόμου. At quomodo βρόμον odorem dixeris. Vere emendabis: *Mycetias vocatur tetri rudoris inquietudo terrena. Audiuntur mugitus.* Plerisque Latinis scriptoribus hæc terræ motus species, seu, ut Seneca, tremoris præcursor, mugitus appellatur. Appuleio autem rudor, mugitus. Florid. 'voce hominis tuba rudore torvior.' *Wower. M. voc. tetri rudoris.* Sic vere illustris Scaliger. In vulgatis et Mss. est *M. voc. tetri odoris.* Ammianus Marcellinus: 'Mycematiæ sonitu audiuntur minatorio, cum dissolutis elementa compagibus, ultro adsiliunt vel relabuntur considenti-

bus terris. Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusque terrenos.' *Elmenh.*

Pag. 731 *Sinus cæli*] Vett. Edd. *sinus cæsi.* Pro altera illa lectione magis stat Aristoteles: Χάσματά τε γὰρ γίνεται θαλάσσης, καὶ ἀναχωρήματα πολλάκις, καὶ κυμάτων ἐπιδρομαί, ποτὲ μὲν, ἀντανακοπὴν ἔχουσαι· ποτὲ δὲ, πρόωσιν μόνην, ὥσπερ ἱστορεῖται περὶ Ἑλίκην τε καὶ Βοῦραν. *Colv.* Aristoteles per ἀντανακοπὴν intelligit vim illam qua undarum moles in recursu sinum aliquem littoris secum abripit et vertit, quod explicare voluit Appuleius cum addit, *Sinus cæsi* (ita enim omnino cum vet. meo cod. legendum est, non *cæli*, ut habent vulgata exemplaria) hoc est incisi: hoc enim sibi vult ratio nominis ἀντανακοπῆς. *Vulc.* De reciprocatione fluctuum maris, quam λιμνοθάλασσαν vocat Strabo. Ideoque emendo *s. cæruli q.* epitheto maris poëtis frequentissimo. *Roald.*

Accessus fretorum atque æstuum] Causam fluxus et refluxus maris ad periodos et revolutiones Lunæ referunt Aristoteles de Mundo. Basilius Magnus Homilia 6. in Hexaëmer. Philostratus de Vita Apollonii lib. v. cap. 1. Strabo Geogr. lib. III. fol. 119. 120. Solinus cap. 28. Agellius lib. XIV. cap. 1. et Philippus Presbyter in Jobum lib. III. fol. 173. Sed vera causa hujus effectus in mari non est Luna sola; sed Sol et Luna insimul, ut docte Felix Accorombonus in Aristot. de Mundo fol. 455. et seq. observat. Crescunt autem et decrescunt (non ut Orosius lib. VI. contra paganos inepte putat) per 7. dies, sed per 6. horas aquæ, et diminuuntur bis in die naturali; quanquam accidentia aliqua sæpius variant fluxus et refluxus maris: universaliter scilicet ratione siderum; particulariter ob situs locorum. Ita in capite rubri maris crescit mare horis quatuor, et decrescit horis octo. In India vero contra naturam Luna decrescente augescunt flumina, ut notant Aloisius Cadomustus navigat. in incogn. insulas lib. II. fol. 50. et Ludovicus Patritius Indicarum rerum lib. IV. cap. 1. *Elmenh.*

El. inter se tanta discordia est] Næ ille Elementorum Philosophiæ rudis fuit, qui ex summa Elementorum concordia, discordiam fecit. Neque enim ullo modo legendum est *discordia*, sed *concordia*: hoc est, affinitas et amica conspiratio. *Vulc.*

Pag. 732 *Sic mas et fæmina secum junguntur*] Ms. codex legit, *Sic mare et fæmineum secus junguntur*, ἀρχαϊκῶς pro 'Masculus et fæmineus sexus,' &c. Notum enim est illud 'Vesta, Ceres, et Juno, secus muliebre sorores.' *Vulc.* Secus, pro sexu dici non ignorant antiquarii. Sed haud scio, an satis Latine dicamus, *Mare secus* pro Masculino sexu. Manuscriptus quidem legit *Mar. et fæmineus sexus jungitur.* Sciopp. in Symb. Prætuli simplicia [*mas et fæmina*] coactæ elegantiæ. *Wower.* *Sic mare et fæmineum secus.* Ita Bas. 2. et Leid. Ms. Florent. legit *sic mas et fæmineus sexus.* Rom. Aldus et Bas. 1. *sic mas et fæmina secum*, male. Vide Indicem. *Elmenh.* *Secus* pro *sexu* jam dixit l. I. de Phil. Mor. 'Et optimis disciplinis communi præceptorum magisterio docebuntur non virile secus modo, verum etiam fœminarum.' At *mare* adjectivum neutrius generis, pro *masculo* (si modo lectio hæc sincera sit) Appuleianam licentiam sapit, neque enim alibi temere reperias. *Florid.* Certe 'secus virile,' 'secus muliebre' sæpe occurrunt. Adi ad l. II. de Dogm. Plat. p. 627. et prave Wow. emendationem Vulcanii spernens præfert *mas et femina conjung.* cum in prioribus Edd. esset *mas et femina secum jung.* præterquam quod Junt. post. non agnoscat verbum. Bened. *maris et femininum sexus jungitur.* Voss. *mare et femininum sexus jungi-*

tur. Florent. *mar* (non *mas*, ut ait Elm.) *et femineus secus jungitur. Mas* accipi adjective a Poëtis certum est: unde 'marem vitellum' dixit Horat. II. S. 4. 14. Noster 'maribus animis' l. III. Met. p. 76. V. ad Sueton. Aug. c. 44. Si cui id tamen durius videtur, legat *maris et femineum secus junguntur:* ut *secus maris* pro virili sexu ponatur. *Femineus* et *femininus* confunduntur quoque Met. l. VII. p. 460. a. *Oud.*

Pictura namque] Adi Platonem in Epinom. fol. 975. *Elmenh.*

Sententiarum nobilis auctor] Ms. cod. ita legit, *Hoc Heraclitus sententiarum suarum mobilis, ad hunc modum, &c.* Ego vero pro *suarum*, legendum censuerim *obscurarum:* ut referatur ad id quod habet Aristoteles τῷ σκοτεινῷ. *Vulc.* Cur, quæso, Heraclitus auctor sententiarum? Nihil tale ex Græcis elicias. Ms. *Hoc Heraclitus sententiarum suarum mobilis ad hunc modum.* Lege, *Hoc Heraclitus sententiarum suarum modulis ad hunc modum.* Wower. Lege *sent. nubilus.* Simile mendum in Seneca consol. ad Marciam cap. 17. 'Videbis ubi Athenarum potentia fracta, ubi tot millia captivorum ille excisis in infinitam altitudinem saxis nobilis carcer incluserat.' Mihi non inconcinne legendum videtur *nubilus carcer.* Muretus conjecit *nobilis c.* cum veteres libri haberent partim *nablius*, partim *noblius.* Vide et Gruteri animadversiones et Lipsii, qui *nativus* legit. Fortassis lib. de Constant. Sapientis cap. 18. *fronte anili* leg. *fronte nubila.* Ms. Lips. *fronte hauli*, f. *sub frontis imo latentium.* Scriverius in schedula ipsius Editioni adsuta. Edd. Junt. post. Bas. sec. Lugd. Colv. Vulc. pr. sec. Wow. *sententiarum nobilis auctor.* Verum *suarum* exstat in Mss. O. et eorum nullus agnoscit τὸ *auctor.* Gœsius margini adlevit *sententiarum nubilus auctor.* Passim enim de obscuritate Heracliti queruntur vett. Consule Fabric. Bibl. Gr. t. I. p. 800. &c. Immo et hic Aristoteli audit σκοτεινὸς Ἡράκλειτος: cui propius insistens legebat Scriverius *sententiarum suarum nubilus.* De his enim et similibus adjectivis cum genitivo constructis vide ad Met. l. I. p. 67. a. At hic in Mss. Fulv. Vulc. Florent. Voss. Bened. est *mobilis:* unde Wow. cum Edd. Vulc. sec. tert. Elm. fecit *modulis.* Floridus vero edidit *nebulis*, sed in notis scribit *nubilis*, quod interim secutus sum, quamvis ipsam Mstorum lectionem fere præferam, *Mobilis sententiarum*, quia levi vocis inversione, vel alia solum præpositione verbo præfixa, invertit et mutat facile sententias: quale est ipsum, quod subjungit, exemplum, et sine dubio haustum ex Heracliti περὶ φύσεως, ut et illa quæ citantur paulo infra. Forsan et altius hæret ulcus; nam *prosecutus* non exstat in Bened. Voss. sec. *Oud.*

Discordante consensu] Lego *D. concentu.* Chalcidius in Platonis Timæum p. 72. 'Si de fidium varietate, et de eo, qui ex diversis vocibus sonisque nascitur, concentu tractatus habeatur.' Macrobius Saturn. l. I. p. 156. 'Vides quam multorum vocibus chorus constet, una tamen ex omnibus redditur. Aliqua est illis acuta, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ: interponitur fistula: ita singulorum illic latent voces, omnium apparent, et fit concentus ex dissonis.' *Elmenh.* Ex Elmenhorstii conjectura edidere Scriv. et Flor. V. supra. *Oud.*

PAG. 733 *Dum confusa, dum libera*] Mendosus videtur locus. Melius quadrabit cum Aristotele si legas *dum inconfusa ac libera, &c.* hanc lectionem in interpretatione secutus sum. *Florid.* Certe sensus et Aristoteles exigunt, ut sic rescribamus, vel *dum non confusa.* ἄμικτα. *Oud.*

Adacta est fateri concordia] Mendis plusculis infectus hic locus: quas eluere tentabam sic, *conata est facere*

concordia: vel, *adacta est facere conc.* Certe simile quid reponi suadet Aristoteles: καὶ μιᾷ διαλαβοῦσα σφαίρας ἐπιφανείᾳ, τὰς τε ἐναντιωτάτας ἐν αὐτῷ φύσεις ἀλλήλαις ἀναγκάσασα ὁμολογῆσαι καὶ ἐκ τούτων μηχανησαμένη τῷ παντὶ σωτηρίαν. *Colv.* Vet. codex ponit distinctionem post *conflata,* et pro *concordia* legit *concordiam:* ut sit *Fateri concordiam* τὸ ὁμολογῆσαι. non, *facere concordia:* quod ne Latine quidem satis dicitur, nec ad sensum apposite. Neque enim Natura coacta est facere illa, ut ita dicam, concordia, sed quod illa ita a Natura subacta, concordiam quandam et consensum inter sese profiteantur et præ se ferant. *Vulc.* Male Mss. Bened. Voss. et Edd. ante Vulcan. *concordia.* Minus bene Colv. tentabat *facere concordia.* Habet *concordiam* Florent. cum Vulc. Ms. *Oud.*

Et ex ea salutem operi machinatam] Male Floridus. *Est machinata* scil. substantia elementorum: at substantia ipsa non machinata est salutem; sed illa adacta est per Naturam sive διὰ πάντων διήκουσαν δύναμιν, et illam partem mixtam, seu Mundi animam, concordare, et fateri salutem sic esse *machinatam.* Nam, ut ait Arist. illa δύναμις coëgit elementa concordia esse, et ex illis machinata est salutem omnibus. Recte ergo *machinatam* passive e Cod. Florent. rescripsit Elm. cum Scriv. et Flor. Perperam vero Lipsius margini adlevit *ex eo:* nam *concordia* innuitur. *Idem.*

Pag. 734 *Æqualitatem deferre*] Ald. *differre.* Num, *adferre?* Colv. Locus partim a vitiosa dispunctione perplexus, tum etiam mutilus. Delendum itaque est comma positum post *deferre;* quod nec Aldina Ed. habet, neque Cod. Ms. deinde τὸ *concordiam* bis est ponendum, idque vel cum conjunctione *vero,* vel absque illa: quemadmodum et in Aristotele bis est positum vocabulum ὁμονοίας. ut sit sensus: Æqualitatem rebus etiam inter se diversis adferre concordiam. Concordia vero Mundi æternitatem sustentari. *Vulc.* Aldus, *differre,* male. *Elmenh.* Recte vidit Vulc. hic aliquid deesse, et bis ideo legit *concordiam:* quod verissimum puto. Æqualitas rebus defert concordiam. Concordia reperit amœnitatem, &c. mundi. Aristot. φύσεως διδασκούσης ὅτι τὸ ἴσον σωστικόν πώς ἐστιν ὁμονοίας, ἡ δὲ ὁμόνοια τοῦ πάντων γενετῆρος, &c. κόσμου. Floridus in Interpretatione supplet *et eam:* sed nemo per talem ellipsin loquitur. Repetita vox millies desideratur in Mss. ut sæpe jam vidimus: sic statim *ordiuntur menses, menses texunt annos,* secundo loco a Mss. et Edd. abest *menses.* Male vero Voss. sec. Bened. Edd. Ald. Junt. post. *differre.* Quod Colvius conjecit *adferre,* perinde est, sed Mss. sequendi. *Oud.*

At quam pulcre et] Sic reposuimus: male vulgo, *Atque pulcre.* Adstipulatur Aristoteles: Τίς δὲ γένοιτ' ἂν ἀψεύδεια τοίαδε, ἣν τινα φυλάττουσιν αἱ καλαὶ καὶ γόνιμοι τῶν ὅλων ὧραι, θέρη τε καὶ χειμῶνας ἐπάγουσαι τεταγμένως, ἡμέρας τε καὶ νύκτας, εἰς μηνὸς ἀποτέλεσμα καὶ ἐνιαυτοῦ. *Colv.* Vet. cod. *Quam pulchræ et fœcundæ Horæ procreantur.* Rectius ita, quam per adverbia. Propria enim hæc sunt Horarum epitheta, quibus Græca illa Aristotelis exprimuntur, καλαὶ καὶ γόνιμοι τῶν ὅλων, quæ et a Græcis poëtis καλλικόμοι et εὐπλόκαμοι vocantur. *Vulc.*

Vapores revolventes] Rom. *vap. resolventes,* bene. *Elmenh.* Bene Floridus: licet Edd. ante Ald. habeant *resolventes.* *Revolvi* dicitur, quod ad idem devenit, unde ortum fuerat. Supra p. 708. 'Cœlum revolvatur ut sphæra.' Adi omnino Heins. ad Ovid. Met. x. 63. 'Revolutaque rursus eodem est.' Hinc 'revolvere fila' de Parcis. Vide eumdem l. II. Met. 654. *Oud.*

Pubertate juvenili] Disertim habet Fulvianus codex, *pub. juvenali:* quod scires ab illis interpolatum, quibus

judicium plusquam juvenale. Est enim proba in Latio vox, *Juvenalis*, ut alibi doceo. *Sciopp. in Symb. Pub. juvenali.* Ita Mss. Vulgo *p. juvenili:* minus recte. Vide Indicem et de la Cerdam ad Virgilii Ecl. vi. fol. 117. *Elmenh.* In *juvenali* consentiunt Mss. Florent. Fulv. Vulc. Vossiani, Bened. et Edd. Elm. Scriv. Flor. Vide ad Met. l. x. 723. a. *Oud.*

Pag. 735 *Inde rumpuntur*] Edd. ante Junt. post. item Mss. Voss. Bened. *micant imbres, ignes rumpuntur.* Junt. post. cum seqq. ad Vulcan. *micant ignes, inde rumpuntur.* Hinc Brantius *undæ r.* Stewech. ad Arnob. p. 97. conjiciebat *dimicant imbres, ignes se erumpunt:* de qua locutione alibi. Sed cur tum non potius *se rumpunt?* (ut apud Virgil. lib. i. Georg. 444. 'Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rumpunt radii.') vel *erumpunt*, quod est in Fulv. ac probat Elm. ut paullo post, supra p. 713. et passim. Sed nil muta. Virg. Ge. iii. 428. 'Amnes rumpuntur fontibus.' V. Burm. ad Gratii Cyneg. vs. 432. *Rumpuntur imbres*, cum subita vis aquæ nubibus erumpens in partes ac stillas diversa diffunditur. Ita 'abruptæ procellæ' Virg. l. iii. Ge. vs. 259. Immo Noster pag. 746. 'Abruptis imbribus.' Herod. lib. iii. 13. ὄμβρων μεγίστων καταῤῥαγέντων. et lib. i. 87. χειμῶνα καταῤῥαγῆναι. Ælian. vii. H. An. 8. ἐκῤῥαγέντος ὑετοῦ. si sana præpositio. cf. Parthen. c. 6. *Oud.*

Viridantibus comis cæsariatam] Φυτοῖς κομῶσαν παντοδαποῖς. *Colv.*

Occasibus fat.] Fulv. *occasionibus*, probante Scioppio [v. not. seq.] non me. *Oud.*

Nec seculis debilitari excussam] Bas. 1. Ven. *nec secundis excussam.* Ald. Bas. 2. *nec seculis debilitati excussam.* Aristot. τὴν ἀγήρω φύσιν ὁμοίως τηρεῖ. *Colv.* Vet. cod. *nec s. ankelitari.* Edd. nonnullæ corrupte legunt *secundis* pro *seculis:* nam hoc respondet Aristoteli ἀγήρω φύσιν τηρεῖ. *Vulc.* Ms. quidam: *Nec occasionibus fatigari, nec sæculis hamilitari.* Illud *occasionibus* non displicet, cum Appuleium, judicio meo, resipiat. Alterum autem *hamilitari* non placebit; nisi ex alio Ms. corrigatur *Anilitari.* *Anilitari* pro senescere ab *Anilitas*, id est, senectus, ut Catullus loquitur: sicut a 'debilitas' est 'debilitari.' *Sciopp. in Symb.* Forte an *nec feturis debilitari exhaustam.* Brant. *Nec seculis anilitari.* Hanc vocem postliminio ex membranis Flor. et Leid. Appuleio reddidi. In vulgatis legitur, *secundis* vel *seculis debilitari*, male. Vide Indicem. *Elmenh.* Inepte *secundis* Edd. ante Aldum. Nec opus etiam Brantii conjectura. Dein *debilitati* vel *debilitari* corrupte Edd. ad Elmenh. usque, qui recte recepit cum seqq. *anilitari*, ut emendavit Sciopp. (in Symb. et Epist. Corp. t. ii. p. 51. Ed. Burm.) e Ms. Fulvii, quod egregie confirmatur a Florentino, in quo *anilitari* cum Glossa *veterascere.* Bened. *adnubilari.* Voss. *anhilitari.* Recte autem post hanc vocem distinctionem poni jussit Florid. cum vulgo post *excussam* demum interpungebatur. *Oud.*

Fœtibus] Pigros et moventes fœtus vocat flatus remissos vel violentos: quod vero nonnullæ Edd. pro *fœtibus* legunt *fecibus*, plane ἄτοπον. *Vulc.* *Flatibus* temere reposuit Florid. cum vulgo et in Mss. scribatur *fœtibus.* Prave: nam quod habent Edd. Rom. Vic. Junt. pr. Bas. pr. *fæcibus* sive *fecibus*, nollem a Vulcanio ut ἄτοπον proscriptum esse. Nam eleganter spiritus noxios, et minus puri aëris, &c. sub terra reconditos et aliquando erumpentes, terramque moventes, *fæcem* vocat; ut Martialis 'fæcem diei' dicit pluviam, imbrem, &c. Vide Gronov. Obs. ii. 7. et ita 'fæculenta nubecula' de Deo Socr. p. 681. *Oud.*

Ad omnem salutaria sunt] Lego, *ad*

omnia salutaria sunt. Aristoteles: ταῦτα δὲ πάντα ἔοικεν αὐτῇ πρὸς ἀγαθοῦ γινόμενα, τὴν δι' αἰῶνος σωτηρίαν παρέχειν. *Colv.* Frustra est Colvius, qui legendum censet, *ad omnia salutaria sunt.* Neque enim τὸ *ad omnem* referendum est ad illud Aristotelis ταῦτα δὲ πάντα ἔοικεν, &c. ut ipse autumat, (refertur enim hoc ad varios illos antea commemoratos admirabiles eventus,) sed ad illud quod paulo superius dixit Aristoteles, εἰς ὁμόνοιαν ἄγει τὸ πᾶν. quod vertit Appuleius, 'amœna lætitia mundi reseratur:' mundum interpretatus id quod ille dixit τὸ πᾶν. Notior vero est hæc significatio *omnis,* pro *toto,* quam ut exemplis egeat. Hor. 'Non omnis moriar, multaque pars mei Vitabit Libitinam.' *Vulc.* *Omnia* Colv. Ego *ad omne:* ut supra Asido. *Brant.* Τὸ πᾶν. Leid. *ad omnem* sc. regionem vel terram. Colv. *ad omnia s.* Elmenh. Cave cum Lipsio, Brantio, Elmenh. Scriv. Flor. hic reponas *ad omne,* licet accedat Florent. Hoc non vult App. De sola terra loquitur. Multo minus Colvio credas. Vide Vulcan. *Omnis* passim pro *toto,* et contra. Lucan. VIII. 268. 'Non omnis in arvis Emathiis cecidi.' Vide supra pag. 712. *Oud.*

Imbribus pestifera contagione proluitur] Aristot. καθαιρομένης τε ὄμβροις ἀποκλύζεται πάντα τὰ νοσώδη. Hinc patet recte Lipsium corrigere *a contagione.* De verbo *proluere* v. ad Met. l. I. p. 49. b. *Idem.*

PAG. 736 *Spirantium aurarum graviores spiritus*] In Edd. male ponitur comma post *graviores,* cum rectius ponendum fuisset post *autem:* neque enim, meo judicio, τὸ *spirantium aurarum* referendum est ad *Flabris,* (aliud enim sunt Flabra, hoc est, validi venti, aliud Auræ, ut cuivis notum est,) sed ad id quod sequitur *graviores et minus puri* (hoc est impuri) *aëris spiritus:* ut sit sensus: ventos discutere (hoc enim vult significatum Appuleius per *Differre*) atque purgare impuros spiritus qui ex stagnis et lacubus exhalantur: quod magis simile vero est, quam ventis subterranea terræ loca purgari, quorum pestifera contagio potius imbribus abluitur, ut Appuleii verbis insistam. *Vulc.* Recte. *Oud.*

Et brumalis austeritas terrestrium v.] Vett. Edd. *et brumalis austros favonius ac terræ terrestriumque viscerum.* Arist. Καὶ μὴν, αἱ φλόγες μὲν τὸ παγετῶδες πιαινοῦσιν· οἱ πάγοι δὲ τὰς φλόγας ἀνιᾶσι. *Colv.* Videri possit alicui Apuleius legisse τὰς φλέβας ἀνιᾶσι. Sed meo judicio usurpavit continens pro contento: atque ita Venas vertit, flammas sive ignes qui in visceribus terræ veluti venis versantur. φλέβες enim dicuntur παρὰ τὸ δι' αὐτῶν βαίνεσθαι τὸ φλογῶδες, ut annotavit Eustathius. *Vulc.* Sed quis *venas* pro flammis dicentem unquam intelligat? Pro *austeritas* Ms. Fulv. *austricitas.* Edd. Rom. Vic. Junt. pr. Bas. pr. *austros favonius ac terræ t.* Ald. *austeritas favonius ac terræ terrestriumque v.* Pro *viscerum* Ed. Vulc. pr. *venarum,* vitiose. Suspicor legendum esse: *brumalis austeritas vapores terræ, ac tostorum viscerum venas remittit. Tosta* scilicet nimio calore, quem remittit bruma. Ardore Solis passim *torrere* dicitur terra; unde 'æstas torrida,' et 'torrens Sirius' frequenter apud poëtas. *Remittere,* quod est proprie laxare et dissolvere, καταχρηστικῶς usus est pro lenire, et deminuere: qui sensus dari potest quoque hisce 'remittere animum,' 'curas,' et similibus. Sic 'remittere' frigus, ventus 'se,' passim dicitur, cum minuitur. Alioquin magis proprium est ut calor remittat frigus, et gelu, quam contra. De *Vaporibus* vide ad Met. l. x. p. 682. a. *Oud.* Cl. Lennep. minima sane mutatione emendat *terrestrium viscerum ignes:* aliquid utique latet, quo calor significetur. *J. B.*

Indigens quippe videbitur oratio de

mundo disputantibus] Vett. Edd. *Indigens quippe orationis hujus videbatur de mundo reputantes.* Sed scribo totum locum, *Indig. q. videbitur oratio de M. disputantibus ; ni, etsi minus curiose, &c.* Aristot. Πλημμελὲς γὰρ περὶ κόσμου λέγοντας, εἰ καὶ μὴ δι' ἀκριβείας, ἀλλ' οὖν γε ὡς εἰς τυπώδη μάθησιν, τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν. *Colv.* Locus tam in hac editione quam in aliis omnibus corruptus et mutilus. Ms. cod. meus ita habet : *Indigens quippe orationis hujus videbatur rationi si de mundo reputantes, etsi minus curiose, at quomodo possemus diceremus.* Ego ex sententia verborum Aristot. ita legendum censeo, *Indigens quippe orationis hujus videbatur ratio, nisi de mundo reputantes, de mundi rectore, etsi minus curiose, &c.* Inserui itaque hæc verba, *de mundi rectore,* pro iis quæ habet Aristot. τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν. *Vulc. in Ed. A.* 1594. *Indigens quippe videbatur oratio.* Ita correximus secuti ex parte vulgarem, ex parte scriptam lectionem. *Wower. Indigens quippe videtur oratio de mundo disputantibus, ni, etsi minus curiose, at quoquomodo possumus dicamus.* Ita tacite hunc locum edidit Floridus, *ni* substituens de conjectura Colvii, et cetera, ut dederat Elmenh. In Edd. Rom. Vic. Junt. pr. Bas. pr. *Ind. q. orationis hujus videbatur de M. reputantes, ut etsi m. c. at quom. possemus disseremus.* Aldus vero, Junt. post. Bas. sec. Lugd. Colv. Vulc. Elm. Scriv. *Ind. q. videbitur oratio de M. disputantibus, ut etsi m. c. at quom.* (Elm. Scriv. *quoquom.*) *possumus* (Ald. Junt. post. *possemus*) *disseramus,* vel *disseremus* vel *dicamus,* ut Elm. et Scriv. Verum Wow. edidit *Ind. q. videbatur oratio, nisi de M. disputantes, etsi m. c. at quom. possemus diceremus.* Nunc Mss. consulamus. Florent. *Ind. q. videbitur oratio, nisi de M. disputantes, etsi m. c. at quoquom. possemus, dicamus.* Fulv. *Ind. q. orationis hujus videbatur ratio, nisi de M. disputantes etsi, &c. diceremus :* unde et e vulgatis Wow. suam lectionem fabricavit. Voss. sec. et Bened. *Ind. q. orationis hujus videbatur ratio, nisi de M. reputantes etsi m. c. at quoquom. possemus diceremus.* Voss. pr. *Ind. q. orationis hujus videbatur ratio, nisi de M. disputantes, etsi m. c., at q. possemus, disseramus.* Unde liquido patet, esse legendum *Indigens quippe orationis hujus videbatur ratio, nisi de M. disputantes,* (vel *reputantes*) *etsi m. c. at quoquo m. possemus, de eo diceremus.* scil. *rectore,* qui inmediate præcedit et sequitur. *Quoquo modo* restituendum etiam Sept. de B. Tr. v. 6. et Solin. p. 21. ' Aspernantur . . . quoquo modo tecta.' *Oud.*

Vetus opinio est, &c.] Sic recte hæc a nobis distincta : nam Arist. ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα, &c. *Colv.*

PAG. 737 *Omnia Jove plena esse*] Vide Arati Phænomena, et quæ veteres critici observant ad Virgil. Ecl. III. vs. 60. *Elmenh.*

Consulum] Quia Græci Jovem vocant ὕπατον : quo nomine illi solent Consulem dicere. At Jupiter nusquam Latine vocatur Consul, sed Summus, Pater, &c. *Oud.*

PAG. 738 *Credamus d. per omnia permeare*] Seneca de Consolr ad Helviam cap. 8. ' Deus potens divinus spiritus per omnia maxima minima æquali intentione diffusus.' Vide Notata ad Minutium Felicem. *Elmenh.*

*Et illis q. l. sep. * est proximis * una et ead. rat. per se*] Non est quod quemquam torqueant asterisci ἔλλειψιν notantes. παρέλκει potius litera *s* in *est*. Lege itaque ex vet. cod. fide in hunc modum : *et illis qui longissime separentur, et proximis, una eademque ratione, et per se, et per alios op. sal. adferre :* neque enim otiosa est repetitio hæc conjunctionis *et :* quo pacto enim cum per se, tum per alios ministros universitatem regat, postea

latius declarabit. Quid autem Colvium moverit, ut pro *qui longissime separantur*, legendum censuerit, *longissimis*, causam non video. Apertissimo enim sensu dicit, potestatem divini numinis tam iis qui longissime ab eo separantur, quam iis qui proximi sunt, opem salutis adferre. Hoc tamen inter utrosque esse discriminis, quod proximis sibi, per se; remotioribus, per alios salutem adferat. *Vulc.* Voss. uterque cum Vulc. cod. bene *separentur*. Male Colv. *longissimis*; sed vere idem *et proximis* emendavit, consentientibus Mss. O. pro *est prox.* quod invexerat Aldus. Cum prius ederetur *et una et eadem r.* Vulc. e suo codice reposuit *una eademque*, accedente Florentino; sed Mss. Bened. Voss. retinent cum Edd. prioribus *una et ead.* Dein per polysyndeton *et per se*, ut exhibuit primus Vulc. cum seqq. agnoscunt Mss. O. *Oud.*

Quod sit curæ levioris] Ms. ut Vulcanii, ita et Fulvii habet, *levioris fuscioris quoque.* Quæ quidem lectio dubium non est, quin aliquid mostelli alat, quod doctorum curiositatem mereatur. *Sciopp. in Symb.* Corrupte. Ms. *curæ levioris, fuscioris quoque possint nihil obsequiis facere.* Mendosa et hæc, quæ tamen ad vera viam muniunt. Puto enim emendandum: *levioris faciliorisque, quæ nihilo sequius possint facere Dominorum imperio ministeria servorum.* Nempe ardua et difficilia sua opera principes et proceres administrant; levia et facilia ministerio servorum. Si retinere libet *fuscioris*, pro turpi et abjecto capiendum erit: minus tamen apte. *Wower.* Totum hunc locum sic lego: *Quod sit curæ levioris, fuscioris: quodque possint nihilo sequius facere dominorum imperia; ministeria servulorum,* nisi illud *levioris* sit glossema. Aut nisi ita ut aliquid desit *curæ levioris, operæ facilioris,* aut *operæ fuscioris.* Mox: *quem ab omni fuscitate ac perturbatione vident liberum.* Brant.

Nihil enim possunt æquius facere] Bas. 2. *fuscioris quoque possint nihil obsequiis facere.* Neutra lectio absque mendo est, quod jam mihi tollere non datur. Tentabam aliquando, *Nihil enim possunt ex æquo facere.* Colv. Frustra est Colvius emendans, *Nihil enim possunt ex æquo facere, &c.* Basileensis Ed. ita legit, *fuscioris quoque possint nihil obsequiis facere*: a qua lectione in eo tantum discrepat Ms. cod. meus quod pro *obsequiis* legat *obsequius.* Ego in dictione *quoque* syllabas transpositas esse crediderim; et ultimam ejus syllabam, *que* scilicet, conjungendam esse dictioni præcedenti *fuscioris*, et legendum esse, *quod sit curæ levioris fuscioris que*: ut per leves curas intelligat minutas: per *fusciores* (forte *turpiores*) res minime decoras. Fuscum enim Latinis est, quod Græcis φαιόν. quod et turpe et deforme significat: a qua voce Græca videtur fluxisse vox Hispanica *Feo*; id est, turpis et deformis, ater: ut cum de muliere deformi dicunt, *Es fea como la noche.* quemadmodum itaque hac significatione *Feo*, sive τὸ φαιὸν, opponitur candido, et per consequens, pulchro; ita Appuleius fortasse Fuscam coram opponit splendidæ, et quæ sit digna rege. Deinde putarim priorem illius dictionis *quoque* syllabam, *quo* scilicet, conjungendam esse cum seqq. atque ita legendum: *quo* id est, qua re, *possint nihil sequius* (id est alienius a decoro, vel indecentius) *facere dominorum imperia, ministeria servulorum*, quam nimirum si utrobique ratio officii sive decori violetur. *Sequius* deducit Appul. a *secus.* Ita alibi Sexum sequiorem vocat muliebrem, id est, deteriorem. *Secius* vero deducit idem Appul. a *Sero*, ut et Plaut. Amph. 'Si forte paulo quam veniam secius.' *Vulc.* Edd. priores vulgo *c. levioris. Nihil enim possint* (vel *possunt*) *æquius f. d. imperia ministeria s.* Sed Junt. post.

Bas. sec. Lugd. *c. l. fuscioris quoque possint nihil obsequiis f. d. imperia m. s.* In Ed. Vulc. tert. sine τῷ *curæ* legas *l. fusciorisque quæ nihilo possint facere d. imperio ministeria s.* corrupte et Typothetarum vitio. E Mss. meis Voss. cum Cod. Vulc. consentiunt, quibus accedit Fulv. nisi quod ille habeat *obsequiis*. Florent. *c. l. fuscioris quoque. Nihil enim obsequius possunt f. d. imperia m. s.* Bened. *c. levior fuscioris quoque possint nihil obsequiis vel nihilo segnius f. d. imperia ministerio s.* Unde non dubito, quin legi debeat *c. levioris, fusciorisque, quoniam* (vel *quom* sive *cum*) *possunt nihilo sequius facere dom. imperia ministeria serv.* vel potius simpliciter, quia sæpe *que* abiit in *quoque*, et contra, legendum *c. l. fusciorisque. Nihilo enim sequius possunt f. d. imperia m. s.* quod præfero. Nam miror, interpretes nullam rationem habuisse τοῦ *enim*, et non considerasse *imperia* esse in Mss. et Edd. vett. Sensus est: 'Quoniam ministrantes servi æque possunt facere dominorum imperia in rebus vilioribus.' De *sequius* vide ad Met. lib. IX. p. 649. b. et alibi: immo *nihilo sequius* legendum jam vidit Lipsius. *Fuscum* posuit Auctor pro turpi, sordido. Sic de Dogm. Plat. p. 610. 'Animas fusciores inpelli cupidine corporum.' cf. et Brant. Metaphora desumta a fusco colore, qui ingratus et sordidus. *Oud.*

Pag. 739 *Susam et Ecbatanas*] Cleomedes lib. II. p. 73. *Elmenh.* Bened. *Susamna cuatanas.* Voss. sec. *Susam ecuatanas.* *u* rursus pro *b*. In singulari *Susa* occurrit quoque apud Justin. lib. XI. cap. 14. et in Mss. plurimis Curtii, l. V. c. 2. § 8. Capi ita quoque posset Lucan. lib. VIII. vs. 425. Sed omnes auctores, quod sciam, *Ecbatana* vel Ἀγβάτανα (ut Ms. Herod. Florent. lib. I. c. 98. et 110. v. Gronov. et Wess.) in plurali, non *Ecbatanas* dicunt. *Oud.*

Inter. for. exter. jan. imminebant] Quis non animadvertit Solœcismum? dicendum enim erat: Inferioribus foribus exteriores fores imminebant. Sed ne hoc quidem vult Aristoteles. Imminent enim quæ vicina, imo proxima ac pæne contigua sunt: at hæc πρόθυρα, ut inquit Aristoteles, erant συχνοῖς εἰργόμενα σταδίοις ἀπ' ἀλλήλων, hoc est, ut vertit Budæus, 'multorum stadiorum interstitiis dimensæ inter se, ac diremptæ.' Lege itaque pro *Imminebant*, ut est in omnibus Edd. *muniebant*, hoc est, concludebant et arcebant ab aditu sive ingressu. utrumque enim hoc significatur per εἰργόμενα. Nam εἴργω significat et κωλύω, id est, prohibeo et arceo, et ἐγκλείω. Sic Horatius 'Inclusam Danaën turris ahenea, Robustæque fores, et vigilum canum Tristes excubiæ munierant satis Nocturnis ab adulteris.' *Vulc.* Bas. 1. et Ald. *imminebant*, male. *Elmenh.* Bene correxit Vulc. cum seqq. et Mss. O. Ed. Vulc. tert. corrupte *mimiebant.* Ms. Florent. *munibant*, ut sæpe App. Vide ad Met. lib. VIII. p. 247. b. Statim pro *firmitate* Fulv. *firmamenta.* Oud.

Viri fortes] Vide Lindenbrogium ad Catalecta veterum poëtarum p. 292. *Elmenh.*

Aures regiæ et Imperatoris oculi] Hæc non ita in Aristotele. Sed de his Jul. Pollux l. II. c. 37. Ἐκαλοῦντο δέ τινες ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως, οἱ τὰ λεγόμενα διαγγέλλοντες, καὶ τὰ δρώμενα. ἀπὸ δὲ τούτων τὸ ὠτακουστεῖν πεποίηται. *Colv.* Ita vertit Appuleius τὸ ὠτακουσταὶ, qui a Veteribus dicti sunt Auricularii. Notum est illud, Regibus longas esse aures. Adjungit vero Appuleius Auribus regiis, etiam eos qui oculi Imperatoris dicebantur; quales Oculos describit Philostratus De vita Apollonii, sub finem libri IV. διαλεγόμενον δὲ, inquiens, καὶ σιωπῶντα, καὶ καθήμενον, καὶ βαδίζοντα, καὶ ὅ, τι φάγοι, καὶ παρ' ὅτου, καὶ εἰ ἔθυσεν, ἢ μὴ ἔθυσε περιήθρει πᾶσιν ὀφθαλμοῖς,

ὁπόσοις ἡ ἀρχὴ βλέπει. *Vulc.* Xenoph. Cyrop. lib. VIII. pag. 209. βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα. et Suidas in ὀφθαλμὸς βασιλέως. ubi vide. Voss. sec. *imperatores*, male. *Oud.*

Domibus et muneribus] Emendo, *donis et muneribus*. Arist. δώρων τε ἀποδεκτῆρες. *Colv.* Legendum omnino *donis et muneribus:* accipiendis scilicet, nomine Magni regis: nam ita eos vocat Aristot. ἀποδεκτῆρας. Neque enim quisquam eum adibat, qui non ut Deo donarium aliquod adferret: quem adhuc morem servat Scytharum Imperator: cui vectigalis, proh pudor, etiam Noster κοίρανος. Inter Donum vero et Munus hoc discrimen ponunt Grammatici, quod illud sit dantis, hoc, accipientis. Theologi Scholastici Dona vocant quæ voluntarie donantur: Munera quæ pro aliquo munere vel mercede offeruntur. *Vulc.* Non male Colv. Vulc. cum Lipsio et seqq. Mss. tamen omnes cum Edd. vett. *domibus:* ut suspicer, *domus* κατ' ἐξοχὴν sumtas pro Gazophylaciis, ubi res, quæ muneri solebant donari, servabantur: nisi exciderit vox aliqua. *Oud.*

PAG. 740 *Atticum regnum*] Legendum omnino ex Aristotele *Asiaticum regnum:* quod et εὐστοχώτατος Justus Lipsius, priusquam ego Appuleium accurate cum Aristotele conferre cœpissem, animadverterat, meque monuerat. Budæus vertit, 'Tum autem universum Asiæ imperium Hellesponto esse terminatum.' E qua versione, quod scilicet Budæus addat *Tum*, respectu ad tempus illud quo reges de quibus agit, Asiæ imperabant, quo et Appul. respicere videtur, vertens *terminabat*: is qui non ita pridem novum Aristotelem Græcolatinum edidit, margini hujus loci adscripsit, *Sed omne antiquum regnum:* quam quidem lectionem nequaquam improbaverim: plenior tamen mihi illius sensus futurus videtur, si legamus *Antiquum Asiæ regnum*, ut Aristotelis verba ἀρχὴν τῆς Ἀσίας exprimamus: cujus quidem regni fines tametsi fuerint propagati, vetus tamen Asia ut tertia Orbis terrarum pars, iisdem semper, quibus a Geographis circumscripta erat, terminis clauditur. *Vulc.* Mendosum: quid si *Persicum?* longe recedit a literis. Quid si *Medicum?* longius a veritate. Quid si *Asiaticum?* proxime accedit ad veritatem. Quid si *Asicum?* Jam pura puta veritas est. *Brant.* *Sed omne Asiaticum regnum ab occ. Hellesp. terminabat, ab ortu gens inchoabat Indorum Duces, &c.* *Asiaticum* e conjectura Lipsii et Aristotele receperunt Edd. Vulc. et seqq. cum ante exhiberetur *Atticum*, ut est in Mss. vel *Acticum*, quod dant Mss. Voss. sec. Bened. Adjectivi *Asicus* velim exemplum det Brantius. Miror vero non vidisse viros doctos, hic quædam deesse. Non enim Auctor hic agit Geographum; quando mirifice inter enumerationem ministrorum et curatorum hujus regni interponeret ex abrupto hanc Geographicam descriptionem. Aristoteles τὴν δὲ σύμπασαν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας περατουμένην Ἑλλησπόντῳ μὲν ἐκ τῶν πρὸς ἑσπέραν μερῶν, Ἰνδῷ δὲ (sic enim lego non Ἰνδῶν) ἐκ τῶν πρὸς ἕω διειλήφεσαν κατὰ ἔθνη στρατηγοὶ καὶ σατράπαι. Forsan ergo *sed omne, qua totum regnum ab Occidente Hellespontus terminabat, ab Ortu gens inchoabat Indorum, curabant duces ac satrapæ.* Certe similis scriptura esse debet, nisi ineptissime scripserit App. Pro *Indorum* Bened. *Indeorum*. Oud. Non sollicitandum est *Asiaticum*, cum apud Aristot. sit ἀρχὴν τῆς Ἀσίας, et ipsæ Varr. Lectt. *Atticum, Acticum*, ex *Asiaticum* depravatæ videantur. In reliquis secuti sumus conjecturam, quam mecum humanissime communicavit Clar. Lennep. Sic sane insertis tantum *per* et *quod* locus est planissimus. *J. B.*

Et nuntii specularum incensores] Correxerim, forte bene, *spec. inscensores:* vel *inspectores*. Φρυκτωριῶν τε ἐποπτῇ.

pes. Colv. Vet. cod. *Speculatorum*, minus recte. Speculæ, Homero σκοπιαὶ, sunt loca eminentiora, in quibus speculatores sunt dispositi, qui ea quæ vel oculis vel voce acceperunt, eadem etiam ratione aliis transmittunt atque significant. Cicer. in Verrem, 'Non enim sicut antea consuetudo erat, prædonum adventum significabat ignis e specula sublatus aut tumulo,' &c. Pro *incensores* vero, quod est in Appuleio, Colvio magis arridet *Inscensores* vel *Inspectores*, respectu ad vocem ἐποπτῆρες. quæ vox tametsi quidem significet Inspectorem, parum tamen profuerit φρυκτωρίας inspicere, nisi eas incendendi curam gerat. Appul. itaque vertens τὸ ἐποπτῆρας *incensores*, respexit ad speculatorum curam et munus. Et omnino ἐποπτὴρ significat etiam ἐπιμελητὴν, id est, Curatorem, ut et ἔφορος et ἐπίσκοπος. ἔφοροι Atheniensium noti. ἐπίσκοποι Indorum, non item. quos Arrianus lib. de rebus Indicis describit, οὗτοι, inquiens, ἐφορῶσι τὰ γινόμενα, κατὰ τὴν χώρην, καὶ κατὰ τὰς πόλιας, &c. *Vulc.* Ms. *nuncii speculatores incensores assidui.* Alius Ms. *Hac* (id est, *ac*) *nuncii specularum in. assidui. ium bonum per vices*, &c. Sciopp. in Symbola. Colv. legit, *Inscensores* vel *Inspectores*, quia in Græco φρυκτωριῶν τε ἐποπτῆρες. Sed neque Appuleius semper Aristotelem sequitur, et vero hic optime, *incensores*, quadrat; fumo enim et flammis speculatores signa dabant. Adi Lips. de militia Romana lib. v. *Brant.* Malim *nuncii et spec.* Aristot. καὶ σκόποι καὶ ἀγγελιαφόροι καὶ φύλακες, φρυκτωριῶν τε καὶ ἐποπτῆρες. Juvat nonnihil Voss. sec. qui habet *ac nuncus.* Fulv. alter *hac nuncii.* V. Sciopp. In Florent. Voss. Bened. Vulc. Ald. *speculatorum:* unde Scaliger et Voss. in Etymol. v. *spectio* legunt *speculatoriorum.* Probo: quomodo et *speculatorium navigium.* Dein *Incensoris* Ald. *Inscensores* Lips. cum Colvio. Sed rectius *incensores* defendunt Vulc. et Brant. quia illi in speculis faces accendebant, et fumo flammisque signum dabant. Vide Casaubon. apud Elmenh. infra. Posses alias legere *insessores:* sed nil muta. *Oud.*

Incensæ faces ex omnibus r. subl. l.] De hac re erudite Isaacus Casaubonus in Epist. ad virum præstantissimum Johannem Witten Lubecensem, Illustrissimi Principis Mecklenburgensis Consiliarium intimum, quam ob elegantiam eximiam, et argumenti similitudinem integram hic apponam. 'Πυρσείαν et Φρυκτωρίαν, &c. [Vid. Not. Delph.] ... Sed non probat Polybius omni ex parte, quod ante ipsius tempora aliis fuerat eo in genere inventum. Itaque vir ingeniosus hanc novam πυρσείας rationem excogitavit.

'Qui facibus uti volent in speculis ad signum dandum cujuscunque rei, quam significari aliis erit necesse, habeto in suis speculis quisque literas descriptas in 6 tabellis hoc modo:

LORICA APPENSA TABELLIS.

a	*f*	*l*	*q*	*x*
b	*g*	*m*	*r*	*y*
c	*h*	*n*	*s*	*z*
d	*i*	*o*	*t*	
e	*k*	*p*	*v*	

'Tabella hæc debet statui in speculæ loco tam ejus, qui dat signum, quam ejus qui accepturus est: atque hoc inprimis videndum est ut speculæ sibi ex adverso quam optime respondeant. Præterea qui faces observat, jubetur a Polybio dioptram habere (id est, mathematici instrumenti genus, quo oculorum acies missa per canalem tutius dirigitur ad metam propositam). Hujus præcipuus usus est, ut qui observat signum, dignoscat probe, ab utro angulo, dextro an sinistro, loricæ oppo-

sitæ literarum signum detur. Nunc explicemus modum. Fingamus in aliqua urbe proditos esse a præsidii sui parte. Id ut procul significent, ita faciendum. Scribendum igitur quam brevissime id fieri poterit, quod velis, puta:

Centum milites defecerunt.
vel,
Proditionem quidam moliuntur.

'Ante omnia qui parat dare signum, et qui accepturus est, attendere sibi faciet, facibus toties sublatis, donec alter signum dederit suæ attentionis. Id signum est facium ex adverso elatio.

'Postquam attendere cæpit, qui signum exspectat, indicanda est illi tabula, in qua prima litera est ejus, quod indicaturus est, puta C, quod est in prima tabula, vel P, quod est in tabula tertia. Ergo accedes ad loricæ angulum sinistrum, et ut C designes, semel ab loricæ læva parte facem tollas, ut P, ter facem moveas super loricam elatam. Sic de cæteris. Qui signum aucupatur, indicatam sibi tabellam adnotat, ut mox monstratam in ea literam quærat. Tertio superest, ut litera quærenda in tabella significetur. Qui dat signum venit ad loricæ dextrum angulum, et quota est litera indicanda in sua tabella, tot facit πυρσεΐας sive facis elevationes, puta ut C indicet 3. Et P 5.

'Qui excipit signum datum, facile intelligit, quæ litera sibi indicetur, eamque diligenter adnotat, scribitque in tabula parata in eum usum, atque simili modo exarat omnes literas, donec omnibus indicatis reperiatur scriptum in tabella excipientis id quod ab initio erat propositum. Hæc Polybiana ratio est, melior sane inventis aliorum, quæ tamen valde sunt elegantia. Ea ad Polybium nos ante multos annos exposuimus, et quæ ibi sunt mire involuta et depravata evolvimus. Si Deo O. M. sic olim videbitur, ut eum eximium scriptorem edamus, habebis id a me, vir nobilissime et amicissime, meæ in te fidei et amoris testimonium.' Hactenus Casaubonus. *Elmenh.*

PAG. 741 *Qui in ligneolis hom. fig.*] Turnebus Advers. l. II. c. 18. *Idem.*

Mundo equidem consentiunt] Aristoteles καὶ αὐτὸ πάλιν ἐκίνησεν ἄλλο, σὺν κόσμῳ. Budæus, 'rursus ipsum quoque aliud movet cum mundo.' Vide an potius τὸ σὺν κόσμῳ vertendum sit εὐκόσμως vel κατὰ κόσμον. hoc est, ordinato et consentaneo motu. *Vulc.* Hoc quid sibi velit, non intelligo: quid si *Movendo equidem*, vel *Mutuo equidem*. Lucret. 'Consentire inter se et fungi mutua posse.' *Sciopp. in Symb.* Alii *mutuo e. c.* bene. *Elmenh.* Certe si *mundo* scripserit App. ut est in Mss. O. non intellexit Aristotelicum σὺν κόσμῳ, quod notat ordinate, decenter, ut notat Vulc. Scioppii conjecturam *mutuo* non male receperunt Elm. Scriv. Flor. Verum malim Appuleio adscribere τὸ *mundo*. Oud.

PAG. 742 *Illa inter agros legibus et inst. s. nat. lege aggr.*] Qui *parum scite profecto, ut alia nonnulla* (utor eorum verbis) hæc ab Appuleio versa notarunt, æquiores huic interpretum Græcorum (vere dixerim) Coryphæo fuisse vellem, et tam hoc loco, quam aliis, scribarum potius inscitiam aut alioqui temporum injuriam suspectam habuisse, quam Appuleii ipsius eruditionem et Græca convertendi peritiam in dubium vocasse, nedum censorio obelisco fixisse, Aristarchicumque in morem damnasse. Libet exclamare: 'Quæ veterum hæc tanta est damnandi scripta libido? Sit satis, audacter carpere scripta hodie.' Sed videamus an inscitæ huic, si diis placet, Appuleii versioni medicinam aliquam facere possimus. Ms. cod. meus ita legit: *illa, inter cicures atque agrestes legib. et institutis, &c.* Per *illa*, significat Appul. τὰ χερσαῖα sive terrestria animantia, quæ

distinguit in duas species τῶν ἀγρίων scilicet, et τῶν χειροήθων. Quid hic aliud egit Appul. quam quod ipse se studio facere solere alibi testatur, nimirum in Græcis auctoribus Latine convertendis, 'in omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere:' quod quidem dum facit, tantum abest, ut inscitiæ sit damnandus, ut potius summam non solum eruditionis, verum etiam diligentiæ laudem mereatur. *Vulc.* Optime emendavit Vulc. adsentientibus Mss. O. et Edd. seqq. *Oud.*

Atque uno sinu] Marg. Bas. 2. *atque ubi simul:* id est, simul atque, statim ubi. *Colv.* Sed neque sic quidem sensus constabit. Lege itaque in hunc modum, *atque ab uno sinu abeundi fac. conc. fuerat omnibus:* hoc sensu: Tametsi varia hæc animantium genera ex uno sinu, sive, ut supra dixit, gremio emissa sint, singula tamen ad naturalem ac proprium sibi locum ferri. *Vulc.* Legitur in marg. Bas. 2. *atque ubi simul*, id est, simul atque. Lego *unose*, et τὸ *simul* ejus glossema est. Nonius Marcellus: 'Unose, id est simul.' Pacuvius Iliona: 'Occidisti, ut multa paucis verba unose enunciem.' *Brant.* Hæc ignorat Rom. Edit. Basil. legit, *atque ubi simul.* Leid. *atque in una ab humero sinu.* Unde non male doctiss. Brantius, *atque unose abeundi*, cujus notas vide. *Elmenh.* Imo ridicule Brantius. Elm. Scriv. Flor. hæc ita ediderunt, *atque ut ab uno sinu abeundi facultas concessa omnibus fuerit*, pro, simulac data iis fuerit facultas, ut exponit Floridus. Wow. vero cum Vulcanio *est. Atqui ab uno sinu, &c. fuerat.* hoc sensu: Varias quæque ibunt vias, licet uno sinu emissa sint animalia. Sed tum deberet præteritum, non futurum præcedere. In Ed. Vulc. tert. ac Ms. Bened. legitur *est: atque una ab uno sinu, &c. fuerat.* Ald. Junt. post. Lugd. Colv. habent *atque uno sinu, &c. fuerit.* Ms. Florent. *atque ut uno s. fuerit.* Voss. *atqui una ab humero sinu, &c. fuerit:* unde Is. Vossius legit *atque ab unico sinu fuerit*, ut *atque* notet *simulac.* Sic sane apud Solin. c. 32. p. 43. 'quæ atque inventa et oblata est, eadem die neci datur:' ut quidem est in Mss. plerisque et Edd. et Salm. ait, ita supra auctorem locutum esse. At p. 31. *atque* ponitur pro *æque ac:* in Leid. pr. est *quæ ut*, i. e. simulac: quomodo edidit Delrius. in Voss. 4. et Huls. *quæ qua, &c.* sc. die. Prave ibi Ald. Delr. Grosl. contra Mss. et Edd. *statim* ante *neci* intrusere. Sed præter hunc Solini locum usquam *atque* hoc sensu me legere memini. Sæpe autem pro *statim* occurrere aiunt, non pro *simulac.* Vide ad Met. l. I. p. 60. Forte igitur potius legendum: *largita est. Atqui una ab uno* vel *libero sinu, &c. fuerit* sive fuisset, non *fuerat.* Lipsius etiam *atqui* adlevit. Immo *atque* sæpe idem valet, quod *atqui.* V. Ind. Not. Pro *facultas* Aldus vitiose *incultas.* Ante Aldum omnia hæc deerant. *Oud.*

Div. mens. æqualitatibus] Locus mihi vehementer suspectus. Neque enim satis cum Aristotelis verbis convenit, qui sic habet: ἀλλοῖαι πάντων διέξοδοι γίνονται. neque Budæus mihi satis ea explicare videtur, vertens, 'aliæ atque aliæ permutationes fiunt.' Per διεξόδους enim significat Aristoteles varios orbium cælestium decursus. Quo fit ut ego, commodioris alicujus sensus ex Appuleii verbis eliciendi causa, pro *æqualitatibus* legendum putem *qualitatibus.* Vulc.

Communis Cyllenius stella] Lego, *Comis Cyll. stel.* Compendium, *cois.* quod peperit errorem. *Colv.* Ms. cod. expresse legit, *communis:* quod vide an hoc loco significet συνεργόν. certe Munifices συνεργοὺς interpretatur Julius Firmicus Ἀστρονομικῶν lib. II. c. 4. Vide etiam an *communis* dicatur ab Appuleio Mercurius, ut explicet id quod Aristoteles dixit ἰσόδρομον. Habet enim hoc commune

cum Jove Mercurius, quod æquale propemodum cum eo curriculum conficiat: tametsi scholiastes Arati Mercurium spacio sex mensium et sex dierum curriculum suum peragere scribat. *Vulc.* Flor. *communes C. s.* In Rom. est *communis*, unde legendum puto, *comis Cyllenius stella*. Lactantius ad lib. I. Thebaidos Statii: 'Benefica stella Mercurii, maleficarum temperat flammas.' *Elmenh.* Ed. Vulc. sec. tert. e typographi errore *communi*. Bened. *comminus*. Florid. cum Colv. et Elmenh. *comis*. At *communis* retineo; non quod communis cum Jove, sed quod est cunctis comis et beneficus. Vide Græv. ad Cicer. Off. lib. III. c. 5. et Comm. ad Nep. Milt. in f. 'mira communitas.' Schol. ad Epit. Aur. Vict. cap. 18. 'communem se adfatu.' Aliter explicat hunc Nostri locum Tollius, aiens *communem* dici, quia ejus vis restringebatur a vicino planeta, sive bono sive noxio, ex Servio ad lib. I. Georg. 'in quos cœli orbes erret Cyllenius ignis:' et Joh. Sarisb. lib. II. cap. 19. *Oud.*

PAG. 743 *Stellarum chorus*] Sic recte Aristotel. Ἁρμονία συνᾳδόντων καὶ χορευόντων κατὰ τὸν οὐρανόν. Collegi hanc in rem exempla aliquot supra, ad lib. VI. Metam. *Colv.* *Atq. un. stellarum chorus: ex div. occ. ort. hoc ornamento.* Vitiosa distinctio sententiam turbat. Delendum itaque est colon post *chorus;* et continuo ita legendum: claudenda vero periodus post *ortibusque:* ut sit sensus, ex diversis ortibus et occasibus, una cæli conversione circumactis, unum quendam effici stellarum concentum ac chorum: quæ vero sequuntur ita lege: *Hoc ornamentum et veluti monile rect.* κόσμον *Gr. ling. significat.* Recte vero Appul. *velut monile* dixit. Monile enim est ὅρμος. ὅρμος vero περιτραχήλιος κόσμος. *Vulc.* Ms. *hoc ornamentum et monile rectissime, &c.* Placet, nisi quod velut nova periodus ab prioribus puncto est distinguenda. *Sciopp. in Symb.* *Hoc ornamentum et monile rectissime κόσμος Græca lingua significat.* Ita lib. scriptus. In aliis vero hæc verba desunt: præferunt aliquid glossematii. *Wower.* Pro glossemate hæc suspecta habent Scal. Wow. Elm. et Scriv. κόσμος abest ab Edd. ante Ald. Sed Edd. ante Wower. *ornamento et ut monile:* atque ita Mss. Bened. Voss. sec. Vulc. Sed alteram lectionem e Ms. Fulvii Sciopp. et Wow. atque e Florent. Elm. dedere cum seqq. Voss. sec. κόσμος *recte*. Si Appuleiana sunt, lege vel κόσμον, cum Vulcan. ut *Græca lingua* sit Nominativus, vel potius *significatur:* sed κόσμον non vocari hoc ornamentum et chorum stellarum, sed τὸ σύμπαν testatur Arist. immo habuimus jam supra de Mundo 'Unde κόσμος Græce nomen accepit.' Adeoque vel desunt quædam, vel totum est Glossema. Stoici tamen κόσμον tripliciter sumserunt, et in his αὐτὴν δὲ τὴν διακόσμησιν τῶν ἀστέρων κόσμον εἶναι λέγουσιν. teste Diog. Laërt. in V. Zenonis lib. VII. § 138. *Oud.*

S. quidem contuens ortu suo] Propius ad Aristotelicam sententiam accedit lectio Bas. 2. et Ald. *Sol quidem omnituenti suo*, si quidem ea omnino recta: πορεύεται δὲ δίττας πορείας ὁ παμφαὴς ἥλιος, τῇ μὲν ἡμέραν καὶ νύκτα διορίζων, ἀνατολῇ καὶ δύσει. *Colv.* Lege cum Ms. cod. meo, *omnituens*, hoc est, παμφαής. Ita Orpheus: εὔδιε, παμφαὴ, κόσμου τὸ περίδρομον ὄμμα. *Vulc.* Bas. 2. et Ald. *Sol quidem omnituenti suo.* Lego *omnituens ortu suo.* Juvant verba Aristotelis quæ Colvius exhibet: ὁ παμφαὴς ἥλιος. *Brant.* *S. q. omnituens.* Sic Bas. 2. Flor. et Ald. *S. q. omnituenti.* Rom. *s. q. contuens ortu s.* Aristotelis παμφαὴς ἥλιος. Ovid. lib. II. Met. fab. 1. 'Sol oculis juvenem, quibus aspicit omnia, vidit.' *Elmenh.* Mss. O. *omnituens ortu suo d. p.* et Vulc. cum seqq. præ-

ter Scriver. qui conjecturam e lectione Aldi, Junt. post. Bas. sec. Lugd. *omnituenti suo* natam expressit: sed falso. Non enim *ortu* suo omnia tuetur Sol, sed toto suo cursu, adeoque oriens, medius, et occidens. Edd. vett. *contuens* male. Vide Burm. ad Valer. Flacc. lib. v. 247. de Sole: 'Omnituens: tua nunc terris, tua lumina toto Sparge mari.' *Oud.*

Hinc tempestivi imbres et spiritus, aut infecundi] Vet. cod. legit, *Hinc tempestivi imbris est spiritus aut secundi:* nihilo rectius quam vulgatæ Edd. imo vero etiam corruptius. Ego distinctionis unius transpositione, et unius literæ adjectione ita commode legi posse censuerim, *hinc tempestivi imbres, et spiritus haud infecundi.* Spiritus sive ventos fecundos vocat, ob varias utilitates quas rebus humanis adferunt. Nam ut eleganter describit Seneca lib. Nat. Quæst. v. c. 18. 'Venti primum non sinunt aëra pigrescere,' &c. Et paulo post: 'Quid quod fruges percipi non possent, nisi flatu supervacua et mista servandis ventilarentur,' &c. Qua de causa non immerito Homerus ventos aptissimo Epitheto ornavit, quum eos vocavit ζαχρηεῖς, quod nimirum sunt ἄγαν χρειώδεις, et ad frugum maturitatem fœcunditatemque excitandam necessarii. Eadem fere ratione supra vocavit Aristoteles νέφος γόνιμον ὕδατος, quod Appul. vertit, 'aquarum fœtu gravidatur.' *Vulc.* Ms. *haud:* quod et Vulcanius de conjectura reposuerat. *Sciopp. in Symb.* His usque ad *voluit* carent Edd. ante Aldum, item Bas. pr. uti ea semper primis adhæret. Dein Edd. Ald. Junt. *aut insecundi.* Mss. Bened. Voss. pr. Edd. Bas. sec. Lugd. Colv. Vulc. pr. Scriv. *aut infœcundi.* Sed cum Vulcan. et seqq. *haud infœcundi* habent Florent. et Fulv. Rectissime. *Oud.*

Hinc alimenta nobis subpetunt earum rerum, quas accidere D. his mundi partibus voluit] Leid. et Flor. *h. al. rebus esse, earum quas.* Alii, *h. elementa nobis s. a. e.* Elmenh. Ita quidem edidit Aldus cum seqq. nisi quod *accedere* rescripsit Vulc. et ceteri. Verum de humanis alimentis mox demum sequitur. Et longe aliter hæc se habent in Aristotele scil. τά τε πάθη τὰ ἐν τῷ περιέχοντι συμβαίνοντα διὰ τὴν πρώτην καὶ ἀρχαιόγονον αἰτίαν, i. e. passiones in aëre accidentes ex prima et primordiali caussa. Longe etiam aliud quid suadent Mss. et Vulc. quidem *hinc alimenta rebus esse earum, quas acced.* Florent. *h. al. vobis earum, quas accedere.* Bened. *hinc alimenta nobis esse earum, quæ accedere.* Voss. pr. *hinc alim. vobis esse earum rerum, quas accidere.* Voss. sec. *hinc alim. vobis esse earumque accidere.* Dein post *mundi* addunt *mediis* Mss. Fulv. Voss. uterque et Bened. cum Ed. Scriv. Ergone simpliciter rescribendum? *Hinc alimenta reberis esse tempestatum, quas accidere D. his mundi mediis partibus voluit.* Certe tale quid latet. *Reberis* tu Faustine. 'Tempestates accidentes mediis mundi partibus' sunt πάθη συμβαίνοντα ἐν τῷ περιέχοντι. Melius qui conjecerit, ei cedam. Satis mihi fuit, corruptionem loci et medicinæ rationem indicasse. *Oud.* Paulo aliter hæc Aristotelem secutus edenda putavi. Intelligit autem μετέωρα. Judicent eruditi. *J. B.*

Emicationesque sylvarum] Δένδρων ἐκφύσεις. *Colv.*

Pag. 744 *Propalam sæpe confectas*] Num potius, *conspectas?* ut videtur velle Aristoteles: ποτὲ μὲν ἀφανιζομένη, ποτὲ δὲ φαινομένη, μυρίας ἰδέας ἀναφαίνουσά τε καὶ πάλιν ἀποκρύπτουσα ἐκ μιᾶς ἀρχῆς. *Colv.* Colvius ambigit an rectius legi possit *conspectas:* at hoc idem est, quod *propalam:* quo pacto itaque his verbis explicetur differentia quam statuit Aristoteles, dicens ποτὲ μὲν ἀφανιζομένη, ποτὲ δὲ φαινομένη? Ms. cod. pro *confectas* legit *consectas:* sed ne hoc quidem satis ad

mentem Aristotelis, quo fit ut potius legendum censeam *contectas:* ut respondeat illi ἀφανιζομένη. ponenda tamen est majoris perspicuitatis causa nota distinctionis post *propalam*, ut etiam post *contectas*. Pro hac mea emendatione facit ipse Appul. idem fere quod hic aliis verbis significans. Ait enim, 'curaque omnibus occulta, vis nullis oculis obvia, nisi quibus mens suæ lucis aciem intendit.' Occultam hic vocat quam supra *contectam:* naturam hic ἀόρατον, ἀφανῆ, quam supra ἀφανιζομένην. *Vulc.*

Agitari jubet] Pendet sententia a prima periodi voce *cum, &c.* quæ ut sit plena, subaudiendum, vel potius subjungendum est, post *jubet*, *agitatur;* ut sit sensus: Cum igitur Rex, &c. machinam agitari jubet, agitatur; tota scilicet ipsa, et varii in ea diversorum inter se motuum orbes: quod ipsum statim aptissimis similitudinibus explicat. *Idem.* Hinc Ed. Vulc. tertiæ contra Mss. O. insertum est *agitatur*, quod uncis inclusere Elm. et Scriv. Sed recte nemo adsensum præbuit. Sensus enim est: Cum Deus ita mundum agitari jubet, simile istud est rei militari, ubi primo ducis motu et imperio agitantur. Porro *istuc* habent Mss. Bened. Voss. sec. recte pro istoc: ut alibi 'isthæc,' 'isthunc.' Vide ad Met. l. I. p. 15. b. In reliquis *istud*. Oud.

Loris jugales ad concordiam cop.] Τὸ *loris* male omittit Leid. et Florent. *Elmenh.* Carent tamen etiam Bened. Voss. quod meretur adtentionem. In quadrigis enim *jugales* ζύγιοι equi a *funalibus* σειραίοις, qui sunt in lateribus, distinguuntur. Adi præter alios Rutgers. lib. I. Var. Lect. c. 10. Verum huc id trahi non debet: præsertim cum Aristoteles modo loquatur de συνωρίδι sive biga. *Lora* autem, quibus equorum colla ad jugum vinciebantur, vocabantur *Lepadna*. De iis et *jugalibus* vide Scheffer. de Re Vehic. lib. I. c. 11. Ceterum *jugales* sæpissime sumtum a poëtis simpliciter pro equis: unde omnes Solis equi *jugales* vocantur Claudiano Init. Cons. Prob. et Olybr. *Oud.*

Velites executione adornant] Bas. 1. Rom. *milites*. Margar. Poët. *velites executionem adornant.* Quod certe melius. *Colv.* Vet. cod. pro *executione* legit *excutionem:* quæ lectio facit ut non incommodo sensu censeam legi posse, *Velites excursionem adornant*, posita hic nota distinctionis: deinde ita legendum, *ordines principes curant*, hoc est, aciem instruunt, manifesto sensu. *Vulc.* *Equites ordinibus præsunt.* Legendum omnino meo quidem judicio *cornibus*, non *ordinibus*. Idem. Male primo *milites* dant Edd. ante Aldum contra Mss. O. et Margar. Poët. atque Aristotelem. Levis armaturæ milites quosque intelligit. Vide Veget. Dein *executionem* etiam Rom. Vic. Ven. Marg. Poët. cum Mss. Florent. Voss. *excutionem* Ms. Vulc. cum ejus Ed. sec. ac Scriv. Edd. Junt. Ald. &c. Colv. *executione adornant ordines:* omnino male, ut vidit Vulc. qui vulgatam lectionem *excursionem adornant* propinavit; et, ni excerpta fallunt, exstat in Bened. ἐκτρέχει ὁ ψιλὸς Arist. Alii solent dicere *procursionem*. Sed ita fere 'excursus inopinatus cohortium' Frontino l. II. 2. 22. et *excursationes* apud Val. Max. l. II. c. 3. § 3. Lipsius adlevit *excussionem*. Forsan reliquit App. *exculcationem*, de qua et 'exculcatoribus levis armaturæ' adi me ad Veget. l. II. 15. et init. hujus lib. Hinc *adornent* Voss. sec. et *ordinibus principes curant* habent Mss. O. certe Vossiani, Bened. et Edd. Vulc. sec. ac Wow. Omnino recte et ex more Appuleii, qui passim *curare* cum Dativo construit. Vide Ind. Not. Bened. *princeps*. *Ordinibus* etiam ex eo confirmatur, quod pro *cornibus* in Florent. Vossianis et Edd. ante Vulcan. ut et Scriv. legatur quoque *ordinibus*, sed ibi *cornibus* bene Mss. Vulc. et

Bened. ὁ δὲ ἱππεὺς ἐπὶ κέρας Arist. *Præsunt* ergo hic nihil notat, nisi curam primariam gerunt (adeoque non mutandum cum Lipsio in *præeunt*) et idem quod *curant*, quod in re militari verbum est proprium. Vide Cort. ad Sallust. Jug. c. 46. 'In postremo Marius cum equitibus curabat.' *Oud.*

Contenta] Hic accipio non pro περιεχομένων, sed ita ut explicet illud Aristotelis ὀτρυνομένων μιᾷ ῥοπῇ. ut significet *contenta*, impulsa, συντεινόμενα. *Vulc.*

Pag. 745 *Anima in homine non videtur*] Vide Platonem de Legib. lib. x. fol. 898. et Annotata in Minucium Felicem. *Elmenh.*

Momentis] Forte, *monumentis:* nam Aristot. ἀόρατος οὖσα, τοῖς ἔργοις αὐτοῖς ὁρᾶται. *Colv.* *Momentis ab ea gestarum.* Vet. cod. legit *gestorum:* forte legendum, *momentis rerum ab ea gestarum:* hoc est, pondere, magnitudine, atque excellentia; eleganti metaphora a rebus quæ ad libram appenduntur, pondereque æstimantur. Momentum enim est ῥοπὴ, sive incrementum in libra. Quod vero Colvius pro *momentis* emendare conatur, *monumentis* frustra est. *Vulc.* *Mom. ab ea gestarum rerum.* Sic membranæ Flor. quod etiam in mentem venit Vulcanio. In vulgatis est, *momentis ab ea gestarum*, male. *Elmenh.* *Momentum* sæpe notat pondus et qualitatem rei. V. ad Flor. II. 15. *Mom. rerum ab ea gestarum* ediderat jam Wow. et Elmenhorstium ac membranas Florent. secuti sunt Scriv. Flor. Bened. etiam *ab ea rerum gestarum.* Vulc. Voss. sec. *gestarum* tantum, et Edd. vett. *gestorum.* Oud.

Qui nunc populorum non otiosis conventibus freq.] Vet. cod. *q. n. p. otiosis, &c.* expuncto τῷ *non.* Ego putarim legendum *negotiosis conventibus,* ut significentur ἔνδημοι πράξεις. *Vulc.* Censuerim legendum, *nunc asp. bellorum inquietantur, nunc pac. mitig. quiete, &c.* Proprie vero atque eleganter, Exasperatos bellis animos pace mitigari ait: ita Virgilius, 'Aspera tum positis mitescent secula bellis.' *Idem.* Omnes fere Edd. *non ociosis.* Scriptus, *negociosis.* Aliquot Edd. antiquæ, *populorum accitis convent.* unde fortasse rescribendum, *populorum exitiosis conv.* Sed totus locus mutilus. Sententia hæc videtur: civilia instituta et mores, qui nunc populorum negociosis conventibus frequentantur, nunc asperitate bellorum efferantur, et rursus quiete mitigantur. *Wower.* Bas. *populorum non o. c. f.* Aldus et Rom. *p. accitis c. f.* Wower. *populorum exitiosis c. f.* Vulcanius, *p. negotiosis c. inquietantur.* Distingue, *qui nunc populorum o. c. inquietantur asperitate bellorum, et pacata.* Elmenh. Paraphrastice exponit Aristotelica εὔδημοι πράξεις, ὑπερόριος πόλεμος, εἰρήνη. Sed quomodo hæc legenda sunt? Primo offendit τὸ *otiosis,* quod habent Mss. O. nisi quod Wow. dicat in uno esse *negotiosis,* ut edidit ipse et conjecit Vulc. Sed Edd. ante Junt. poster. dant *accitis:* at ipsa cum Edd. seqq. usque ad Vulc. habet *non otiosis.* Dein *asperitates b. pacata* est in solo Florent. et Edd. Ald. Elm. Flor. Reliqui Mss. et Edd. præbent *asperitate b. et pacata;* excepto tamen, quod Junt. post. Wow. et Scriv. etiam careant *et.* Vulcanius de conjectura addidit *inquietantur,* unde temere aliam lectionem finxit Elm. Pejus etiam Lipsius conjecit *Quid? nunc pop. non otiosis conv. frequentamur, asperitate b. et p. mitigamur q.* Recte quidem Vulc. et Elm. viderunt, deesse hic verbum, quod contrarium sit τῷ *mitigantur.* Sed non hoc est *inquietari.* Lege potius *Qui n. populorum otiosis conventibus frequentantur, efferantur asperitate bellorum, et pacata mitigantur quiete.* Sic videmus, recte *otiosos conventus* dici posse, qui sunt in pace et otio; quamquam non displicet ex Aristotele et Ms. si Wowerio fides, τὸ *negotiosis.* 'Mores,' 'ani-

mos efferari' frequens est. Adposite Livius lib. I. c. 19. 'Quippe efferatos militia animos, mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus.' Sept. de B. Tr. I. 14. 'Et effera morum inpatientia.' Opposuit *efferari* et *sedari* Auctor lib. VI. Met. Imo ut hic l. IX. opponit 'nullis precibus mitigari militem, magisque in suam perniciem advertit efferari.' Adfinitas litterarum in *frequentantur*, *efferantur*, exclusit alterum. *Oud.* Transponendo *et* aliquis efficitur sensus. Temporibus Appuleii summa pax erat. Huc respexit Auctor. Recte itaque *otiosis*. Dein si non vera, certe veri simillima est conjectura Clar. Lennepii, *asperitatibus bellorum pacata mitigatis quiete*. J. B.

PAG. 746 *De quo Empedocles*] Vide Aristotelem Physic. l. II. c. 4. *Elmenh.*

Πάνθ' ὅσα τ' ἦν] Sic etiam hic versus primus est apud Aristotelem: quem idem Metaphysic. lib. II. c. 4. paullo aliter citat, adque materiam qua de agit accommodat. *Colv.* Ὅσα τ' ἦν desunt Voss. sec. Edd. Junt. post. Bas. *Idem.*

Phidiam illum probum, &c.] Tzetzes Chiliad. VIII. hist. 192. Pausanias lib. VII. Arnobius l. VI. adv. gentes. *Elmenh.*

Apta et revincta numinis sui potestate] Alludit omnino Appul. his verbis ad illud Aristotelis, quo dixit Phidiam τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον συνδῆσαι τῷ ἀγάλματι, hoc est, oris sui similitudinem colligasse clypeo Minervæ. Persistens itaque in hac Aristotelis comparatione, dicit, Deum tueri salutem mundi *apta* (malim *arcta*) *et revincta*, hoc est, colligata numinis sui potestate. Vet. cod. legit, *aptam et revictam numinis sui potestatem:* minus meo judicio recte: non tamen male etiam hoc pacto legere possimus, *aptam et revinctam numinis sui potestate.* Vulc. Et hanc Vulcanii conjecturam bene reposuere Scriv. Flor. In Mss. et Edd. ceteris est *apta et revincta*, unde forsan rectius *apti et revincti* sc. mundi, reponeremus. Non vero recte idem Vulc. malebat *arcta*. Nam *aptus* notat, arcte connexus, et ita noster sæpissime. Vide Flor. n. 15. 'Cithara baltheo celato apta.' Tollius ad hunc locum notat: 'V. Fest. v. Apex. Catull. 'aptis sarcinulis.' Ennius: 'vinclis apta silet canis:' pro eodem 'aptatus' dixit Petronius, nisi quis et ibi *aptus* legere velit: veluti 'lecto funebri aptatus.'' Pro *numinis* Bened. *muneris*. Oud.

Rat. cum nominant] Mutila oratio. Ductus vero verborum Aristotelis et sententia ipsa evincit legendum esse, *eum ὄλυμπον nominant:* cujus etymi rationem explicat Arist. quod sit ὁλολαμπὴς, hoc est, omni sui parte nitens; imo vero etiam ἀειλαμπὴς, ὡς τὰς ἀναθυμιάσεις μὴ προσδεχόμενος, ut supra diximus. *Vulc.* *Eum ὄλυμπον.* Sic Vulc. et seqq. ex Aristotele, sed ultimam vocem non agnoscunt Mss. aut Edd. vett. *Eum* exsulat a Fulv. et Florent. Scilicet pro *eum* scribendum est ὄλυμπον cum Lipsio. Pro Græca voce omissa substituerunt *eum* librarii. Pro *quem* cum eodem etiam malim *quod*, i. e. quia. *Oud.*

PAG. 747 *Sublimen candens*] Vulg. *sublime candens*, ut etiam passim apud Ciceronem legitur. Sed secuti sumus correctionem principis eruditorum Jos. Scaligeri, qui ita, ut exprimi curavimus, in veteribus libris esse testatur; et ex Propertio notat: 'At nullo teritur dominæ sublimine amor, qui Restat.' Eleganter igitur Ennius Cælum 'sublimen candens' vocat, quæ dictio a Limine composita: unde et suam notionem accipere debet. *Colv.* Jos. Scaliger conjectaneis in Varronem, ait in veteribus Appuleii membranis legi *sublimen*, quod vult significare Limen superius, aut superlimen; quod Gloss. vetus vocat ὑπέρθυρον. Meus cod. Ms. expresse habet *sublime candens*, Vulcanius. Ald. et

Rom. *Aspice licet sublime tuens.* Scaliger *h. sublimen c.* male. *Elmenh.* Vere edidere Bas. sec. Lugd. Wow. Vulc. Ed. sec. Elm. &c. *aspice hoc sublime candens:* cum in Ed. Junt. post. expressum esset *hoc sublime condens.* Edd. priores inepte *A. licet sublime tuens.* Scimus enim, notissimum esse versum Ennii in Thyeste, ut docet Festus. Verum Colv. et Vulc. ed. tert. exhibent *sublimen* ex Scaligeri emendatione, ad Varr. pag. 235. qui sic esse in vett. libris ait. Et sane exstat ita in Bened. Est in Vossianis *sub lumine cadens.* At diserte Florent. et Vulc. habent *sublime*, ut Mss. O. Festi, Probi, Ciceronis multis locis. Consule Davis. ad l. II. de N. D. c. 2. Immo si *sublimen* hic esset quasi *superius limen*, Festus non debuit explicare per τὰ *in altitudinem elatum.* Quid? quod si suspicio Lambini probari posset, non esse hunc Trochaicum versum, sed Iambicum hoc modo: ... *Adspice hoc | Sublime candens, quem invocant omnes Jovem,* lege metrica necessario deberet esse *sublime:* quod omnino retinendum. Passim *cœli sublimia* occurrunt. *Oud.*

Invocant] Festus et Probus cum Euripide habent *vocant.* Sed eos e Cicerone et Nostro corrige potius; licet sæpe cœlum ipsum Ζεὺς et Juppiter nominetur. *Idem.*

Mutationes et conversiones] Augustinus de Civit. Dei lib. IV. c. 2. *Elmenh.*

Pag. 748 *Scaturigines ac proluv.*] Subaudiendum vel addendum potius, *ignis e terra.* Nam ut in Oriente φλόγες ἐξ οὐρανοῦ, ita in Occidente φλόγες ἐκ γῆς has incendiorum strages dederunt. Posterius hoc mirum videri non debet. Nam ut supra dixit Arist. ἐμπεριέχει καὶ πολλὰς ἡ γῆ ἐν αὐτῇ καθάπερ ὕδατος, οὕτω καὶ πνεύματος καὶ πυρὸς πηγὰς, hoc est, ut vertit Appul. 'Non aquarum modo Tellus in se fontes habet, verum spiritu et igni fœcunda est,' &c. *Vulc.* Vulcanius ex ingenio addit, *s. q. et pr. ignis e terra*, non male. *Elmenh.* Agit Auctor de igne e terra emanante, cujus progressum sæpe exprimunt auctores vocibus, quæ propriæ sunt aquæ; unde 'pluere ignes' dicuntur, et 'flammæ undare.' V. ad Lucan. lib. II. vs. 58. Ill. Bouh. ad Petron. de B. Civ. vs. 122. Immo statim sequitur 'torrentis vice' et 'flammarum flumina.' Verum semper tamen additur vox, qua pateat de igne agi: unde merito suspicatus est Vulc. quid deesse, licet Mss. et Augustinus in vulgatis consentiant. Ego simpliciter malim *scaturigines ignis, &c.* quæ vocula ob præcedentium litterarum viciniam excidere potuit. Eleganter et adposite Herodianus l. I. c. 14. πυρὸς ποθὲν ἐκ τοῦ σεισμοῦ διαῤῥυέντος. ubi male T. Faber. διαῤῥαγ. *Oud.*

Pag. 749 *Eos, &c.*] Nota hic rursus Anacoluthon, et vide ad Met. lib. IV. p. 242. b. Nisi potius cum Barthio ad Claudian. Epigr. 25. voces *locum illum* ut glossam expungamus. *Idem.*

Ereptos volucri clade] Frustra Colvius, et minus bene. *Clades volucris* dicitur incendium Ætnæ, quod celerrime proruit et accedit, ut proxima quæque corripiat. Sic 'volucre cœli curriculum' in principio hujus lib. et in f. 'volucer currus:' ut omne, quidquid celeriter agitur, *volucre* vocatur. Adi Sanct. in Min. lib. IV. c. 2. Burm. ad Phædr. F. 5. vs. 8. Heins. ad Ovid. lib. II. Art. 45. et V. Met. 301. Bronkhus. ad Tib. IV. 1. 209. Ceterum de hoc Catanæorum fratrum facto v. Cluver. in Sic. p. 121. et Nummos Parutæ. *Idem.*

Divino separata dissidio] Vet. cod. Ms. legit *discidio*, et quidem rectissime, a verbo *Discindo.* Nam hoc optime respondet illi quod Aristoteles dicit, ὁ τοῦ πυρὸς ποταμὸς ἐξεσχίσθη, quod et Budæus eadem ratione vertit, 'flumen ipsum ita se scidit.' *Vulc.* Vulgo *dissidio*, male. *Elmenh.* Ante

Vulcan. *discidio* jam ediderat Junt. post. ut est recte in Mss. O. et Edd. seqq. Male *dissidio* Edd. Bas. sec. Lugd. Colv. Vide ad Met. lib. x. p. 735. a. 'Catervæ discidium.' *Oud.*

Formas natura, quas diversis reg. commovens] Sententia hæret inperfecta: quo fit ut tale aliquid adjiciendum putem, *ipsa manet immota:* ut respondeat illi quod dixit Arist. ἐν ἀκινήτῳ γὰρ ἱδρυμένος. *Vulc. in Ed. A.* 1594. Lego, *quasi diversis.* Vulcan. *commovet ipsa manens immota.* Bene. *Elmenh.* Hiulca oratio, quare Lipsius conjecit *naturasque.* Wow. cum Vulcanio edidit *commovet.* Mss. Vulc. Bened. Voss. *natura formas.* Non displicet mihi Lipsii conjectura. Haud agitur de Natura, sed de Deo regente naturas. Arist. ἐν ἀκινήτῳ δὲ ἱδρυμένος πάντα κινεῖ καὶ περιάγει, ὅπου βούλεται, καὶ ὅπως ἐν διαφόροις τε ἰδέαις καὶ φύσεσιν. p. 751. 'vis per naturas omnium speciesque et genera digesta.' V. et ad de Deo Socr. p. 668. Ed. Flor. Seneca lib. IV. de Benef. 'auctorem rerum et naturarum:' quod male mutat Acidal. ad Velleii finem. *Oud.* Ingeniose conjecit Clar. Lennep. legendum *Nam quietus nobis circumfert* vel *Namque immotus ipse circumfert.* Præclaro sensu. Tale quid requiri etiam Vulc. et Elm. viderunt. In textum tamen admittere id non ausim. *J. B.*

Principia milites frequentabunt] In quibus iis ab Imperatore aut Tribuno jus reddebatur. Quintilianus Declamat. cui titulus Miles Marianus: 'Sed neque hoc Roma parens, nec signa militaria, aquilæque victrices, nec tua, summe Imperator, divina virtus sinat, ut tua quoque sententia quisquam vir et Romanus et miles nimium pudicus sit, apud quem ante principia agendum est.' Latius etiam de hoc, si bene memini, Lipsius noster ad Annales Taciti scripsit. *Colv.* Vide Lipsium ad lib. I. Hist. Taciti p. 15. et Indicem nostrum. *Elmenh.*

PAG. 750 *Recuperatores*] De judicibus privatarum rerum, qui *recuperatores* dicti, vide Lipsium ad Taciti Ann. lib. I. c. 74. Torrent. ad Suet. Ner. c. 17. *Oud.*

Decuriones et quibus est j.] Sic recte Mss. et Edd. ante Vulc. Ed. sec. in quam et seqq. inrepsit prave *etiam.* Distinguit Auctor cum Aristotele *Decuriones* ab aliis, sive senatoribus, sive quibuscunque jus esset dicendæ sententiæ, præsertim in municipiis: ubi proprie erant Decuriones. Aristot. vocat βουλευτὰς καὶ ἐκκλησιαστάς. Et sic lib. x. Met. p. 690. *Idem.*

Ad consensum publ.] Lego, *ad consessum publ.* Aristot. βουλευταὶ δὲ καὶ ἐκκλησιασταὶ εἰς συνέδρια τὰ προσήκοντα. *Colv.* Ita et Ms. cod. Legendum vero est omnino ex Aristotele *consessum,* quod respondet τῷ, εἰς συνέδρια. *Vulc.* Recte Vulcanius: alii *consensum p.* male. Aristot. εἰς συνεδρίαν. *Elmenh.* Mss. et Edd. vett. *consensum,* male. *Oud.*

Ad minutiam frumentatum] Quod Aristoteles ex Atheniensium moribus: καὶ ὁ μέν τις εἰς τὸ πρυτανεῖον βαδίζει σιτησόμενος. De Minutia frumentaria monuerunt dudum viri docti. *Colv.* Inscriptio antiqua: PROCURATOR MINUTIÆ PROC. ALIMENTORUM PER TRASPADUM. HISTRIAM, &c. Vide Lampridium in Antonino pag. 128. Lipsium Elect. lib. I. c. 8. *Elmenh.* Nihil monuit Oud. Verum d'Orleans ad Tacit. Ann. lib. III. p. 405. legendum putat vel *ad Minutium* vel *ad Numiciam,* ut intelligat vel Minutium Augurinum præfectum annonæ, cui statua data est a P. R. quod ad vilitatem summam frumentum redegisset; pro quovis diribitore frumenti; vel *Numiciam viam* de qua Horat. I. Epist. 18. vs. 20. ubi vid. Lamb. Sed et ibi jam e Mss. legitur *Minuti:* ut et apud Cicer. lib. IX. ad Att. Ep. 6. 'via Minutia' memoratur. Vide præterea Lipsium ab Elmenh. cit. e quo et Colvii nota suam

aliquam conflavit Floridus. *J. B.*

Reus ita purgandi se necessitate, &c.] Scribe: *Reus ita purgandi se necessitate, ut sectandi studio accusator venit: ille moriturus, &c.* Colv. Vidit acumen Lipsii sensum hujus loci non constare; atque ita in vere ἐξαιρέτοις suis Electis eum in hunc modum emendavit *r. i. p. s. n. ut sectandi studio accusator venit. Ille moriturus ad supplicium ducitur, &c.* Cod. meus Ms. legit *reus purgandi se, &c.* neque agnoscit τὸ *ita*, quod in vulgatis exemplaribus Apuleianis legitur; et omnino, meo quidem judicio, παρέλκει, quemadmodum etiam τὸ *ut*, illi respondens: quod ego corruptum esse crediderim ab *in*, et conjungendum cum τὸ *sectandi:* ut hoc pacto legamus: *reus purgandi se necessitate, insectandi studio accusator venit.* Et certe ipse loquendi modus postulat ut legamus, *insectandi studio*, non vero, *sectandi.* Neque enim tam accusator in judicium venit, sectandi rei, quam insectandi causa. διώκειν enim est Insectari et Accusare: ut Demost. διώκω γραφήν: et Isocrates Διώκω σε ἱεροσυλίας. Unde et διώκων Actorem, διωκόμενος sive φεύγων Reum significat. Neque vero incommode etiam legi posse censuerim, *Reus it purgandi se nec. &c.* Vulc. Ms. *reus ita purgandi s. n. ut sectandi studio a. v.* Id quod Colvius quoque opportune monuit. *Sciopp. in Symb.* Vulgo ut et ante Vulcan. editur *reus ita*, et sic Ms. Fulv. Sed bene abest τὸ *ita* a Mss. Florent. Vulc. Bened. Voss. et Edd. Vulc. Wow. Dein *ut sectandi* Edd. vett. cum Ms. Fulv. Optime vero emendavit Vulc. *insectandi:* atque ita Mss. Florent. Vulc. Bened. Voss. et Ed. Vulc. tert. Aliæ minus bene *ut insectandi.* Nihil opus est istis fulcris *ita ut*, quæ nata sunt, cum *insectandi* fuerat corruptum. *Insectari* reum proprie dicitur accusator. Dein reliqua sunt e correctione Lipsii ac Colvii, quam confirmant Mss. Fulv. Florent. Bened. Vulgo erat *accusatur. Venit.* Oud.

Et dies festi] Seneca l. I. de Tranq. Vitæ: 'Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.' Per hos dies festos publice passim agebantur Epulæ, agebantur Ludi. Livius l. XXIV. 'Per lasciviam ac jocum ita ludibundi Beneventum rediere; ut ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie reverti viderentur:' et lib. XXXIX. 'Non est res qua erubescam pater, si die festo inter æquales largiore vino sum usus.' Polybius apud Suidam: Μαθὼν δ' ἐξ αὐτομόλου διασαφήσαντος ὅτι ἑορτὴν ἄγουσι πάνδημον, καὶ τοῖς σιτίοις λιτοῖς χρῶνται διὰ τὴν σπάνιν, τῷ δὲ οἴνῳ δαψιλεῖ, ἐπολιόρκει. In hos sæpius invecti veteres patres. D. Augustinus L. de Pastoribus: 'Et festa ista, quæ celebrantur per universas civitates in lætitia convivantium, et publicis mensis se ipsos, ut putant, jucundantium, revera magis prudentium, ite, celebrate.' B. Ambrosius Epist. lib. IV. 'Vides quemadmodum convivia gentiles adornent, festa adnuntient; sed ea piis mentibus infestiora sunt: quia iis plerique decipiuntur, dulcibus inescantur epulis, capiuntur saltantium choris.' Hinc intelligendus Scævola, dum scribit, certum pondus argenti festorum dierum nomine præstari cuiquam solere. Lib. XIX. in fi. D. de Annu. legat. nam ad sumptus Ludorum Epularumque omnino eum respexisse, verisimile est. Sed et eo fortassis etiam pertinet locus Modestini: 'Annuam pecuniam ad ludos civitati reliquit, quibus præsidere heredes voluit.' L. VI. tit. eod. Et hinc etiam clarum, quid apud Ulpianum esse possit, alibi 'Festos dies celebrare.' Lib. XXVII. D. ad Municipal. Sed hæc fortassis notari commodius alibi poterant. *Colv.*

PAG. 751 *Libatione profunditur*] Malim legere, *libat. perfunditur.* Id. *Alius lib. prof.* Ms. cod. meus legit, *obiis libatione prof.* Aristot. καὶ χοαὶ κεκμηκότων. Κεκμηκότες sive καμόντες vocantur κατ' εὐφημισμὸν, οἱ τεθνηκότες, quod nimirum θάνατος sit λυσιμελής. Græcis etiam vocantur eadem ratione οἰχόμενοι et ἀποιχόμενοι, οἱ θανόντες. οἴχεσθαι enim significat τὸ ἀπελθεῖν καὶ θανεῖν, καὶ ἀφανίζεσθαι. Unde et Lat. *decedere* et *obire* pro mori, et *obitus* pro morte, perquam usitate. Videtur itaque Appul. ad imitationem Græcorum *obios* vocare τοὺς οἰχομένους: quod quidem vocabulum, ut est Latinis auribus insolens, ita ego huic meæ conjecturæ æquos opto Lectores. Erunt fortasse qui pro *obiis* legendum putent *obbis*, atque eo vasis genere mortuis libationem profundi solere censeant: sed frustra. Nam si ita legamus, nullum erit vocabulum quod respondeat τῷ, κεκμηκότων. Quo fit ut omnino ita legendum existimem, *obiis libatio profunditur.* Vulc. Tametsi fortasse rectius *Obitis*: qua voce utitur etiam Appul. lib. de Philosophia, p. 54. lin. 28. 'Sed neque obiti causa lamentationes suscipiendæ sunt.' *Idem in Ed. A.* 1604. *Obiis.* Ita Mss. Leid. et Flor. in vulgatis, *obitis.* Elmenh. *Obiis* constans est Mss. lectio, pro qua Edd. ante Vulcan. habent *alius*, ut et Scriv. Hinc Lips. *aliis.* *Obii* vero pro mortuis, qui hic intelliguntur, sive Divi manes, poni nusquam credam. Multo minus hic legendum *obbis.* Omnino accedo Vulcanio, Wower. G. J. Vossio de Anal. lib. IV. c. 13. legentibus *obitis*, ut habet Ms. Bened. nisi excerpta fallunt. Supra p. 736. 'Obitorum loco.' Glossæ 'Obitus, τετελεσμένος.' Dein *libatio* Edd. Vulc. tert. Elm. Flor. cum G. J. Vossio, sed contra Mss. O. et Edd. ceteras. Nec enim ipsa libatio profunditur, sed libatione seu in libando effunditur merum. Hinc 'vino,' 'mero libare' in Metam. et passim. Multo deterius Colvius *alius libatione perf.* Intelligit χοὰς et Inferias, quæ fiunt mortuis seu Divis Manibus. *Profunditur* ergo impersonaliter, ut *Diis sacrificatur, Geniis ministratur, obitis libatione profunditur.* Oud.

Videasque illam civit.] Eleganter expressit versus Græcos, itidem elegantissimos, et ex Aristotele dignos hic etiam adscribi: Πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει, Ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων. *Colv.*

Grate olentibus cœnis] Vet. cod. *graveolentibus*, βαρυόδμοις. ita enim potius vocandæ cœnæ, ob carnium assarum nidorem, quam ἡδύοδμοι. *Vulc.* Vulgo, *grateolentibus.* Quid si legamus, *graveolentibus scænis.* Opponit enim Panchæos odores et unguenta ingrata, ut hymnos et ploratus. *Wower.* Aldus, *grate olentibus*, male. *Elmenh.* Mss. O. cum Vulcan. et seqq. *graveolentibus* βαρυόδμοις. Sil. It. VI. 18. 'tractæ fœda gravitate volucres:' ubi vide: et XIV. 435. 'Fax nidore gravi fœdavit comminus auras.' Sed Aldus, &c. dederant *grateolentibus.* Scriv. cum Wower. malunt *graveolentibus scænis*, sive adparatibus, ut obponantur odores Panchæi et *graveolentes scænæ*, (sed quid per eas *scænas* intelligant, nescio,) sicut *hymni* obponuntur *lamentis.* Expressit Auctor sensum versuum Sophoclis apud Aristotelem, quos citavit supra Colv. *Oud.*

Platani, ut ait poëta] Ὥς φησιν ὁ ποιητὴς, τά τε ἄκαρπα μὲν, ἄλλας δὲ παρεχόμενα χρείας, πλάτανοι, καὶ πίτυες, καὶ πύξοι, Κλῆθρητ', αἴγειρός τε, καὶ εὐώδης κυπάρισσος. *Colv.* Vide Plin. Nat. Hist. lib. XII. cap. 1. Virg. lib. IV. Georg. *Elmenh.*

PAG. 752 Πᾶν γὰρ ἑρπετὸν] In Leidensi est ΠΑΝΤΑ ΕΤΕΡΡΕΤω MOSSARRINA ΜΕΡΗ *esse tonos sabyει.* In Floren. *Mensa* ΠΑΝΤΑ ΕΤΡΡΕ Γω-MOSSARRINA MEPPHESSE TONOS-SAHTTI. Quod puto vix Apollinem Delphicum explanare posse, si in

lucem rediret ex Orci cancellis. *Elmenh.* Πᾶν γὰρ ἑρπετὸν τὴν γῆν νέμεται, *ut Heraclitus ait.* Sic plane Aristoteles. Sed Ed. Junt. post. πᾶν τὸ ἑρπ. quo certe proxime accedere Mss. videntur. Verum illi hic plura et longe alia habent. De Florent. et Vulc. (in quo additur etiam *mensa*) vide Elmenh. Bened. *mensa* ΠΑΝΤΑ ss eTEPουΕΓΟΑ λoccARRINA MePe *ee tonos Sabyti, ut H. a.* Voss. sec. *mensa* ΠΑΝΤΑ ETEPRETω MOccARRINA MePe *ēc tonos sahyti, ut H. a.* Is. Vossius quasi e Codice adscripsit νοῦς ἅπαντα εὐεργετῶν ὡς ἂν τινα μέρη σώματος ἀϊδίου, *ut Her. ait.* Ut de Deo intelligatur. Quo facit quod statim sequitur 'et cum sit unus,' etiam apud Aristot. Sicut quoque inceperat hanc orationem ab eo 'Lex illa sit Deus,' &c. Quærendum, an similia inter Heracliti sint fragmenta. *Oud.*

Et a juvando Jup. dicitur, quem Ζῆνα *Græci*] Corrupta hæc sunt. Edd. ante Vulcan. *a juvandis suis.* Fulv. *idem a juvando.* Vulc. *et a juvando Jupiter deos quem, &c.* Florent. *vis id est a juvando J. dios, quem, &c.* Bened. *vis i. adjuvando J. dios, quem, &c.* Voss. uterque *vis id est adjuvando J. dios, quem.* Lego igitur *videlicet ab juvando Jupiter,* Δία *quem et* Ζῆνα, &c. Arist. καλοῦσι δὲ αὐτὸν καὶ Ζῆνα καὶ Δία &c. ὡσανεὶ λέγοιμεν, δι' ὃν ζῶμεν. ut lego cum Is. Vossio. Ut autem obiter hoc observem, patet ex eo loco Aristotelis, quantum erret Vulcanius, cum c. 2. pro διὰ θεὸν, i. e. *per deum,* voluit legi διὰ θεοῦ, quasi alterum non significaret *per,* sed semper *propter.* Verum tu, lector, consule omnino Rev. et Doct. Viri, mihique amicissimi et familiaris J. Alberti Observ. in Evang. Joannis VI. 57. κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ. et Observ. Misc. vol. III. p. 99. iisque quæ ibi laudantur, adde Long. Past. lib. II. p. 36. διὰ τοῦτον καὶ ποταμοὶ ῥέουσι. Apollodor. lib. II. p. 88. Ed. Gal. δι' Ἀθηνᾶν ἡ Μέδουσα ἐκαροτομήθη. ubi vide T. Fabri, et ita capiendum lib. II. p. 128. nec mutandum cum Fabr. aut Gal. et rursus lib. III. p. 196. τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικήν. Ms. διὰ τὴν ψῆφον. *Idem.*

Rectissime appellant] In Ms. cod. hæc adduntur: *Saturnum etiam* κρόνον, *quasi* χρόνον *quendam, inceptum ab origine, interminum ad finem Tempus appellant:* quæ Arist. ita: Κρόνου δὲ καὶ χρόνου λέγεται, διήκων ἐξ αἰῶνος ἀτέρμονος εἰς ἕτερον αἰῶνα. utrobique minus, meo judicio, recte. Nam et hic malim legere κρόνιος δὲ καὶ χρόνιος, quæ sunt appellationes Jovis, et illic, *Saturnium etiam,* κρόνιον, *quasi* χρόνιον *quendam, &c.* τοῦ κρόνου nimirum, ἤτοι τοῦ χρόνου, ut ait Photius Patriarcha, ἕκαστα διακρίναντος, καὶ τῶν γεννηθέντων ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα μίξεως ζωογονοῦντος. Atqui nominis κρόνου etymon Scholiastes in Hesiodi Theogonia deducit ἀπὸ τοῦ κέρᾳν, καὶ κιρνᾷν ἕκαστα τῶν γεννεθλιωμάτων, καὶ μίξαι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι. Quod vero in Ms. cod. legitur, *inceptum ab origine,* malim legere *ob inceptum, &c.* Vulc. Valde hæc depravata. Fulvianus Cod. quem sequendum putavi: *Sat. etiam illi* κρόνον, *quasi* χρόνον, *quendam inceptum ab origine terminum finem tempusque appellant. Dicitur et Fulgurator.* Lego: *quendam inceptum, ab origine, terminum ob finem.* Jovem nempe et Saturnum appellant, qui Græcis κρόνος, quasi χρόνος, id est, tempus; quendam inceptum, scilicet ab origine (supra enim omnis essentiæ originis caussas Deo tribuit) terminum, ob finem. *Wower.* Vide Theophylum ad Autolycum lib. III. fol. 274. Annotat. ad Arnobium lib. III. fol. 76. *Elmenh.* Hæc usque ad *dicitur et* primus edidit e suo cod. Vulcanius, sed corruptissime; quæ licet etiam ceteri Codd. agnoscant, sanare mihi non datum est. Videamus tamen an quid adferre possimus. Certe falsissimum est Jovem dictum fuisse

Saturnum seu κρόνον vel χρόνον. quod neque dicit Arist. sed κρόνου seu χρόνου scil. παῖδα (vide Lactant. lib. I. cap. 10. et 12.) quæ male tentat Vulc. Forsan hinc etiam Noster scripsit *Saturnium etiam, filium Κρόνου seu Χρόνου. Oud.*

Quemdam inceptum, &c.] Ms. *Saturnumque etiam illi κρόνον q. χ. id est, quendam inceptum ab origine, terminum, finem, tempusque appellant: dicitur et fulgurator, &c.* Inceptus, us, quarti ordinis more Lucretiano. *Sciopp. in Symb.* Flor. et Fulvii liber, *i. a. o. terminum finem tempusque appellant: dicitur et Fulgurator.* Wower. *quendam i. ab origine terminum ob finem.* Quem vide et Alcinoum cap. 14. *Elmenh.* Mss. Vulc. Bened. Voss. *quemdam inceptum ab origine, interminum ad finem, Tempus adpellant.* De substantivo *inceptus* 4tæ decl. ut capit Sciopp. vide Comm. ad Nepot. Iphicr. c. 2. 'retardavit inceptus:' et hinc Wow. edidit *id est Tempus, quemdam inceptum ab origine, terminum ob finem adpellant.* Veterem lectionem retinuere Elm. et seqq. nisi quod *id est* admiserint post χρόνον. Ego me non expedio, nec capio ita Jovem esse dictum; aut quæ vis lateat in voce χρόνου vel *temporis*, ut significet *inceptum*, quia habet *originem*; et *terminum*, quia habet *finem*. Is enim sensus loci tum erit, si Fulv. correctionem admittas. Vide, num legi possit: *rectissime adpellant, Saturnium etiam, filium κρόνου quasi χρόνου id est quemdam inceptum ab origine, interminum ad finem* vel *origine intermina ad finem. Interminus* usus est Auctor pro *interminatus*, sine termino, aliquoties. V. supra p. 708. Nec dubito, quin illud *Tempus adpellant* sit Glossatoris marginalis prava interpretatio, quæ in textum irrepserit. sic enim modo Arist. κρόνου δὲ καὶ χρόνου λέγεται, διήκων ἐξ αἰῶνος ἀτέρμονος εἰς ἕτερον αἰῶνα. ἀστραπαῖος, &c. *Oud.* Insuper emenda *incæpta* (i. e. non cœpta) *ab origine.* ἐξ αἰῶνος ἀτέρμονος. *J. B.*

Tonitrualis et fulminator] De his consule Lilium Gyraldum Hist. Deorum Syntag. I. fol. 73. et seq. *Elmenh.*

Amicalemque] Bas. 1. *amicabilemque.* Glossarium vetus: 'Φιλικὸς, Amicabilis.' Plautus: 'Mihi date operam amicabilem.' Sidonius Apollinaris lib. I. Epist. 'Qui in eum licet stimulis inimicabilibus exciteutur, scamnis tamen amicabilibus deputantur.' B. Augustinus lib. XIX. de Civit. Dei: 'Interdicat amicabilem societatem, vel interdicat affectum omnium humanarum necessitudinem:' ubi etiam est cum legas, *amicalem.* Colv. Quidam libri *amicabilem*, sed retineo, *amicalem*, id est, φιλικόν. *Brant.* Recte: nam omnia loca a Colvio citata, præter Glossarii, suspecta sunt. Adi Fabri Thes. Hic certe Mss. *amicalem* jubent retineri; nec secus Mss. Serv. ad Æn. VI. 499. 'notis vocibus amicalibus:' ubi miror Burmannum scribentem, *amicalis* carere auctoritate, et præferentem *amicabilibus.* Arist. μειλίχιον, et ita sæpe Græci. Xenoph. Hist. lib. VII. p. 425. Anton. lib. tom. VI. Mss. Florent. Bened. Voss. carent copula, quod præfero. *Oud.*

Pag. 753 *Orpheus, &c.*] Orphei versus recitat Eusebius, sed integriores, quam hic extant. Vide eum de præparat. Evangel. lib. III. fol. 61. *Elmenh.*

Jupiter omnipotens, &c.] [Vid. Not. Delph.] Carmen hoc, quod nec in Pithœi aut Scaligeri Catalectis occurrit, ex Orpheo Latine versum legitur apud Apuleium de Mundo pag. 411. ed. Colvii. Sed non sunt Apuleii versus, verum a primis editoribus intrusi; certe in nullis Mss. aut editionibus vetustis, ut Romana, Vicentina, Aldina, Juntina, aliisque conspiciuntur; ut me monuit Celeb. Oudendorpius: neque eos in Florentino aut Leidensibus Mss. exstare testa-

tur Elmenhorstius in notis pag. 102. proinde recte a Scriverio omissi sunt. Nam alii versus, quos in sua editione dedit Vulcanius p. 238. quique incipiunt, *Primus cunctorum est, et Jupiter ultimus idem*, et seqq. sunt ipsius Vulcanii. Unde deceptus Boxhornius ad Plutarch. Quæst. Rom. pag. 134. eos tanquam ab ipso Apuleio Latine versos perperam producit, et sic Borremans. in Var. Lect. c. 5. p. 41. et 42. ubi proferunt inscriptionem veterem, *Jovi soli invicto Serapidi*, ex qua Cl. Otto de Tutel. Viar. p. 114. conjiciendum putabat Jovem cum Sole eumdem esse, qui etiam male hemistichium *Sol Jupiter ipse*, desumtum ex Virgilii Catalectis. Vide quæ ea de re disputantur in Observ. Miscell. vol. VI. tom. III. p. 481. unde patebit, versum illum dimidiatum Pictorii esse, qui carminis hujus versum sextum ita vertit: *Et pelago radix, Sol Luna, est Jupiter ipse:* quem sub Apuleii nomine, ita ut in Vulcanii editione legitur, eruditus Observationum auctor profert. Dici tamen debet, Viro Clarissimo sic præivisse Illustrem Cuperum, qui in Harpocrate pag. 88. adducto itidem Macrobii loco de Jove per Solem intelligendo, sequentes hos ex Catalectis Pithœi profert versus: 'Sol facies mundi, cœlique volubile templum Sol liber, Sol alma Ceres, Sol Jupiter ipse.' Sed ille recte, ut vides, adducit non ex Virgilii Catalectis a Scaligero editis, sed ex Catalectis Pithœi, apud quem exstant in Carmine in laudem Solis pag. 446. In inscriptione autem illa, ut hoc addam, Jovem cum Sole non conjungendum, sed ut in Misc. Obs. bene explicatur, copulam subintelligendam esse, 'Jovi et Soli invicto,' patet etiam ex alia inscriptione quam ibid. p. 133. profert Boxhornius, ubi habetur: 'Soli invicto et Lunæ æternæ,' nulla Jovis mentione. *Burm. ad Anth. Lat.*

PAG. 754 *Fatum autem Græci εἱμαρμένην*] Cicer. lib. I. de Divin. et Firmicus Astron. lib. I. c. 3. *Elmenh.*

Ac pacti eadem rerum, &c.] Itane hic plana omnia, ut neminem offendant? At certe fefellit hoc loco turpiter ineptum (quisquis ille fuit) scribam, Græca vox Latinis literis exarata fortassis (nam in meo Cod. Ms. idem quod in vulgatis Edd. monstrum errati exstat) hoc pacto: *adpactia:* ubi litera Græca Rho, P Latinum præ se fert; Sigma vero: quod hac fere nota C, Veteres notabant, præ se fert Latinum C. Legit itaque ille, *ac pacti eadem* pro, *adrastea eadem.* Nam ita omnino legendum esse, vel ipsa Aristotelis verba evincunt: quo magis miror hoc aliorum ἀγχίνοιαν fugisse. Ἀδράστειαν vero alii synonymon faciunt cum Nemesi; alii epitheton. Strabo Adrasteam dictam fuisse Nemesin auctor est, ab Adrasto qui illi primus fanum dicavit: cui rei probandæ adfert hos Antimachi: Ἔστι δέ τις Νέμεσις, μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα Πρὸς μακάρων ἔλαχεν. βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος Ἄδρηστος, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο, Ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται. Alii hunc Adrastum Antimachi tanquam auctorem nominis Adrasteæ non agnoscunt: sed dictam volunt Nemesin Ἀδράστειαν, διὰ τὸ τῆς θείας δίκης ἀναπόδραστον, ἤτοι ἄφυκτον. quod Appul. optime explicat, definiens Adrasteam, Ineffugibilem necessitatem ultionis. μηδὲν γὰρ αὐτὴν ἀποδιδράσκει. *Vulc.* Fulv. liber et Rom. *ac pacti eademque ineffabilis,* male. Proclus in Platonis Theol. lib. IV. c. 6. *Elmenh.* *Adrastea* egregie emendavit Vulc. quod merito omnes secuti sunt; cum antea edebatur sine sensu, ut est in Mss. Fulv. Voss. pr. Vulc. *ac pacti.* Bened. *pacti.* Sed *Adrastea* confirmari videtur a Florentino. Alioquin malim *Adrastia* scribere. Nam hoc perinde est. Græce enim Ἀδράστεια et Ἀδραστία, ut in multis aliis. *Adrastia* etiam Amm. Marcell. lib. XIV. cap. 11.

ubi V. Lindenbr. Dein pro *eadem rerum*, quod est in prioribus Edd. Vulcanius et Wow. exhibent *eadem quasi*; sed Mss. O. *eademque*, ut recte Elm. et seqq. reposuere, quamvis tacite. *Oud.*

PAG. 755 *Tria fata*] Ovid. Met. II. f. 12. l. VIII. f. 9. triplices deas et sorores vocat. *Elmenh.* Sive, tres Parcæ. Vide ad Lucan. l. VII. vs. 676. Markl. ad Stat. Silv. v. 3. 72. Morell. Spec. Rei Num. p. 66. Gronov. ad Gell. III. 16. 'Fatis tribus.' J. Spon. Dissert. de urna Sepulcrali p. 20. &c. Burm. ad Ovid. Trist. III. 7. Comm. ad Auson. Gryph. vs. 19. 'Tria fata.' Misc. Lips. Nov. vol. III. p. 1. Diss. 3. Mus. Ver. p. 170. ibique Maff. Salm. ad Solin. p. 788. Phædr. lib. IV. F. 10. Propert. II. 1. 18. Claudian. I. in Ruf. 176. 'Stamina fatorum.' *Oud.*

Ut sit Atropos, &c.] Ratio nominis Atropos ejusque proprietas, explicata ab Aristotele his verbis ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτά ἐστιν, in Apuleio est prætermissa, hæc nimirum: Omnia enim præterita revocari, infectaque fieri nequeunt. *Vulc.* Auctiora habet Ms. *præteriti temporis fatum, quod ne quidem Deus faciet infectum: futuri temporis Lachesis, a fine cogn.* Sciopp. in Symbola. Verba Græca: μία τῶν μοιρῶν Ἄτροπος, ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτά ἐστι, κατὰ δὲ τὸ μέλλον Λάχεσις. Supplebis igitur et emendabis ex scripto Fulvii: *Atropos præteriti temporis fatum, quod ne quidem Deus faciet infectum; futuri temporis Lachesis, a fine cognominata.* Non ergo omissa Appuleio ratio nominis Atropos, sed verius amissa. *Wower. Fatum, quod ne Deus quidem.* A vulgatis male hæc absunt. Vide Notas in Minutium. *Elmenh.* Optime Wow. cum Scioppio et seqq. hæc restituit e Ms. Fulv. quæ prave deerant Edd. ante Wower. Accedunt Fulviano Voss. Florent. Bened. sed is caret voce *Deus.* Viderat Vulc. ex Aristotele deesse rationem nominis τῆς *Atropos:* sed cum hisce careret ipsius codex, sanare locum non potuit. *Oud.*

PAG. 756 *Ultrix Necessitas*] Aristoteli Δίκη. ubi vid. Vulcan. et sic Sophocl. Elec. 470. Δίκα δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη. Sed Horatio sæpe ἀνάγκη *Necessitas:* ut lib. III. Od. I. 14. 'Æqua lege Necessitas.' Adi Torrent. ad lib. I. Od. 35. 17. 'Te semper anteit sæva Necessitas Clavos trabales et cuneos manu Gestans aëna.' *Idem.*

APOLOGIA.

ARGUMENTUM. Magicarum artium multi Romæ insimulati postulatique fuerunt, etiam priscis Reipublicæ temporibus. Crimen enim hoc in Italia et in ipsa urbe olim increbuisse, leges Decemvirales declarant, quæ capite sanxerunt mala, id est, Magica carmina, et si quis frugem alienam excantasset. Judicium exercitum publicum et nobilissimum de hoc crimine apud Livium legimus inter Albinum et Furnium. Etiam Magi nobilissimi et antiquissimi in Italia enumerantur, Picus et Faunus, aliique nonnulli; et cum iis Numa rex. Sed patescente latius Imperio, ut reliquæ artes atque doctrinæ laudandæ omnes, sic vitia et maleficia, et superstitiones, ritusque externi in urbem influxere. Hinc jam sub imperio Principum creberrima mentio Chaldæorum, Magorum, et (hoc enim no-

mine honestissimo sua flagitia velabant) Mathematicorum. Nec remedia sera fuerunt; sed multis Senatusconsultis malum coërcitum, plerumque irritis, et ideo multis. 'Genus hominum' (inquit Cornelius Tacitus I. histor.) 'potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur.' Caussa, non solum cupiditas ingenii humani semper vetita et inconcessa vel cum periculo deligendi ac persequendi: sed potentia eorum, qui iis studiis attinebantur. Principes etiam ipsi, licet nulli magis quam nationi illi Mathematicorum infensi infestique essent, ob prædictiones, quibus leves animi ad res novas et mutationes dominorum sperandas, aut procurandas impellerentur; tamen eos inter instrumenta aulæ, arcanaque domus plerique habuerunt, ut Tiberius Thrasyllum intima familiaritate sibi adjunxit, ipse ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς, ut ait Dio. Sed omnium nobilissimos ob Magiam Cæsarum temporibus comperior, Apollonium Thyanæum, et Appuleium hunc nostrum Madaurensem. Uterque etiam publice earum artium adcusati, Apollonius apud Imperatorem Domitianum, Appuleius Carthagine apud Maximum Claudium Africæ proconsulem sub imperio Divi Pii, vel Hadriani (nam circa illa tempora vixit). Ipsique sese suaque studia, nullo adjuvante, defenderunt; sed Appuleius noster inficiando, Apollonius ultro profitendo et insultando. Tanta certe fama uterque fuit, ut ethnici homines, religionis nostræ hostes, non alios Christo Servatori nostro opponere, et præponere majestate miraculorum consueverint, ut Lactantius lib. v. cap. 3. D. Augustinus in Epist. ad Marcellinum scribit. Sed Thyanæus certissimus Magus, et præstigiator fuit, iisque præstigiis judicio se, et pœnæ eripuit, quum repente e media cognitione conspectuque judicum evanuisset. Appuleius absolutus fuit. Et meruit hæc ejus Oratio: non enim temere dixerim, innocentia; ne quid præjudicatæ omnium ejus sæculi hominum et Christianorum in primis scriptorum opinioni detraham; et quia non obscure ipse se Magicarum artium studiosissimum fuisse, earumque etiam experimenta cepisse, non uno loco operis illius sui Milesii demonstrat. Neque in hac pulcherrima Apologia tam se negat Magum, quam talem Magum, ut vulgo id nominis accipiebatur, id est, maleficum, et scientia numinum, naturæque arcanorum investigatione, ad res improbas sceleratasque, abutentem. Breviter, Philosophum sese esse, et cultorem Deorum, familiæque Platonicæ alumnum, quæ nihil nisi sanctum, et lætum, et festivum probaret. Prævidit tamen sibi aliquando negotium futurum hac de caussa, lib. III. ejusdem operis extremi: 'Ne, si rursum asino remoto prodirem in Lucium, evidens exitium inter manus latronum offenderem, vel artis Magicæ suspicione vel indicii' (malo *judicii*) 'futuri criminatione.' Plane mihi et hæc Oratio, et ejus incredibilis singularisque doctrina, et summorum omnium virorum qui illis temporibus vivebant, amicitia persuadent, bonum et temperantem virum fuisse, etiamque, quod paulo ante nondum ausus dicere, innocentem; si nulli injuriam fecisse ostendatur, sed contra plurimorum commodis atque honori servilsse, subvenisse egestati: quæ ipse de se, ut omnibus notissima et in hac oratione profitetur et aliis in operibus. Neque vitio aut crimini dandum, si lacunas illas rei familiaris explere honesto et locuplete matrimonio voluit. Neque Magicis artibus aut incantamentis, ut inimici objecerunt, opus ei fuit ad Pudentillæ sibi animum nuptiasque conciliandas, juveni quum eximia forma, tum nobi-

litate et eruditione et amicitiis florentissimo; quum illa vidua esset, vergensque ætate, et intestinis viscerum ob desuetudinem viri saucia, et certe adversus tot insidiatores, impietatemque filiorum, non magis marito egens, quam tutore et defensore: et satis constat, sæpiusque in hac Apologia inculcatur, Magiæ crimen inductum ab inimicis Appuleii fuisse, non alia de caussa, quam ob invidiam et dolorem, quod bona Pudentillæ, quæ spe cassa devorarant, ab Appuleio marito possideri viderent. Qua ratione olim perculsus Servilius Taurus Africæ Proconsul, cujus hortis Agrippina quum inhiaret, adcusatorem ei subjecit Tarquitium Priscum ejus legatum, qui pauca repetundarum crimina, cæterum Magicas superstitiones objectabat, inquit Tacitus lib. XII. Annal.

Adcusatores Appuleii fuerunt Pudens, ipsius privignus, admodum puer, et Sicinnius Æmilianus, et Herennius Rufinus, hic Pudentis socer, ille patruus ac tutor. Sed solus Pudens palam et cominus, illi eminus; et instigatores potius ac machinatores calumniæ quam adcusatores, vel subscriptores fuerunt. Duo primario objecerunt, Magicas artes, et possessam contra privignos, atque eversam Pudentillæ domum. Etenim duo filii Pudentillæ fuerant ex Sicinnio Claro suscepti, Pudens, quem dixi, et Pontianus, natu major, qui ante hanc adcusationem jam decesserat, inimico animo in vitricum, et idem ausurus, si vixisset. Magiæ crimen pluribus verbis eloquentissime a se amolitur, magnamque defensionis partem in illo diluendo consumit: quod, eo refutato, alterum facile refutatu esset. Libro v. Anthologiæ Græcorum Poëtarum, exstat elegans Epigramma Christodori, Thebani Poëtæ, in laudem Appuleii nostri, cum inscriptione hac, Εἰς Ἀπυλήϊον τὸν μάγον, ut adpareat hoc ei quasi cognomentum adhæsisse. Sed quam Magiam intelligat, in ipso epigrammate demonstrat, quum eum μύστην ἀῤῥήτου σοφίης adpellat, Mystem, et sacerdotem arcanæ sapientiæ, quod in hac Apologia Christodorus legerat, ubi id pluribus verbis explicatur. Vulgo hæc oratio, quasi duæ essent, inscribitur: atque ita passim ab omnibus etiam viris doctissimis adlegatur, Apologia prima, Apologia secunda, quod temere factum videtur, ut P. Colvio primum suboluit, et probavit postea doctissimus Casaubonus. Una enim Oratio sive Apologia fuit. Atque ita D. Augustinus ejus meminit, copiosissimam orationem adpellans, quæ certe non esset copiosissima, si in duas divisa esset. Nec hujus divisionis ulla ratio. Melius et eruditius liber vocetur, ut ab Erasmo liber de Magia: neque enim ita dicta est ut scripta nisi fallor. Semel quidem dixisse, non bis, quum ex tota serie adparet, tum ex illis verbis, 'At non usque adeo tuæ indulgebo benevolentiæ, ut mihi permittam jam propemodum fesso in causa prorsus ad finem inclinata de egregiis virtutibus ejus nunc demum incipere: quin potius eas integris viribus et tempori libero servem.' Quam inepte hæc dicerentur, si altera esset actio sive oratio, cujus initium ab illo loco trahunt: 'Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ prævertere.' Quam hoc ipsum absonum, ita nulla præfatiuncula, ac ne nomine quidem quæsitoris, Cl. Maximi, adpellato, ad alteram et novam actionem integris viribus accedere! Immo, ut inquit Caius noster, in foro caussas dicentibus nefas videtur esse, nulla præfatione facta, judici rem exponere. Non tamen nego potuisse Appuleium, vel alium quemvis, qui se defendat, bis dicere. Nam et in veterum Græcorum oratorum libro duas Apologias de eadem re scriptas legimus. Sed fecisse id Appuleium nego. Nec longi-

tudo duas probat: quam Ciceronis aliquæ sint etiam longiores. Nec in duas divisit, quum scriberet, quam unam et semel pronunciaverat: quum adferri hujus consilii ratio nulla possit. Tametsi non ignoro, disertissimum et prudentissimum Isocratem Apologiam suam περὶ ἀντιδόσεως sic legi velle, ut in ipsamet oratione scribit, ne primo impetu tota perlegatur, sed tanta ejus pars, quanta non adferat auditoribus molestiam. Scripsit eam orationem tantum, non etiam habuit Isocrates: et cur ita legi vellet, aperuit. Nec absurdum foret, si diceretur hanc orationem duabus esse actionibus ab Appuleio dictam, ut caussa M. Fonteii a Cicerone dicitur duabus orationibus perorata, duabusque Fonteius actionibus adcusatus. Idem Cicero quatriduo Cornelium defendit, quas actiones (inquit Pædianus) contulisse eum in duas Orationes, adparet.

Postremo de Judicibus, apud quos Appuleius hanc orationem habuit, breviter absolvam. Fuere illi Ethnici omnes, Cl. Maximus, Africæ Proconsul, et alii qui in consilio erant. Quod (ut alia testimonia taceam) in hac ipsa oratione clarissime adparet, præsertim eo loco, ubi Appuleius Mercurii sigillum in manus Maximi tradit. Nec notarem id; nisi ridicule in ea re lapsus fuisset eruditus alioqui juvenis P. Colvius, qui initio notarum suarum Christianos hos Judices fuisse adfirmat. Credo, verbis Augustini inductus, quæ supra retulimus ex libro VIII. de Civitate Dei, quibus tamen contrarium evincitur, et manifesto ex toto illo D. Augustini capite cognosci potest.

De Variis pœnarum generibus, quibus jam olim Magi adfici consueverint, Albericus Gentilis, optimus et doctissimus frater meus, breviter ille quidem et concise, ut solet, sed adcurate et diligenter exposuit in Commentario ad Titulum Codicis de Maleficis et Mathematicis. *Scipio Gentilis.*

PAG. 400 *Apologia*] D. Augustinus de Civitate Dei l. VIII. scribit Appuleium apud judices Christianos de Magicis artibus accusatum fuisse. Scilicet tunc has Apologias scripsit, aut potius hisce sese ante tribunal defendit. Sed etiam idem ibidem D. Augustinus arbitrari nos facit, non duas Apologias separatim, sed unam duntaxat continua oratione a Nostro conscriptam fuisse. Ait enim: 'Hujus autem Philosophi Platonici copiosissima extat oratio, qua crimen artium Magicarum a se alienum esse defendit.' Quod jam mihi valde fit verisimile. Et, bene consideres, series ipsius orationis id quoque convincere videri possit. *Colv.* In emendando elegantissimo isto libro usi sumus veteri edit. Romana, quæ omnium prima Anno MCCCCLXIX. cusa est. ea nobis ad manum semper manuscriptorum loco fuit. Ejus ope mendas ex tantulo scripto plurimas et gravissimas sustulimus: ut qui eorum negligentiam excusenr nescio, qui hoc ipsum ante nos professi, tam leviter collatione illius libri sint defuncti. Nos contra eam editionem, ut omnium minime correctorum manus expertam, et proinde minus corruptam, per omnia secuti sumus: nisi ea manifeste vitiosa esset. Nam et ipsa, præterquam quod Græca fere non habuit, graves nec paucas mendas continet: quas nos, Dei virtute, plerasque omnes sagaci conjectura abstersimus. Ejusmodi est quod falsam ἐπιγραφὴν, quæ orationem unicam, et ut JCti loquuntur, actum legitimum, qui necessario continuus esse debet, male dispescebat, emendavimus, quæque vitio separabantur, conjunximus, et in pristinam integritatem restituimus. Auctoris non esse eam sectionem, nemo sanus in controversiam vocare potest. Nam quare, obsecro, in scribendo orationem

divisisset, quam uno tenore apud Procos. pronuntiasset? quo exemplo? aut quam ob caussam? an quia liber longior erat futurus? nugæ: quasi non multæ hodie extent et Græcorum oratorum et Romanorum longiores. Deinde quis non videt, totum orationis contextum una propositione contineri, uno epilogo claudi? Non ergo Auctoris erat illa τομὴ, quam propterea jure merito sustulimus; præsertim cum auctoritate summi viri Aurelii Augustini factum nostrum tueri possimus: qui 'orationem copiosissimam' hunc libellum appellat. Nimirum ejus ætate nondum exortum erat istud ingeniosorum hominum genus, qui partim ignorantia, partim περιεργίᾳ intolerabili, in bonos auctores pridem grassantur. Ejusmodi hominibus partitionem hanc acceptam ferre debemus: qui etiam Floridorum librum primum in duos non minore flagitio tribuerunt: non enim quatuor, sed tres solum libri Floridorum ab Appuleio sunt relicti. Male etiam iidem Philosophica hujus Auctoris scripta digesserunt: cum enim tres libri hi, De dogmate Platonis, de Philosophia, et Περὶ ἑρμηνείας unum opus sint, et corpus unum debeant efficere, hodie aliter eduntur, non secus ac si separati sint, et libri singulares. Atqui ita, ut diximus, rem habere, testis ipse Appul. qui non procul a libri de Dogmate Platonis principio ita scribit, de Platone loquens: 'Quoniam treis partes Philosophiæ congruere inter se primus obtinuit, nos quoque separatim dicemus de singulis, a naturali philosophia facientes exordium.' Pollicetur se tres libros scripturum de totidem philosophiæ partibus, ex disciplina Platonica. Quære ab iis qui nobis concinnarunt hactenus editiones Appuleii, ubi illi tres libri sint: negabunt, opinor, integrum opus ad nos pervenisse: id vero pervenit, hodieque extat: tres illos sane libros quin habeamus nemo negabit. Primus est ille ipse, qui τὸν φυσικὸν τόπον complectitur: secundus is, cui *de Philosophia* hodie index est, in quo ὁ ἠθικὸς τόπος continetur. Ejus initium, 'Moralis philosophiæ caput est.' Tertium noli dubitare eum esse, qui postremum locum obtinere solet in vulgatis Edd. et περὶ ἑρμηνείας inscribitur. nam eo complexus Auctor τὸν λογικὸν τόπον. Principium ita habet, 'Studium Sapientiæ, quod Philosophiam vocamus, plerisque videtur tres species habere, Naturalem, Moralem, et, de qua nunc dicere proposui, Rationalem.' Sed redeo ad Romanam editionem; ex qua scire volo lectorem plerasque omnes esse emendationes promtas, quarum ratio hoc libro non reddetur. Porro quis ille fuerit qui primus tantum flagitium admiserit, et tot monstra nobis post illam editionem protulerit, pro certo compertum non habemus. Puto tamen Bernardum Philomathem Pisanum fuisse, qui eam editionem curavit quæ anno M.DXXII. Florentiæ prodiit: quod ex illius gemina epistola ei editioni præfixa facile quis intelligat. Illi tamen viro, utcunque de cæteris merito, Græca non pauca, quæ primus ex suis libris descripsit et edidit, debemus. *Casaub.* *A. M. P. pro se apud Cl. Virum Claudium Maximum Procons. de Magia oratio*] Sic Romana et Aldina editio; Florentinæ membranæ titulum talem exhibent, *Apulei Platonici Madaurensis pro se apud Cl. Maximum Procons. de Magia Liber*: quasi illam orationem scripsisset, non coram Judicibus pronunciasset Appuleius. In omnibus autem editis et manu exaratis Codd. in duo membra separatim illa dividitur. Omnino male, ut eruditi viri jam pridem demonstrarunt, et satis liquet ex B. Augustino, qui *copiosissimam et disertissimam orationem* eam appellat de Civit. Dei lib. VIII. c. 19. *Elmenh.* *Appuleii Madaurensis pro se apud Claud. Maximum Apologia sive de*

magia Liber] Hunc titulum concepi ex Mss. in quibus tamen vox *Apologia* non exstat, uti nec in Ed. Bip. sed eam non omittendam putavi, quia hoc titulo citari solet hic liber. Li- [illegible] t potius hanc Apologiam, quam orationem fuisse appellandam monuit Scip. Gent. [vid. sup.] ut Ciceronis Verrinæ, *Libri:* et consentiunt in eo Mss. O. e quibus Pith. *Apulei Platonici Madaurensis pro se apud Claudium de Maximum liber incipit.* Lips. Liber *Apul. Plat. Mad. de Magia incipit apud Claudium Maximum Marinum.* Coll. Voss. *Liber de Magia incipit apud Claudium Maximum Maurinum.* D'Orvill. *Incipit primus liber Apulei Platonici Philosophi de Magia.* De reliquis Mss. vide notitiam Codicum et Edd. Appuleii. Edd. Ald. Vic. Junt. Basil. *L. Apuleii* (Vic. Junt. Bas. *Madaurensis Platonici*) *Apologiæ sive defensionis Magiæ* (Ald. *Mageiæ*) *ad* (Ald. *apud*) *Claudium Maximum Procons. Oratio prima* (addunt, Vic. *pro se.* Junt. Bas. *pro se ipso*). Vulc. Edd. *L. Apul. Apologia Prima:* sed in textu non est divisa. Si quis tamen cum Elmenh. *orationem* appellare malit, auctoritate Augustini l. cit. et Epist. 5. ei non valde refragabor: tanti enim res non est. *Pro se* addunt Mss. et Edd. permultæ, ac potuit sane alius cujusdam Apologiam scripsisse Appuleius. Quæ in Edd. ante Vulcan. item Elmenh. Florid. et Bip. adduntur *apud Claud. Max. &c.* ea librariorum additamentum puto: confirmantur tamen a Mss. plerisque, quare et ego illa retinui. *J. Bosscha.*

Proque vero obtinebam] Obtinere, antique dixit pro existimare, vel judicare, Ita Sallustius Oratione I. de Republica ordinanda, statim initio: 'Populus Rom. antea obtinebat, regna atque imperia fortunam dono dare, item alia, quæ per mortales avide cupiuntur.' Sed placet vehementer quod in duobus Mss. legitur: *Pro vero antea obtinebat, regna atque imperia, &c.* Quæ lectio et ab elegantia, et ab hac, quam observavimus, Appuleii imitatione confirmatur. Cui consequens est, ut, *Obtinebant*, illic legamus, vel, *P. Rom. pro vero:* facili librarii lapsu. Ita enim Sallustius hominum tum [illegible] mox opponit experientiam certiorem. 'Sed contra res docuit,' inquit, 'id verum esse, quod Appius ait, Fabrum esse suæ quemque fortunæ.' *Scip. Gent.*

Maxime Claudi] Maximus Claudius is videtur esse, quem philosophum M. Antoninus Philosophus audivisse scribitur a Jul. Capitol. in ejus vitæ cap. 3. monente Latino Latinio in Bibl. Sacra et Profan. Meminit ejus ipse M. Antoninus in l. I. de vita sua § 15. In Ms. Pith. simpliciter conspicitur *A.* J. B.

Consilio] Alii, *concilio*, male. *Consilium συνέδριον*, sive consessus. *concilium συναγωγὴ*, cœtus amplior, ut erudite notat Wowerius ad Sidonium pag. 403. *Elmenh.* Mss. Pith. D'Orv. Coll. Voss. cum plerisque Edd. recte *consilio.* Cic. pro Quintio cap. 10. 'Quæso, C. Aquilli, vosque, qui estis in consilio:' vid. Ern. in Cl. Cic. et VV. DD. ad Lat. Pacat. Paneg. c. 1. cf. Act. Apost. 25. 12. et Pric. ad h. l. cujus commentarium in Apol. partim in Append. Appul. exhibebimus, partim textui subjiciemus. De confusione *τῶν consilium* et *concilium* vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. XLIV. 2. *J. B.* *Maxime Claudi, quique in Consilio estis*] Infra: 'Ut medius fidius verear Maxime, quique in Consilio estis.' Iterum: 'Testor igitur te Claudi Maxime, vosque qui in Consilio estis.' Et ita fere Cicero, cum Judice quæstionis compellans Adsessores: nominatim in Pro Quinctio. De hujusmodi *Consiliariis παρακαθημένοις* multi multa. Adi vel Tit. Cod. de Assess. et domest. Cancell. *Pric.*

Notissimæ] In malam partem. ut Cic. Phil. XI. 5. 'multos secum habuit notos et insignes latrones.' Gell.

I. 5. 'notissimæ saltatriculæ.' *Drakenb. in marg.* Cf. Pric. ad h. l. et Ern. in Cl. Cic. *J. B.* *Senem notissimæ temeritatis*] Sic in Pacati Panægyr. 'Notissimæ pietatis mater.' Suetonii Vespasiano, 'Vir notæ impudicitiæ.' Valerio libro VII. cap. 8. 'Vir notæ insaniæ.' Nostro Miles. x. 'Medicus notæ perfidiæ.' *Pric.*

Penuria criminum, solis conviciis impleturum] Æschines περὶ παραπρεσβείας· Οὗτος οὐδὲν ἀληθὲς εἶπεν, ἀλλὰ ψεύδεται, καὶ κατηγορεῖν οὐδὲν ἀληθὲς ἔχων, τερατεύεται. Ammianus ubi supra: 'Quum autem ad inopiam venerint muniendarum allegationum, ad effrænatam deflectunt convitiandi licentiam.' Et statim: 'Ferociam maledicendi tunc effutiunt, quum commissarum sibi caussarum infirmitatem rationibus validis non possunt convelare,' (malim *convallare*, ut supra *munire*). Eleganter Optatus contra Donat. lib. VI. 'Livore interveniente facile est iratis jactare, sed semper dum intenditur crimen, necessaria probatio est.' *Idem.*

Purgandæ apud imperitos Philosophiæ] Sic infra: 'Sustineo non modo meam, verum etiam Philosophiæ defensionem.' Et in fine: 'In omnibus non modo criminibus, verum etiam maledictis, procul a culpa Philosophiam tuitus sum.' Hausit hoc artificium Noster ab Apollonio, cujus defensio in hoc passim incumbit, ut ostendat objectum ei crimen Philosophiam esse, perperam imperitæ multitudini pro Magia habitam. Ipso Apologiæ limine verba ad Domitianum faciens, πρὸς φιλοσοφίαν οὐδεμιᾷ δίκῃ διαβεβλῆσθαι δόξεις. Ibid. δείξω αὐτὸν (Αὐτοκράτορα) φιλοσοφίαν ἀδικοῦντα. Noster inquam (quod et infra prout usus venerit, ex locorum collatione ostendemus) indubie lectam habuit Apollonii defensionem, eam quæ superest e Philostrato necne, non affirmo. (potuit id sane, neque enim Appuleio recentiorem puto:) certe aliquam ab Apollonii æquali quopiam memoriæ traditam, aut (quod proclive credere est) a seipso scriptam. Philostratus: Καὶ λόγος μὲν αὐτῷ ξυνεγράφη τις ὡς πρὸς ὕδωρ ἐς τὴν ἀπολογίαν ἀφηγήσοντι. *Idem.*

Ad difficultatem defensionis] Quia, nempe, non satis mihi reliquerunt spatii, ad cogitandum: ut recte interpretatur Floridus. Male Scip. Gent. vid. ejus et Pric. notas. *J. B.* *Istæ calumniæ, ut prima specie graves, ita ad difficultatem defensionis repentinæ fuere.* Sic etiam infra verbis disertissimis: 'Omnis ista accusatio temeraria et repentina fuit.' Quem locum si contendisset Scipio cum præsenti, eum quidvis potius promptiorum fuisse puto quam quæ in medium tulit. *Pric.* *Quamquam istæ calumniæ, ut prima specie graves, ita ad difficultatem defensionis repentinæ fuere.* Quum primum hanc orationem legerem, hoc mihi dicere Appuleius visus est, difficiles sibi defensu fuisse has calumnias, utpote repentinas, et ad quas respondere ex tempore oportuerit, etiam respondit, de quo mox. Et eo pertinet, quod Cicero ait in Oratione pro Cluentio, 'falsam invidiam vehementes habere repentinos impetus.' Sed contrarium plane Appuleius dicit, nimirum facile sibi fuisse eas calumnias refutare, ut ex sequentibus apparet. *Scip. Gent.*

Quintus an sextus] Ms. D'Orv. *aut*: ex glossa. Cic. ad Div. VII. 9. 'Cn. Octavius an Cn. Cornelius quidam est.' Aur. Vict. de Vir. Ill. cap. 73. 'aurum, dolo an scelere Cæpionis, partum.' Tac. Ann. I. 13. 'Tiberius, casu an manibus ejus impeditus, prociderat:' et sæpe. cf. Mercer. ad Septim. de B. Troj. I. 19. Contra p. 404. infra, pro *maculæ aut inhon.* Ms. Pith. *m. an inh.* Sed non nisi in re dubia locum habet; quod ibi secus est. *J. B.* *Nam, ut meministi, dies abhinc quintus, an sextus est.* Quid ais Luci? ut ne aliquis tibi credat, hanc tam copiosam

et eruditam, omniumque prope scientiarum sententiis confertam, orationem uno vel altero die a te compositam esse? nam tres, quatuor dies ab adcusatore occupati fuerunt; quamvis et hoc exiguum sit, et minutissimum quiddam: nec id solum; si veterem publicorum Judiciorum morem consideres, quum per intervalla et intermissis diebus reus destinabatur, deferebatur, referebatur inter reos, interrogabatur, denique accusabatur: sed etiam remotis ambagibus, vix ac ne vix quidem fieri hoc potuit. Maximus magus est, qui talia uno et altero die potest efficere. Citius credam orationem quæ 'Volvitur a prima divina Philippica fama,' a Cicerone vel ex tempore habitam esse, utpote meram invectivam et versantem in rebus notissimis, quam tribus vel quinque diebus hanc ab Appuleio confici potuisse. Nihil vero in numeris mutandum, nam et infra satis clare Appuleius dicit, 'Bene quod festinatio judicii vos antevertit,' et quæ ibi sequuntur. Quid igitur? mihi videtur dicendum, aliam fuisse orationem, quam Appuleius dixit, aliam hanc, quam scripsit, ut Ciceronis Oratio pro Milone alia dicta, alia scripta, et contra oratio Crassi pro lege Servilia, quæ edita postea est, non omnia habuit, quæ dicta fuerant a Crasso, ut Cicero in Bruto significat. Quod in omnibus fere orationibus usuvenisse puto. Certe Cornelius Nepos, quasi pro re inusitata et rara notavit, Orationem pro Cornelio a Cicerone iisdem verbis, quibus edita est, peroratam fuisse se præsente, ut refert D. Hieronymus epist. LXI. Et Cato major apud Ciceronem: 'caussarum illustrium,' inquit, 'quascumque defendi, nunc quam maxime orationes conficio.' Liber igitur hæc Apologia fuerit potius, quam Oratio adpellanda: Ut Ciceronis Verrinæ, Libri. Egregius quidem Erasmus citat Librum Appuleii de Magia, hanc orationem intelligens, in adagio, 'Vulpina lingua.' *Scip. Gent.*

Quum me caussam, pro uxore mea, Pudentilla, adversus Granios adgressum] Advocatus enim Appuleius fuit, nec Carthagini solum, ubi hoc judicium peractum, sed etiam Romæ, non sine gloria et emolumento; ut ipsemet profitetur lib. XI. Metamorph. extremo. Sed initio ejusdem operis præfatur veniam: 'si quid,' inquit, 'exotici ac forensis sermonis, rudis elocutor offendero.' *Idem.* *Pro Uxore mea Pudentilla.* Id officii et tamquam advocatus suscepit, et tamquam maritus. Jure antiquo in tutela maritorum erant uxores, quod jus postea absolevit. Ceterum caussas uxoris suæ agere potest, etiam sine mandato, dum de rato caveat. Lib. XXI. Cod. de Procurator. Si de rebus dotalibus vel paraphernalibus agatur, ne de rato quidem satisdat. L. ult. Cod. de pact. conv. tam sup. dot. Appuleium de rebus propriis uxoris vel receptitiis egisse verisimile est, quod tenuem sibi dotem constitutam infra dicit, quum alias opulentissima mulier esset. *Idem.*

Patroni ejus] Cujus Patroni? an Pudentillæ? ita videtur, neque enim ad Granios referri hæc vocula potest. Sed Pudentillæ ipsi erat Appuleius patronus et advocatus. Igitur ad Sicinium Æmilianum referendum est: qui enim nunc Æmiliani patroni sunt, iidem tunc, quum caussa pro Pudentilla ab Appuleio contra Granios ageretur, Graniorum erant. *Idem.*

Ac denique necis Pontiani privigni mei cœpere] Insimulatus videtur Lucius, vel, quod ipse privignum necasset, vel quod noluerit alia conditione Pudentillam, matrem pueri, ducere, quam illo amoto: ut Catilina, qui captus amore Aureliæ Orestillæ, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum ætate, pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse; inquit Sal-

lustius. Ejusdem sceleris exemplum in Cluentiana, ubi de Oppianico et Sassia. Vere igitur imperator Constantinus de mulieribus iterum nubentibus, 'eas novis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicere.' L. XXII. Cod. de administrat. tutor. Contrarium superioribus exemplum maxime memorabile vide apud Agellium, libro XII. cap. 7. nec minus memorabile Dolabellæ Procos. Judicium, vel potius Areopagitarum. *Idem.*

PAG. 401 *Non tam crimina Judicio*] Neque enim cum Graniis actum est, nisi de rebus Uxoris Pudentillæ, et Judicio Civili: in veteri Codice scriptum aiunt, *Indicio.* Idem.

Objectamenta jurgio prolata] Infra: 'Hem tibi ista accusatio jurgiis inita.' *Pric.*

Ibi vero Æmilianus] Cur se hic Æmilianus interposuit, quum Graniorum patroni ea objecissent Appuleio et ab Appuleio provocati ad accusandum essent? Existimo, id ea re factum, quod patroni illi auctorem eorum maledictorum nominassent Æmilianum, qui et ipse illa eadem maledicta sua voce confirmaverit. Sequitur enim de ipso Æmiliano, 'Pontianum fratris sui filium cum paullo prius a me occisum clamitaret.' *Scip. Gent.*

Rem factam] Nil mutandum. Respondent hæc superioribus: 'non tam crimina judicio, quam objectamenta jurgio prolata:' et est sensus: Quum jam flagitationibus Appuleii videret Æmilianus, jam non *verbis* velitandum amplius esse, sed *rem* esse factam, non intra *jurgium* objectamenta sua posse contineri, sed tamquam crimina, in *judicium* deductum iri, quærere occepit, &c. *Rem* hic valere *litem* monuit jam Pric. quem vide. *Verba* autem de jurgiis dixit etiam Terent. And. II. 4. extr. ubi cf. Ruhnken. et Hec. III. 1. 33. ibique Donat. Possis etiam h. l. *ex verbis rem factam* ita explicare, ut nostrates dicunt: *en dat het van woorden tot daden gekomen was.* J. B. *Ex verbis rem factam videret*] Et quidem capitalem. Livius alicubi: 'Ne sermones cum amatore habitos in rem non modo seriam, sed capitalem duceret.' Terentius 'verba ad rem conferri:' intelligit Appuleius ex Jurgio judicium natum, ex minis litem. Ita 'rem in medium vocare' eleganter Cicero, et alii dixerunt, pro litem movere vel controversiam. Aliud est, 'Rem factam habere,' Martiali libro VI. Epigram. IX. 'Rem factam Pompillus habet, Faustine; legetur, Et nomen toto sparget in orbe suum.' *Scip. Gent.* *Ex verbis rem factam*] Id est, *Litem.* Ausonius: 'Imperium, litem, Venerem, cur una notat res?' Varro de L. L. l. VI. 'Quibus Res erat in controversia, vocabatur Lis, ideo in actionibus videmus dici, QUAM REM SIVE LITEM DICERE OPORTET.' Et in XII. 'REI SIVE LITIS TREIS ARBITROS DATO.' Ἀκριβολογία Ciceroni derisa in Pro Muræna: 'Jam illud' (inquit) 'mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, post tot annos, etiamnunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum: Judicem an Arbitrum: Rem an Litem dicere oporteret.' Et a *Re* (eodem teste II. de Orat.) vocabantur *Rei* non solum criminis qui arguebantur, generatim autem omnes de rebus quorum disceptabatur. Gallus apud Festum: 'Reus est qui cum alio Litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est.' *Pric.*

Quæ facilius infamatur] L. *qua.* Burm. Male. *Oud.* Burm. ad Petron. cap. 62. citans h. l. obiter monuit leg. esse *qua*, non *quæ*: et sic sane loquitur Seneca, Ep. 99. 'Hi sunt qui nobis objiciunt nimium rigorem et infamant præcepta nostra duritia:' quum idem Ep. 29. habeat: 'non est quod quisquam illos apud te temeritatis infamet:' quemadmodum Aur. Vict. de V. Ill. c. 78. 'impudicitiæ

infamatus est.' Insolentior constructio hujus verbi est apud Amm. Marc. lib. XXVIII. c. 1. § 48. 'Eumenius et Abienus infamati in Fausianam feminam non obscuram.' *Infamare Magiam* tamen recte dici posse videtur, pro, intendere alicui crimen Magiæ, quemadmodum 'probare Magiam' h. l. et infra p. 450. aliquem convincere crimine Magiæ. *J. B.* *Calumniam Magiæ, quæ facilius infamatur, quam probatur*] Tacitus lib. XV. Annalium: 'Glitio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis magis, quam convictis, data exilia.' *Scip. Gent.*

Eam solam, &c.] Possit videri *jam* scribendum. Sed nihil debet mutari. Est enim 'Ἑλληνισμὸς familiaris huic scriptori, apud quem sæpe reperias eam dictionem παρέλκουσαν. Infra: 'quod animi partem rationalem, quæ longe sanctissima est, eam violet.' Tolle *eam:* sententiæ nihil detraxeris. Ita autem Græci, Herodotus præsertim et Pausanias, atque e recentioribus Agathias, etsi id proprie Hebræorum dialecti esse certum est. *Casaub.* *Eam solam, &c.*] Τὸ *Eam* παρέλκει. Scævola l. libertis § ult. D. de aliment. et cib. leg. 'Quos libertos meos, ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari jubeo.' Plura de Hellenismo isto Casaubonus. *Pric.*

Dat libellum] Per libellos accusatores crimina deferebant, denuntiabant. Noster infra Apol. II. 'Ubi illud libelli vestri atrox principium, nomine privigni mei formatum?' Horum mentio in L. Mariti D. ad L. Jul. de Adult. l. Libellorum, de Accusat. Juvenalis Sat. VI. 'Nulla fere caussa est, in qua non femina litem Moverit: accusat Manilia, si rea non est: Componunt ipsæ per se, formantque libellos.' Ambrosius de obitu Valentiniani Imp. 'Et cum post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniam pronuntiaturus, accusatum libere, donec præfectus cognosceret, obversari jussit.' His subscribere cogebatur accusator, eoque profiteri sese talis, aut talis criminis reum postulasse; ut, si falso quem accusaret, hæc subscriptio temeritatis falsitatisque eum coargueret, multaque debita afficeret. De quo multi loci in jure nostro. Sed de eo ante omnes vide doctorem nostrum J. Cujacium Observ. lib. I. c. 20. *Colv.* Infra: 'ubi illud libelli vestri atrox principium, nomine privigni mei formatum?' *Elmenh.*

PAG. 402 *Novo more, &c.*] At Impp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius postea constituerunt, eos, qui accusationem aliorum nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos et plectendos. Lib. VIII. c. de Calumniatoribus. *Colv.*

Plecteretur] Pœna talionis. V. Vultei. de Judic. II. 4. p. 215. *Drakenb. in marg.*

Quietus est] Malim scripturam Basil. 1. *quitus est.* In Ms. erat *q̄tus est.* Sic infra Apol. II. 'Sola virginitas, cum semel accepta, reddi nequitur.' Non aliter Plautus, Lucretius, Terentius, Gellius, aliique veteres. Prisc. lib. VIII. Diomed. lib. I. apud quem versus Attii ita legendi: 'Nam neque Pretio, neque amicitia, neque vi impelli, neque prece quita sum.' *Colv.* *Ne sic q. quitus est.* Sic Rom. Ed. cur mutarunt homines ἄμουσοι? Vulgo enim *quietus* est. Terentius [Hec. IV. 1. 57.] 'forma in tenebris nosci non quita est.' Utitur et alibi Lucius noster. *Casaub.* *Ubi ut com. propellis.* Τὸ *ubi* non est in Flor. ... Flor. *percellis.* recte. *Elmenh.* *Ne sic quidem quitus est.* *Ubi ut cominus ageret propellis etiam.* Hæc est vulgaris lectio, minime sana. Pro *quitus est* in Ms. Pith. exstat *Quintius est*, in Lips. *q̄tus est.* Edd. Ald. Colv. Vulc. habent *quietus est:* præeunte Junt. post. Sed in vocabulo tam vulgari non tam facile errassent librarii: imo, hoc est contra mentem

Auctoris, si modo bene locum perpendas. Melius itaque in reliquis Edd. *quitus est*, quod et Lexica jam pluribus exemplis probant. Verum cur, quæso, Æmilianus non potuit accusationem proprio suo nomine sustinere? at vero, omnino potuit, sed non ausus est. Dein bis idem dicitur: 'nam cum jubere proprio nomine accusationem sustinere,' et, 'propellere ut cominus agat,' prorsus sunt ταυτόλογα. Porro τὸ *ubi* in nullo est Ms. nec in Ed. Elm. qui post *etiam* addidit *et* e Florent. Totum locum, ne littera quidem mutata, sic lego: *ne sic quidem quitus est, ut cominus ageret, percelli, sed jam adversum te, &c.* Prima littera τοῦ *set* (ut scribitur in Mss.) male juncta fuerat τῷ *percelli*: hinc corruptus locus. Pro *etiam*, in Ms. D'Orv. *et*: unde Oudend. margini adlevit *ut cominus ageret percellis, at adversum te.* Sed major distinctio post *quitus est*, quæ locum turbat, omnino tollenda. Gruter. Suspic. Ineditarum lib. XX. c. 10. *ne sic quitus est tibi ut com. ag. propelli.* Male: nam *ubi*, unde ille fecit *tibi*, contra Mss. irrepsit. Tandem vulgares Edd. *propellis.* Ms. D'Orv. *perpellis.* Florent. cum Edd. Junt. post. et Scriv. *percellis.* Infra p. 420. 'Cœlitem Venerem ... nullis ad turpitudinem stimulis vel illecebris sectatores suos percellentem.' *J. B.* *Ne sic quidem quitus est*] Quid igitur? Licuitne contemnere jussum Proconsulis impune et toties? Licuit, quum Æmilianus jure aperto niteretur, quo cautum, ne invitus quis agere vel adcusare cogatur: ut mox dicam. *Scip. Gent.* *Quitus est*] Id est, compelli ad adcusandam non potuit. Perperam alii, *Quietus*, ut amicus noster eruditissimus hic notat, illud Terentianum allegans: 'Forma in tenebris nosci non quita est:' unde *nequitur* recte dixeris. Priscianus in Dionysio de situ orbis: 'Hic nasci linum, qui tacto adcensus ab igni Extingui nequitur.' *Idem.* *Ubi ut cominus ageret*] *Cominus* est, proprio nomine, quod antea dixit, *de professo*, alludens ad formulam inscriptionis, quæ extat in l. libellorum ff. de adcusat. Cur ergo infra dicit, 'cujus fuerat professor et machinator?' Sed hoc pertinet ad Æmiliani jactantiam extra jus, qui profiteri et gloriari solebat, suo machinatu Appuleium reum factum, ut alio loco infra scriptum est. Vel *cominus* est, Directo et per sese et principaliter, suo nomine. Nam et subscribens, quasi alieno adcusare videtur, qui non est princeps in agendo. Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici: 'Neminem neque suo nomine, neque subscribens adcusavit.' Quanto minus is, qui ne subscripsit quidem, ut hic Æmilianus? sic stipulatio dicitur a Venuleio fieri debere cominus, quod nemo possit stipulari nisi præsens et de se ipso, et loquens conceptis directisque verbis, l. continuus ff. de verb. oblig. *Idem.* *Ubi ut cominus ageret percellis, &c. eminus calumniis velitatur*] Miles. v. 'Videsne quantum tibi periculum velitatur fortuna eminus? ac nisi longe firmiter præcaves mox cominus congredietur.' Et VIII. 'Ut discernere prorsus nequiremus quam potissimum caveremus cladem, cominus canum, an eminus lapidum.' *Pric.* *Calumniis velitatur*] Ut Milesia VIII. 'Velitari jocis.' Afranius: 'Verba jactare et velitari labiis.' Festus: 'Velitatio, ultro citroque probrorum objectio.' Idem: 'Advelitatio, jactatio verborum.' *Idem.*

In assistendi venia] Narrat Appul. adversarium suum Sicinium Æmilianum primariæ causæ diffidentem, ne periculum incideret, quod in accusando ex subscriptione subeundum erat, latibulum quæsisse. Libellum enim postera die nomine pueri porrexisse, inibi adscripsisse se pupillo accusanti tantum adsistere: quorum verborum sententia mihi quidem (ne-

scio an tibi quoque) postulare videtur, legerem, *in assistendi umbra perseveravit.* Constitutum autem ab Impp. Arcadio et Honorio, ut in caussis criminalibus inscriptiones præponerentur l. in Caussis, c. de accus. et inscriptionibus. L. momentariæ, c. unde vi: L. unic. c. de abigeis. L. libellorum, ff. eod. tit. epistola D. Trajani ad Plinium, de Christianis cohibendis: eo videlicet, ut alterutram partem digna legum tenere possit auctoritas: dicta l. in caussis, et l. si cui, ff. de accusationibus; neque inpunita sit mentiendi licentia, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. L. accusationis, c. de accusationibus. *Stewech. Ab accusandi periculo profugus.* Id est, ab accusando, in quo erat periculum. Sic statim eleganter vel breviter, *in assistendi venia perseveravit: ἀντὶ τοῦ* in assistendo, ubi spes veniæ. Hoc moneo, quia reperti sunt tam corrupti palati homines, quibus vulgata lectio non saperet, ac legi vellent, *in assistendi umbra.* O acumen! *Casaub.* Fulvius, *in ass. vice.* Et mox, *de consilio clarissimorum virorum.* Sciopp. in Symb. Ideo autem dixit veniam, quia officii necessitas et tutoris fides excusata esse debet, ut ait Tryphoninus noster, quare nec legatum sibi testamento relictum, quod falsi vel inofficiosi adcusat, placet eum perdere, nec repelli a bonorum possessione contra tabulas, si libertum patris pupilli sui nomine capitis adcusaverit. L. tutorem ff. de his quib. ut indign. L. ult. ff. de postul. Non male tamen in quibusdam Mss. *In adsistendi vice,* legi putem: id est, munere et partibus fungi adsistentis perseveravit. *Scip. Gent.* Non male tamen in quibusdam Mss. *In adsistendi vice,* legi putem: id est, munere et partibus fungi adsistentis perseveravit. *Idem.* Mstos, in quibus sit *vice,* ego non novi, nisi unum Fulv. e quo illud adnotavit Wow. sed videtur potius esse mera conjectura Fulvii, quem minime sequor. Manifeste sibi opponuntur *periculum* et *venia:* quare non audiendus quoque Gruter. Susp. Ined. xx. 10. aiens probabiliter Stewechium emendasse *umbra.* J. B.

Pag. 403 *Si quidpiam veri in me explorasset*] H. e. si invenisset quod vere posset objectare mihi. Sed Græcissat Appuleius. Æschines jam citato loco: *οὐδὲν ἀληθὲς κατηγορεῖν ἔχων, τερατεύεται. Pric.*

Pertinacia] Rom. ed. *pervicacia.* Casaub. Accedunt Vic. Vulc. Wow. Vid. Oudend. ad Met. l. v. p. 379. b. ubi absque Mstorum auctoritate id probat quoque V. Cel. et edidit Ruhnken. Accedit autem h. l. quod *pervicacia* est vocabulum forense, quo ejus significatur obstinatio animi, qui, gemino judicio superatus, rursus provocat. V. Brisson. de V. S. Noster de Deo Socr. p. 670. Ed. Flor. *pervicaci audacia, pertinaci spe,* distinguere videtur: sed utrumque in bonam et malam partem adhibetur. *J. B.*

Cum Lollius Urbicus V. C.] Vid. Brisson. de Form. III. 26. Videtur autem is esse Lollius Urbicus, quem, legatum Antonini Pii, Brittannos vicisse, testatur Capitol. in Anton. Pio cap. 5. Diversus ab illo Lollius Urbicus, qui temporibus Macrini et Heliogabali vixit, et historiam sui temporis scripsit. Vid. Lamprid. in Diadumeno cap. 9. *Idem.*

Verum videri] Id est, *Esse.* Miles. IX. 'Die sequenti molæ, quæ maxima videbatur, matutinus adstituor.' Sexta: 'Impares nuptiæ, et præterea in villa, &c. factæ, legitimæ non possunt videri.' Probus in Notis: I. E. C. V. 'Justa ejus caussa videtur:' sic et Græci *νομίζειν καὶ δοκεῖν* usurpabant *οὐ πάντως ἐπ' ἀμφισβόλου, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν.* notat Ulpian. ad Olynth. 1. quod et postea in Patrum Conciliis obtinuisse docet Savaro ad Sidon. Vide Brissonium de

Formul. II. 2. *Pric.*

De consilio consularium virorum pronunciavit] Solemne in pronuncianda sententia D. C. S. id est, Val. Probo interprete, 'De consilii sententia.' Livius lib. XLV. 'Silentio per præconem facto, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit.' Huc allusit Sep. Tertullianus lib. de Pudicitia: 'Lusit igitur et de suo spiritu, et de virtute domini, si, quod de consilio eorum pronuntiaverat, rescidit.' *Colv.* *Consularium.* Sive, qui in consilium adhibebantur. *Drakenb.* Quia in senatoribus aliqui erant consulares, propterea totum consilium non potest vocari *consulares:* quod voluit Floridus. Videtur id sensisse quoque Lips. qui (fortasse e suo Cod. nam Coll. Voss. ita habet) legi malebat *consiliarium:* quam vocem, pro *consiliariorum*, defendunt Bynkershoek. Obs. I. 25. et Duker. de Latin. Vet. Jurisc. p. 372. Vid. Heins. ad Brisson. de V. S. in V. Sed *de consilio consiliarium* non videtur esse ab Auctore. Fulv. Groslot. et Salm. conjecere *Clarissimorum;* uti passim Senatores vocantur. Eandem vocem, ter intra tam breve spatium repetitam, non tulisset quoque App. Nil contra Mss. mutandum. *Consulares* sub Imperatoribus vocabantur, qui provinciis Augusti præerant, quamvis non semper Consules fuissent. Vid. Salm. ad Scriptt. Hist. Aug. t. I. p. 198. 375. t. II. p. 346. et Wagneri Ind. II. in Ammian. Marcell. *J. B.* *De consilio consularium virorum*] Consulares et senatores quinque Romæ in consilio aderant, item quinque equites: in provinciis XXV. Recuperatores, peregrini adpellati, ut scribit Theophilus lib. I. Institut. Tit. VI. ubi nomine συγκαθεζομένων συγκλητικῶν, Consulares intelligere licet, et interpretari ex hoc Appuleii loco: nisi distinguendum putes inter Prætorem, de quo Theophilus et Præfectum urbi, ut hic Consulares, ille Senatores tantum in Consilio habuerit. *Scip. Gent.* *Pronunciasset.* Proprie, nam non alius *pronunciat* quam qui jus cognoscendi habet. Lib. XLVI. D. de verb. signif. *Pronunciabat* e Tabella autem. Vide Elmenhorstium ad primum Floridorum: doctiss. Desid. Heraldum ad Tertull. Apologiam. *Pric.*

Contra clarissima voce] Sic nos emendavimus corruptam lectionem omnium librorum, *contra clarissimam vocem.* Enimvero ea scriptura manifesto falsa: ista enim *clarissima vox* vox Æmiliani est non Lollii Urbici: quod ex sequentibus clarum. Elegantissime autem Appuleius hominem eum χαρακτερίζει quem Theophrastus ἀπονενοημένον vocat: quod malam caussam tanta confidentia tueatur: quod juret tam facile, imo pejeret: quod alta et clara voce vociferetur: eadem Theophrastus. *Casaub.* Casaubonum deinceps Editores secure sunt secuti. Si quid tamen video, unice vera est scripta et vetus lectio, *contra Clarissimam vocem*, i. e. contra sententiam, quam pronunciaverat *Vir Clarissimus*, magistratus judicium gubernans: nam sic demum intelligi possunt seqq. 'quam quidem vocem,' &c. Ubi tamen vid. Florid. *J. B.*

Ab ejus pernicie temperarit] Referendum hoc ad pœnam illorum, qui judicibus convicium faciunt, eorumque sententias reprehendunt, qui infamia notantur. L. XLII. ff. de Injur. L. VIII. ff. de Appellat. Paullus Sent. l. V. c. 35. arbitrio principis hoc delictum vindicari scribit. *Colvius.* *Adeo ut ægre Lollius Urbicus ab ejus pernicie temperarit.* Id est (inquit Gentilis) ægre manus abstinuit a tam impudenti convitiatore. Insulse. Notum quid *Pernicies*, duntaxat quum de Foro res. Tacitus Annal. IV. 'Cremucius Cordus postulatur novo, ac tunc primum audito crimine, quod, &c. id perniciabile reo visum, h. e. capitale.' Opponitur *Salus.* Infra Noster: 'Posse literas ejus ad per-

niciem, non posse ad salutem.' Iterum: 'Cedo tu Aviti Epistolas, ut quæ semper mihi ornamento fuerunt, sint nunc etiam saluti.' *Pric.*

Quam quidem vocem] Male Floridus, ut supra diximus. *J. B.* *Quam quidem vocem*] Obscura oratio, sed hoc Appuleius vult: dixerat antea Æmilianum in accusatione falsi testamenti victum, contumeliose in Lollium Præfectum Urbi locutum esse. Similis vecordiæ vocem ab eo erupturam in Claudium Maximum Proconsulem auguratur hoc judicio Appuleius, fretus et æquitate Maximi, et innocentia sua. Quorum utrumque pariter ad condemnationem Æmiliani valere videbat; unde ille dolore adcensus similis vecordiæ vocem in Claudium erumperet. In V. C. legi aiunt: 'Mea innocentia fretus, subit hoc quoque judicio.' *Scip. Gent.*

Erupturam] Scribo et distinguo, *erupturum: quippe, qui sciens innocentem criminatur.* 'Erumpere vocem,' dictum ἐνεργητικῶς, ut apud Terent. 'erumpere gaudium:' apud Ciceron. 'erumpere stomachum in aliquem.' Qui non animadverterant, in superiore loco legendum *clarissima voce*, eos ne istum quidem recte accipere potuisse certum est. Hoc ait: sperare se fore, ut Æmilianus, isto quoque judicio victus, idem vecordiæ specimen edat, ac fecit superiore illo. Id prius judicium Romæ, non in provincia fuit celebratum, apud tribunal Q. Lollii Urbici præfecti Urbis: de quo vetus lapis extat Romæ: APOLLINI. Q. LOLLIUS URBICUS. PRÆF. URB. *Casaub.* Rursus hic revocanda vetus et scripta lectio, quam cum Casaub. mutarunt Vulc. Wow. Flor. *Erumpere* elegans est h. l. verbum. In caussa tam manifesta poterat judex statim pronunciare, sed vocem ejus aliquamdiu reprimebant legitimæ ac necessariæ judiciorum moræ. Vox autem repressa proprie dicitur *erumpere*. De persona in *quippe qui* intelligenda dubitari nequit. *J. B.*

Apud præfectum urbis] Nam is de falsis testamentis cognoscere solitus. Scævola JC. 'Filia quæ de inofficioso agere instituit et transegit, postea cum heredibus, stipulatione interposita, et subjecta doli clausula, apud præfectum de falso testamento egit, nec probavit.' L. cxxxv. de Verbor. Obligat. *Colv.* *Præfectum Urbi.* Sic exquisitius Ms. Pith. et Ed. Junt. post. In reliquis *pr. Urbis:* ut semper variatur, quemadmodum in *præf. prætorii* et *prætorio.* Apud Ammian. Marcell. semper est *præf. Urbi:* in Historiæ Augustæ scriptt. utrumque passim. *J. B.*

Namque peccatum] Suetonius de Nerone cap. 27. 'Paulatim invalescentibus vitiis, jocularia et latebras omisit, nullaque dissimulandi cura ad majora palam erupit.' *Elmenh.*

Integrat] R. *iterat.* Lips. Utitur sæpe verbo *iterare* Noster: v. Ind. sed et *integrare* est in lib. II. Met. p. 133. 'voluptatem integrantes.' p. 166. 'iterum cachinnum integrant.' Lib. VII. p. 453. 'Martiæ cohortis facies integraretur.' *J. B.*

PAG. 404 *Ad rem aggrediar*] 'Aggredi rem' dicitur, qui meditatur de re incipienda, ut Melæ Præf. 'Orbis situm dicere aggredior.' 'Aggredi ad rem' qui jam incipit: Plaut. Asin. III. 3. 91. 'Quin ad hunc Philenium aggredimur.' Cic. de Or. II. 44. 'cum aggredior ancipitem caussam et gravem ad animos judicum pertractandos.' Noster infra p. 263. Ed. Scriv. [446. Flor.] 'Aggredior jam ad ipsum crimen.' p. 275. [466.] 'Ut sit mihi tempus aggredi ad cetera.' *Drakenb.*

Proximam crimini] Vet. lib. *proximo crimine.* Unde Lipsio scribere visum, *pro summo crimine.* Colvius. In vet. cod. erat *proximo crimine.* Id quod rectum, pro *obvio* atque *manifesto.* Sic infra, 'proxima humanitate,' Claudium Maximum alloquens: 'Ne tu,

Claudi Maxime, nimis patiens vir es, et oppido proxima humanitate.' Vanus ergo conatus V. Cl. Justi Lipsii rescribentis, *pro summo crimine*. J. Meursius. *Pro maximo crimine*. Sic reposui ex Flor. 2. Vulgo, *proximam crimini*. Elmenh. Meursius *Proximo crimine*, ut infra: 'Proxima humanitate.' Lipsius *Pro summo crimine*, remote nimis. *Pric.* *Proximo crimine* exstat in Mss. D'Orv. Lips. Pith. Fux. Coll. Voss. (nisi quod in D'Orv. sit *crimen*) et Ed. Junt. post. probante Meursio. Sed recte *pro maximo crimine* e 2. Florent. edidit Elm. cum Scriv. Flor. Bip. ut legendum esse margini adscripsit Oud. et obiter notavit ad Cæsar. lib. III. de B. G. cap. 29. Reliquæ Edd. *proximam crimini*: bene, si Mss. addicerent. Phædr. I. 10. 5. 'Negabat illa se esse culpæ proximam:' ubi cf. Scheff. et Burm. sic 'affinis culpæ' apud Ciceron. et 'confinis crimini' Noster infra p. 484. *J. B.*

Propter quod] Quidam, *propterea quod*, male. Tertullianus de Testimonio animæ: 'Et conrecumbentibus sortem suam exprobrare non possis; debes adulari propter quod lætius vivis.' *Colv.* Nescio ubi Colv. invenerit *propterea quod*. Sensus sane id videtur postulare: nam quomodo cum Florido explicari hic possit 'qua de caussa,' non video. Interim, quod sciam, Mss. et Edd. nihil variant. *Propter quod* dictum videtur pro *propterea quod*, ut 'præter quod' pro 'præterquam quod,' (vid. Ind.) Exemplum tamen frustra quæsivi: nam in Tertulliani loco, quem Colv. citat, legitur *propter quos lautius vivis*. J. B.

Mercenaria loquacitate] Ut apud Tertullian. Apolog. 'Mercenaria advocatio.' Zenon. Veronens. Sermon. de Avarit. 'Mercenaria ac duplex lingua.' Plautum in Stich. 'Venditaria,' et Ovid. in Amor. lib. I. Epist. 48. 'Empta.' Symmach. lib. III. Epist. 175. 'In mercedem linguæ ornamenta corrumpere.' Isid. Pelus. διὰ φιλοχρηματίαν καπηλεύειν, χρυσῷ προπίνειν τὴν ψῆφον, καὶ τὸν τῆς δικαιοσύνης ζυγὸν λήμματι παρασαλεύειν. Nicetas in Andron. χαριτογλωττοῦντες, καὶ πρὸς ἀργύριον λαλοῦντες. *Pric.*

Ob mercedem et auct. inpud. deprehensa haberi] Nescio quid hic vocabuli *deprehensa*. Festus: 'Deprehensa dicitur genus militaris animadversionis, castigatione major, ignominia minor.' Quod quomodo huc trahendum æque nescio. Forte mutanda saltem distinctio. *Acidalius.* H. e. pro manifesto falsis et satis revictis. Quid si tamen scribamus, *ob mercedem et auctoramenta impudentiæ depensa*, pro, repensa. *Casaub.* Fulvius conjiciebat *depensa*. Sciopp. in Symb. Rectius visum *depensa*. Wower. *Deprehensa haberi*, id est, quasi manifesto falsa, vel *depensa* cum Casaubono legendum. Acidalius annotat ex Festo: 'Deprehensa dicitur genus militaris animadversionis,' &c. Sed quomodo huc trahendum, ignorare se dicit. *Scip. Gent.* Fulv. et Casaub. *depensa hab.* Elmenh. Locus qua a verbis vitiosus, qua ab interpunctione. Scribe: *Futiliter blatterata ob mercedem et auctoramenta, impudentiæ depensa haberi*: omnino sic legenda hæc et distinguenda. *Impudentiæ depensa*, ut apud Marc. Capell. 'Jurgiis pendere.' 'Indocta rabidum quem videre secula Jurgiis caninos blatteratus pendere.' *Pric.* *Quæ etsi possunt ab his utiliter blatterata ob mercedem, et auctoramento impudentiæ depensa, haberi.* Ita legendum e Mss. i. e. blatterata a patronis Æmiliani in suam ipsorum utilitatem, ob mercedem, qua se ad me accusandum obstrinxerunt. 'Auctoramento impudentiæ depensa,' i. e. persoluta. Quod autem habetur blatteratum ob mercedem, et auctoramento impudentiæ depensum, id ut frivolum prætermitti potest; attamen Appu-

leio vel sua caussa paucis refellenda videbantur. Probavit hanc lectionem Oudend. noster ad Cæsar. de B. G. I. 44. quem vide etiam ad Nostri Met. IX. p. 667. a. imo, edidit jam Scriv. sed alia, minus bona, ni fallor, distinctione: *quæ etsi possunt ab his utiliter, blatterata ob mercedem, et auctoramento impudentiæ, depensa haberi.* Videamus jam de singulis. *Utiliter* a Colvio mutatum esse in *futiliter* supra jam vidimus. *Auctoramenta impudentiæ deprehensa* est in Edd. excepta Scriver. omnibus, nisi quod in Junt. post. sit *auctoramento*, adstipulantibus Mss. Florent. Pith. Lips. Coll. Voss. et probantibus Salmas. forsan e Fux. Cod. et Gronov. ad Arrian. VII. 6. Pro *deprehensa* extat *depensa* jam in Ed. Vic. et ex conj. Fulvii in Ed. Wow. addicentibus Mss. Bemb. et D'Orv. *Utiliter*, i. e. in suam utilitatem. Noster de Dogm. Plat. lib. I. p. 586. Ed. Flor. 'cum impedimentum istud utiliter provenerit, res illa Felicitas nominatur.' Ovid. Her. Ep. I. vs. 67. 'Utilius starent etiam nunc mœnia Trojæ.' id. Fast. III. vs. 464. 'Utiliter nobis perfidus ille fuit.' 'Auctoramentum impudentiæ' dicitur, ut 'auctoramentum sceleris' Met lib. IX. p. 617. ubi adi Oudend. *J. B.* *Depensa.* Sic legit etiam J. a Costa ad Decretales p. 80. *Id. in Addend.*

Linguæ suæ virus] Cælius Symphosius: 'Effundit mala lingua virus atrum.' Sidon. Apollin. 'Loquens venenum.' *Pric.* *Quo ferinæ solent linguæ suæ virus alieno dolori locare*] 'Mercenaria loquacitate,' ut paulo ante dixit. Ammianus lib. XXX. de Caussidicina sui temporis: 'Ad expugnandam veritatem ora mercenaria producentes, per prostitutas frontes,' &c. Quod Orator noster, 'ob mercedem, et auctoramenta impudentiæ.' *Scip. Gent.* *Ferinæ linguæ virus*] Id est, viperinæ. Sic infra: 'Viperæ ritu niveo denticulo atrum venenum inspirare.' Ita accipiendum in illo dicto Augusti ad Pollionem, de Timagine virulentissimo homine, et qui ipsum Cæsarem acerbissimis dictis confixerat, et interdicta illi Cæsaris domo ad Asinium Pollionem confugerat, Θηριοτροφεῖς, id est, 'viperam alis.' Ut refert Seneca lib. III. de Ira, cap. 25. Etiam ingrati animi vitium eo verbo, et impietatem in se Cæsar notare voluit. A sono autem et sibilo Græcus poëta litteram S θηριώδη adpellavit, Lucilius litteram R caninam: 'Irritata canis, quam homo, quod planius dicat:' ita enim emendandus is versus apud Donatum est. Hieronymus adversus Ruffinum cap. IV. Demosthenem scribit a cane Rho litteram didicisse. 'Canina facundia' apud eundem, et alios: item 'canina lingua' apud Lucilium referente Velio Longo, libello de Orthographia: eo sensu, hic 'viperina lingua.' *Idem.*

Alieno dolori locare] Male Florid. interpretatur: 'aliis, ut dolorem suum ulciscantur.' Est enim *dolori alieno* dictum pro, in dolorem sive perniciem aliorum. Ms. D'Orv. *dolore:* quasi sit ablat. pretii. Belg. *ten koste van.* J. Bos.

Ne quid maculæ, &c.] Miles. X. 'Ignominiæ maculam.' Cicero Verr. II. 'Adolescentiæ maculas, ignominiasque.' Noster heic infra, 'Omnem criminis maculam.' *Pric.*

Inhonestamenti] Glossæ Vindocinens. Ms. 'Dedecoratus inhonestius:' lege *inhonestatus.* Idem.

Videar cuipiam, si quid ex frivolis præteriero, id agnovisse potius quam contempsisse] D. Cyprian. Tractat. contra Demetrian. 'Ultra tacere non oportet, ne jam non verecundiæ, sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus: et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere.' *Idem.*

Prudentis animi] Amplector istam lectionem præ altera, *Pudentis.* Pric.

Cum Pricæo faciunt margo Basil. Vulc. Ed. tert. et Floridus. Sed in Mss. et Edd. ceteris est *pudentis*, quod mutandum non est: *Verecundus* et *pudens* eleganter junguntur. Cic. ad Div. II. 6. ' Verecundius a te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. Grave est enim homini pudenti, petere,' &c. Ovid. Trist. l. IV. el. 4. vs. 50. ' Nostra verecundo vota pudore carent.' Immo plane ut hic Noster, Cic. Verr. III. c. 41. ' Habet enim quendam aculeum contumelia, quem pati pudentes ac viri boni difficillime possunt.' *J. Bos.*

Etiam hi qui sibi delicti alicujus conscii sunt, tamen quum male audiunt, impendio commoveantur] Tacit. de Nerone Annal. XV. ' Ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret insolens.' Salvian. de gubern. &c. Lib. VIII. ' Omnes admodum se laudari volunt, nulli grata reprehensio est: imo (quod pejus est,) quamlibet perditus, mavult mendaciter prædicari, quam jure reprehendi. Neque enim quisquam tam malus est, ut malus videri velit.' Fabius lib. III. cap. 8. *Pric.*

PAG. 405 *Quisque rudes et imperitas aures*] Ms. cod. *quisse rudes et imparatas aures:* Bas. 1. et 2. *rudis et imperitus.* Ald. *rudes et imperitas:* quam sequuti sumus. *Colv.* Rectum est illud a Manuscripto *imparatas aures:* quod cur mutaretur, caussæ nihil erat. *Imparatus* pro Rudi et Imperito eo ævo accipiebatur: et invenire est apud Arnobium nostrum non semel, annotavimusque id jam olim in Critico. *Meurs.* *Quisque* deest Edd. Vic. Ven. Bas. In Vic. Junt. Ald. Bas. Cas. Pric. *rudis.* Vic. *auris.* Al. *aures* vel *aureis.* *Imparatas* ex Cod. Lips. edidit Scriv. sed *imperitas* revocavit Florid. et ex eo Ed. Bip. Eadem varietas in Justin. lib. XXXI. c. 2. ' Virum ad prospicienda cavendaque pericula peritum:' ubi nunc ex Mss. editur *paratum,* cum *peritus ad* ne Latinum quidem esse putent VV. DD. Sane qui dixerit *peritus ad litteras,* vel sim. eum male Latine dixisse, non dubium est. Sed ' peritus ad pericula cavenda,' pro, peritus eorum, quæ faciunt ad pericula cavenda, recte defendi posse existimo. Valet tum *peritus* idem quod *expertus.* Cic. pro Font. c. 15. ' Virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum ac disciplinam peritum, ad consilia prudentem,' &c. Est igitur *imperitus* h. l. inexpertus, inadsuetus, plane ut Liv. VI. 18. dixit: ' animum inexpertum ad contumeliam.' *Imperitus* quoque melius jungitur τῷ *rudis* quam *imparatus.* Noster Flor. n. 7. ' rudes, sordidi, imperiti.' Quare unius Cod. auctoritate vulgarem lectionem non mutavi. *J. B.*

Laudis assuetudine contumeliæ insolens] Cicero Verr. III. ' Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficillime possunt.' Hesiodus Ἐργ. Ὕβρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς Ῥηϊδίως φερέμεν δύναται, βαρύθει δέ θ' ὑπ' αὐτῆς. *Pric.*

Multo tanto] Ubique multus est in hac φράσει Lucius noster. Exempla in medium ferre otiosæ diligentiæ foret. Varro ipse de L. L. l. VI. ' Quod intervallum multo tanto propius nobis:' ubi temere vir eruditissimus *tanto* expungendum putat. *Idem.*

In principio adcusationis] Duo prooemia diversa adcusationis in se institutæ recitat Appuleius: unum hoc, ' Adcusamus apud te,' &c. alterum in fine hujus Orationis, tale, ' Hunc ego, Domine Maxime, reum apud te facere institui,' &c. sed unum est principium libelli adcusatorii: ut ipse Appuleius ibi demonstrat: alterum hoc, adcusationis ipsius, id est, orationis perpetuæ patronorum adcusatoris. *Scip. Gent.*

Quidem disertissimus] M. Ven. Rom. *quidem non disert.* Colv. Restituimus negationem ex Ed. Rom. Ea vera

lectio et ex Apuleii mente, qui etiam infra Tannonio eidem infantiam objicit: de eo enim sunt hæc, 'sed eloqui propter infantiam causidicus summus nequiret.' Mox, 'At ego illi contra justius exprobaverim, quod qui eloquentiæ patrocinium vulgo profiteatur, etiam honesta dictu sordide blatteret, ac sæpe in rebus nequaquam difficilibus fringultiat, vel omnino obmutescat.' *Casaub.* *Non disertissimus.* Sic omnes libri Mss. Recte: et infantiam ejus infra ridet sæpius. V. D. in marg. Ed. Colv. e Bibl. Reg. Casaubonum secuti sunt reliqui. *J. B.* *Homo vere ille quidem non disertissimus*] De eodem Tannonio, infra: 'Quas Tannonius ille, quum eloqui propter infantiam, causidicus summus, nequiret.' *Non disertissimus* igitur hoc loco est, maxime infans et indoctus: figura veteribus usitata. Sic Homerus de Achille, οὐ γήθων, id est, summe dolens, aliaque similia. *Scip. Gent.*

Quod utinam] Quemadmodum *quod* abundat in 'quod si,' 'quod ubi,' &c. (Vide ad Met. l. III. p. 201. b. Burm. ad Virg. Æn. II. 141. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 5. 9.) ita etiam in *quod utinam*. Cic. ad Div. XIV. 4. 'Quod utinam minus vitæ cupidi fuissemus!' Plura dabit Cort. ad Sallust. Jug. c. 14. add. e Nostro Flor. n. 18. 'Quod utinam pro amplitudine auditorii prolixa oratio suppeteret.' N. 23. 'Quod utinam sicuti cygno cantum indulsit, ita huic quoque vocem tribuisset.' *J. B.* *Quod utinam tam gravia formæ et facundiæ crimina vere mihi opprobrasset*] En Oratoris nostri astutiam! hæc Tannonius ei non ut crimina objectavit, sed ut Judicem circumspectiorem redderet, ne lactaretur lenociniis hisce, alio Appuleius torquet, nempe ut Adversarii deridiculo habeantur, quasi tam pulchra tamque laudabilia objicientes tanquam vitia. Artificium loci istius non præteriit eruditiss. Vossium Orat. Instit. III. 3. *Pric.*

Non difficile ei respondissem quod Homericus Alexander Hectori] Et ex eo Diogenes Cynicus apud Laërtium, qui derisus ὅτι παρ' Ἀντιπάτρῳ (fullone) τριβώνιον ἔλαβεν, adduxit hunc ipsum versiculum in excusationem sui. Respondisses etiam (nec incommode) quod non nemo apud Livium: 'Eorum quæ objecta sunt, partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubesçam.' Aut certe risu merito excepisses eum ut Musæ Marsyam, ob non dissimiles dotes elevantem Apollinem. *Idem.*

PAG. 406 *Sese philosophum nuncuparit*] Vulg. *esse se phil. nunc.* Meminit Diog. Laërt. lib. I. in princ. et lib. VIII. Augustin. de Civit. Dei lib. XVIII. cap. 25. et cap. 27. Ambrosius lib. III. de Virginib. *Colv.* Clem. Alexandrin. lib. I. Stromat. fol. 129. Πυθαγόρας ὁ Φερεκύδους γνώριμος φιλόσοφον ἑαυτὸν πρῶτος ἀνηγόρευσεν. *Elmenh.* *Pythagoram qui primum se Philosophum nuncuparit.* Florid. II. 'Pythagoras primus Philosophiæ nuncupator et conditor.' Clem. Alexandr. Πυθαγόρας, &c. φιλόσοφον ἑαυτὸν πρῶτος ἀνηγόρευσεν. Et Jamblich. Λέγει δὲ Πυθαγόρας πρῶτος φιλόσοφον ἑαυτὸν προσαγορεῦσαι. Adde quæ in Minuc. Octav. et in Epist. Ausonius. At hæc post Ciceronem otiosa sunt, quem vide fusius narrantem ea V. Tusculanarum. *Pric.*

Eum sui sæculi excellentissima forma fuisse] Porphyrius: Τήν τε γὰρ ἰδέαν εἶναι ἐλευθέριον, καὶ μέγαν, χάριν τε πλείστην καὶ κόσμον, ἐπί τε τῆς φωνῆς, καὶ τοῦ ἤθους, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἔχειν. Florid. II. Noster: 'Pulchritudine apprime insignis.' Neque sui tantum sæculi, sed et Trojani: (de Pythagora loquentes enim cur non μετεμψύχωσιν memoremus?) vide ut a pulchritudine extollit eum, adhuc Euphorbum, Apollonius apud Philostrat. lib. VIII. cap. 3. Et in cor-

pore Alces meretricis Gellius IV. 11. *Idem.*

Primus omnium dictionem] Τὸ *dictionem* male abest a Florentinis. Hic enim primus Dialecticam invenit, ut ait Laërtius in ejus vita. *Elmenh.* Floridus interpretatur: 'qui primus ingeniosissima arte divisit orationem in duas partes;' Rhetoricam scil. et Dialecticam: Zenonem enim φασὶν εὑρετὴν εἶναι διαλεκτικῆς, teste Suida, quocum faciunt alii, citati ab Harles. ad Fabr. Bibl. Gr. lib. II. cap. 24. § 29. Verum *ambifariam* non est in duas partes, sed, in utramque partem: ut in Flor. N. XVIII. 'anceps argumentum ambifariam proponere.' Dein *dictio* non potest dici divisa esse in Rhetoricam et Dialecticam. Quare melius, ni fallor, verba 'dictionem sollertissimo artificio ambifariam dissolvere' interpreteris, de dictione, sive sententia aliqua, in utramque partem sollertissime et captiose disputare; qua in re Sophistis facem prætulit Zeno: unde et Dialectices inventoris nomen meruit. Vid. omnino Harles l. c. Hinc ἀμφοτερόγλωσσον eum vocat Timon apud Diog. Laërt. IX. 25. Hæc igitur Auctoris mens: sed in verbis latet quid. Nam nec in Ed. Junt. post. nec in Mss. comparet τὸ *dictionem*: unde Oudend. in marg. pro *omnium* conjecit *orationem.* An *omnem dictionem ... dissolverit;* vel, propius ad Mss. *omnia ... dissolverit?* ut prius *omnia* mutatum sit in *omnium*, et tunc intrusum *dictionem* ad fulciendum sensum. Cic. de Or. II. 38. 'Dialectici reperiunt ea, quæ ipsi non possint dissolvere.' Non muto tamen *dictionem*, de cujus vocis significatione vide Burm. ad Petron. VI. cf. Ern. in Cl. Cic. Mss. D'Orv. Pith. Lips. cum Ed. Junt. post. *dissolveret.* Male, *Pythagoram, qui ... nuncuparit: Zenonem, qui dissolverit.* J. Bos.

Eum quoque] In Ms. D'Orv. deest *quoque*: pro quo Schottus Obs. V. 15. perperam reponi voluit *inquam*, quæ vox locum habet in geminatione cum emphasi: ut apud Ciceron. Phil. II. 26. 'bona (miserum me! consumtis enim lacrimis, tamen infixus animo hæret dolor) bona,' inquam, 'Cn. Pompeii Magni voci acerbissimæ subjecta præconis.' cf. de Fin. II. 22. ubi vero nulla est emphasis, et perspicuitatis tantum gratia e superioribus aliquid repetitur, apud bonos auctores semper *igitur* locum habet: ut apud Ciceron. sæpius. Noster Flor. N. VII. 'Alexandro illi, ... eum igitur Alexandrum:' vel simpliciter pronomen *is, ea, id.* Vide Oudend. ad Flor. l. c. quam Appuleiani stili proprietatem ignorabat Schottus ibid. quum 'eum quoque Zenonem' glossema putaret. *Idem.*

Ut Plato autumat] Scribo, *et Plato autumat.* Locus Platonis in Parmenide, initio libri. *Colv.* Recte *ut* non *et*, quod quibusdam placet: qui non vident et præcedentia et sequentia pendere a verbo *respondissem.* *Autumat* est λέγει, ut recte vertitur in Glossario. Zenonem Plato vocat εὐμήκη καὶ χαρίεντα ἰδεῖν. *Casaub.* *Et Plato* Colv. Ego, *et Platonem autumant.* Brant. Ita emendavit Casaubonus noster quum antea *et Plato* legeretur. Est autem, *Autumat* λέγει, ut in veteri glossario: et docet Gellius adversus Nigidium lib. XV. cap. 3. Forte aliquid in hoc loco Appuleii deest; suspicabarque legendum, *et Parmenidem, ut Plato autumat:* eos enim ambos in dicto libro Plato conjungit, commendarque pariter a forma, dicens Parmenidem καλὸν καὶ ἀγαθὸν τὴν ὄψιν, id est, aspectu decorum, ut Ficinus vertit, ad hæc Appuleii forte respiciens, quem ut bonum Platonicum optimus ipse lectitavit. *Scip. Gent.* *Ut* præbent recte Mss. nisi quod in D'Orv. prorsus desit. Pessime Brant. qui ignorasse videtur locum Platonis in Parmenide, e quo tamen non ausim cum

Scip. Gent. suspicari Parmenidis nomen hic excidisse. *J. B.*

Gratiam corporis] D'Orv. *corporum:* sed eleganter singulari num. ponitur membrum, quod pluribus, sed singulis adscribitur; in quo tamen sæpius corruptus est App. noster. V. Oudend. ad Met. lib. II. 109. a. *Idem.*

Continuatio literati laboris] Pallor enim consanguineus studiorum. Martianus Capella de nuptiis Philologiæ lib. I. pag. 13. 'An vero quisquam est qui Philologiæ se asserat pervigilia laborata, et lucubrationum perennium nescire pallorem.' Theodosius Imp. Novella I. de authoritate cod. Theodosiani: 'Sæpe nostra clementia dubitavit, quæ causa faceret, ut in tanto lucubrationum tristi pallore vix unus aut alter receperit soliditatem perfectæ doctrinæ.' *Elmenh.*

Colorem obliterat] De florido pallidum facit. Non minima Satyræ VII. Juvenalis pars hujus argumenti est. Thomas Magister (ex bibliotheca eruditissimi Renati Moræi) ad Aristophan. Νεφελ. ὠχριοῦντες καὶ ἀνυπόδητοί εἰσι, (οἱ φιλόσοφοι,) ἐπειδὴ μόνης ἀρετῆς φροντίζοντες, οὐ τρυφῆς διώκουσι τὸ ἀπέριττον. *Pric.*

PAG. 407 *Capillus quem isti, &c.*] Notant Apuleium ob promissum capillitium. E contra Christiani eos reprehendebant, qui tonsorem diligebant. Vincentius Speculo Histor. lib. XII. cap. 17. ex actis Tiburtii Martyris: 'Torquatus, diu est, quod se Christianum esse mentitus est. Credas hunc Christianum esse qui in lenocinio suo moliendo capicio fimbrias obmittit, qui tonsorem diligit, qui sic molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nisu distendit, qui viros negligenter agit, fœminas libenter intuetur?' *Elmenh.*

Promissum dixere] Sic de cæsarie Apollinis I. Florid. 'Præmissis antiis, et promissis caproneis:' ita doctissimus Bourdelotius, vulgo *promulsis capr.* Pric.

Horrore implexus, &c.] Putabam emendari posse, *implexus, atque impeditus, stuppeo tornamento ass.* voce derivata a tornando. Cic. 'Id ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius:' sequitur mox: 'ab ineunte ævo unis studiis literarum ex summis viribus deditus:' energiam habiturum videtur *et summis.* Stewech. Mavult doctissimus Scaliger *horr. impexus.* Ego nihil mutarim. Sic in Glossario veteri alibi: 'Implexibarbus,' et 'Implexa barba, Σπανοπώγων.' *Colv.* Gloss. 'Implexa barba, δασυπώγων:' non σπανοπώγων, ut quidam: sunt qui scribant *horrore impexus.* Sic in Glossario, 'Impexa ἀκτένιστος, φρικτή.' et ita lego in alio ejusdem libri loco 'Horridus, ἀκτένιστος, φρικτός. ubi vulgati libri valde corrupte σίαυτο φρικτός. Sed magis placet lectio omnium librorum *implexus.* Utraque voce usus Agathias elegantissimus scriptor, in eadem sententia, οἱ πλόκαμοι τῶν Τούρκων τε καὶ βαρβάρων ἀπέκτητοι καὶ αὐχμηροὶ, καὶ ῥυπῶντες, καὶ ἐνέρσει ἀπρεπῶς ἀναπεπλεγμένοι. *Casaub.* Alii *horrore impexus a. i.* Synesius in Encomio calvitii fol. 64. Ἀναστὰς ἕωθεν καὶ τοὺς θεοὺς προσειπὼν, ὅπερ εἰώθα ἐπεμελούμην τῆς κόμης· καὶ γὰρ ἐτύγχανον μαλακώτερον σῶμα ἔχων· ἡ δὲ ἠμέλητο ἐκ πλείονος· πάνυ γοῦν συνέστραπτο καὶ συνεπέπλεκτο τὰ πολλὰ αὐτῆς οἷα τῶν οἴων τὰ περὶ τοῖς σκέλεσιν αἰωρούμενα· πολὺ δὲ ταῦτα σκληρότερα, ὡς ἂν ἐκ λεπτοτέρων συμπεπλεγμένα, τῶν τριχῶν. ἦν οὖν ὀφθῆναί τε ἀγρία ἡ κόμη καὶ βαρεῖα. μόλις δὲ διελύετο. καὶ τὰ πολλὰ αὐτῆς ἀπεσπᾶστο καὶ διετείνετο. *Elmenh.* Male in quibusdam libris *Impexus* legitur. Tibullus lib. I. el. 3. 'Tisyphoneque implexa feros pro crinibus angues.' Glossæ: 'Implexa barba, Δασυπώγων.' Sic apud Marcian. Capellam: 'Crines tortuosi et nexiles,' quos infra eod. loco vocat *implexum capillitium.* Pric. Recte Mss. *implexus*, uti sæpe hanc vocem passive usurpat App. V. Oud. ad

Met. lib. II. p. 85. a. lib. x. p. 699. b. et Inttpp. h. l. quibus add. Auct. Consol. ad Liv. vs. 223. 'Salice implexum muscoque et arundine crinem.' *J. B.*

Stuppeo tormento] Funi e stuppa torto, tento. Auctor Priapeiorum: 'Totamque hanc sine fraude, quantacunque est, Tormento citharaque tensiorem, Ad costam tibi septimam recondam.' Funem torquere enim est σχοῖνον πλέκειν, ut bene notatum a doctissimo Scaligero. Propertius: 'Dignior obliquo funem qui torqueat ocno.' Horatius: 'Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.' *Colv.* Mihi videbatur frigidius, ut capillus capitis funi (id enim est *tormentum*) assimilaretur; legebam igitur *tomento:* nihil tamen pronuntio. Rom. Cod. *stuppæ t.* Casaub. Non probo amici nostri conjecturam, qui *Tomento* scribi mallet, quod, ut ait, frigidius sibi videretur, ut capillus funi (id enim est *tormentum*) adsimilaretur. Sed aperte Lucius ita vocat, quod implexus et globosus, et congestus et inenodabilis diutina incuria discriminandi et expediendi esset; his enim aliisque verbis eum depingit, quæ tormento et funi potius conveniunt. Simillimus locus apud Julianum in Misopogone adversus Antiochenas: ὑμεῖς δέ φατε καὶ σχοινία δεῖν πλέκειν ἐνθένδε· καὶ ἑτοίμως παρέχειν ἔχω, ἥν μόνον ἕλκειν δυνηθείητε, καὶ μὴ τὰς ἀτρίπτους καὶ μαλακὰς ὑμῶν χεῖρας ἡ τραχύτης αὐτῶν δεινὰ ἐργάσηται. et mox dicit hircorum similem barbam. Quid quod ex crinibus mulierum, tormenta sæpe in bello facta, legimus? Servius lib. II. Æneid. 'Quum Galli Capitolium obsiderent, et deessent funes Romanis ad tormenta facienda:' et mox, 'crines, unde tormenta facta.' Idem apud Cæsar. de Bel. Gall. Pausan. lib. VII. alios. *Scip. Gent.* Edd. Rom. Vic. Ven. *stuppæ:* quod non prorsus improbandum, ut sit genit. pro adjectivo. v. ad Met. lib. II. p. 92. b. lib. VI. p. 439. b. Flor. N. XXXIV. Dein *tormento* habere videntur Mss. nisi quod Groslot. adnotavit e Put. *tomento:* uti conjecere Faber in Semestr. lib. II. c. 15. Casaub. cum Lat. Latin. et Tit. ad Gratiani Cyneg. 26. atque edidere Vulc. et Elm. quod propugnant quoque Gruter. Suspic. Ined. XX. 10. Burman. ad Anthol. Lat. lib. V. Ep. 6. et Gronov. Obs. lib. IV. c. 22. aiens, *tormento* non nisi unum πλόκαμον sive sertum, aut suggestum sertorum recte comparari posse; uti et in Paulini carm. 14. de sertis crinibus usurpatur; quem locum et alia, quæ 'stuppeum vinculum,' atque adeo unum πλόκαμον spectant, in suam sententiam citat Pric. qui cum Colv. Scal. ad Catal. p. 187. et aliis, defendit *tormento.* Sed *tormenta* ita intorquentur, ut facile expediri possint: et Appuleii capillus prorsus erat *enodabilis,* et similis *tomento,* i. e. glomeri cannabis indiscriminatæ. Imo 'torti capilli' ad corporis cultum, feminarum et molliorum hominum, pertinebant. Ovid. Art. Am. II. vs. 304. 'Torserit igne comam, torte capille, place.' Vid. Burmann. ad Anthol. Lat. lib. V. Ep. 46. Quare accedo Vulc. et Elm. *Tomentum* abiit quoque in *tormentum* in 2. Mss. et Edd. Sueton. Tib. c. 54. et in Plin. lib. XIX. cap. 1. et alibi sæpius. *J. B.* *Stuppeo tormento*] Alii Scriptores vocant 'stupeum vinculum.' Virgil. Æn. II. 'Et stupea vincula collo Intendunt.' Vetus Epigrammatarius Carmine de Funambulo: 'Stupea suppositis tenduntur vincula lignis.' Lucanus lib. X. 'Nec piger ignis erat per stupea vincula, perque Manantes cera tabulas.' Ennodius Declamat. V. 'Et lassatæ rudentibus manus stupea rursus vincula meditentur.' Porro *tormentum* Appuleio funis est, et ita hoc crinium argumento sumpsere alii: adeo frustra *tomento* legebant Faber et Casaubonus in Semestr. lib. II. c.

15. Florus II. 5. 10. 'In tormentorum vincula Matronæ crines suos contulerunt.' Paulinus Carm. 14. 'Aut implexarum struc tormentoque comarum.' Julianus de barba sua: Μισοπογ. Ὑμεῖς δέ φατε καὶ σχοινία πλέκειν ἐνθένδε. Plura apud Gentilem vide, et Scalig. in Priapeis. Græci has capilli convolutiones a serpentibus σπείρας vocant, quæ vox me monet opportune ut Pollucem purgem. Lib. II. cap. 3. Εὐθυτῆσαι δὲ ἔλεγον (inquit) τὰς τρίχας, καὶ τὸ ὑπεύπειρον, εἶδος τριχῶν πλέγματος, ὥσπερ καὶ σπεῖρα. Turbat τὸ ὑπεύπειρον, uti et ὑπόσπειρον, quod legendum aiunt: cætera autem quæ sequuntur tota irreptitia sunt. *Pric.*

Inenodabilis] Gloss. 'Inenodabilis, Δυσχερὴς, ἄλυτος, πλακείς. Gloss. Vindocinens. 'Enodabile, dissolubile.' Eædem: 'Enodabile, quod solvi non potest.' aut legend. *inenodabile*, aut *quod solvi potest.* Idem.

Discriminandi] Alibi ad *pecten* rettulit, ut Miles. II. 'Vel nunc guttis Arabicis obunctus, et pectinis arguti dente tenui discriminatus.' Claudian. etiam in De Nupt. Honor. et Mar. ... 'hæc morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat:' heic autem minus concinne *pectinationem* intelligendam puto, sed referendum ad id quod præcessit, *comendi:* neque est ut objicias *comere* pro *ornare*, cum et infra heic disertius voce ea κτενισμὸν expresserit: 'marinum pectinem' (inquit) 'comendo capillo quæsitum.' Est ergo hoc loco *Discriminare*, crines extricare, neque aliud quam συνώνυμον appositæ vocis 'Expediendi.' *Idem.*

Quasi ut capitale] Vulg. *quasi capitale.* Colv. Deleturus eram istorum alterutrum *quasi ut;* cum in mentem venit superioris loci lib. de Deo Socr. quem in vetustioribus Codd. ita legimus: *Verbo subito sumta sententia est, quia de repentino oborta est. Quasi velut in materia lapidis temerario interjectu poni necesse est:* et jam ea forma satis placet. *Acid.* Vulgati, *quasi ut capitale:* quod probat Val. Acidalius, adfertque illum Oratoris nostri locum lib. de Deo Socrat. ut in vetustioribus Codd. legi ait: *Verbo subito sumpta sententia est, quia de repentino oborta est, quasi velut in materia lapides temerario interjectu poni necesse est.* Scip. Gent. Locus ab Acidalio citatus est Flor. N. XXIII. ubi Wow. perperam delevit *quasi*. Alterutrum abundat Appuleiano stilo. V. Oud. ad Met. lib. I. p. 58. a. Verum h. l. illud *ut* fluxit ex emendatione Colv. quem secutus est Vulc. in Ed. pr. Quum autem Mss. et Edd. reliquæ simpliciter agnoscant *quasi; ut* ab Auctore profectum non videtur. *J. B.* *Satis, ut puto, crinium crimen refutatum est.* Apollon. ubi supra: Μὴ πλείω διαλεγόμεθα ὑπὲρ τῆς κόμης. *Pric.*

Ab ineunte ævo, &c. unis studiis literarum] Florid. III. 'Ab ineunte ævo bonas artes sedulo colui.' *Idem.*

Ad hoc ævi] Infra: 'Nulli Deo ad hoc ævi supplicavit.' Symmachus (Appuleianæ dictionis captator mirus): 'Quem ad hoc ævi nulla actuum culpa fuscavit.' *Idem.*

Cum despectu] Languet sententia: non displiceat, *certe cum despectu.* Idem. *Cum despectu et dispendio bonæ valetudinis eam quæsissem.* Infra: 'Hæreditatem avitam cum despectu salutis suæ quæsiisse.' Sarisburiens. de intestinis loquens lib. V. cap. 9. 'Nec unquam sine salutis suæ dispendio exterioribus exponuntur.' *Id.*

Si quid] Idem cod. *si quidem.* Colv. Accedunt Coll. Voss. et Pith. Non male: ut *si quidem* notet, non *quandoquidem*, ut apud Nostrum alibi, sed *si scilicet:* ut apud Terent. And. III. 1. 7. 'Actum est, si quidem hic vera prædicat.' *Promovere*, sine casu sequente, est et apud Gell. N. A. V. 10. 'quum ... in studio quidem facundiæ abunde promovisset.' Noster

Florid. N. III. 'paullo largius in arte promovisse.' Restituendum id verbum quoque Sept. de B. Troj. I. 11. 'contestandi magis gratia, quam aliquid ea oratione promoturus:' sic enim Ms. Periz. in Bibl. Leid. vulgo *profuturus*. cf. Obs. Misc. Nov. t. I. p. 8. *J. B.*

Potius spero quam præsto] Cicero Philip. I. 4. 'Nec enim sperabam id, nec præstare poteram:' malim e converso *N. e. præstabam id, nec sperare p.* Pric. Contra Mss. et Gell. XIII. I. *Oudend.*

Statium Cæcilium] Sic hic vocatur Comicus etiam a Sedigito apud Gellium lib. XV. cap. 23. et Fulgent. de Prisco Serm. in 'Capularis.' *Colv.*

Innocentiam eloquentiam esse] Maternus apud Authorem Dial. de Oratoribus: 'Statum hucusque ad securitatem, melius innocentia tueor, quam eloquentia.' Hujus loci est et quod infra occurrit, 'Vir bonus, dicendi peritus.' *Pric. Innocentiam eloquentiam esse*] In dialogo Adriani et Epicteti: 'Quæ est vera libertas? Innocentia.' Sed Cæcilii sententiam, et Appuleii pluribus explicat D. Chrysostomus lib. III. adversus Gentiles, ubi ait, Eloquentiam neminem unquam adsecutum esse sine probitate morum, quum per flagitia tempus consumeret. Anacharsidis, Cratetis, Diogenis, Socratis exempla affert, qui omnes Eloquentiam contempserint, veritate et innocentia freti. cf. Nep. in Arist. I. *Scip. Gent.*

PAG. 408 *Cum risu illis succensentem*] Ita in Milesiis quater, vel uno Libro sexto: 'Latissimum cachinnum extollens, et qualem solent furenter irati, contortis superciliis subridens amarum.' Iterum: 'Renidens exitiabile:' et demum, 'Risu maligno salutant.' Isidor. Pelusiot. lib. V. Epist. 199. ὀλέθριόν τι καὶ σεσηρὸς προσεμειδίασεν, οἷον εἰώθει εἴποτε ὀργῆς ἐμπλησθείη. Ibid. Epist. 196. μειδίαμα θυμῷ κεκραμένον. simile illud Silii Italici, 'Arridens sævum.' Taciti de Tiberio, 'Renidens falsum.' Mercerum ad Aristænetum vide, et Bourdelotium ad Petronium. *Pric.*

E Ludicris] Ex his Nonius citat unum versiculum. *Vir Doct.* V. Fragm. Appuleii. *J. B. Ludicris meis*] Titulus operis quo carmina amatoria continebantur, et alia similia, cujusmodi epistolium versibus scriptis hic refert Catullus ad Manlium, 'Quod scriptum lacrymis mittis epistolium.' Elegeiam, ni fallor, Manlii intelligens. *Scip. Gent.*

Ad quemdam Calpurnianum] Atqui familiarissimus Lucio fuit: sed per contemptum sic adpellavit, a quo læsus erat. Illud ridiculum quod Pausanias de Scipione Africano loquens, 'Quidam Scipio,' inquit. Sed tamen eodem modo veterem et prudentem historiographum Quadrigarium locutum reperio: 'Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio, summo genere nato.' Vide Gellium lib. IX. cap. 13. *Idem.*

Non vidit] Rom. Ven. alii, *invidit*: quod fortassis ita olim scriptum: et idem sit, quod *non vidit*. Ut Jus imminutum, id est integrum, apud Paulum l. 44. de Bonis libert. Charisius lib. II. 'Inauratæ pro, non auratæ.' Titinnius in Barathro: 'Inauratæ atque inlautæ mulieris.' Similis sententia huic loco in Arnobii lib. I. 'Quale sit istud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis.' *Colv.* Omnino placet mihi lectio quæ in quibusdam libris reperitur, *invidit pr.* Digna vox eruditione Appuleii *invidere* pro non videre: ut *invisus* pro non viso etiam apud M. Tullium. Si quis propter hujusmodi voces fastidiendam putet hujus eruditissimi scriptoris orationem, eum ego censeo quid sit Latine scire prorsus ignorare. Nam certum est optimos quosque Latinitatis auctores plerisque compositis cum *re* vel *in* vel *ex* multifariam uti solitos: quod et veteres cri-

tici pridem monuerunt: et nos ad Persium et Suetonium cis paucos menses, Deo faciente, ostendemus. *Casaub.* *Invidit prof.* Sic recte Aldinus codex, quod Pithœus Advers. l. II. c. 11. male novavit in *non vidit profecto.* Elmenh. Primus sic legend. monuit Fruterius. τὸ *In* est ἀρνητικόν. Miles. v. 'Post opimas dapes quidem introcessit, et cantavit invisus.' Fulgent. Mythol. 'Ut invise vespertinus advenerat, ita crepuscula etiam incognitus discedebat.' Onomast. vetus *Invisus.* Ἀθέατος. Sic *imminutum* l. XLIV. D. de bon. libert. *Pric.* Ms. Pith. *nil vidit.* *Invidit* quod est in Edd. Rom. Ven. Ald. Junt. post. Elm. Pric. Flor. probantibus Groslot. in marg. et Fruterio Veris. I. 17. e nullo Cod. notatum invenio. Meram tamen librariorum aberrationem esse vix putem. Adjectivi *invisus*, pro non visus, exempla sunt bene multa; et sic ad eandem normam 'inscriptum pecus' apud Varron. de R. R. II. 1. de eo, quod quis apud publicanos non est professus; *inprotectus* apud Amm. Marc. XXVI. 8. § 10. *inpropugnatus* apud eund. XXVII. 12. § 15. et alia similia adjectiva, aut, si malis, participia: sed verbi *invidere* pro non videre, exemplum non inveni, et ex hoc solo loco illud citant Lexicographi. cf. infra ad pag. 488. Sunt quidem in Appuleio plura ἅπαξ νῦν λεγόμενα, v. Oud. ad Met. l. v. p. 380. b. sed sine scripti Codicis auctoritate talia non facile admittam. *Invidit* tamen h. l. servavi quia exstat in optimis Edd. antiquis, quarum Junt. post. Mstorum lectiones exhibere solet. *J. B.*

Misi ut petisti] Magnus error admissus erat in digerendis hisce versibus, quem sustulimus: ita enim absque dubio debent hæc edi, ut sunt a nobis collocata [*Misi ut pet. &c. Nitelas oris ex Arab. frug.* (*nisi forte in eo reprehendendus* usque ad *pumicare gingivam.*) et tum *Tenuem, &c.* J. B.] non ut in prioribus Edd. Proferendi hujus epistolii occasio prima fuit, ut probaret petitu Capurniani dentifricium se misisse: ergo illa verba *Misi ut petisti* male post parenthesin ponuntur. Jam vero ipsius parentheseos dedere occasionem illa verba, *ex Arabicis frugibus:* perperam igitur illi subjiciuntur: sed et alias confusa ista edebantur, quæ jam planissima sunt. *Casaub.* Quos versus miror post tot examina tam confusos esse; imo Parenthesin ipsam quæ præcipue in oculis Casaubono, etiamnum luxatam, nec invenisse limites suos. At vir egregius ille (quod jam alibi monuimus) non nisi levi opera heic defungi voluit; nos accuratius inspeximus: itaque nec mirum, nec invidiosum sit, si quod illum præteriit, a nobis deprehensum est. Sed eccum versus ipsos, quos cum Parenthesi ita digerendos puto: *Calpurniane salve properis versibus, Misi, ut petisti, mundicinas dentium, Nitelas oris ex Arabicis frugibus:* *Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum, Complanatorem tumidulæ gingivulæ, Converritorem pridianæ reliquiæ: Ne qua visatur tetra labes sordium, Restrictis forte si labellis riseris. Quæso quid habent versus isti re aut verbo pudendum? quid omnino quod Philosophus suum nolit videri? (nisi forte in eo reprehendendus sum, quod Calpurniano pulvisculum ex Arabicis frugibus miserim, quem multo æquius erat spurcissimo Iberorum ritu (ut ait Catullus) ... sua sibi urina Dentem, atque russam pumicare gingivam.* Doctos restitutioni nostræ non dubito applausuros. *Pric.* Edd. ante Casaub. statim post primum versum collocant parenthesin *Nisi forte, &c.* atque ita videtur esse in Mss. plerisque: nisi quod in Pith. τὰ *misi ut* parenthesi præponantur, et tum post eam repetantur. Casauboni correctionem secuti sunt Scal. Sc. Gent. Wow. Elm. Scriv. Pric. in sua Ed. qui tamen aliam proposuit distin-

gendi rationem, quam Flor. secutus est. Sed quum ea nimis abeat a Mss. et Edd. vett. nos quoque Casaubonum sequimur. Ceterum versus hos male Martiali tribuit Cruq. ad Horat. lib. II. O. 8. vs. 3. In Ms. Lipsii hic incipit lacuna usque ad pag. 430. Ed. Flor. *At tu me suis, &c.* cf. tamen pag. 413. ad illa *Num igitur etiam Solonem, &c.* J. B. *Misi, ut petisti, mundicias dentium*] Versus hic claudus: quem rectum facit Lipsius, legens: *Misi, ut petisti, mundicinas dentium.* Dousa vero: *Misi, ut petisti, tibi munditias dentium.* At Fruterius: *Misi ut petivisti, munditias dentium.* En tibi triplicem lectionem, a tribus principibus Criticis Belgicæ nostræ. *Colv. Mundicinas.* Vulgo *munditias*, contra modulum versus. Observare licet in scriptoribus ejus ævi et deincipibus frequentem hunc τύπον. Sic *indicinam* alibi dixit hic idem: Tertullianus *juridicinam* et *vestificinam.* Ammianus et Symmachus *causidicinam*, ne plura nunc commemorem. *Casaub.* Palmaria est emendatio Lipsii, quam secure amplector. Distinxit igitur auctor *mundicinas*, i. e. res quibus munditiæ comparantur, ab ipsis *munditiis oris.* Neque etiam illud, quod tersui dentium miserat App. dentium *munditias* dicere potuit. *Mundicina* vox est efficta ad similitudinem τοῦ *medicina*, et sim. De substantivis in *ina* vid. Oud. ad Met. l. VI. p. 395. Merito igitur Lipsii emendationem expressere Scal. Cas. et seqq. probante in marg. Salm. qui tamen ad Solin. pag. 398. conjecit *munditias has* Edd. ante Casaub. cum Mss. *munditias:* quam lectionem quum versum pessum dare viderent Gruter. et Gœs. conjecerunt, ille *petivisti*, hic *tibi munditias*, uti editum est a Scalig. in Catal. pag. 214. et hinc in Collectione Pisaurensi poët. Latin. t. IV. p. 428. *J. B.*

PAG. 409 *Nitelas*] V. et Scip. Gent. Pium Annot. Post. c. 104. *Idem.*

Spurcissimo ritu Iberorum] Illi enim urina dentes proluebant. Strabo Geographiæ lib. III. fol. 3. *Elmenh.*

Sua sibi urina] Imo aliena, eaque ἐν δεξαμεναῖς παλαιουμένῃ, si Straboni lib. III. fides. *Pric.*

Dentem pumicare] Cura dentium probri loco olim habita. Hieronymus: 'Videas plerosque rabido ore sævire, et dentibus pumicatis carpere Christianos.' Et in Sabinianum Diaconum: 'Amiciris linteis, digitos oneras, dentes pulvere teris.' *Elmenh. Dentem atque russam, &c.* Caussam hanc Diodorus affert: Ταύτην ἡγοῦνται θεραπείαν εἶναι τοῦ σώματος. *Pric. Russam.* Scalig. ad Varron. de L. L. lib. VI. *Idem.*

Complanatorem] Strada Prolus. p. 175. cit. a Viro Docto ad calcem Edit. Casaubon. in Biblioth. Clarissimi Viri M. Tydeman. *J. B.*

PAG. 410 *Quidni? crimen*] 'Crimen haud contemnendum' dicitur crimen, sive accusatio criminis, a quo diligentissime cavendum est. cf. Ernesti in Cl. Cic. v. 'contemnere.' *Quidni* (πῶς γὰρ οὔ) risum tenerent auditores, vel, tanta indignatione dentifricium pronunciarent accusatores? nam utroque modo explicari potest. Est enim crimen haud contemnendum philosopho, &c. Ironice hæc efferuntur. In *Quidni* consentiunt Mss. O. et Edd. exceptis Rom. Vic. Ven. et frequens est ea vox apud Nostrum. V. ex. gr. Met. lib. X. p. 810. *Idem.*

Apertum] Quod viderem de dentifricio disceptari, placuit verum esse, *nihil uspiam corporis asperum:* respexisse videtur ad eum versum de præcedentibus: 'Complanatorem tumidulæ gingivulæ.' Præterea toto corpori levigando Veteres studuisse, præter Tibullum, Catullum, alios, testis mihi Arnobius non uno loco: et Martialis lib. II. 'Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.' *Stewech. Apertum*, id est: Non sinet philoso-

phus, quamquam partem corporis, quæ aperta et in propatulo posita sit, (ut sunt, Manus, Os,) immundam aut fœtidam esse. Aliam huic loco mentem, emendatione quærendam non arbitrer. *Colv.*

Præsertim os, cujus in propatulo et conspicuo usus homini creberrimus] Infra: 'Est ea pars hominis loco celsa, visu prompta, usu fœcunda.' Et Miles. II. 'Pars ista corporis in aperto et conspicuo posita, prima nostris luminibus occurrit.' *Pric.*

Cuipiam osculum ferat] Vide in Electis Lipsium II. 6. *Idem.*

Seu cum quopiam sermocinetur, sive in Auditorio disserlet, sive in Templo preces adleget] Expressa ex Apollonio apud Philostrat. VIII. qui hæc eadem de capite: 'Εκεῖ πᾶσαι μὲν αἰσθητηρίων πηγαὶ, πᾶσαι δ' ὀμφαὶ, ὅθεν εὐχαί τε ἀναφαίνονται, καὶ σοφίας ἑρμηνεὺς λόγος. *Idem.* *Preces adleget*] Infra: 'Preces in templo Diis adlegasti.' Et in de Deo Socratis: 'Cui igitur preces adlegabo?' Zeno Veronens. Serm. de Pudicit. 'Per te adlegatæ priusquam fundantur, audiuntur preces.' Glossæ: 'Ἱκεσίαν προσφέρω, Adlego.' 'Πρόσδεσις, Adlegatio.' 'Adlegat, Παρατίθεται μάρτυρας, δεήσεις.' *Idem.*

Poëta præcipuus] Sic et Claudius Jurisconsultus Homerum indigetat: 'Apud Græcos,' inquit, 'exilio voluntario fortuiti casus luebantur, ut apud præcipuum poëtam scriptum est.' L. aut facta ff. de Pœnis. *Scip. Gent.* Propterea hanc notam hic exhibui, quia Vulc. in marg. Ed. Colv. malebat comma ante *præcipuus* poni, pro *præcipue:* quasi vero et aliunde sermo proficiscatur. *J. B.*

E muro dentium] Sic et in Floridis, 'Intra murum dentium;' et in de Platonis Dogmate: 'Lingua, et vallum dentium.' Solum apud Censorinum cap. XII. Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων Φύσας, ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν. Etymologus: Ἕρκος, φράγμα τῶν ὀδόντων. Pollux lib. VI. cap. 26. Ἄπαυστος γλῶττα, ἀνερμάτιστος· μάτην αὐτοῦ τῇ γλώττῃ περίκειται τὸ ἕρκος τῶν ὀδόντων. Ælianus: Ἄδηλά εἰσι τὰ ἀνθρώπινα ἕως ἂν ἑκάστῳ ἡ ψυχὴ εἴσω τοῦ τῶν ὀδόντων ἕρκους ᾖ. Et Nicetas in Manuel. Comneno: Πρὸ πάντων δὲ τιθέναι τῷ στόματι φυλακὴν, καὶ μὴ ἐᾷν τὴν γλῶτταν προπετῶς ἐκπηδᾷν τοῦ ἕρκεος τῶν ὀδόντων. Traxerunt omnes ab Homero ita sæpius loquente. Gellius lib. I. cap. 15. 'Petulantiæque verborum vallum esse oppositum dentium, ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed et quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur.' Lactantius de opif. Dei cap. 10. 'Hæc' (lingua) 'palati concavo tanquam testudine tegitur, eamque dentium ordine sepiens Deus quasi muro quodam circumvallavit.' Simili tralatione Varro Papiap. 'palpebras oculorum septum' vocavit. Plinius *vallum* lib. XI. cap. 37. *Pric.*

Quod esset animi vestibulum, et orationis janua] In de Dogm. Platonis: 'Hominis' (lege *homini*) 'promptuarium rectæ rationis, et suavissimæ orationis hoc datum est, ut quæ prudentia corde conceperit, ea sensa promat oratio.' D. Ambros. Hexaëm. VI. 9. 'Quid est igitur os hominis nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?' *Idem.* *Orationis janua*] Baccharius Epist. ad Januar. de recip. laps. 'Prope fuerat, ut et ego superposita manu ori, et obturato linguæ sibilo, januas labiorum meorum concluderem.' Euripid. Hippol. στόματος πύλαι. Anthol. VII. στόματος πρόθυρα. et in Regula Magistri Ms. *Oris regia:* citat Rosweyd. not. ad Paulin. *Idem.*

Cogitationum comitium] 'Comitium' hoc loco est, 'exterius atrium;' ut ex Livio et Asconio Semestr. VII. 19. docuit eruditissimus Langlæus, cui certe hanc vocis notionem libens acceptam fero. *Idem.* *Cogitationum*

comitium] Quia ex ore scilicet cogitationes animi in apertum prodeunt. Nam alias ineptum sit cogitationes concipi in ore, dicere: in pectore enim et in corde (ut Aristoteli visum est) cogitationis sedes est. Atque ita Mamertinus in Panegyrico Imperatori Juliano dicto, 'Versari cœpit in sacri pectoris comitio consulatus:' et Plautus facete et erudite, cor, senatum adpellat. *Scip. Gent.*

Pro captu meo] Florid. II. 'Patior et ipse in meis studiis aliquam pro meo captu similitudinem.' Et III. 'Jampridem pro captu suo hominibus notius est, quam ut,' &c. Corrige in hac loquutione Sallustium Catilin. cap. 35. ubi impressi 'Pro meo casu:' item Gellium lib. XX. cap. 11. ubi vulg. 'cæptus noster.' Aurel. Victor hac forma, 'Quantum ingenium est.' Noster in Milesiis passim: 'Pro meo modulo.' *Pric.*

Usu fœcunda] Mss. Florent. D'Orv. Pith. *usu facunda:* facili errore. Respondent e seqq. 'feris et hominibus os humile, &c. conspicitur,' τοῖς 'loco celsa;' deinde 'hominis nihil prius tacentis contemplere,' τοῖς 'visu prompta;' tum 'nihil sæpius loquentis,' τοῖς 'usu fœcunda.' Paullo ante quoque dixerat: 'Os, cujus... usus homini creberrimus.' *J. B.*

Vestigio et pabulo proximum] Expressit elegantissime illud Sallustianum: 'Quæ natura prona et ventri obedientia finxit.' *Scip. Gent.*

Censor meus Æmilianus] Eodem sensu Cicero: 'Corrector, et emendator meus:' ex Terentio. *Idem.*

PAG. 411 *Dentes*] Al. *denteis:* al. *dentis:* perpetua variatione, in hac Apol. Etiam apud alios scriptores incerta prorsus est scriptura quarti casus *es*, *eis*, et *is*. J. B.

Carbone de rogo obtriverit] Recte adjecit, *de rogo:* nam carbonum is etiam hodieque usus apud elegantes, et munditiei studiosos, pulvisculo uti ex carbone, et aliis quibusdam rebus confecto. *Scip. Gent.*

Communi aqua] Id est, spurca: ut apud Tertullian. *Brant.* Melius Florid. *vulgari aqua.* *Neque saltem*, i. e. *et ne... quidem.* Met. l. VII. p. 474. 'Nec mihi misero statuta saltem cibaria præstabantur.' *J. B.* *Lingua mendaciorum et amaritudinum præministra*] Tertullian. de Patient. 'Si linguæ amaritudo convitio sive maledicto eruperit.' Gregor. Turonens. lib. VIII. 'Verba amaritudinis.' Macrob. Sat. I. 7. 'Amarulenta dicacitas.' *Pric.*

Fœtutinis] Mavult legere doctissimus Dousa noster, *fœtudinis*. Colvius. Dousa mavult *fætudinis*, quod ego confirmem auctoritate Claudiani Mamerci lib. II. de statu animæ cap. 9. 'Cernas hinc alios situ fœtudinarum turpium ex olenticetis suis ac tenebris cloacam ventris et oris inhalare sentinam:' ita enim eum locum emendans lego, cum vulgo legatur, *exolenti cæcis suis*, et, *inalare*. Vulgatam tamen Appuleii lectionem Nonius tuetur. *Brant.* *Fœtutinis.* Sic rescripsi ex Flor. II. Alii, *fœculinis*. Dousa legit *fœtudinis:* ineptissime. Agellius XIII. 19. 'Tinitiones prærancidas et fecutinas:' in Mss. Bremensi et Palat. est *T. p. et fœtudinas:* lege *t. p. et fœtutinas*. Elmenhorstius. Grut. in marg. *fœculiniis*, ut, 'sterquiliniis;' sed *fœtudinis* propugnat h. l. et apud Gell. idem Gruter. Suspic. Ined. XXII. 6. comparans Plautinum 'fustitudina' Asin. I. 1. vs. 27. Possis comparare etiam 'fodina,' 'lapicidina,' et sim. sed hæc sunt a verbis quæ per *d* scribuntur, 'tundo,' 'fodio,' 'cædo.' Malim *fœtutinis* auctoritate Mstorum, h. l. omnium, et Nonii v. 'Moletrina:' 'Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut Furatrina' (sic leg. v. Colv. ad Met. lib. VI. pag. 404. b.) 'et Fœtutina.' Editum quoque *fœtutinis* in Edit. Gellii Gronov. ubi variant Mss. quorum nonnulli habent *fecuti-*

nas: unde *fecutinus* τρύγινος, in Dictionario agnoscit Calepinus. *J. B.*

Olenticetis] Paullus ex Festo: 'Olentica, mali odoris loca:' hinc ficta vox *olenticetum* apud Claud. Mamerc. (v. Brant. supra) et Nostrum: ut 'senticetum' et sim. *Idem.* *Fætutinis et olenticetis*] Sic II. Florid. 'Rupinas et senticeta.' Ubi male Stewechius, *spinas et senticeta.* Mirum quantum complaceat sibi in his terminationibus Appuleius noster. *Pric.*

Vocem contra spurcam] In Edd. O. ita editum reperimus. Sed pro *contra* in Ms. D'Orv. est *quam:* quod recipiendum putavi. Positivo jungere *quam* amat Noster. Met. l. IV. p. 65. Ed. Pric. 'loro quam valido:' atque ita etiam alii scriptores. Vid. Oud. ad Met. l. III. p. 181. add. Sept. de B. Troj. III. 26. 'Renovato fletu quam miserabili:' id. VI. 15. 'fletum edit quam miserabilem.' Illud *contra,* quod elegantius omissum fuerat ab Auctore, interpretamenti caussa margini adlitum, postea exclusit *quam,* non intellectum librariis. *J. B.*

Venenum inspirare] Virgil. de apibus: 'Læsæque venenum Morsibus inspirant.' Idem de Alecto: 'Vipeream inspirans animam.' Et alibi Æneid. I. 'Occultum inspires ignem, fallasque veneno.' *Pric.* *Viperæ ritu, niveo denticulo atrum venenum inspirare*] Memorabile est, quod Nicephorus de hoc scribit lib. VII. Historiæ Romanæ, ubi de quodam aulico calumniatore et adulatore scribit. 'In quo Libycum,' inquit, 'serpentem imitabatur. Aiunt enim serpentem nasci in Africa, viperæ non absimilem, qui multa arena obrutus, ore et lingua tantum exerta prætereuntes improviso multat interitu.' Libet hic adscribere locum elegantissimum Chrysostomi, quo multas feras in homine inesse demonstrat, Homilia Antiochena XXIII. et rursum Homilia IV. in cap. 1. Matthæi. 'Nec enim es homo, si clare possum videre. Quum enim tamquam Asinus recalcitres, lascivias ut Taurus: tamquam Equus post mulieres hinnias: ventri tamquam Ursus indulgeas: et ut Mulus carnem impingues: et malum memoria teneas, ut Camelus: rapias quidem ut Lupus: et ut serpens irascaris: ferias ut Scorpius: sis subdolus ut Vulpes: nequitiam vero tamquam Aspis, et tamquam Vipera venenum serves: et sicut ille malignus Dæmon fratres impugnes: quomodo te inter homines connumerare valeam, talis in te naturæ signa quum intuear?' *Scip. Gent.*

Rationem] Lat. Latin. quoque malebat *orationem,* cum Stewech. (vid. not. seq.) Lips. Salm. et Groslot. in marg. sed editorum nemo adsensum præbuit. Tam late patet sane significatio vocis *ratio,* ut a Mss. stare h. l. tutius sit: vid. Lexica et Ern. in Cl. Cicer. qui observat apud Cic. de Inv. I. 12. 'controversiam in scripto,' opponi ei, 'quæ est in ratione;' atque hanc Cic. ita definit, ut sit 'Ratio, cum omnis quæstio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit.' Utramque vocem conjungit Noster Flor. N. XIII. 'Philosophi ratio et oratio tempore jugis est, et auditu venerabilis.' *Rationes* pro ratiocinatione, dixit etiam Terent. And. V. 3. 50. 'Ne nimium modo Bonæ tuæ istæ nos rationes Micio... subvortant.' *J. B.*

Prælabitur] Præterierint licet hos scrupos præclari viri, nihilo secius tamen mihi statutum est eos tollere. Primum substituo, *orationem promptuarum:* inde scribo, *os ut bono potui poculum prælavetur:* quod valet idem quod, *prælavabitur.* Multa apud Antiquos verba diversimode inflexa: sic et *lavare,* et, tertia inflexione, *lavere* dicebant. Virgil. IV. Georg. 'lavit improba teter Ora cruor.' Ea forma id verbi usitatum Varroni, Plauto, Sallustio, et majoribus eorum

fuisse, videre est apud Nonium Marcellum. *Stewech.* *Prælavitur.* Sic vere rescripsit verisimilibus suis jamdudum Fruterius. Vulgo est, *prælabitur.* Colvius. Ex perpetua confusione litterarum *B* et *V* in bene multis Mss. et Edd. vett. vulgatum fuit *prælabitur*: quemadmodum *lavitur* in *labitur* corruptum fuerat apud Val. Flacc. IV. 229. ubi cf. Voss. De *lavere* et sim. 3ae conjugat. jam nota sunt omnia. Futuro hic nihil opus est, quare nec Stewechius audiendus, nec Rhœrius Fer. Daventr. p. 228. qui putabat excidisse syllabam *ra*, quod jam ante eum in mentem venerat Latino Latinio. Veram lectionem, *prælavitur*, servat distincte Ms. Pith. *J. B.*

De homine nato] Græcum est περὶ ἀνθρώπου φύντος, vel πεφυκότος. Cicero pro eo dicere solet, 'qui se hominem meminerit:' ea enim ἐνέργεια est Græcæ locutionis, quam expressit ad verbum App. et hic et paulo post, 'An tu ignoras nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam.' *Casaub.*

Innoxio hiatu] D. Ambros. Hexaëm. lib. v. cap. 3. 'Aperire ora, innoxio, &c. dente suspendere.' *Pric.*

Ore amplo, sed elingui] Ita diserte Herodotus, Diodorus, Solinus, Ammianus: aliter Cardanus de variet. l. VII. Crocodilum non *elinguem* esse, lingua brevi autem, et affixa prorsus superiori mandibulæ. Hausit a Plinio lib. VIII. cap. 25. forsan, qui eum usu linguæ carere ait, quod nescio quid diversum ab *elingui* sonat, tametsi alia sentiant Grammatici. Fronto Cornel. 'Elinguis habet linguam, caret autem usu ejus: elinguatus amisit.' *Idem.*

Multæ arundines dent. impl.] Quis locum hunc de mendo habeat suspectum? tamen legendum aio, *multæ hirudines d. impl.* Ælianus: ὁ γοῦν κροκόδειλος νήχεται ἅμα καὶ κέχηνεν· ἐμπίπτουσιν οὖν αἱ βδέλλαι εἰς αὐτὸν, καὶ λυποῦσιν. Confirmat Plinius, cujus verba sunt, 'Hunc saturum cibo piscium, et semper esculento ore:' nam quomodo *esculentum os* appellabitur, cui arundines implexæ? Idem ex Aristotele colligas, qui ait trochilos edere purgamenta ista dentium crocodili, quod et Plinius innuit, et apertius scribit Ælianus: non enim sane tantula avis arundinibus vescitur. *Casaub.* Fulvius, *hirudines*, legit ex Herodoto in Euterpe. *Sciopp. in Symb.* Eruditissimus amicus noster, *Hirundines*, [sic] legendum ait: idque ex Æliano, Aristotele, Plinio docet. Fulv. *Hirundine* [sic] ex Herodoto in Euterpe. Quibus libenter adsentior, nisi quod verbum *Implectuntur*, nonnihil molestum est: quod arundinibus, potius quam avibus, convenit. Hæc autem tota res, et Appuleii narratio mirifice illustratur antiqui poëtæ Philæ versibus in lib. de Animalibus: Ὁ δὲ κροκόδειλος νήχεται μὲν εὐτόνως, Ἀνεὶς δὲ χανδὸν εἰς τὸ κῦμα τὸ στόμα Βδελλῶν φορητὸν ἐξ ἐκείνου συλλέγει. Διαβὰς δ' ἐκεῖθεν εἰς τὸν ὄχθον ἐκ πόρου, Πίπτει δὲ κατὰ γῆς καὶ βλέπει τὸν ἥλιον. Ἡ δὲ παραγυμνοῖ πρὸς τὸ φῶς, καὶ τὴν ζέσιν, Τοὺς τῶν γνάθων, κράτιστε, κολπώδεις τόπους· Ὄρνις δέ τις τροχίλος ὠνομασμένος Τὸ ῥάμφος αὐτῆς εὐφυῶς εἰσφέρων, Τὰς αἱμοποτίδας καὶ θλιβούσας ἐξάγει, Τούτου πράως ἔχοντος εἰς τὸ συμφέρον, Καὶ τήν γε κεφαλὴν ἀντὶ μισθοῦ λαμβάνει Μηδὲν κακὸν παθοῦσαν ἐκ τοῦ θηρίου. *Scip. Gent.* *Hirudines.* Casaubonus, *hirundines.* Flor. 2. *arundines.* Elmenh. Hæret Gent. in voce *implectuntur*, quasi scilicet *arundinibus* quam *hirundinibus* (ut is legit) convenientiore. Ex quo deprehendo hunc locum non intellegisse eum: nam neque de his nec illis impræsentiarum res est, sed de *hirudinibus*, ut correxit optime Casaubonus. De iis tamen quid aptius dici potuit quam *implecti*? neque audiendus qui Romani Cod. lectionem *amplectuntur* probat. *Pric.* Edd. vett. et Mss. con-

stanter servant *arundines*, quam lectionem e conjectura Fulv. Urs. et Casaub. in *hirudines* mutarunt primus Scal. in Ed. Vulc. sec. dein Wow. Elm. Flor. Sed Scriv. antiquam lectionem revocavit. Et sane quoties crocodilus, cibi captandi gratia, os aperit, illud arundinibus, alga, similibusque sordibus fluvialibus repleatur necesse est; præsertim cum crocodilus in locis arundinosis degere amat: unde de ichneumone, crocodili perpetuo inimico, canit Nemesian. Cyneg. 'Nos flumineas errare per umbras Malumus, et placidis ichneumona quærere ripis Inter arundineas segetes.' Verum arundinibus non vescitur trochilus, sed βδέλλαις, *αἱμοποτίσι*, sanguisugis, hirudinibus, (ἔχει δεῖπνον τὰς βδέλλας ait Æl.) aut reliquiis piscium, quos modo devoravit bellua. Solin. c. 32. 'Trochilos avis parvula: ea reduvias escarum dum affectat, os belluæ hujusce paulatim scalpit, et sensim scalpurrigine blandiente aditum sibi in usque fauces facit:' quod Plinius indicat lib. VIII. 25. 'Hunc saturum cibo piscium et semper esculento ore,' pro quo minus bene Gruter. in marg. legi malebat *fæculento ore*: ut supra eam vocem, sive melius *fœtul.* habuimus. Facile autem *hirudines* potantium animalium gulis illabuntur: ut de elephanti proboscide refert Plin. VIII. 10. *Hirudinum* mentionem faciunt omnes, qui de Trochilo agunt, scriptores, Herod. II. 68. et qui deinde ex eo hauserunt. Deinde τὰ *ore plerumque in aqua recluso* suadent, ut de *hirudinibus* potius quam de *arundinibus* cogitemus. Scriptum fuerat in antiquissimis membranis *irudines*, de more: unde fecerunt *arundines*, sive, ut in libris manu, aut antiquissimis typis exaratis, scribitur *arũdines*. Quibus omnibus inducor, ut Fulvium et Casaubonum genuinam nobis putem dedisse lectionem: quemadmodum citat h. l. etiam Oudend. ad Met. l. IX. p. 605. a. Ridiculum errorem errarunt Scip. Gent. et Elm. quasi vero Casaub. de *hirundine*, ave, cogitasset. *J. B.*

PAG. 412 *Præripia fluminis*] An *prærupta?* Aldhelmus de Castore, 'Hospes præruptis habitans in margine ripis.' Glossæ: 'Prærupta, Ἀπόκρημνα, Ἀπεῤῥωγότα.' Nolo tricari autem. γραφὴν veram *Prærupia* puto. Tertullian. contra Marcian. lib. IV. cap. 38. 'Sciens præceps ituros homines, ipse illos in prærupium imposuit' (ita enim in Mss. legi monuit eruditissimus Franc. Junius). Vox insolentior paullo est? Africana est. Firmat autem lectionem nostram non absimilis locus IV. Milesia: 'Perrexit libenter' (Psyche) 'non obsequium quidem illa functura, sed requiem malorum præcipitio fluvialis rupis habitura.' 'Rupis fluvialis,' ut heic, 'Fluminis prærupia.' *Pric.* Servant *præripia* Mss. et Edd. O. neque ego video, cur in *prærupia*, vocem multo minus h. l. convenientem, mutetur: quare tueor vulgatam lectionem cum Gronov. Obs. lib. I. c. 19. qui comparat προαύλιον ab αὐλὴ, qualia sunt innumera. *Præripia* scil. loca, intellige de loco, inter fluvium ipsum et præruptam ripæ marginem, medio, qui fluviali aqua modo perluitur, modo siccus relinquitur. Quemadmodum *præcordia* ex. gr. dicuntur membranæ, quæ cordi prætenduntur: ita *præripia* loca, quæ ripæ prætenduntur. Inter *præripia* et *prærupia* et *prærupta* dubii aliquantum hærere videntur Heins. ad Ovid. Met. XI. vs. 138. et Oudend. ad Nostri Met. VI. p. 402. a. Si quid mutandum, mihi magis placeret altera Pricæi conjectura *prærupta*. Cæs. de B. Gall. VI. 7. 'difficili transitu flumen, ripisque præruptis.' *J. B.*

Avibus fluvialibus] *Avibus* glossematium puto. *Brant.* Putabat id etiam Lat. Latin. Sed vide seqq. Salm. ad Solin. p. 317. citat: *una ex avibus flu-*

viatilibus. *Fluvialis* tamen legitur etiam Met. IV. p. 239. 'ripa fluvialis.' X. p. 736. 'fluviales aquas eliquans.' VI. p. 403. 'spiritus fluvialis.' *Avis fluvialis* h. l. est, quæ fluvios, et fluviorum ripas accolit; ut obiter monuit B. Pius t. I. Fac. Crit. p. 576. Sed Salm. ad Solin. l. c. Appuleium negligentiæ incusat, ut qui Trochilum fluvialem avem dicat; quasi deceptus fuerit Auctor loco Aristot. VIII. 3. ubi inter *παρύδρους* aves *τροχίλον* recenset: cum fluviatiles aves, ut anates et sim. dicantur *ἔνυδροι* et *ποτάμιοι*, non *πάρυδροι*. Equidem Auctori nostro, Græcæ linguæ et rerum naturalium peritissimo, hoc excidisse non puto; sed potius sensu, quo diximus, adhibuisse vocem credo. Met. lib. IV. p. 402. 'fluvialis rupes' dicitur, quæ e ripa in fluvium procurrit. *J. B.*

Sine noxæ periculo exsculpit] Rectius *sine noxa*, quam *sine noxæ periculo*; nam etsi caput illæsum extrahat, periclitatur. *Pric.*

Dure et rustice legere] Quod supra 'Absone et indocte pronunciare vocat.' Claudianus Dial. *Lacerare*; ut et Lucianus, qui in rem lepidule: *πρὸς ἀπαιδ.* *Δημήτριος ὁ Κυνικὸς ἰδὼν ἐν Κορίνθῳ ἀπαίδευτόν τινα βιβλίον κάλλιστον ἀναγινώσκοντα· (τὰς Βάκχας οἶμαι τοῦ Εὐριπίδου·) κατὰ τὸν ἄγγελον δὲ ἦν τὸν διηγούμενον τὰ τοῦ Πενθέως πάθη, καὶ τὸ τῆς Ἀγαυῆς ἔργον, ἁρπάσας διέσπασεν αὐτὸ, εἰπὼν, ἄμεινόν ἐστι τῷ Πενθεῖ ἅπαξ σπαραχθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, ἢ ὑπὸ σοῦ πολλάκις.* (paria quibus affert Scipio ex Hesychio.) Addam e Gellii lib. XIII. cap. 20. locum, quo ejusmodi fringultiens blattero in conspectum datur. 'Accipit' (inquit) 'a me librum veterem fidei spectatæ, luculente scriptum: accipit autem inconstantissimo vultu et mœstissimo. Sed quid deinde dicam? non audeo hercle postulare ut id credatur mihi. Pueri in ludo rudes si eum librum accepissent, non ii magis in legendo deridiculi fuissent; ita et sententias intercidebat, et verba corrupte pronuntiabat.' Membrum periodi prava interpunctione laborat, simul tantillo mendo ut abstergere vix operæ sit. Duximus commonstranda autem, ne tam contempsisse ea quam ignorasse videamur. Scribe et distingue igitur ad hanc faciem, *sed quod deinde dicam non audeo h. p. v. i. c. m.* Idem.

Quis unquam fando audivit] Infra: 'Quis enim fando audivit?' Iterum, 'multa fando maxime audisti.' Miles. VI. 'Fando comperisti:' et in Floridis I. 'Fando accepimus.' Gellius lib. XVII. cap. 10. 'Hoc nec a Pindaro scriptum, nec fando unquam auditum.' Virgil. II. Æn. 'Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.' Plaut. Amphitr. 'Quæcunque neque fieri Possunt, nec fando unquam accepit quisquam.' *Idem.*

Tam aptam conjecturam] *T. apertam* c. Flor. *Elmenh.* Mss. Florent. lectionem exhibuit Scriv. ut notet, credo, tam aperte mera hæc est conjectura. Antiquam lectionem, quam revocavit jam Florid. servandam putavi. 'Conjectura apta' talis est, quam facimus ex argumentis, quæ 'ex se et intra se apta et connexa' (verba sunt Appul. de Dogm. Plat. p. 577. Ed. Flor.) 'ita ex omni parte congruunt, ut ex se apta sint, sibique respondeant,' (ibid. p. 600.) quod secus est in conclusione, 'Appul. poëta est: ergo Magus.' Ironice loquitur Auctor ut in seq. 'tam proximum argumentum.' 'Facere' autem 'conjecturam,' quæ vox frequens in judiciis, dicimur de eo, quod non quidem manifeste probari, sed ex indiciis quibusdam et suspicionibus divinari aut ex argumentationis serie intelligi potest. Hinc opponuntur 'hoc quidem manifestum erit' et 'de ceteris ex hoc conjecturam facere debebitis' a Cicer. Verr. II. cap. 74. neque aliter Noster Met. lib. X. p. 692. 'Veritatem criminum fidemque probatio-

nibus certis instrui, nec suspicionibus tantam conjecturam permitti placuit.' Quemadmodum App. jungit 'suspicionem,' 'conjecturam,' 'argumentum;' ita et Cic. in Verr. v. c. 9. 'tantum in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, ut jam ipsis judicibus, sine mea argumentatione, conjecturam facere permittam?' *J. B.*

Proximum argumentum] Infra, 'respondeat mihi Æmilianus quo proximo signo ad accusandum Magiæ sit inductus.' *Casaub.* Subaudi in omnibus his verbis, veritati. *Scip. Gent.* Sine caussa alii hæc mutila existimarunt. Notandum loquendi genus. Eadem Apologia: 'Quo proximo signo ad accusandum Magiæ sit inductus.' Et deinde: 'Nimis patiens vir es, et oppido proxima humanitate.' Ubi frustra substituunt: *maxima.* Adserenda vera scriptura apud Minutium Octavio: 'Quid Maro? Nonne apertius, proximius, verius?' Mendosa enim hæc esse sine caussa suspicatus sum. *Wower. Veritati* subaudiri vult Gentilis, at quid vetat absolute capi? Tertullian. ad Nationes lib. I. c. 12. 'Si qua ergo literis vestris superioribus, sed idcirca magis proximis, quoniam illius ætatis fides adjacet, &c. Proximum est promptum, obvium, manifestum.' *Pric.* Add. Gronov. Obs. I. 23. ejusque filius Jac. Gronov. ad Minuc. Fel. c. 19. *J. B.*

Teius quidam] Additum est τὸ *quidam* ab Auctore, ironice, respectu adversariorum, qui litterarum tam rudes erant, ut ne Anacreontis quidem nomen audivissent: unde etiam addidit *si vos ignoratis.* Alioqui non male legi posset *quidem* cum Fulv. et Ms. D'Orv. (in Pith. *quidm*) quæ particula interdum adhibetur in enumeratione, ut Gr. μέν. Met. lib. I. p. 24. 'ut noritis qui sim, et cujatis, et quo quæstu teneam... Æginensis quidem sum:' ubi male Wow. malebat *quidam.* Interdum etiam usurpatur pro *nempe.* ut Plaut. Trin. v. 2. 10. 'nequeo mirari satis Eum sororem despondisse suam in tam fortem familiam, Lysiteli quidem Philtonis filio.' Tandem possis etiam, inverso ordine, legere *Apud Græcos quidem Teius*... quoniam sequitur... *apud nos vero, &c.* Quia tamen *quidem* sic sæpe omittitur (v. Oud. ad Met. v. p. 341.) sequor vulgarem lectionem. *Idem.*

Lacedæmonius] Poterat Appuleius (si res tulisset) non tres, sed trecentos numerare, qui ἐρωτικὰ scripserunt apud Græcos: testis liber XIII. Athenæi. Sed præcipuorum et notissimorum auctoritate se munivit; adjecit tamen *cum innumeris.* Ait vero, *Teius quidam, et Lacedæmonius, et Ceus. Teius* est Anacreon poëta, ex Teo, civitate Ioniæ. Horatius: 'Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium.' *Ceus* autem Simonides est, vel nepos ejus Bacchylides, qui et ipsi ἐρωτικὰ scripsere, et παρθενικά, ut ex Athenæo, et Plutarcho lib. de Musica cognoscitur. *Lacedæmonius* autem quis? an Dionysodotus, cujus Pæanas memorat Athenæus lib. XV.? *Scip. Gent.* Non satis apertum, quem intelligat hic Appuleius. Fortasse sit ille Dionysodotus, cujus Pæanas memorat Athen. lib. XV. *Florid.* Imo est Alcman ille, quem Λακωνικὸν ποιητὴν vocat Plutarch. in Lycurgo p. 115. Ed. Bryan. quem etiam significari ab Aristide Or. in Bacchi laudem tom. I. p. 53. ubi itidem memoratur Λακωνικὸς ποιητής, monet Fabric. vid. Harles. ad Bibl. Gr. II. 15. 10. Primum autem Alcmanem vulgasse τὰ ἐρωτικὰ μέλη testis est Archytas Harmonicus apud Athen. lib. XIII. p. 600. cf. Fabr. B. Gr. l. c. *J. B.*

PAG. 413 *Ceus*] Apud Græcos promiscue Κεῖος et Κῖος vocatur Simonides: licet haud semel hoc in illud corruperint VV. DD. Pindari Scholiastes ad Isthm. II. Callimachi frag-

mentum ita habet: οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω Τὴν Μοῦσαν ὡς ὁ Κῖος Ὑλλίχου νέπους. pro quo a Bentleio et in Ernestina Callimachi edit. editum Κεῖος. Pari modo apud Plutarch. in Them. p. 252. ed. Bryan. Mss. 2. Bodlei. et Edd. Flor. et Ald. πρὸς Σιμωνίδην τὸν Κῖον; Recte: pro eo tamen Κεῖον legendum esse cum Xylandro, notavit Bryan. qui pessime utique in textu edidit Χῖον. Omnino enim distinguenda est *Ceos*, sive *Ceus*, sive *Cea* insula (Κέως), a *Chio*. Vid. Menag. ad Diog. Laërt. VII. 164. Bayle Dict. Critique Art. Prodicus, not. a. cit. a Dukero in Diss. de Simonide cap. 3. itemque a *Co* (Κῷ) Apellis et Hippocratis patria. vid. Bayle l. c. Verheyk. ad Anton. Liber. init. et quos citat Burm. ad Propert. I. 2. 1. Male itaque in loco, quem tractamus, Groslot. conjecit *Chius*, Brant. *Cous*. Insula vero illa *Ceos*, *Ceus*, *Cea*, a Ptolemæo v. 15. vocatur etiam Κία: quod tamen ibi suspectum est Pintiano, et Lennepio V. Cl. ad Ovid. Her. XX. vs. 221. qui omnino est adeundus; atque, ut ab Ἀλεξανδρεία duæ item sunt Latinorum formæ *Alexandrea* et *Alexandria*, sic etiam *Cea* et *Cia* recte dici posse putat. Imo Liv. XXXI. 15. ‘Rhodii Ciam ab Ægina, inde per insulas Rhodum navigarunt:’ de quo Liviano loco et de scriptura Κία cf. Schweigh. ad Polyb. XVI. c. 26. ubi eadem insula Κίος vocatur. Apud Herodotum quoque lib. VIII. cap. 1. et 47. legebatur olim Κίοι, ubi nunc Κεῖοι. Tandem a tribus hisce insulis *Ceo*, *Co*, *Chio*, distingui adhuc debet *Cius*, urbs Bithyniæ ad oram Propontidis (hodie *Ghio* sive *Ghemleik*) quam memorat Amm. Marcell. XXII. 8. et de ea cf. Schweigh. ad Polyb. XV. 21. *Idem.*

Etiam mulier] Ita Mss. Florent. D'Orv. Edd. Elm. Scriv. Flor. in reliquis *et mul.* Forsan *et etiam mul.* Met. x. p. 684. ‘causa omnis et origo... et etiam medela ipsa, et salus,’ &c. ubi cf. Oudend. Solet ex ejusmodi abundantia elegantiam captare Noster: sic in seqq. ‘isti quoque.’ *Idem.*

Apud nos] Id est, Romanos. Sic se Afri vel Mauritani vocabant, vel ob civitatem omnibus communicatam ab Imp. Antonino: vel peculiariter, quia Madaurus, patria Apuleii, populi Romani colonia. *Scip. Gent.*

Æ. P. et Catullus] Flor. *æ. P. et Catulus:* male. Vid. Agell. lib. XIX. cap. 11. [9.] *Elmenh.* Valerius Æditaus, Portius Licinius et Q. Catullus. Quos ita ordine A. Gellius numerat, eorumque versus refert, quibus mundius, venustius, limatius, pressius, Græcum Latinumve, nihil quicquam reperiri puto, inquit lib. XIX. cap. 9. Noct. Att. *Scip. Gent.* Lege *Catulus*. Vide Gell. XIX. 9. *Pric.* Recte Scriv. et Florid. edidere *Catulus:* ut est in Mss. Florent. D'Orv. Ejus duo epigrammata amatoria servarunt Cicero de Nat. De. I. 28. et Gell. l. c. quem aut negligenter, aut in mala Ed. inspexere Elm. et Gent. Hic tamen e Plinii loco lib. v. Epist. ad Aristonem, quem paullo post citat, et ubi inter amatorios poëtas refertur *Q. Catulus*, meliora ediscere potuerat: cf. Voss. de Histor. Lat. I. 9. *Catullus* infra demum memoratur. *J. B.*

At philosophi non fuere] Vide extrema verba Plinii lib. v. Epist. ad Aristonem JCtum: ‘non quidem Senatores,’ &c. Miror, cur Appuleius tres illos tantum poëtas Latinos ablegaverit, et non aliquem ex tot Senatoribus et Consularibus viris. Sed hi aliis laudibus in vulgus noti erant. *Scip. Gent.*

Serium virum] Infra p. 420. *serius* opponitur *lascivo*. p. 556. ‘amicos serios aspernatur.’ Amm. Marc. XXVI. 2. de Valentiniano: ‘voluntate præsentium secundissima, ut vir serius, rector pronunciatur imperii:’ id. XXIX. 6. ‘vix resistente principe serio, quem ante docuimus, Marco:’

ubi cf. Vales. Trebell. Pollio in Claud. cap. 12. 'quod se gravem et serium contra milites ostenderat interemptus est.' Afran. in Privigno apud Non. n. 144. 'Non ego te novi tristem servum serium:' leg. *tristem, severum, serium:* nam apud eund. Non. n. 455. legitur: 'Severum: Afranius in Privigno:' sic *tristis* et *severus* junguntur quoque a Nepote Epam. 2. ubi vid. Gebh. cf. Ter. Andr. v. 2. 16. *Severum* et *serium* conjunxit, sed alia ratione, Plaut. Pœn. v. 3. 51. 'Quod ego dixi per jocum Id eventurum esse et severum et serium.' *J. B.*

Conditoris. Id genus plurima] Casauboni correctionem expressere Scal. Pric. Wow. Sed Elm. cum seqq. revocavit antiquam lectionem, quam firmant Mss. 2. Florent. et D'Orv. *Pluria* recte et in primis ab antiquis scriptoribus, quos imitari affectat App. dici disputatur apud Gell. N. A. v. 21. Sed Noster ubique dixit *plura.* Vid. Flor. N. IX. et XVIII. de Deo Socr. pag. 686. de Dogm. Plat. lib. III. p. 634. de Mundo p. 753. infra p. 464. 472. 530. 544. Post *plurima* demum maximam distinctionem poni volebat Salm. in marg. Sane, si sequentibus jungenda hæc, melius scriberetur *plurimos,* ut paullo infra 'Recitem nunc alios.' Sed nec *plurima* sanum puto. Non enim tam in carminibus ipsis, quam in hominibus seriis et philosophis, qui ea scripserunt, versatur argumenti vis: quare dicere saltem debuisset Auctor, *aliorumque id genus plurima.* Si quis autem Pith. Codicis scripturam *id genus plurium,* veram putet, ei non valde obloquar. *Idem.*

Ut taceam scripta Diogenis Cynici, et Zenonis Stoicæ sectæ conditoris] Ideo hos allegat, quod illæ duæ sectæ præ ceteris ad virtutem et austeritatem vitæ morumque directæ: ut excusatius peccare sibi videatur Lucius noster, si ipse similiter luserit. Zenonis Stoici lib. περὶ ἐρώτων, de amoribus, laudat Diogenes Laërtius, idemque inter γνήσια volumina Diogenis Cynici refert, ἐρωτικὸν, Amatorium. *Scip. Gent.*

Et Critias mea, &c.] Distichon hoc ut in posteriori editione fuit, ita excudi jussimus. Rom. Venet. *Et tertias mea delicie stet salva Charine. Pax in amore meo vita tibi remanet.* In Basil. I. *Et Critias mea delitescet salve Charine, Pars in amore meo vita tibi remanet.* Legit V. C. P. Pithœus: *Et Critias mea delicies, et salve Charine, Par in amore meo, vita, tibi remanet.* Lipsius vero: *Et Critias, mea delicies, sic salva Charine Pax in amore meo vita tibi remanet.* Sic Critias, mea delicies, sic Charine, vita mea, salva pax tibi manet in meo amore. Priorem versum etiam sic olim scripsit B. Pius: *Et Critias mea delicia stet salva Charine:* ut videre est apud eum Annot. Poster. cap. 199. *Colv. Et Critias mea delicia stet salva Charine, Par in amore meo.* Ita V. C. Fulvius, *delicies et salve Charine.* Idem mox: *Ne metuas, ne me ignis.* Itemque: *dum potiar, patior.* Sciopp. in Symb. Mirum quam in primis versibus docti viri se torserunt. At nostrum ausim verum præstare: *Sic Critias, mea delicies, ut vita, Charine. Pars in amore meo salva tibi remanet. Ne metuas, nam me ignis et ignis torreat, ut vult. Hasce duas flammas, ut petior, patiar.* Nihil aptius, nihil venustius, quam qui duo pariter amaret, per alterius caput adjurare, ut alterum vere se amare probet. Ita, inquit, Critias mea delicies sit, ut tibi, o vita Charine, pars tua in meo amore salva remanet. Voces *vita* et *salva,* mutatis invicem locis, transposui, ut contentio geminarum illarum appellationum *delicies* et *vita* vividior esset, quæ aliter languida et nulla pene est. Si cui tamen hoc audacius videbitur, per me hactenus suo quamque loco legat; dum fateatur sic poni venustius, et majori cum ener-

gia. In 4to versu, non puto tam inscitum quemquam, ut non melius intelligat legi, *dum potiar, patiar;* non ob soni tantum suavitatem, sed locutionis ipsius concinnitatem. *Acidal.* Mira varietas in antiquis libris, quorum unus seq. versum ita legit, *Par in amore meo biga tibi remanet.* deinde, *potiar*, non *potior*. Wower. Hi versus varie a librariis interpolati sunt, ut etiam Colvius notat. Flor. 1. *Et Critias mea delitescet.* Flor. 2. *et C. mea stet salva Charine.* Romanus, *et Tertias mea delitiæ.* Elmenh. *Mea delicia.* Sensum hujus Epigrammatis, ceteroquin obscurioris, de more illo amantium, quo duas amari vel metuebant vel minabantur, recte explicuit Scip. Gent. confer Ausonii Epigr. 891. et quæ habet Muretus ad Catull. Epigr. LXXII. *Burmannus ad Anthol. Lat. Ep.* 230. Mirum in modum primum hoc distichon depravarunt Editores, nimium a Mstorum vestigiis abeuntes. Videamus primum varias lectiones. Pro *Critias* Ed. Vic. *Tertias*. Elm. *Critiæ:* sed typothetæ errore, nam correxit in Erratis. Ad *delicies* ducunt Mss. non *deliciæ* (ut habent Edd. Vic. Junt. post. Vulc. pr. Colv.) nec *delicia* (ut est in reliquis :) præterquam enim, quod diserte sic legitur in Ms. Pith. inde etiam depravatum esse apparet, quod legitur in Mss. Florent. uno et Lips. itemque in Edd. Junt. pr. Ald. Bas. *delitescet.* Primum comparet *delicies* in Ed. Cas. et emendarunt ita Salm. in marg. Fulv. Urs. P. Pithœus, Lips. et Acid. In *stet salva* consentiunt Mss. O. præterquam quod in iis, qui *delitescet* habent, vox *stet* non compareat, (excepto uno Florent. qui secundum Exc. Lindenbrog. utrumque servat :) et quod Pith. habeat *et salva,* si fides Groslotio: nam in alia ejusdem Cod. Coll. est *stet salva. Salva* utique legitur etiam in Mss. Florent. Edd. Vic. Junt. Ald. Bas. sec. Colv. Sed pro iis Scaliger, ad Prop. p. 321. in Catal. p. 205. et in Vulc. Ed. tert. dedit *delicia et sol alme:* quem deinde secuti sunt Elm. Scriv. Flor. Burm. in Anth. In Pisaurensi quoque Collectione prorsus hi versus exhibentur, ut in Catal. Scalig. Unde Pric. suum *et lux alme* habeat, nescio. In Vulc. pr. editum fuerat *meæ deliciæ sit salva Ch.* adversantibus metro et sensu. Melius edidit Cas. *et Cr. mea delicies sit salva Ch.* Ursin. et Salm. in marg. conjecere *delicies et salve Ch.* Sed tum addi debuisset *tu:* quod vidisse videtur Wow. unde ille dedit *delicia et tu salve Ch.* Verum *τὸ salve* posteriore producta respuit versus: quod animadvertens Groslot. in marg. notavit, sic ultimam in *responde* corripi a Martial. lib. III. Ep. 4. sed ibi VV. DD. e Mss. jam legunt: *si quando veniet, tu respondento poëta.* Denique Edd. Vic. Junt. utr. Ald. Bas. pr. *Charinæ* contra Mss. *J. B. Mea delitia*] Sic amores masculos vocabant. Cicer. pro Cælio: 'Amores autem et hæ delitiæ quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutius molestæ non solent esse, maturæ enim et celeriter deflorescunt, nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.' Glossæ: 'Deliciæ, Σπατάλαι.' Aliæ: 'Σπατάλαι, Lascivia, deliciæ:' inde 'spatalo-cinædi.' *Pric.*

Par in amore] Flor. 1. *pax i. a.* Flor. 2. *pars i. a.* vid. Scaliger ad Propert. p. 252. *Elmenh.* Corruptissimus hic versus omnino legi debet ita, *Par in amore meo viga tibi remanens. Viga* perperam scriptum pro *biga.* O Biga remanens par tibi in amore meo, quæ scilicet non trahis dispar jugum, (quod Græci dicunt ἑτεροζυγεῖν) in amore meo, sed æquo jugo me amas. Sic eadem metaphora dicitur infra (in Catal.) 'triga sodalitii.' *Scalig. ad Catal.* pag. 284. Hæc Scaligeri verba schedis suis adscripsisse videtur Scriv. unde satis negligenter, quasi ipsius Scriverii, edita hæc sunt ab eo qui curavit editionem Anecdotorum

pag. 3. *Pars* cum uno Florent. habent Mss. Bemb. D'Orv. Edd. Junt. Ald. Bas. Scriv. *Pax* Mss. Florent. alter, Lips. cum Edd. Rom. Vic. Ven. Colv. Vulc. pr. Cas. Pric. Wower. *Par* Mss. Fulv. Pith. Scal. in Catal. et in Ed. Vulc. tert. cum Elm. Flor. Habet igitur unumquodque librorum auctoritatem, qua se defendat. Videamus jam sensum. Floridus suam lectionem *Et Cr. mea delicia, et Sol alme Ch. Par, &c.* interpretatur ita: 'Critias est etiam mea voluptas, et, o Charine, pulcher Sol, similis vita tibi perdurat in amore meo.' Sed friget hoc modo illud *vita:* et qui alteram lectionem *Pars* vel *pax in amore meo vita tibi remanet,* prætulerunt, illi duntaxat ita distinguere debuissent, ut esset *vita* vocativus. Sed, ut diximus, *Sol alme* mera est conjectura, Scaligeri ni fallor, nullius Cod. auctoritate fulta. Propius ad Mstos accedunt, qui legunt *Et Cr. mea delicies et salve Ch.* non sine sensu: sed hac lectione pessumdari versum jam observavimus. Melius itaque Casaub. *Et Cr. mea delicies sit salva, Ch. Pax, &c.* neque tamen hoc satis bonum; nam tum scribi oportuerat *sit salvus,* et est tamen *salva* in Mss. O. Proxime insistens Mstis equidem sic lego: *Et Cr. mea delicies sit: salva, Charine, Pars in amore meo, vita, tibi remanet:* i. e. sine quæso, Charine, ut et Critias sit mea delicies: pars, quam tu in amore meo habes, tibi, o vita mea, nihilominus salva remanet: et tum bene sequitur *Ne metuas.* Nihil admisi absque Mstorum auctoritate, præter unum illud *sit;* quod tamen comparet jam in Ed. Junt. post. haud dubie e Ms. aut antiquiore Ed. et in Edd. Colv. Vulc. pr. Cas. atque ubi pro *delicies* librarius scripserat *delicia,* e superstite litera *s* sequenti verbo juncta, facere potuit *stet.* *Vita,* amatorium et blandientis vocabulum, suo omnino loco (ante *tibi*) positum est. Simpliciter illud sic adhibuit etiam Prop. I. 2. 1. 'Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?' II. 15. 27. 'Tu quoties aliquid conabere, vita, memento.' Nimis audacter sane Scaligeri conjecturam *biga* admisit Scriv. hoc modo edens: *Et Cr. mea delicia et Sol alme Ch. Pars in amore meo, biga, tibi remanet:* satis obscure: nec multo clarior est Gruteri conjectura in Suspic. Ined. I. XX. c. 10. *et Cr. mea del. Si salva Ch. Pars, &c.* Tandem pro *pax* Vulc. marg. adlevit *fax.* Acidalius nimis recedit a Mss. et recepta vulgo lectione. *J. B.* *Pax in amore meo vita tibi remanet*] Scalig. ad Propert. legit, *Par in amore meo biga tibi remanet:* 'biga' ut apud Lucian. Amor. Ζεῦγος ἐρωτικόν. *Pric.*

PAG. 414 *Ignis torreat ut vult*] Catullus: 'Quum vesana meas torreret flamma medullas.' *Idem.*

Florea serta] Plinius de Coronis: 'Quum vero e floribus fierent, serta a serendo serieve appellabantur.' Gloss. Vindocinens. Ms. 'Sertum, ex floribus texta corona.' *Idem.*

Meum mel] D. Hieron. ille austerus, non inscius tamen harum formularum et nequitiarum, Ep. 11. ad Nepot. cap. 6. 'Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, &c. et dulces literulas sanctus amor non habet: Mel meum, Lumen meum, meum desiderium, omnes delicias.' Fuit, quum in Appuleio nostro legerem *Merum mel:* ut Lucret. in eadem re *&c.* 'tota merum sol.' Sed nunc displicet conjectura. *Scip. Gent.* Barthius Advers. LII. 12. intempestivo acumine, *Merum mel:* scilicet quia Genios mero colebant. Miles. III. Noster 'mea mellitula.' Plaut. Capteiv. 'mea mulsa,' et ibid. 'Corpusculum mellitulum:' neque aliud solennius occurrit ὑποκόρισμα. *Pric.* Nihil hic debet mutari, et errarunt, qui ἀντὶ τοῦ *meum, merum mel* voluerunt legere. Est autem hic *meum mel,* ut sæpissime apud Plautum, et

hunc ipsum Appuleium Miles. lib. v. ' Mi mellite, mi marite, tuæ Psyches dulcis anima :' ita enim inibi ex v. c. lego. non ut alii *mellite mi marite.* Lindenbr. *Merum mel* Colvius, et Scip. Gentilis, sed qui postea rejecit : ut Lindenbr. ac Pric. et sic male Barthium ad Rutil. lib. I. 327. legere, et recte priores Edd. habere *meum mel* adnotavit Opitius in suo exemplari editionis Rutilii Barthianæ. *Burmann. ad Anthol. Lat. Ep.* 229. Edd. Vulc. exhibent *merum* contra Mss. et male ; ut evincunt seqq. 'carmina tibi . . . serta Genio : carmina ut lux hæc canatur . . . serta, ut tempora vernent :' neque *meri* aut *mellis* ulla amplius fit mentio : quod fieri debuerat, si h. l. legendum foret *merum, mel.* Sed Epigrammatis sensum non cepisse videntur VV. DD. ne Burmannus quidem. *J. B.*

Hæc tibi carmina dono] Ex more, qui antiquitus obtinuit inter eruditos, Natales amicorum Elegidiis cohonestandi. Censorin. Prooem. D. Natal. *Pric.*

Serta tuo Genio] Optime: nam et is Numen natalitium, et hoc florali cultu affectus passim. Tibullus lib. II. Eleg. 2. ' Dicamus bona verba, venit Natalis ad aras, Quisquis ades, lingua vir mulierque fave: Urantur pia thura focis, urantur odores, Quos tener a terra divite mittit Arabs. Ipse suos adsit Genius visurus honores : Cui decorent sanctas florea serta comas.' Et alibi lib. I. Eleg. 7. ' Illius e nitido stillent unguenta capillo, Et capite et collo mollia serta gerat.' *Idem.*

Ætatis florem] Miles. IX. ' Ætatis tuæ flore mulieres appetis.' X. ' Flos ætatis nuptialem virgini diem flagitabat.' Infra heic : ' In ipso ætatis suæ flore tamdiu vidua.' Tibullus : ' Dum primi floret tibi temporis ætas.' *Idem. Ætatis florem floribus ut decores*] Τὴν ἥβην. Terentius de puella XVI. annorum : ' Flos ipse :' videri potest etiam intelligere ipsos crines capitis Critiæ, quos olim ea de caussa flores adpellabant et florulentos : testis est Servius in lib. XII. Æneidos. *Scip. Gent.*

Tuum ver] Catullus : ' Jucundum quum ætas florida ver ageret.' Theodoret. de Josepho : (περὶ προνοίας Serm. VIII.) Ἐν ἦρι μὲν ἦν τῆς ἡλικίας. Stobæus Serm. 260. Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος τῆς ἡλικίας ἔφη τὸ μὲν ἀκμάζον ἔαρ εἶναι. Herric. Altisiodor. ' Ætatis breve ver,' de Vit. S. Germ. lib. I. *Pric.*

Exuperes munera muneribus] Malim *exæques:* gratiæ paritatem subinnui circumjecta evincunt. *Idem.*

Implexis sertis] Miles. VI. ' Videt spicas frumentarias in acervo, et alias flexiles in corona :' ferri hæc lectio potest, malim vero *plexiles,* vel *plectiles.* Gellius lib. XVIII. cap. 2. ' Coronam e lauro plexam.' Plaut. Bacchid. ' Corona plectilis.' Euripid. Hippol. Στέφανος πλεκτός. Gloss. Vindocinens. (quas corrige) ' Serta, coronæ plectiles et floribus :' habet Ms. male *corona reptilis.* Idem.

Complexum corpore redde] Vocem *complexus* fere semper eo sensu ponit. Infra heic de Venere voluptaria : ' Immodico trucique perculsorum animalium serva corpora complexu vincientem.' Miles. II. ' Ede complexus amabiles.' Et X. ' complexus meos ardenter adpetebat.' *Idem.*

PAG. 415 *Animum inspires*] Scribo *animam inspires.* Anima, spiritus quo calamus inflatur. Varro Eumenidibus : ' Phrygio per ossa cornu liquida canit anima.' Noster, Floridis : ' Nondum quidem tam infessa anima sono, nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia.' Hinc jocus Plauti Mercatore : ' Perii, animam nequeo vertere : nimis nihili tibicen siem.' *Colv.* Flor. 2. Rom. *animum.* Elmenh. Diu, et quidem attente inspexi hæc, nec assequutus sum : sive *animum,* sive *animam,* legas, perob-

scura sunt. Per me indicta sunto, quæ interpretes heic. *Pric.* *Quod si animum inspires, dona jam carmina.* Obscurissimum mihi videtur hoc ultimum distichon, neque satisfacit Scip. Gentilis, aut Pricæus, qui ultima hujus Epigrammatis, quæ arguta semper debent esse, agnoscunt flaccida et jacentia. Dubius etiam hæreo, *animam* legendum sit, an *animum*. Quum ab utraque lectione stent codices et editiones Appuleii, ac viri docti æquali fere numero. Si de lascivis illis osculis, quibus ipsam animam sugebant et inspirabant, de quibus modo ad Epigr. CCXIX. 15. vidimus, sit capiendum, certe *animam* præstare censerem. Ut legebat etiam Francius. Et hoc præferre videtur Heinsius ad Claudian. Epithal. Pallad. et Celer. v. 132. quem vide. Hæc 'animarum mixtura' Petronio, μίξις τῶν ψυχῶν dicitur. Vide Pontan. ad Macrob. II. Sat. cap. 2. ubi 'coitum osculi' vocat auctor Epigrammatis ex Platone, infra edendi. Sic 'inspirare animam' dixit Virgilius, etsi alia in re, lib. VII. Æn. 351. 'Vipeream inspirans animam.' Et Ovid. lib. IV. Met. 497. 'Inspirantque graves animas.' Ubi vide Patrui notas. Sed, si ita exponamus, non video quis locus sit *dulciloquo* illi *calamo*, ut odoratus etiam est Scip. Gentilis: et præterea editiones antiquæ Appuleii male distinguunt, *Quod si animum inspires, dona et jam carmina nostra, Cedent victa tuo dulciloquo calamo.* Itaque retinendum puto *animum*, et Appuleium hic Critiam ut deum quemdam inducere ac rogare, ut quasi numine suo velit sibi inspirare animum et donare, id est, dictare, carmina, ut Apollo credebatur vatibus. Virgil. VI. Æn. 11. 'magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates, aperitque futura.' Ita Propertius Cynthiam sibi pro Apolline ingenium facere, et carmina dictare dicit lib. II. El. 1. 3. 'Non hæc Calliope, non hæc mihi dictat Apollo: Ingenium nobis ipsa puella facit.' Obscuritatem igitur loci hujus tollemus, si ita explicetur: Si velis, o Critia, ipse tibi inspirare vim illam divinam carminum, quam poëtæ alii ab Apolline et Musis petunt, tu vero tibi ipse præstare potes, dona mihi vicissim carmina pro meis carminibus, quæ non minus cedent tuo calamo, id est, venæ poëtici leporis ac venustatis, quam serta et rosæ non sunt comparanda cum complexu et mellitissimis tuis suaviis. Vel si capiendum sit, ut Poëtæ Critias inspiret animum, quod certe per lasciva tum fieri vellet oscula, intelligenda hæc verba, ac si carmina illa, quæ postea faceret, non forent sua, sed inspirantis et quasi dictantis Critiæ. Sed hoc durius priore interpretatione mihi videtur. Itaque eligant poëticarum elegantiarum arbitri. Certe hæc ad mentem poëtæ adcommodatiora videntur, quam quod emendat Salmasius ad Solin. tom. I. pag. 117. Ed. Paris. *Quod si aulum inspires*, id est tibiam, et Critiam monaulon fuisse statuit, quod tamen dubito an verum sit, et ut temerarium rejecit Patruus in notis ad Ovid. IV. Met. 497. melius enim Is. Vossius in notatis margini exemplaris sui, quod in Biblioth. Leidensi est, adscriptis, legebat etiam, *Quod si animam inspires:* modo *animam* capiamus de halitu osculorum, non vero de spiritu, quo calamus inflatur, ut perperam Colvius. Neque cum Delphinico Appuleii Interprete *animam inspirare fistulæ* aut *calamo* exponendum est pro carmina scribere, ut calamus pro vena ac stilo poëtico ponatur. Nollem itaque istam Salmasii emendationem adprobasset Cuperus in Harpocrate pag. 144. aut Vossio oblocutus fuisset Th. Sellius Observ. cap. XV. in fin. *Burmann.* Aliter emendandum censebat Piersonus, et quidem hoc modo: *Quod si Amor inspiret, dona et*

jam carmina. Nostra, &c. hæc sententia: Quod si Amor tibi inspiret, dona mihi et jam carmina pro carminibus, tum carmina nostra cedent victa tuis: ut ante dixerat puerum *exsuperare* debere *munera muneribus. inspirare* de Diis frequens: et præcipue Amor eleganter dicitur 'inspirare carmina.' ποιητὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν. ut vetus Tragicus cecinit. Vid. Cl. Valckenar. Epist. ad Rover. pag. 12. Hæc vero Piersoni, juvenis, dum viveret, supra vulgus eruditi, et in Critica re sagacissimi, conjectura licet ingeniosa sit, nulla tamen codicum vel editionum veterum auctoritate nititur; ut prætercam *inspiret* sic absolute poni, sine *carmina*, aut *mentem, animumve*, ut in loco Virgilii, forte sine exemplo esse. *Id. in Mant. Adnott. post tom.* II. *Anth. Lat. p.* 747. Colvii conjecturam expressere Elm. Wow. Scriv. Flor. quos sequor. Neque enim audiendum puto Salm. ad Solin. p. 82. reponentem *quod si aulum inspires*, ut Græcam vocem adhibuerit Auctor. *Anima* est spiritus. v. Colv. h. l. Oudend. ad Flor. N. III. 'inflexæ animæ sono.' Burm. ad Ovid. Met. IV. vs. 497. 'Inspirantque graves animas.' 'Anima inspiratur tibiæ,' quæ vox, vel sim. subauditur, et subaudiri potest propter sequens *calamo*: contra τὸ *animam* subauditur in illo Ovid. Met. I. 333. 'Conchæque sonaci Inspirare jubet.' Ineptam sane propterea lectionem illam cum Salmas. l. c. pronunciandam non arbitror. Videtur tamen *animum* esse in Mss. In seqq. nil mutandum: licet pro *et jam* Mss. Lips. et Pith. habeant *nam et* (ex Coll. Voss. deest *et*); et Lipsius conjecerit *jam et carmina. Nostra Cedent, &c.* quemadmodum edidit (deleto *et*) Scal. in Catal. Sana est vulgata lectio, totiusque epigrammatis sensus hujusmodi: Critia, dono tibi carmina et serta; illa peculiariter tibi, hæc genio tuo: et carmina quidem, quibus natalem tuum celebrem; serta, quibus festo hoc die tempora cingas. Tu vero pro implexis sertis amabiles complexus redde; ut munera mea majori tuo munere superes: quod si tum quoque fistulam inflare cœperis, quum munere tuo superaveris dona mea; jam quoque carmina nostra tuis cedere debebunt. *J. B. Quod si animum inspires*] Putaret aliquis hoc velle Appuleium dicere, animam ex suaviis Critiæ, quæ proxime nominavit, sibi inspirari, vel suam animam eo elici, ut est in mollissimo Platonis carmine, apud Gellium: Τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον, Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων, ὡς διαβησομένη. Ubi juvenis Latinus, qui id epigramma lepidissime exposuit, 'Florem dulcem spiritus,' dixit. Sed aspernatur hanc interpretationem, quod in fine hujus Epigrammatis scriptum est de dulciloquo calamo; quo cantus significatur. Unde animare calamos vel tibiam pro canere. Sed jacet, et flaccet hoc sensu totum epigramma, cujus saltem conclusio arguta debet esse, præsertim quum jam antea sua munera Appuleius muneribus pueri superari dixerit. Quare ita puto exponendum esse, quod ait, *cedent victa*, ut quum antea varia sua dona cum pueri donis compararit, licet inferiora; in hoc munere canendi adeo se vindicat, ut plane cedere cogatur, nec audeat contra hiscere. *Scip. Gent.*

Calamo] Gruter. adscripsit *alloquio*, quasi offensus fuerit τῷ *loqui* in *dulciloquus*, de poëta. sine ratione tamen. Horat. IV. 15. 1. 'Phœbus volentem prœlia me loqui Victas et urbes increpuit lyra.' Burm. Catal. lib. IV. Ep. 261. 'Ut quemvis raperet mirifico ingenio Leniretque animum carmine doctiloquo.' Ibid. lib. IV. Ep. 108. 'Doctiloquum cupidus carminis ardor eras:' melius *erat*, forte et *doctiloqui*, ut emendavit Schrader. in Ep.

Crit. præfixa t. II. Anth. Lat. p. 77. *J. B.* *Dulciloquo calamo*] Onomast. vet. 'Dulciloquus, μελίλογος.' Nævius in Alcest. ap. Gellium lib. XII. c. 5. 'Dulcioriloquus.' *Pric.*

Catullum, quod Lesbiam pro Clodia, &c.] In his amicarum nominibus mutat illud, *Plania*, Casaubonus in *Flaviam:* quod magis ex consuetudine linguæ Romanæ videatur: nescio, inquit, an satis ex veritate Fulv. Ursini codex Plautiam nominat. Sed vulgarem scripturam secutus est Angelus Politianus in illo eruditissimo carmine, Nutricia, in quo hunc locum Appuleii ita elegantissimis numeris expressit: 'Sed quamquam in primis docto Verona Catullo Gaudet, vulnificos elegis qui miscet iambos, Et sub adoptivum redigit te Clodia nomen.' Et infra: 'ni blanda Propertius ora Solvat, et ambiguam faciat certamine palmam, Plania materiam teneri dat et Hostia cantus, Nomine supposito seu Galli mima Cytheris Personam falsæ lasciva Lycoridis adfert In scenam, et docto clausum se jactat amanti, Dum miser ipse suo fodiat præcordia ferro. At non exigui tenuis quoque pagina Calvi Dissimulat pulchram, sed acerbo funere raptam, Quintiliam.' Et multo post: 'Mitto et Cornifici lusus, Ticidæque Perillam Et Cinnum obscurum, teque ore protervior Anser.' Ceterum mirari satis non possum, Ovidium in hoc Catalogo, et tamquam Albo nequitiæ, præteritum fuisse, præsertim quum apud eum legisset illa IX. Trist. 'Macerat ingenium totum cantata per orbem Nomine non vero dicta Corinna mihi.' An ideo præteritum dicemus, quod mali ominis visum fuerit oratori nostro, eum in hac Apologia nominare, qui ob tales nequitias ac lusus relegatus fuerat: ne admonere judices videretur, quam hæc acerbo supplicio luerit ingeniosissimus poëtarum. An potius quia nomen veræ amicæ Ovidianæ ignotum fuerit? Nam quod 'Cæsaream puellam' Sidonius eam adpellet, potest id et de filia, vel nepte Augusti intelligi, vel de liberta aliqua, vel ancilla ejus, aut denique amasia. Hoc credo. *Scip. Gent.* *C. Catullum*] *Caium* nominat Appuleius, quem alii *Quintum:* alius est Q. Catulus Senator, cujus lepidissimos versus de Roscio laudat alicubi Cicero. *Idem.*

Ticidam] Intelligit A. Ticidam poëtam, cujus hunc versiculum ex Hymenæo citat Priscian. lib. v. 'Felix lectule talibus sole amoribus:' ex quo, tamquam ex ungue leonem, agnoscas, quam lepidus, inquam, in hoc genere fuerit, ut merito summis poëtis ab Appuleio aggregatus. *Idem.* Crinitus et Gyraldus eum *Caium* aut *Cneium* vocant. Utut de prænomine sit, ejus nomen vindicandum censeo Scholiast. Horatii ad Epod. 12. 'Apud Ticiam poëtam introducitur Pyrrhia ancilla,' &c. Barthius *Licinium* tentavit Advers. 37. 22. Ego *Ticidam* scribo, eum ipsum nempe de quo heic Appuleius. *Pric.* Ovid. Trist. II. vs. 433. 'Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen, apud quos Rebus abest nomen, nominibusque pudor?... Et quorum libris modo dissimulata Perillæ Nomine, nunc legitur dicta Metella suo.' Ms. Pith. *Metalla.* D'Orv. *Perillum.* J. B.

Hostiam] Est qui *Hostiliam* legit, hunc locum ad Propertium citans, sane non adversante Lapide, nobis proxime laudando. *Pric.* Vanam esse Passeratii conjecturam *Hostilium*, arguunt doctæ Bentleii notæ ad Horat. II. O. 12. 13. et Burmanni ad Prop. init. quæ vide. *J. B.*

Gentilem] Bas. 1. *Gen.* Rom. Ven. *Gentium.* Colv. Lege cum Rom. *Gentium.* Gentius et Macedo puerorum nomina, alterum, ut puto, Illyrici, alterum Macedonis. *Casaub.* *Gentium.* Rectissime ita Rom. cod. et veteres alii Mss. vulgo *Gentilem.* Sed in servis gentilitia natura non subest, in-

quit Varro de lingua Latina. Notum, servorum nomina a nationibus tracta, ut Davus. Et sane Macedoniæ Illyricum adhæret, in quo Gentii nomen etiam regium fuit. *Scip. Gent.* Nomina ab urbibus, gentibus, aut vendentibus tracta. Vide Varron. de L. Lat. lib. VII. extr. Helladium apud Photium. Scholiast. Theocr. ad Eid. V. Cæterum excusi Codd. heic variant, partim *Gentilem* exhibentes, partim *Gentium.* Et quidem vetus lapis *Gentilem* agnoscit: T. FULVIO GENTILI. A. GENTILIS F. H. S. E. at hoc servile nomen affirmem esse, ideoque non optime loco huic convenire: constat de altero clarius; en lapidem: HOSTILIÆ, L. L. RILL. O. H. S. S. GENTIUS CONLIBERT. nec abludit Lemma veteris Epigrammatis, 'De duabus meretriculis ex Illyrico GENTIA et CHLOË,' &c. *Pric.* *Gentium* præbent Mss. Lips. Pith. D'Orv. et Edd. pleræque: Junt. pr. cum Bas. pr. simpliciter *Gen.* sed Junt. post. Ald. Bas. sec. Colv. Vulc. pr. Casaub. *Gentilem,* quod verum nomen pueri fuisse videtur. Sane ipse Lucil. in fragm. apud Donat. in Ter. Andr. v. 6. 12. 'Nunc prætor tuus est, meu' si discesserit horno Gentili.' *J. B.*

Macedonem] Etiam hoc minime ingenuum. Inscriptio vetus: IPHYGENIA SUAVIS AVE. MACEDO HAVE. alia: M. S. VLPIÆ. M. F. MACEDONIÆ. VLP. MACEDONA. ET MAGN. SEMNUS FILII. *Pric.* Lips. marg. adscripsit *M. Acedonem.* Male. Lucil. fragm. ex l. VIII. apud Nonium cap. 2. n. 323. 'Hic est Macedo si agrou' longiu' flaccet.' *J. B.*

PAG. 416 *Amici sui Pollionis*] An potius *Mæcænatis?* si tamen hic 'Tuscus Eques' ille de quo Martialis lib. VIII. Epig. 56. 'Risit Tuscus Eques, paupertatemque malignam Reppulit, et celeri jussit abire fuga. Accipe divitias, et vatum maximus esto, Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.' *Pric.*

Virgilianos opiliones et bubsequas] Florid. I. 'Nil aliud plerique callebant quam Virgilianus opilio, seu bubsequa.' Miles. VIII. 'Equisones, opilionesque, et bubsequæ.' De Deo Socrat. 'Velut pastor, vel opilio, vel bubsequa.' Infra heic: 'Villicorum, et opilionum, et equisonum rationibus.' Commode heic offert se Sidonii lib. I. Epist. 6. illud, 'bubulcosque runcantes.' Et quia non tantum non alienum est, sed et ab interpretibus ejus aut præteritum, aut (quod pejus) male enarratum, ponam (idque apicibus ipsius) expositionem Joannis Bourdelotii, ab eodem ex Adversariis suis amice communicatam nobis. Quid sit *runcantes* (inquit) Savaro reticuit plene. Pius infæliciter exposuerat, 'herbas vellentes:' alius dum insultat interpretationi isti, infelicius 'stertentes' exponit. Scimus quid 'ronchus' et unde 'runco' apud Glossographos, sed 'runcare' Sidonio, est 'implere cornua bubulcorum seu Mimallonum more,' ut Amycus apud Theocrit. Eidyll. XXII. Ἦ δ' Ἄμυκος καὶ κόχλον ἑλὼν μυκάσατο κοῖλον. hinc 'runcare,' aut suillum cornu sonitum imitari: hinc βραγχιᾷν, de quo morbo Aristoteles Histor. Animal. lib. VIII. cap. 25., ubi bene Julius Scaliger *anginam* vertit, est enim faucium morbus. Hesychius corruptissimus in hac dictione: Βράγχος νόσημά τι τῶν ἐν τῷ σώματι γιγνομένων τὸν πρόγχον, ὅταν ὗς μάλιστα διαφθείρηται, lege, B. ν. τι τῶν ἐν τῷ στόματι καὶ τῷ βρόγχῳ γιγνομένων, ᾧ ὗς μάλιστα διαφθείρηται. Idem legend. verbo γοργύζειν et γογγύζειν, sed ubique reponendum est τονθορίζειν. Posterior ætas vocavit *Gorriones.* Excerpt. ex Gloss. Isidori, 'Gorriones, cum errore sonantes,' lege, *G. cum horrore s.* Galli dictionem *gorret* etiamnum retinent; nec audiendus B. Vulcanius qui ad passeres refert. *Idem.*

Elegia] Fuit cum mallem, *elogia.*

Platonem vero adolescentem versibus amatoriis lepidissimis lusisse, etiam scribit Gell. lib. XIX. cap. 11. et Diogenes ipsius vita. *Colv.* F. *elegidia.* Brant. *Elogia.* Rom. et Flor. *elegia.* Elmenh. Ἐλεγεῖα ἐρωτικά. V. Gellium XIX. 9. *Pric.* Colvii conjectura edita est in Edd. Vulc. sec. tert. non vero ab Elmenh. ut ex ejus notula forte colligas. At *elegia* firmatur Mss. Edd. reliquis et loco Gellii N. A. XIX. 9. 'ἐλεγεῖα quædam erotica dulcia et venusta accinerunt.' *Elegeion*, vel *elegeon*, vel *elegion* dixit quoque Auson. Epigr. 94. vs. 2. 'Zonæ textum elegeion erit:' et plur. num. Parent. XXIX. vs. 2. 'Debent quos cineri mœsta elegea tuo.' *J. B.*

Cujus nulla carmina extant, nisi Amoris Elegia] Plutarch. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν, &c. ὅτι οὐδὲ ὅσιον εἰπεῖν ἢ καλὸν, ὡς ἀνέραστος ἦν ἡ Ἀκαδημία, καὶ ὁ Σωκράτους καὶ Πλάτωνος χωρὸς, ὧν λόγοις μὲν ἐρωτικοῖς ἐντυχεῖν ἐστι, ποιήματα δὲ οὐκ ἀπολελοίπασι. *Pric.*

Cætera omnia, &c. igni deussit] Dythyrambos puta, Tragædias, et quæ alia recensent Laërtius, et Ælianus lib. III. Var. 2. 30. *Idem.*

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς] Vid. Gevart. ad Stat. p. 58. in Biblioth. Clariss. Viri M. Tydeman. et Boschius ad Anthol. Gr. vol. v. p. 27. *J. B. in Addend.*

Εἴθε γενοίμην Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σε βλέπω] Imitatus est Martialis lib. VIII. 'Victorem modo cum videret Istri, Tot vultus sibi non satis putavit, Optavitque oculos habere plures:' nec abludunt Catulli hæc: 'Aut quam sidera multa, quum tacet nox, Furtivos hominum vident amores:' profecto propius hæc absunt a Platone quam quæ Scipio affert. *Pric.*

PAG. 417 *Astra vides*] Hi ut et seqq. versus Latini non extant in membranis Flor. Vide Muretum ad Catullum pag. 22. *Elmenh.* Desunt Latina quoque in Ed. Junt. post. neque comparent in Mss. Florent. Pith. et D'Orv. in quibus, præter Florent. Græca quoque desunt ubique; sed eo magis Latinam versionem addidissent librarii (quod a m. sec. factum in D'Orv.) si eam in suis exemplaribus invenissent: neque ab Appuleio profectam illam puto. Infra quoque Homericorum versuum interpretationem non addidit Auctor; quod tamen æque facere debuerat, si ad intelligentiam auditorum Græca sibi vertenda esse existimasset. Haud dubie de sua versione verbo monuisset, neque addidisset 'disce versus Platonis ... si tamen tantus natu potes litteras discere:' quod eo sensu dictum, quo Cicero dixit in Pisonem (c. 30.) qui versum ejus non intellexerat: 'Quid nunc te, asine, litteras doceam?' Latina igitur edenda quidem, sed cancellis inclusa, curavi. Ceterum Grotius ita hoc distichon vertit: 'Stella, vides cœli stellas, meus, o ego cœlum si sim, quo te oculis pluribus adspiciam:' aliter alius: v. not. seq. *J. B.*

Utinam fiam] Tale votum Anacreontis εἰς κόρην. Ἐγὼ δ' ἔσοπτρον εἴην. et Ovidii, qui pulicem se gestiebat fieri. *Lindenbrog.* Quæ descripsit Elmenh. addens Dionys. Sophistæ Epigr. in Anth. lib. VII. 152. Εἴθ' ἄνεμος γενόμην, σὺ δέ γε στείχουσα παρ' αὐγὰς, &c. *J. B.*

Ἀστὴρ πρὶν] Hi duo versiculi continenter cum superioribus, tamquam unum epigramma, leguntur lib. III. Anthol. Priores illos duos sic Latine conversos reperi in libro quodam Torquati Tassi, Italorum præcipui poëtæ, παραφραστικῶς: 'Te quoties pulchri spectantem sidera cœli, Stella, tuor, toties cœlum aveo fieri; Pluribus ut quo oculis te spectem, hoc plura meum cor Hauriat.' Posteriores autem, in quibus Astera suum exorienti soli comparat Plato, materiam carminis elegantissimi dedisse videntur olim Q. Catulo: 'Constiteram exorientem Auroram forte salu-

tans. Quum subito a lævo Roscius exoritur: Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestra, Mortali visus pulchrior esse Dea.' *Scip. Gent.* Cf. Pric. Diversum esse hoc epigramma a præcedenti, arguit, inter alia, hujus separati versio ab Ausonio Epigr. 144. Sejunctim quoque edita sunt in Anthol. Boschiana. Ed. Ven. Ἀστὴρ μὲν πρὶν ἔλ. ἐν ζ. *J. B.*

Lucifer] Vertit Grotius: 'Stella meus vivis fulgebas Lucifer ante, Nunc apud infernos Hesperus es populos.' *Idem.* *Lucifer ante, &c.*] Ausonius sic transtulit, Epigr. 144. 'Stella prius superis fulgebas Lucifer, at nunc Extinctus cassis lumine vesper eris.' *Pric.*

Νῦν ὅτι μηδὲν] Recitat hos versus Laërtius lib. III. p. 205. *Elmenh.* In Anthol. lib. III. Tit. 32. Ep. 44. ita legitur: Νῦν ὅτε μηδὲν Ἄλεξις ὅσον μόνον εἶφ' ὅτι καλὸς, Ὦπται, καὶ πάντη πᾶσι περιβλέπεται. Θυμὲ, τί μηνύεις κυσὶν ὀστέον; εἶτ' ἀνιήσεις ὕστερον. Οὐχ' οὕτω Φαῖδρον ἀπωλέσαμεν. Ubi melius comma ponitur post καλὸς, quam quod in Appul. Edd. hactenus et apud Diog. Laërt. factum fuerat, tantum post ὦπται, ut καλὸς ὦπται notet 'pulcher est adspectu,' eleganti Græca locutione quidem, sed tum non est quo referas καὶ, quod, propter præcedens ὅτε, non potest habere vim τοῦ *statim:* licet ita intellexerit quicunque Latine hoc epigramma vertit *dixerit . . . et vertunt.* Ceterum in Edit. Appuleii Græca hæc, utut profecta sunt a Platone, edenda sunt, prout Appul. ea legit. Quum igitur in Edd. quod sciam O. exceptis Junt. post. et Ald. pro πᾶσι περιβλέπεται legatur πᾶς τις ἐπιστρέφεται, quomodo in Diogene Laërtio legitur etiam, ita Platonis versum legisse Appuleium probabile est: nam et a Mss. Florent. confirmari illa lectio videtur. Ad hæc verba, margini Ed. Bas. sec. opportune adscriptum video locum Josephi de Mose lib. II. c. 5. πρὸς δὲ κάλλος οὐδεὶς ἀφιλοτίμητος ἦν οὕτως, ὡς Μωυσῆν θεασάμενος μὴ ἐκπλαγῆναι τῆς εὐμορφίας· πολλοῖς τε συνέβαινε καθ' ὁδὸν φερομένῳ συντυγχάνουσιν ἐπιστρέφεσθαι μὲν ὑπὸ τῆς ὄψεως τοῦ παιδὸς, ἀφιέναι δὲ τὰ σπουδαζόμενα καὶ τῇ θεωρίᾳ προσασχολεῖν αὐτοῦ. Huic Josephi loco addi potest Lucian. in Herc. c. 3. extr. ἐπέστραπταί γε εἰς τοὺς ἀγομένους μειδιῶν: quem mecum communicavit doctiss. et amiciss. Geel. Item alius ejusdem auctoris a Scapula cit. ἐπιστρέφονται εἰς τοὐπίσω ὥσπερ οἱ δυσέρωτες. Ceterum corrupte pro ὅσον μόνον εἶφ' ὅτι Edd. Bas. ἐὰν μονεὶ φατι. et Ποται pro ὦπται, Ed. Vic. πωται. *J. B.*

Εἶφ'] Non esse pro εἶπε, sed pro εἶπα, monuit Gatakerus Adv. Misc. Post. c. 43. Recte, ni fallor. Ipse imprudenter Alexidis pulchritudinem prædicaverat: unde et in seqq. θυμὸν suum, i. e. animi ardorem, qui in extollendo Alexide nimius fuerat, alloquitur. Aliter tamen intellexit interpres Latinus. *Idem.*

Τί μηνύεις κυσὶν ὀστέον] Proverbialem hanc locutionem, 'canibus os' vel 'offulam ostendere' pluribus exemplis illustrat Gataker. l. c. *Idem.*

Ἀνιήσεις] Nunquam passivo sensu sumi verbum ἀνιῆσαι observat Gataker. neque exemplum inveni. Possit tamen defendi simili exemplo cognati verbi ἀνιάζειν, quod passivo, sive neutro sensu, occurrit apud Hom. Il. φ. vs. 270. sed non opus est. Absolute ponitur, facile, neque invenuste, subintellecta persona, cui ea res molestiam creabit. Putabat tamen Gataker. melius legi: ἀνιήσει σ' ὕστερον. et ἀνιήσῃ H. Stephan. ad Diog. Laërt. probante ibid. Casaub. *Idem.*

Afficisque dolore] Nollem virum linguæ Latinæ adeo peritum, tantum licentiæ usurpasse contra omnem analogiam. Par licentia seq. vs. in *amisimus.* Sed, quantum video, disertior Appuleius, quam ποιητικώτερος. Fuit autem ea securitas supina

multorum illis temporibus, ut obtemperare legi metricæ non amplius curarent, quam amantes, ait poëta Siculus, πατρὸς μύθων καὶ μητρὸς ἀκούειν. vide quæ passim habet carmina Spartianus. *Casaub.* Et hic, et in sq. vs. *Amisimus*, parum habuisse rationem syllabarum tenoris, et artis metricæ videtur Appuleius. De qua licentia recentiorum maxime poëtarum vide quæ doctissimi viri Casaubonus in Pollionis XXX. tyrannis, et Giphanius in Catullum observarunt, qui et veteres hujus rei incuriosos docet. Sed et Lipsius lib. II. Elect. c. 21. de latentibus in opere Appuleii Milesio versibus, lege illa strictiori solutis, more Varronis et Petronii. Sed ausim dicere Appuleium, non *Aficis*, sed *abicis*, scripsisse, haud paulo elegantiori forma. Prudentius: 'Perfida signa abicit, monumentaque tristia longe Spernit.' Item legendum, *Non Phædrum sic prius perdidimus:* qui non intellectus ἀρχαϊσμὸς errori caussam dedit, ut sæpe alibi. Unum locum annotare sufficiat. Apud Julium Rufinianum Rhetorem, in Libro de Schematis Dianœæ, recitatur Lucilii ille versus, 'Non tango, quod avarus homo est, quodque improbus mitto.' Vide sis Ciceronem de Orat. et Quintil. lib. IX. c. ult. ubi sic concludit: 'Quæ in veteribus libris reperta mutare imperiti solent; et dum librariorum inscitiam insectari volunt, suam confitentur.' Quem locum imitatus est D. Hieronymus in Epist. 28. ad Licinium de suis codicibus: 'Si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sint, quæ sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis et imperitiæ notariorum librariorumque incuriæ: qui scribunt, non quod inveniunt, sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.' Notent hæc Critici nostri. *Scip. Gent.* Non primus Elm. reposuit *angisque* [vid. Not. Delph.] sed Scal. in Vulc. Ed. sec. et tert. cum Wow. Scriv. et Bip. In Edd. vett. *afficisque*, adversante metro, cui mederi volens Lips. conjecit *adigisque dolere:* sed *aficis*, exemplo τῶν *adice*, *subicit*, et sim. defendit Barth. ad Stat. Theb. VII. 4. De *adicit* et sim. vide etiam Burmann. ad Anthol. Lat. lib. I. Ep. 80. vs. 15. ibid. ad lib. I. carm. 178. vs. 71. et vs. 352. Sed iniquiores in Appuleium fuere VV. DD. qui ei adseruere vitia invenustæ satis versionis, quam Appuleio neque Mss. neque Ed. Junt. post. adscribunt, neque adscribendam esse arbitror. *J. B.*

PAG. 418 *Quasi ullum specimen morum sit, versibus ludere*] Sane. Sidonius lib. IX. Ep. 16. 'Ne reus cantu petulantiore, Sim reus actu.' Cicero in Pison. 'In quibus' (versibus) 'si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri.' At non ob hæc est ut ab Authoris sensu cedamus. *Pric.*

Hadrianus] Spart. de Hadr. c. 14. 'De suis dilectis multa versibus composuit, amatoria carmina scripsit.' Ms. D'Orv. *Adrianus:* ut est in quibusdam inscriptionibus apud Gruterum et Reinesium. Sed frequentata est scriptura per *H*. Vid. VV. DD. ad Spart. Hadr. init. *J. B.*

Voconii] Id est, cujus ita frequens nomen apud Plin. Nepot. duntaxat lib. II. Epist. 13. Plura Gregor. Gyraldus IV. Dial. *Pric.*

Voconii tumulum versibus veneraretur] Imitatus Augustum, quem hoc idem Druso fecisse narrat Sueton. Claud. cap. 1. *Idem.*

Veneraretur] Locus Flor. N. XVI. a Pric. cit. nihil huc facit. Verba sunt: 'qua remuneratione dicendi gloriam tui facti æquiparem.' Sed verum est *veneraretur*, i. e. honoraret. Ovid. Trist. II. 79. 'Carmina ne nostris sic te venerantia libris,' &c. Dicitur autem *venerari* proprie de honore et cultu divino, et hinc de memoria de-

functi, et sepulcro, utpote re sacra. Tacit. Agric. XLVI. 'Sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant.' *J. B.*

PAG. 419 *Imperator et divus et censor*] Flor. *Imp. et censor divus Hadr.* Elmenh. Libri alii, *Imp. et Censor, Divus Hadrianus:* quod ut verius sit (quod crediderim facile) scriptura ea, quam sequuti sumus, *Censoris* titulus tamen, tanquam angustior, post *Imperatoris* ponitur. Infra de Scipione, 'Africanó, Numantino, et præterea Censorio.' Gellius de Catone lib. VII. cap. 3. 'A Senatore, et Consulari, et Censorio viro.' Idem lib. XIII. c. 22. 'M. Cato, Consularis et Censorius:' neque temere hoc, imo neque quod *Censuram* iniit post *consulatum*; sed ex dignitate *Censuræ*, quam κορυφὴν τιμῆς ἁπάσης, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσιν Plutarchus vocat in Caton. maj. Plane Imperatoria potestas, etsi omnes alios, *Censoris* titulum tamen neutiquam complectebatur, ut videre est ex Dionis lib. LIII. Tandem collatus adulatione et corruptela temporum, quodammodo Imperatoris nomini coaluit. Zonaras Annal. tom. II. *Pric.* Edd. Vic. Junt. Ald. Bas. *Imp. et Divus, Censor Hadr.* Vulc. Wow. *Imp. Divus et Censor Hadr.* Colv. Cas. Pric. *Imp. et Divus et Cens. Hadr.* Sed cum Florent. Mss. quorum lectionem expressere Elm. Scriv. Flor. consentiunt plane Pith. et D'Orv. Recte. *Divi* nomen Impp. Romanis, qui in Deos relati erant, quasi prænomen adhæsit, ut paulo ante ab Appul. *Divus Hadrianus,* et sexcenties vocatur in Pandectis. V. Brisson. de V. S. *v. Divus.* Nomen est igitur *Divus Hadrianus:* dignitatis autem tituli *Imp. et Censor.* De Censoris titulo, Impp. Romanis tribui solito, vid. Spanhem. de Usu et Præst. Numism. tom. II. pag. 472. Fuit sane censura apud Romanos omnium dignitatum præstantissima. Vide Casaub. ad Capitol. Pertin. c. 13. ubi propterea 'Censorium funus' pro magnificentissimo usurpatur. Ceterum observat Spanhem. l. c. Hadriano Censoris titulum in nummis et Inscriptionibus non tribui. Sed Appul. hunc titulum præ ceteris usurpavit, respectu severioris morum disciplinæ in homine Censorio (cf. infra ad p. 421.) qui tamen amatoria scribere non dedignatus erat. *J. B.*

Quod Imperator, et Divus, et Censor Hadrianus fecit] Plus est Divus, quam Imperator, et plus Censor, quam Divus; in hac utique re. Nam Divi illi Ethnicorum etiam spurcissimis amoribus exarsisse finguntur. At Censores, vindices horum flagitiorum. *Scip. Gent.*

Pudicitius] Flor. 2. *pudicius:* recte. *Elmenh.* Correxerat etiam Lips. in marg. et expresserat jam Ed. Junt. post. quod postea e Florent. Mss. cum Elm. exhibuere Scriv. et Flor. quum Ed. Bip. veterem lectionem revocaverit. *Pudicius* ἀναλόγως formatur a *pudice*, et est apud Plaut. in Most. IV. 3. 15. Amat quidem Noster adverbia in *us*, (v. Oud. ad Met. I. p. 45. a. et 49. b.) ut formare potuisset *pudicitus*, ad exemplum τῶν, 'publicitus,' 'humanitus,' et sim. Sed talium adverbiorum comparativi in *itius* nondum vidi exemplum: et sæpe videtur *pudicitior* male in Mss. scriptum inveniri, etiam in poëtis, ubi metri ratio illud respuit. cf. Burm. ad Anthol. Lat. l. v. Ep. 32. Pro *pudicius* pugnat quoque haud raro affectatum ab Appul. ὁμοιοτέλευτον in *pudicius . . . simplicius.* J. B.

Omnibus profanis incognita] Locus Platonis, quem intelligit, est in Convivio: et ibi hoc explicat doctissimus Ficinus cap. VII. allegorice, ut solet. Cæterum Appuleius noster brevissime hæc narrat, quæ Plato illic longissima oratione edisserit. *Scip. Gent.*

Geminam] Vide Symposium. *Colv.*

Plato in Convivio f. 181. Μὴ ὀρθῶς δὲ αἰσχρόν. οὕτω δὴ καὶ τὸ ἐρᾷν, καὶ ὁ ἔρως οὐ πᾶς ἐστι καλὸς, οὐδὲ ἄξιος ἐγκωμιάζεσθαι, ἀλλ' ὁ καλῶς προτρέπων ἐρᾷν, ὁ μὲν οὖν τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης, ὡς ἀληθῶς πάνδημός ἐστι, καὶ ἐξεργάζεται ὅ, τι ἂν τύχῃ. καὶ οὗτός ἐστιν ὃν οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων ἐρῶσιν. ἐρῶσι δὲ οἱ τοιοῦτοι, πρῶτον μὲν οὐχ ἧττον γυναικῶν καὶ παίδων· ἔπειτα, ὧν καὶ ἐρῶσι, τῶν σωμάτων μᾶλλον ἢ τῶν ψυχῶν. ἔπειτα ὡς ἂν δύνωνται ἀνοητοτάτων, πρὸς τὸ διαπράξασθαι μόνον βλέποντες, ἀμελοῦντες δὲ τοῦ καλῶς, ἢ μή. ὅθεν δὴ ξυμβαίνει αὐτοῖς ὅ, τι ἂν τύχωσι τοῦτο πράττειν, ὁμοίως μὲν ἀγαθὸν, ὁμοίως δὲ τοὐναντίον. ἔστι γὰρ καὶ ἀπὸ τοῦ θεοῦ νεωτέρας τε οὔσης πολὺ ἢ τῆς ἑτέρας καὶ μετεχούσης ἐν τῇ γενέσει καὶ θήλεος καὶ ἄῤῥενος· ὁ δὲ τῆς οὐρανίας πρῶτον μὲν, οὐ μετεχούσης θήλεος, ἀλλ' ἄῤῥενος μόνον· (καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως) ἔπειτα πρεσβυτέρας, ὕβρεως ἀμοίρου, ὅθεν δὴ ἐπὶ τὸ ἄῤῥεν τρέπονται οἱ ἐκ τούτου ἔρωτος ἔπιπνοι, τὸ φύσει ἐῤῥωμενέστερον καὶ νοῦν μᾶλλον ἔχον ἀγαπῶντες. Himerius Sophista apud Photium fol. 607. πανδήμῳ δ' Ἀφροδίτῃ πρὸς τὴν οὐρανίαν οὐδὲν κοινόν· ἡ μὲν γὰρ βεβήλους καὶ οὐ καθαροὺς τὴν φύσιν γεννᾷ τοὺς ἔρωτας· τῇ δὲ χρήσει μὲν οἱ πόδες, χρυσᾶ δὲ τὰ τούτων καὶ βέλη. σκοποὶ δὲ αὐτοῖς ψυχαὶ νεοτελεῖς καὶ ἀκήρατοι. *Elmenh.* *Geminam esse Venerem Deam*] Tertiam addidere quidam. Pausanias in Arcadicis: 'Veneris in ea simulacra tria. Unum Cælestem Venerem, alterum popularem cognominant. Tertium sine proprio colunt nomine.' In Bæoticis vero Tertiæ nomen exprimit, ut a Thebanis colebantur. 'Tres,' inquit, 'Veneres sunt, quarum unam Cælestem, alteram Popularem, tertiam Apostrophiam nominant. Cognomina hæc imposuit Harmonia: Cælestis, sive Uraniæ, purum significans, et corporum cupiditate vacantem amorem. Popularis ob venereos congressus. Apostrophiæ, id est, Aversatricis, quo ab exlege cupiditate et incestis stupris hominum genus averteret. Multa enim apud barbaros, multa apud Græcos sciebat Harmonia turpiter commissa,' &c. *Scip. Gent.* *Geminam esse Deam Venerem*] Plutarch. ἐρωτικ. Achill. Tat. l. VII. Max. Tyr. Dissert. 8. 9. 10. et 11. *Pric.*

Vulgariam] Πάνδημον Ἀφροδίτην, quam Lucretius 'Volgivagam' vocat, Marcian. Capella 'Voluptuariam.' *Idem.*

Percita p. amore] L. *quæ sit prædita p. amori.* Non enim ipsa Dea amore percitur, sed amore alios percit, et percellit. Mansit ea vox in seqq. non tamen intellecta ab iis, qui casum h. l. alienum illi adstruxerunt. Sic enim leges: *Alteram vero Cœlitem Venerem, prædita quæ sit optimati amori:* dandi, inquam, casu, non auferendi. Neque est aliud *prædita*, quam *præfecta*. Eandem vocem eodem significatu Senecæ alibi reddidi, de Tranquill. vitæ c. 2. 'Cum potentes imperio præditi, et consensu servientium validi.' Antea male fuerat *editi*. Sed Noster sæpissime usus, e quo dabo saltem unum de Deo Socratis: 'Ac ubi vita edita remeandum est, eundem illum, qui nobis præditus fuit.' *Acidal.* Doctissimus Acid. et hoc, ut mihi videtur, acute observavit, non *percita*, sed *prædita* legendum esse. Non enim, inquit, Dea amore percitur, &c. *Scip. Gent.* *Prædita* legendum esse vidit quoque Meurs. ad Lycophr. Cass. vs. 112. sed præclare, ni fallor, insuper emendavit Acid. *amori*. De τῷ *præditus* pro *præfectus* vid. ad l. de Deo Socr. p. 133. b. cf. et p. 154. a. Miror in mentem hoc non venisse Pricæo, infra, ubi vide ad illud, 'prædita quæ sit optimati amore.' *J. B.*

Pag. 420 *Serva*] Male Colv. *fera c.* præcessit *imperitandi* vox, cui respondet τὸ *serva*. Utraque sententiæ loci perquam concinna. Cephalus apud Platonem τῶν ἡδονῶν πάθος, λυττῶντα καὶ ἄγριον δεσπότην vocat. Meminit Theodoret. Serm. περὶ πρακτ. ἀρετῆς.

Paria de Sophocle Plutarch. Tract. ὅτι οὐδὲ ζῆν, &c. Ammian. Marc. lib. xxv. Philostrat. de vita Apollon. I. 10. *Pric.* Mss. Pith. *sua*, D'Orv. *seva*. Colv. *fera*: male. Similiter de amore Ovid. Rem. Am. vs. 54. 'Utile propositum, sævas extinguere flammas, Nec servum vitii pectus habere sui.' De adjectivo *servus* v. Heins. ad Ovid. Am. I. 6. vs. 74. *J. B.*

Paucis curare] Nihil mutandum. Plautus Trinummo: 'Sed ego sum insipientior qui rebus curem publicis:' et in Truculento, 'curare alienis rebus.' Vide Nonium. Sic paulo post: 'adeo rebus meis curat.' *Casaub.* *Paucis curare*] Eadem infra syntaxi, 'adeo rebus meis curat:' et in de Deo Socrat. 'quibus eorum singuli curant.' Plautus passim: sic 'cupere alicui' Cicero ad Quint. Fratr. 'Alicui malle' in de Pallio Tertullianus. *Pric.*

Quippe ejus amore, &c.] Ne hic quidem ulla sententia nedum bona. Lege vero: *Quippe ejus amorem non amœnum et lascivum, sed contra incorruptum et serium, pulchritudine honestatis, virtutis amorem amatoribus suis conciliare:* vere Platonica sententia: non dubium autem deesse vocem *amorem* ante *amatoribus*, quam restituimus. Nemo nescit, quam sæpe factum, sæpe fiat ab oscitantibus scribis, ut similium vocum vicinarum alteram omittant. *Casaub.* Valde turbat hic locus, et deesse vocem censet V. Cl. Is. Casaubonus. Ego sic restituendum autumo, *Quippe eum amorem non a. &c.* Hæc est nimirum sententia Madaurensis istius philosophi. Eum (scil. amorem Veneris cœlestis) amatoribus suis virtutis pulchritudine præditis, et honestatis, non amorem amœnum ac lascivum conciliare, sed vero serium ac incomptum. Τὸ *honestatis* valet *ornatis*, ne quis genitivum esse putet nominis substantivi, ut loquuntur Grammatici. *Meurs.* Lego *honestatis et virtutis*. Brantius. Flor. 2. *virtutes amat. s. c.* Elmenh. *Q. ejus amore non am. et l. sed c. inc. et ser. pulchritudine honestatis virtutis amat. suis conc.*] Hæc est constans Edd. vett. ante Casaub. lectio, nisi quod Ald. et Junt. post. habeant *virtutes*: quibus cum nullum inesse sensum probe videret Casaub. primum quidem legendum monuit *amorem*, ut edidere seqq. exceptis Sc. Gent. et Pric. qui, credo, Mstorum auctoritatem desiderabant. Hanc autem jam habemus in Mss. Florent. et D'Orv. qui diserte præbent *amorem*: et, nisi ita legamus, nihil est quo referri possint adjectiva *amœnum, lascivum, &c.* Non tamen cum Meursio leg. *eum amorem*; nam non de ipso amore, sed ejus præside Venere, sermo fuerat in præcedentibus. Quæritur dein, utrum *honestatis* sit substantivum, an vero participium, quod vocant, verbi *honestare*. Illud si sit, quo tum referatur *virtutis?* quod tamen exstat in nonnullis Mss. et Edd. Vic. Junt. pr. Bas. Colv. Vulc. pr. Cas. Gent. Pric. Vidit id quoque Casaub. qui propterea inserendum putat *amorem*, ut revera editum in Edd. Vulc. sec. tert. et Wow. Sed quam frigide dictum, amorem conciliare virtutis amorem, pulchritudine virtutis: nam *honestas* et *virtus* non differunt, ut postea videbimus. Quod idem dicendum de conjectura Crusii Probab. Crit. cap. 9. rescribentis *virtutem*. Maluerunt itaque Elm. Scriv. Flor. servare lectionem Edd. Ald. et Junt. post. *virtutes*, quam e Ms. Florent. dedit Elm, adstipulantibus Ms. D'Orv. et Salm. in marg. Non male. Xenoph. in Sympos. c. 8. § 10. Εἰκάσαις δ' ἂν καὶ τοὺς ἔρωτας τὴν μὲν Πάνδημον τῶν σωμάτων ἐπιπέμπειν, τὴν δ' Οὐρανίαν, τῆς ψυχῆς τε καὶ τῆς φιλίας καὶ τῶν καλῶν ἔργων. ut sint *virtutes*, quæ τὰ καλὰ ἔργα vocat Xenoph. Hanc vero lectionem improbat Gronovius Obs. I. 24. quem equidem non intelligo, aientem, *virtutes* corpora non esse, et de Socra-

tica, h. e. casta παιδεραστία loqui Auctorem. Nam de corporibus statim demum loquitur Auctor: 'Et si quando decora corpora commendet.' Imo *virtutes* per se non improbandum, 'cum omnes rectæ adfectiones virtutes appellentur:' ut ait Cic. Tusc. Qu. II. 18. Verum enimvero longe aliam rationem inierunt Salm. Epist. 80. Meurs. et Gronov. l. c. et in Epist. ad Salmas. l. supra cit. capientes *honestatis,* non ab 'honestate,' sed a verbo 'honestare;' quomodo sane 'honor,' 'honestus,' et 'honestare,' sæpe usurpantur de pulchritudine, qualis scil. cadit in honestos homines: atque ita quidem ut Salmas. legat *honestatos virtutis amatores suos;* Gronov. *honestatos virtutis, amatoribus suis:* ut sit sensus: Amor ille incomptus et serius τὸν ἐρώμενον τῷ ἐραστῇ non formæ bono, sed virtutis pulchritudine commendat, atque inter eum, qui hac honestatus sit, amatoremque, leno est. In tanta sententiarum diversitate certi quid statuere perquam difficile est. Sed parvi non facienda est lectio cod. Pith. *pulchritudinem,* quam equidem verissimam puto, ita quidem ut *virtutis* glossema esse τοῦ *honestatis* arbitrer, totumque locum sic legendum: *Quippe ejus amorem non amœnum et lascivum, sed contra incomptum et serium pulchritudinem honestatis amatoribus suis conciliare.* i. e. φιλοκαλίαν ἐπιπέμπειν, φιλοκάλους ποιεῖν amatores suos, vel ἐγκελεύεσθαι πρὸς τὴν ἀρετὴν τοῖς ἀξίοις ἐπιμελείας ut de cælesti amore ait Plutarch. Erot. p. 751. *Honestatem* autem summam esse virtutem, omnes alias complectentem testatur locus Cic. de Fin. II. 18. 'Habes undique expletam et perfectam, Torquate, formam honestatis, quæ tota his quatuor virtutibus, quæ a te quoque commemoratæ sunt, continetur.' Bene igitur locum intellexit, quicunque supra scripsit *virtutis,* quæ vox deinde, ut fieri solet, in textum irrepsit. Si tamen *virtutis* retinere malis, cum Brant. possis inserere *et,* quod tamen mihi non perplacet. Lubet adscribere locum Ammiani Marcell. l. XXIX. 2. § 16. 'Ex adulescentia virtutum pulchritudine commendabilis præminebat, vir quieti placidique consilii, honestatem lenium morum velut ad perpendiculum librans.' *J. Bosscha.* *Incomptum*] Mihi magis placet scriptura Basil. Cod. *incomitum.* Brantius. Flor. 2. *incomitum.* male. *Elmenh.* Displicet τὸ *incomptum* Casaubono, *incorruptum* vero reponit. Quod pace ejus liceat, dissentio etiam hic. In Codd. Rom. Ven. et Bas. exaratum fuit *incomitum.* Quod profecto rectum, et est ἀρχαϊσμός. *Comitum* pro *comtum,* ut *Teritum* pro *tritum.* Talia non pauca observavimus et notavimus olim ad Catonem de Re Rustica. *Meurs.* Præbent sane *incomitum* Mss. Florent. Pith. Edd. Rom. Vic. Junt. pr. Bas. pr. Sed rectius in reliquis *incomptum* quod propugnat quoque J. Fr. Gronov. Syll. Epist. t. II. p. 528. Sic Met. l. v. p. 372. absente Venere dicitur esse 'non voluptas ulla, non gratia, non lepos, sed incompta et agrestia et horrida cuncta.' Recte autem opponuntur sibi 'amor amœnus' (de qua voce cf. Ind.) et 'incomptus,' quemadmodum supra pag. 407. Ed. Flor. 'Capillus amœnus ei, qui est inenodabilis incuria comendi.' *Incorruptum,* quod malebant Casaub. et Salm. auctoritatem habet Bembini Cod. Est etiam, qui legat *incompositum:* quomodo *compositus* et *incomptus* opponuntur ab Arnob. lib. II. p. 45. 'quia numerosum et instructum compositumque sermonem aut ipsi vos nostis efferre, aut incomptus cum fuerit, scire.' *J. B.*

Absterrere] Ita libri omnes, nescio quam Latine. Scripsitne Ap. *abstinere,* aut *abhorrere?* ut infra, 'Vitam suam procul ab hujusmodi criminibus abhorrere.' An fors *absterrere,* pro pellere, fugare, Lucretium secutus:

'Sed fugitare decet simulachra, et pabula amoris Absterrere sibi:' si hoc, pro *a contumelia*, lege *contumeliam*. Pric. Intellige: Amorem Cœlitis Veneris absterrere amatores suos: ut locum a Pricæi conjectura vindicat Gronov. Obs. I. c. *J. B. Si quando decora corpora commendet, a contumelia eorum procul absterrere*] Xenophon παιδ. v. Οἱ δὲ καλοὶ κ' ἀγαθοὶ ἐπιθυμοῦντες καὶ χωρίου καὶ ἵππων ἀγαθῶν, καὶ γυναικῶν καλῶν, ὅμως ἁπάντων τούτων ῥαδίως δύνανται ἀπέχεσθαι, ὥστε μὴ ἅπτεσθαι αὐτῶν παρὰ τὸ δίκαιον. *Pric.*

Admoneat] Flor. *commoneant*. Elmenh. Ducere eo videtur etiam Ms. Pith. *ammoneant*, et probat V. D. in Obs. Misc. v. II. p. 188. adlegans Plaut. Rud. III. 4. 'mearum absens miseriarum commones:' cui addere potuisset ipsum Appul. Met. XI. p. 810. 'rursus sacrorum commonet:' et alibi: nam sæpe utitur τῷ *commonere* Noster. ut l. v. p. 342. l. VI. p. 436. l. IX. p. 624. sed sæpius etiam τῷ *admonere*, cum genitivo. V. ad Met. II. p. 168. a. item IV. p. 259. 'salutis communis admonens.' L. X. p. 683. 'ne ruboris admoneretur.' VII. p. 490. 'calcis illius admonitus.' Perperam autem plur. num. legitur in Mss. Florent. et Pith. est enim *quod* pronomen, non conjunctio. *J. B. Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum, quam quod admoneat divinos animos ejus pulchritudinis, &c.*] Joh. Scholast. de religioso quodam Grad. 15. Κάλλος θεασάμενος, τὸν ποιητὴν μεγάλως ἐδόξασε, καὶ ἀπὸ μόνης τῆς θέας εἰς ἀγάπην θεοῦ, &c. κατεφέρετο. Porro signatissime Noster *admoneat*. Plutarch. Ἐρωτικ. Τὸ τοῦ σώματος κάλλος τῆς μνήμης ὄργανον. *Pric. Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum*] Appuleium autem nostrum toto hoc libro πλατωνίζειν manifestum est, etiam cum Platonis nomen reticet. Quale hoc ipsum est, quod hoc loco dixit, ex illius dialogo Phædro, ubi de Pulchro agit, sicut et in Hippia et in Symposio. Sed maxime ex Protagora hæc Apuleius hausisse videtur, in quo Socrates ait se a Diotima, fatidica anu, didicisse artem amatoriam, qua per corporum pulchritudinem gradibus veluti quibusdam ad pulchritudinem Divinam adscenditur. Idem in Charmide. *Scip. Gent.*

Quam prius] Ἀναστροφή. Propert. 'Quam prius abjunctos sedula lavit equos:' sic et in Copa Virg. 'Quam potius.' Plaut. Trucul. 'Diu quam.' Attici ἢ πρὶν pro πρὶν ἤ, ut notat Scalig. *Pric.* Recte Florid. Minus bene Pric. ut declarant seqq. 'non tam amat sapiens, quam recordatur:' scil. ejus pulchritudinis, quam prius veram et sinceram inter Deos vidit: secundum Socratis et Platonis placitum τὴν μάθησιν οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησιν τυγχάνειν οὖσαν. Plato in Phæd. cap. 22. ἠπιστάμεθα καὶ πρὶν γενέσθαι, καὶ εὐθὺς γενόμενοι, οὐ μόνον τὸ ἴσον . . . ἀλλὰ καὶ ξύμπαντα τὰ τοιαῦτα· οὐ γὰρ περὶ τοῦ ἴσου νῦν ὁ λόγος ἡμῖν μᾶλλόν τι ἢ καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ καλοῦ κ. τ. λ. . . . ὥστε ἀναγκαῖον ἡμῖν εἶναι, τούτων ἁπάντων τὰς ἐπιστήμας πρὸ τοῦ γενέσθαι εἰληφέναι. *J. B.*

Amabit sapiens, cupient ceteri] Nonius Marcellus: 'Cupido et amor idem significare videntur, et est diversitas. Cupido enim inconsideratæ est necessitatis, amor judicii. Afran. homines amabit sapiens, cupient ceteri.' *Brant.* Vid. Xenoph. παιδ. 5. Marc. Capella: 'Consociato sibi quodam puero renidente, qui nec Veneris voluptuariæ filius erat, et tamen amor a sapientibus dicebatur.' *Pric.* De differentia *Amorem* inter et *Cupidinem* fusius disputat Maxim. Tyr. Diss. XXVII. *J. B. Amabit Sapiens, cupient cæteri*] Ex Stoicorum decretis hoc promptum. Seneca Epistola XXXI. 'Solus sapiens scit amare, solus sapiens amicus est.' *Scip. Gent.*

PAG. 421 *Neoptolemi Enniani*] Est apud Cic. Tusc. II. *Brant.* Fuse hoc argumentum tractat Lælius Bisciola Horar. Subsic. tom. I. lib. III. c. 3. *Pric.*

Rependuntur] Ed. Vic. *rependentur.* Observa κακοζηλίαν in 'propensam,' 'adpendices,' 'rependuntur.' *J. B.*

Superest] *Superesse* quid hoc loco sit, aut quo sensu dictum, ignoro plane. Vide quid erui possit e Gellii I. 22. *Pric.* Nodum in scirpo quærere videtur V. D. Bene interpretatur Floridus: Quod mihi dicendum restat, antequam veniam ad ipsa crimina, i. e. ad primariam accusationem. *J. B.*

Audias ut adhuc fecisti, libenter et diligenter] Cicero Verr. VII. 'Quæso, ut fecistis adhuc, diligenter attendite.' Philipp. XIII. 'Ut adhuc fecistis, me attente audiatis.' Pro Cluentio: 'Ut adhuc me attente audistis, item quæ reliqua sunt audiatis.' Infra Noster: 'Quæso, uti adhuc feceritis (lege *fecistis*) vel si quo magis etiam potestis, ipsum fontem et fundamentum mendacii hujus diligentissime cognoscatis.' *Pric.*

Censoria oratio] V. C. *certatoria.* Sciopp. in Symb. Fulvii liber *certatoria oratio.* Elmenhorstius. Seneca III. Controv. 1. 'Quamdiu citra jocos se continebat, censoria oratio erat:' id est, censoriæ severitatis plena. Aliud est, 'Censura speculi' Mart. lib. VIII. Epigr. 52. In V. C. legi aiunt, *longa illa et certatoria oratio:* ferri hæc locutio potest. Cicero 'concertatorium et refractariolum dicendi genus vocat.' *Scip. Gent.* Ms. Pith. *cesoria.* 'Censoria oratio' hic est, quæ censoria severitate et exprobratione carpit: ut 'virgula censoria' Quinct. I. O. 1. 4. 'quo quidem ita severe sunt usi veteres Grammatici, ut ... versus ... censoria quadam virgula notare ... permiserint sibi.' Sic 'censor,' 'censura,' 'censorius' aliquoties de severiore morum disciplina usurpantur. Capitol. in vit. Maxim. et Balb. c. 6. 'censoria præfectura,' i. e. severa. Spart. in Pesc. Nigr. cap. 7. 'censura erga milites.' Treb. Poll. 30. tyr. c. 8. 'tam censorius, tam severus.' cf. ibid. cap. 6. et 33. id. in Galien. c. 3. 'censuram parentis eum ferre non posse:' quorum quædam notata jam video a Santenio ad Prop. IV. 11. 41. Arnob. VII. pag. 239. 'consecrare turpissimas res eis, quas censor animus respuat.' Amm. Marc. XVIII. 1. 'Numerium ... accusatum ut furem, inusitato censorio vigore' (nescio an non melius *rigore*) 'pro tribunali palam admissis volentibus audiebat.' Tertull. de Pall. 3. 'censoriæ intentionis ... passivitas:' id. de Pudic. 16. 'Si vis omnem notitiam Apostoli ebibere, ut intelligas, quanta securi censuræ omnem silvam libidinum cædat:' et sic infra pag. 435. 'philosophiæ censura' opponitur 'indulgentiæ fortunæ.' Alias *censorium* interdum dicitur de eo, quod censoria nota dignum est: cf. Ernesti Cl. Cic. Tandem peculiari notione *censorius* usurpatur apud Capitol. in Pertin. c. 15. cf. supra ad p. 419. quo sensu nescio an alibi occurrat: nisi quod Calepinus notet etiam: 'Censoriæ vestes, ἱμάτια τιματικὰ dicebantur, quibus Censores merito uti possent.' *J. B.*

Pene diruptus est Pudens] Ex his verbis confirmatur superior emendatio. *Scip. Gent.* *Pene diruptus est Pudens*] A vocis intentione nempe, quod in foro non infrequens. Cicero: 'Dirupi pæne me in judicio Galli Caninii.' Lucian. Dial. adv. indoct. &c. διακεκραγέναι καὶ διαραγῆναι, βοῶντας. Solebant Patroni Actoresque hunc φωνῆς τόνον καὶ τραχύτητα προσθεῖναι, ut incenderent animos judicum, ultra verbis fidem quærerent. Lepidum in hanc mentem est Demosthenis illud apud Chæronensem: Λέγεται, ἀνθρώπου προσελθόντος δεομένου συνηγορίας, καὶ διεξιόντος ὡς ὑπό του λάβοι πληγὰς,

ἀλλὰ σύ γε, φάναι, τούτων ὧν λέγεις, οὐδὲν πέπονθας. ἐπιτείνοντος δὲ τὴν φωνὴν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ βοῶντος, Ἐγὼ, Δημόσθενες, οὐδὲν πέπονθα; νὴ Δία, φάναι, νῦν ἀκούω φωνὴν ἀδικουμένου καὶ πεπονθότος. οὕτως ᾤετο μέγα πρὸς πίστιν εἶναι τὸν τόνον. *Pric.*

Aliquid] Bene interpretatur Florid. 'crimen alicujus momenti.' *J. B.*

PAG. 422 *Accipi me necesse est*] Hæc est Mstorum O. et Edd. ante Vulcan. vera lectio, cujus proprietatem h. l. perspexisse non videntur Vulc. et Wow. qui *τὸ me* hinc transtulerunt post *exornari quoque*, neque Elm. Scriv. Flor. qui illud ante *accipi* posuerunt, ut ita jungeretur *τοῖς exornari solere*. Latinissime dicitur 'accipior exornari solere;' atque adeo non minus Latine *accipi me necesse est, &c.* Frequentissima est hæc loquendi ratio apud Latinos auctores. En insigniora aliquot exempla quæ facile sexcentis aliis possent augeri. Noster de Dogm. Plat. lib. III. pag. 641. Ed. Flor. 'agnoscetur particularis abdicativa non esse convertibilis.' Cic. ad Att. v. 18. 'Bibulus audiebatur esse in Syria:' de Amic. 17. 'quidam in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves.' Ovid. Am. lib. II. El. 6. vs. 61. 'Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro.' Amm. Marc. XIX. 12. 'Parnasius ... pulsus est in exsilium, sæpe auditus antehac retulisse:' id. XX. 7. 'accepta fide, quod redire promitteretur incolumis:' id. XXIII. 6. § 63. 'civitates tres solas habere noscuntur:' id. XXIV. 6. § 15. 'ignoratus ubique, dux esset an miles magis.' M. Anton. phil. in Ep. apud Spart. in Clod. Alb. 10. 'mihi exanimis prope jam nunciatus est.' Lamprid. Heliog. 14. 'quando eidem nunciaretur consobrinus occisus.' *J. B.*

Thymelicum] Ed. Vic. *Tim.* Ms. D'Orv. *achim.* De choragio Thymelico vid. Rittershus. ad Salvian. comm. p. 62. et cf. Ind. *Idem.*

Tragœdi syrmate histrionis] Sic in Aldina ed. et Bas. 2. aliquo saltem cum sensu legi visum. Romæ est, *Gragidii syrmatæ histrionis:* in Bas. 1. *Tragidii Sirmati histr.* Aliquid aliud latet fortassis, quod necdum indagare potuimus. Certe perplexissimus hic totus locus est. *Colv.* Nihil planius ista lectione. Ait *tragœdi histrionis*, quia tragicorum histrionum ornamenta erant σύρματα, στατοὶ, ξύστιδες, et χρυσόπαστα, id genus ἱμάτια personis apta, quas ipsi sustinebant. Valerius in Phormione: 'Quid hic cum tragicis versis et syrma facis?' Valerius Maxim. l. VII. 'togam velut tragicam vestem in foro trahens.' Frustra igitur sunt, qui hic mendum suspectant. Qui etiam in eo gravissime errant, quod ex Luciani loco quodam male intellecto, mimorum centunculos cum ornamentis tragicis confundunt. Sed hæc alterius loci. *Casaub.* Rom. *Gragidii s. h.* vide Casaubon. Ro. *crotalumve ad T. o.* Flor. 2. *crocota ad orgia:* male. *Elmenh.* Salmas. ad Pall. Tertull. legit et distinguit *Tragœdi Syrmate, histrionis crocota, Mimi centunculo.* Casaubonus altera lectione nil planius agnoscit. *Pric.* Pro *Tragœdi* in quibusdam libris esse *Gragidii* obiter monet Schottus Nod. Cicer. IV. 10. et revera exstat ita non solum in Edd. Rom. Vic. Junt. pr. sed et in Mss. D'Orv. et Pith. *Gragidi.* Ed. Bas. pr. *Tragidiis.* Sed hæ meræ sunt librariorum aberrationes; uti et quod in Edd. Bas. legitur *syrmatæ:* quod etiam Rutgers. infra conjecit *Thargeliis*, illud vix cuiquam placere posse putem. Recte autem Bourdelot. apud Pric. distingui jussit post *syrmate*, quum antea poneretur comma post *histrionis:* nam licet *histrionem* tam tragœdiæ, quam comœdiæ actorem dici posse non negem, sæpius tamen 'pantomimi,' 'histriones,' et 'mimi,' junguntur diversi a tragœdis, ut Arnob. l. IV. p. 151. Noster Flor. N. XVIII. 'tragœdus vociferatur; funerepus periclitatur; præ-

stigiator furatur; histrio gesticulatur:' ubi cf. Oudend. Tertull. de Spectac. 25. 'Tragœdo vociferante... et inter effeminati histrionis modos.' Sueton. in Cal. c. 54. 'quo minus et tragœdo pronuncianti concineret, et gestum histrionis... palam effingeret:' quem locum debeo Salmasio ad Vopisci Carin. cap. 19. docenti *histrionem* passim dici de παντομίμῳ et saltatore, ac distingui a Tragœdo. Erat etiam histrionum vilior conditio, viliores etiam mores (cf. infra p. 522. Elmenh. ad Arnob. l. VII. p. 239.); et eorum in primis erat feminarum gestus exprimere (vid. omnino Lactantii loca cit. ab Elmenh. l. c.): quare recte histrioni tribuitur *crocota*, quod feminei vestimenti genus est. Vid. ad Met. lib. VIII. p. 579. b. Nihilominus pro *crocota* in Edd. Rom. Vic. Junt. pr. Bas. pr. legitur *crotalumve*, in reliquis *crotalove*, nisi quod Florid. Bourdelotii conjecturam expresserit *crotalo ut*. Nihil sane frequentius est quam in tali re, in primis ubi de Bacchi festis sermo est, *crotali* mentio: sed præcessit et sequitur vestimenti genus, *syrma* et *centunculus;* quare et hic vestimenti genus requiri videtur. Verum quod rem extra omnem dubitationem ponit, est, quod ducunt eo Mss. quorum quidem Florent. duo et D'Orv. diserte præbent *crocota:* quam adeo lectionem primus expressi, munitus auctoritate Salmasii ad Tertull. Pall. pag. 324. Gronovii in Syllog. Epp. t. II. p. 529. Oudendorpii ad Met. l. VIII. p. 772. *J. B.*

Tragœdi syrmate histrionis, crotalove ad Tr. O. mimic.] Mendosissimus certe locus. Primum in priori membro ludorum nomen requiri facile videbit is, qui in posteriori *Orgia* legerit. Deinde quid est, *mimi centunculus?* Aut cui is in Trietericis bono? In Romano ἀντὶ τοῦ *Tragœdi*, legitur *Gragidii*. Certe legendum est *Thargeliis*, et pro *mimi*, legendum *hinni*. Hoc enim vult. Thargeliis, quod celeberrimum Apollinis festum fuit, ludos scenicos in ejus Dei honorem, itemque choros celebrabant. Choragorum, qui iis præerant, munus erat, eos omnibus iis instruere, quibus ad apparatum opus erat: cum tamen iis ipse non uteretur. Hoc ergo dicit, quod Orator dicit: speculo me abuti objicis, ideo quia domi habeo. Quod perinde est, ac si, cum choragum scenicis vestibus instructum vides, eum Thargeliis in scena histrionem agere, aut in choris Crotalo, aut in Orgiis Nebride uti dicas. Neque enim necesse est, ut, si quid possideo, eo utar. Potest Socrates possidere Sicyonia, quibus tamen non induetur. Eleganter autem *hinni centunculum* τὴν νεβρίδα vocat, qua induti Bacchantes orgia celebrabant. De quo quia pleni sunt Græcorum commentarii, non est, quod hic pluribus mihi agendum sit. Totus igitur locus sic concipiendus est: *Quid enim, si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam, uti me consuesse Thargeliis syrmate histrionis, crotalove? ad Trieterica orgia, hinni centunculo?* Rutgers. Illa *ad Trieterica orgia*, itemque *aut* quod ante *mimi cent.* inseruit Cas. cum Pric. et Flor. penitus expungenda censet Salmas. l. supra cit. et Epist. 80. cum Gronovio Syll. Epp. tom. II. p. 529. utpote Glossamenti vice adposita τῷ *crotalo*, quod depravatum fuerat ab eo, qui quid esset *crocota* nesciebat. Malim utique hoc quam locum amplius interpolare; quod fecit Rutgers. Et sane in Mss. quorum excerpta ad nos venerunt τοῦ *Trieterica* ne vestigium quidem apparet; et Pith. quidem *croco orta argia num centuule* vel *centiute:* unde forsan simpliciter legendum *histr. crocota, atque mimi centunculo:* nam inter τὰ *crocota* et *mimi* vocabuli alicujus vestigia in Mss. adsunt. Antiquissimæ tamen Edd. servant *Trieterica*, quod propterea penitus ejicere non ausim.

Interim, quo minus putem *τὰ ad Trieterica orgia* pertinere ad *τὰ histrionis crocota* facit Auctoris nostri consuetudo, quam fere ad fastidium usque affectat, periodum in paria membra partiendi, aut in longiore membro eam claudendi, quo numerosior fiat oratio. Quare aut a mala manu sunt ista *ad Trieterica orgia*, aut scripsisse Appuleium existimo *tragœdi syrmate, histrionis crocota, vel ad Trieterica orgia mimi centunculo*. *Crotalove* est in Edd. antiquissimis, unde detractam ultimam syllabam mutavi in *vel*. Bourdelotii conjecturam *ut ad Trieterica orgia, aut m. c.* expressit Flor. *J. B.*

Centunculo] Nam histrionicæ vestes e centonibus variis pannisque nihili et attritis olim conficiebantur. Lucianus Epistolis Saturnalitiis: 'Ολόχρυσον μὲν τὰ ἔξω, κατάῤῥαφον δὲ τὰ ἔνδον, ὥσπερ αἱ τραγικαὶ ἐσθῆτες, ἐκ ῥακῶν πάνυ εὐτελῶν συγκεκομμέναι. *Colv.* *Tragœdi syrmate histrionis*] Fœnum esse oportuit qui vocem, *Syrmate*, hic sollicitaverunt, quum nihil sit magis proprium. Vopiscus in Carino de Jun. Messala loquens: 'Matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: et recte, si aviæ pallio aurato atque purpurato pro Syrmate Tragædus uteretur.' Martialis lib. II. Epigr. 49. 'Musa nec insano Syrmate nostra tumet,' id est, longa et tracta oratione, qualis est Tragædorum vestis. Idem lib. XII. cap. 96. 'Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos, Aptasti longum tu quoque syrma tibi.' Et ibi doctus Domitius illud Valerii notat: 'Quid hic cum Tragicis versibus et syrma facis?' et Juvenalis, 'Syrma vel Antigones,' id est, Tragœdia Accii cui nomen Antigona. *Scip. Gent.* *Crotalove*] Scholiast. Aristoph. Νεφέλ. Κρόταλον κυρίως ὁ σχιζόμενος κάλαμος ὁ κατασκευαζόμενος, ἐπίτηδες ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσὶ καθάπερ κρότον ἀποτελῶν. Eustath. in Homer. 'Ιλιάδ. λ. Κρόταλά εἰσι σκεύη τινὰ ἐξ ὀστράκου τυχὸν ἢ ξύλου, ἢ χαλκοῦ, ἃ ἐν χερσὶ κρατούμενα. θορυβεῖ. Joan. Sarisburiens. (aut profecto verius Scholiastes ejus) 'Crotala sunt sphærulæ sonoræ, quæ quibusdam granis interpositis, pro quantitate sui, et specie metalli, varios sonos edunt.' Vide quam ab invicem differant hi Magistri. Et certe in veteris Musices instrumento nil ignotius occurrit, sive formam, sive materiam spectes, sive quatiendi modum. Mitto de prioribus dicere: libet heic de modo quærere: nimirum quo discrimine a sistrali agnosceretur. Nam quæ de utroque hac parte legi, adeo consimilia sunt, ut quid quo loco subintelligam, vix dicere habeam. Rem illustratum eo scriptorum commissione. Noster describens *Sistrum* in pompa Isidis, Miles. XI. 'Æneum crepitaculum' vocat, 'cujus per angustam laminam in modum baltei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonorem.' Plutarchus de Isid. et Osir. Τῇ ἀψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα, κάτω δὲ ὑπὸ τὰ σειόμενα, πῆ μὲν Ἴσιδος, πῆ δὲ Νέφθυος πρόσωπον. Ex Scriptoribus his (ut id obiter dicam) conjunctis, en exactam *Sistri* deformationem, qualemque nuper vidimus in Italia cusam, e Musæo Francisci Gualdi Ariminensis Equitis; omnium, quotquot uspiam pictas vidi, longe optimam eam, et (ut puto) non pessimo consilio heic oblatam tibi. [Sequitur in Ed. Pricæi delineatio sistri.] At in viam e diverticulo. Vides in *Sistri* concussione *crispans brachium*; jamque Virgilius audi ut *Crotalistriam* describit: 'Copa Syrisca caput Graia redimita mitella, Crispum sub crotalo docta movere latus: Ebria formosa' (scribe *fumosa*) 'saltat lasciva Taberna, Ad cubitum raucos excutiens calamos:'

quæro hoc loci quid est 'crispum latus,' scilicet an alios motus signet ab Appuleii 'crispante brachio,' et χειρονομοῦντι πήχει Epigrammatarii. Habes en nodum sensu meo vindice non indignum, eo magis, quod et Salmasius et Scaliger eum integrum liquere. At ne videar controversia mota hoc argumentum deserere, aut aufugere (ut cum Plauto loquar) tragula injecta; doctissimi Bourdelotii super hac re, atque adeo præsenti Authoris loco sententiam depromam, eamque ipsius verbis meo more appingam. Locum infirmum (inquit) præstantissimi Medici judicarunt, et varie illius curam aggressi sunt: quidam amputatione sanatum crediderunt, sed simplex luxatio est. repono, *Tragædi syrmate, histrionis crotalo, ut ad Trieterica Orgia, mimi centunculo.* Nullus autem inter Grammaticos dissensus est, si quidem quisque varias *crotali* materias designat; Appuleius *æs*, ut et Sarisburiens. Eustath. ὄστρακα. Prioribus convenit Martialis non semel, ubi agit de Bæticis crumatibus. Cum Eustathio Aristophanes Βατράχ. ποῦστιν ἡ τοῖς ὀστράκοις αὐτοῦ κρατοῦσα; Juvenalis Sat. XI. 'Audiat ille Testarum crepitus cum bombis.' Lege D. Hieronym. Præfat. in Sophoniam. Quod autem quæritur quid sit 'crispum latus,' nihil aliud est quam motus obscænissimus clunium, quo 'Jam frigidus ævo Laomedontiades, et Nestoris hernia possit Incendi.' Juvenalis, unicus hujus moris interpres, ead. Satyr. 'Plausuque probatæ Ad terram tremulo descendant clune puellæ.' Loquitur enim de Ambubaiis et Gaditanis, quæ nunc etiam in his motibus doctissimæ: 'lumbum fluctuantem' dixit obscænus vates, et Veteres *fluxum* vocaverunt: sic in Juvenalis illo Sat. VI. 'Medullinæ frictum,' Codd. nonnulli *fluxum*, quanquam idem est. Et in *Pantomimo*, Epigrammatum Vett. lib. IV. ubi vulgo: 'Mascula fæmineo derivans pectora sexu.' Codex V. C. Salmasii habet *fluxu* rectissime, aut *flexu*, quod non alienum est. *Pric.*

Trieterica Orgia] Id est, Bacchi sacra triennalia, quod triennio quoque instaurentur. Virgilius: 'ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia.' Qui locus me admonet, ut in hoc Appuleii loco Crotalum dici putem cymbalum, quo Bacchæ Deo suo hilaritatis caussa proludebant, ut in pulcherrimo antiquitatis monumento apparet, gemma Christianissimi Regis Henrici IV. ab inclyto Casaubono edita in libris de Satyra: et fronti Commentarii in Persium præfixa. Quærat hic aliquis, cur Appuleius in Choragio sive instrumento thymelico scenicove crotalum ponens addiderit hæc verba *orgia trieterica.* Quid enim sacra Dionysia ad scenam et fabulas? Nam crotalum quidem in scena et dramatis usurpari solitum docet descriptus a me paullo ante ex veteri Scholiaste locus: sed hæc de ludis Dionysiacis intelligenda sunt, in quibus apparatus a choragis instruebantur, unde apud Græcos passim legitur ἠγωνίσαντο χορῷ παιδῶν aut χορῷ ἀνδρῶν, et apud Demosthenem χορηγεῖν παισὶ Διονύσια, ut docet idem eruditissimus amicus noster lib. I. Satyrica poësi, cap. 2. Aptissime autem Appuleius Tragicæ scenæ et σκευῇ adjungit instrumenta et ludos Bacchi, in qua Satyri et Sileni, ejus Dei famuli, olim immixti ad temperandam jocis et lusibus tragœdiæ austeritatem: sicuti et mox mimos. Marius Victorinus lib. II. 'Hæc apud Græcos metri' (Iambici) 'species frequens est, sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed satyros inducat ludendi jocandique caussa, quo spectatoris animus inter tristes res Tragicas Satyrorum jocis relaxetur.' Et quum trina essent Athenis liberalia, totidem fabulæ agi solitæ, quarum duæ Tragœdiæ, pos-

trema Satyrica erat. Scaliger I. de emendat. temp. Sic Dionysiaci artifices a Græcis dicti Scenici, quasi Dionysio, id est, Baccho sacri: teste Gellio et aliis. *Scip. Gent.*

Ut res est] Rom. *ubi res est.* Quod forte erat scribendum, *uti res est.* Sed de Deo Socratis: 'Et perinde, ut res est, admirari, cur non etiam animum suum ratione excolant.' Plautus Merc. 'Nunc si dico, ut res est, atque illam mihi me Emisse indico.' *Colv.* Cf. de Mundo p. 731. Ed. Flor. et adi Oudend. ad Met. lib. II. p. 169. b. a quo cit. Gronov. de Pec. Vet. lib. III. cap. 17. hunc quoque locum affert, qui tamen, vulgari sensu si capias, non satis planus est. Notat enim *ut res est*, vel, ut res nata, sive comparata est, vel, ut revera est. Credo εἰρωνικῶς h. l. intelligendum esse, quemadmodum apud Arnob. lib. VII. p. 239. 'Delectantur' (sc. Dii), 'ut res est, stupidorum capitibus rasis:' ubi respondet præcedenti *nimirum*: 'Mimis nimirum Dei gaudent.' Gruter. Suspic. Ined. XX. 12. suspicatur *ut ut res est*: quod non opus tamen: nam ita explicari quoque possit ipsum illud *ut res est.* Cic. ad Div. XVI. 18. 'Sed ut est:' pro *utut est*: ubi vid. Græv. et Gronov. Obs. III. 6. extr. cf. Ernesti in Cl. Cic. sic *ubi* pro *ubiubi* apud Cic. Tusc. Qu. I. 29. quare de Deo Socr. p. 696. Ed. Flor. veterem lectionem *ut ista sunt* mutare non debueram: jubente quamvis Oudend. Pro *quoniam ut* Ms. Pith. *quin non.* J. Bos.

PAG. 423 *Cereris mundum*] Sic illa vocat, quare mystæ Cereris Eleusiniæ adservabant in cistis mysticis. Clemens Alexandrinus in Protreptico, οἷα δὲ καὶ αἱ κίσται αἱ μυστικαί· δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπεῖν. οὐ σησάμαι ταῦτα καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χονδροί τε ἁλῶν, καὶ δράκων, &c. vide Arnobium lib. V. *Casaub.* Vide quæ dixi ad Minutium fol. 39. *Elmenh.*

Homini nato] Petron. 'En homo quemadmodum natus:' supra heic: 'quid ego de homine nato diutius?' Miles. IX. 'Nil fortuna renuente licet homini nato dextrum provenire.' Plautus: 'Qui suum repetunt, alienum reddunt nemini nato.' Plinius l. IV. Proœmio: 'Hominem genitum.' *Pric.* *Nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam*] Et supra: 'quid ego de homine nato diutius?' ubi Casaubonus notat, Græcum id esse, περὶ ἀνθρώπου φύντος vel πεφυκότος, Cicero, 'qui se hominem meminerit.' Idem puto voluisse exprimere Propertium illo versu: 'Unicuique dedit vitium natura creato.' Id est unicuique homini nato. *Scip. Gent.*

Filiorum cariores esse, &c.] Vide quos laudat Burman. ad Anthol. Lat. lib. II. Ep. 125. vs. ult. Aristænet. lib. I. Ep. 19. τίκτει παιδίον . . . τῷ φύσαντι γνησίμως ἐξεικονισμένον τῇ φύσει. ἡ μὲν οὖν μήτηρ . . . ὑπεραγαπᾷ τὸ βρέφος, στέργουσα διαφόρως, ὡς εὐπρεπὲς, ὡς ποθούμενον παιδίον, καὶ ἐμφερὲς ὡραιοτάτῳ πατρί. qui locus notabilis quoque, quia ibi φύσις de oris habitu occurrit, quo sensu φυὴν utique nondum se reperisse testatur Heynius ad Hom. Il. A. vs. 115. *J. B.* *Filiorum chariores esse, qui similes videntur*] Hinc illud Ciceronis, 'effigiem atque imaginem corporis et animi mei,' de filio. Symmachus Epistola IX. 'Non vultus aut color asserit posteros in honorem parentum. Certiores habet natura vindicias bene sentiendi, ac bene loquendi. Gignuntur, non scribuntur heredes. Quod alii docentur, hic natus est.' *Scip. Gent.*

Imagines effigiatæ] Macrob. Saturnal. lib. V. cap. 17. 'Hac materia vel maxime in efficiendis simulachris utuntur:' putabam (summa injuria) τὸ *efficiendis* stribiliginem fuisse: per

hoc reponere gestiebam *effigiandis*: jam ineptisse me video, et Macrob. probe loquutum esse. Fabius l. XII. cap. 10. 'Phidias Diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur.' Cod. Theod. l. ult. de artif. 'Efficiendos sacros vultus.' *Pric.*

Nisi forte] Male acceptus locus. Ego sic restituo: *Si forte q. a. e. l. h. hoc a natura o. c. j. e.? cum sit ab ea vel m. m. e. f. e. s.* Confer cum vulgata lectione emendationem nostram, simul perpende totam πραγματείαν istam, dices nonnihil locum hunc debere nobis. *Pric.* Formulam *nisi forte* Nostro in hac. Apol. familiarem sollicitare non debuerat V. D. Supra p. 409. 'Quæso, quid habent isti versus ... quod Philosophus suum nolit videri? nisi forte in eo reprehendendus sum:' infra p. 453. 'Quid ... competit ad amoris ardorem accendendum ... res pelago quæsita? Nisi forte hoc vos ad mendacium induxit.' p. 500. 'eam deformitatem ... passum in cubiculo suo Quintianum? nisi forte Crassus non in cubiculum reversus perrexit.' cf. et p. 511. (Belg. *of het mœst misschien zijn, dat, &c.*) J. B.

In ea] Cum facilitas et similitudo vel magis sit miranda in ipsa natura, quam in artis operibus. Neque hic sequor Pricæum, legentem *ab ea*. Idem.

Diutino] Sic constanter Edd. ante Scalig. qui, quod marg. adleverant Groslot. et Vulc. in hujus Ed. tert. exhibuit *diutina*, quem secure secuti sunt seqq. exceptis Gentile et Pricæo. *Diutino* sane nusquam me legere memini: apud Nostrum occurrit *diutule* et *diutine*, non *diutino*, quod tamen, quia h. l. cum Edd. vett. præbent Mss. (nisi quod in Pith. sit *durutino*, in D'Orv. *diurno*) non ausim Auctori abjudicare, qui amat adverbia in *o*. vid. Ind. cf. Colv. infra ad p. 483. ubi tamen Mss. et Edd. constanter *diutine*. Sed quidni recte dicatur *diutino* scil. *tempore*, ut plene extulit Noster Met. lib. v. p. 327? Sequens quoque adverb. *æque* h. l. adverbium suadere videtur. *Idem.*

Vigor] Florid. I. eod. argum. 'Utique omnibus statuis, et tabulis, et toreumatis, idem Vigor acerrimi bellatoris.' Vim vocis explicant Ausonii illa in Mosella: 'Quique sub amne suo mansit vigor, aëre nostro Segnis, anhelatis vitam consumit in auris:' loquitur de pisce capto, et in littore abjecto. *Pric.*

Rigor] Senec. in sap. non cad. injur. cap. 3. 'Quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conservant.' Videtur vox hæc deprompta e Stoicorum Philosophia. Eam qui colebant sectam, aiebant animam non in utero concipi, sed effuso, necdum vivo partui, extrinsecus imprimi. Tertullian. de Anima cap. 25. 'Semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum, dixerunt compinguescere in solam' (lege *solidam*) 'carnis substantiam; eam editam et de veteri fornace fumantem, et calore solutam, ut ignitum ferrum ibidem frigidæ immersam, ita aëris rigore percussam, et vim animalem rapere, et vocalem sonum reddere.' En tibi *Rigorem* illum quem thesaurum animæ dixere, adeoque ψυχὴν dictam παρὰ τὴν ψύξιν. Et fors hinc lucem capiet Papinii illud III. Sylvar. 'Animæque supremum Frigus amat.' Lucem, inquam, neque creperam eam, accipiet, de quo hactenus nil interpretes. Porro πόκνωσιν hanc, sive περίψυξιν, (quam et Plato ipse nonnunquam innuit) perstringit Plutarch. περὶ Στοικ. ἐναντ. *Idem.*

Imago mire relata] Unde et Catullus 'imaginosum speculum' dicit. Lucretius lib. IV. 'Quandoquidem speculum quodcunque obvertimus oris Res tibi respondent simili forma atque colore.' *Elmenh.*

Mobilis, et ad omnem nutum hominis sui morigera] Lucretius, lib. IV. pag. 319. 'Indugredi porro pariter simulachra, pedemque Ponere nobiscum credas, gestumque imitari.' *Pric.*

Tot vultus ejusdem lætantis, vel dolentis imitatur] Allusit scriptor eruditus Zeno Veronensis Serm. de Resurr. 'Caro quasi quoddam est speculum intuentis plenitudine gravidatum, quod non tam imaginem suam, quam ejus cujus est in visibus gerit; denique tot efficit vultus, quot ille intrinsecus tristes seu hilares suos fecerit motus.' *Idem.*

Luto fictum] Κυριολεξία. Cicero Pisoniana: 'Homullus ex argilla et luto fictus.' Varro ταφῇ Μενίππου· 'Ut hirundines singulis oblitis luto tegulas fingebant.' Martialis x. 39. 'Ficta Prometheo diceris esse luto.' Gregor. P. Homil. 23. 'Fingere componere est, unde compositores luti figulos vocamus.' Balb. Cathol. 'Figulus, Ollarius, luti compositor: qui lutum confingit.' *Idem.*

PAG. 424 *Cera inustum*] Pith. *c. justum.* Encaustica pingendi ratio significatur. Plin. H. N. xxxv. c. 11. 'Ceris pingere, ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non constat:' vide etiam Pric. *J. B.* *Cera inustum*] Ausonius: 'Ceris inurens januarum limina, Et atriorum pegmata:' veteris inscript. Fragm. ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ. Vide Salmasium ad Vopisc. et in Plinianis suis ad Solin. *Pric.*

Adsimulatum est] Ita Mss. et Edd. vett. item Scriv. In reliquis per *i.* de quo dictum alibi. Adde jam Burmann. ad Claudian. II. in Rufin. vs. 81. et Burman. sec. ad Lotich. p. 378. et in Add. p. 696. *J. B.*

Imaginis artibus] Num, *imagineis artibus* potius? *Colv.* Si quid judico, luxatus est locus, et restituendus hoc modo: *Tantum præstat artibus, imaginis ad similitudinem referendum, lævitas illa s. f.* Miror hæc hactenus satisfecisse tersissimis auribus magnorum criticorum. *Meurs.* Vere Meursius. *Elmenh.* Perplexa hæc. Colvius tentabat *imagineis artibus.* Meursius, *Tantum præstat artibus imagines ad similitudinem referendam.* Non videtur ex optima Latinitate illud *imagines ad similitudinem referre,* quid quod et vera communis lectio, luxata tantum. Sano omnia, citra vel unius apicis mutationem, scribens *Tantum præstat artibus ad imaginis similitudinem referendam, &c. Artes* sunt, ære infundere, lapide incidere, cera inurere; de queis supra dictum. *Pric.* *Tantum præstat imaginis artibus ad similitudinem referendum*] Sic constanter Mss. et Edd. ante Scriver. qui cum Florido expressit Pricæi conjecturam, nisi quod ille dederit *referendum,* ut est in Ed. Junt. post. et Mss. Florent. et passim effert gerundia noster Auctor. Sane constructio illa *ad similitudinem referendum,* mutanda non fuerat: nam etsi bene monet Drakenb. ad Liv. XL. 49. gerundium participio non esse præferendum, ubi libri hoc plures habeant, ita tamen sine libris auctoribus gerundium in participium non est mutandum, quoniam illius formæ exempla apud optimos scriptores occurrunt: adi Oudend. ad Met. lib. x. p. 708. a. add. Plin. H. N. lib. VIII. c. 40. de cane Titii Sabini: 'ad fidem animalis spectandum.' Aur. Vict. de Vir. Ill. c. 10. 'ad recipiendum in urbem Tarquinios:' ubi vide Arntzen. Porro locum transpositione correxit Pric. quem interim sequor, quia non satis mihi constat, an *artes imaginis* dicere potuerit Auctor eas artes, quæ in repræsentanda et effigianda hominis imagine versantur. Hoc sensu quoque Colv. seu potius Lips. in marg. Bas. pr. volebat *imagineis:* sed tunc a vulgata lectione standum crediderim. Alibi Lips. adlevit *referendis.* J. B.

Lævitas illa . . . splendor opifex] Du-

bitabam de ultima voce, scilicet an eandem analogiam ferret, quam 'Vultus,' 'nodus artifex,' et similia: itaque legebam *Lævitas, &c. splendorifera,* sic 'lumen splendoriferum' carmine de judicio Domini, quod in vulgatis Libris Tertulliani existimatur: 'Solque cadit splendorifero qui lumine clarus:' nimirum lumine cujus splendor oculos ferit; quod etiam male speculo non tribueris, aut alii lævi corpori, splendentique. Doctissimus Bourdelotius, quum sensum ejus de hoc loco quærerem, aiebat ferre se vulgariam lectionem: *splendorem*que heic *opificem* dici; quod quasi *opifex* formam effigiet, quam acutam et ingeniosam expositionem merito promulgandam censui. *Pric.* Arnob. lib. II. p. 55. 'Opifices manus, atque omni genere perfectionis artifices.' *J. B.* *Lævitas illa speculi fabra*] Id est, artificiosa, vel artifex, ut statim, 'Splendor opifex.' Lucretius solet dicere, 'dædala,' eodem sensu. *Scip. Gent.*

Neque pingi, neque fingi] Passim conjunguntur hæc, posterius Statuariam notat. In de Deo Socratis: 'Nescio ut Apelles coloribus pingere, ut Lysippus fingere.' Ammian. Marcell. lib. XXIV. 'Neque enim apud eos pingitur vel fingitur aliud, præter varias cædes et bella.' Macrob. Saturnal. v. 17. 'Pictores, fictoresque.' Lactant. divin. instit. I. 11. 'Sed et pictores etiam, fictoresque imaginum.' Pacat. Paneg. 'Pictorum atque fictorum assequetur imitatio.' Senec. ἀποκολ. 'Qui contra hoc SC. Deus factus, fictus pictusve erit,' &c. Plaut. Asin. 'Neque fictum unquam, neque pictum, neque scriptum in Poëmatis.' Cicero de Alexandro Famil. lib. v. Epist. 12. 'Ab Apelle potissimum pingi, et a Lysippo fingi volebat.' Ibid. de Agesilao nostro: 'Neque minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse.' Subest non leve mendum post tot Interpretes: lege (monente Bourdelotio) *perennis:* firmat tota Epistolæ series, quæ de *perennitate* est. *Pric.*

Diffidens formæ suæ] Observat idem Bourdelotius hoc ex vulgi opinione dictum, nam errorem hunc, seu calumniam potius, elegantissime Dio Chrysost. refellit Orat. Corinthiac. Animum scilicet, quo potissimum conspicui homines, non posse pingi, quæ mens Plotini etiam (Platonis æmuli) fuit, teste in ejus vita Porphyrio: alia etiam utrique ratio, (illi apud Plutarch. huic apud Porphyr.) res ab iis gestas instar omnium imaginum fore. *Idem.*

In argento] Speculo argenteo, argentato. Florid. III. 'Multum argenti in speculis, lancibus.' Super hoc jocus Plauti Mostel. 'Ut speculum tenuisti, metuo ne oleant argentum manus, Ne usquam argentum te accepisse suspicetur Philolaches.' Facit Paulus, l. *Cum auro ff.* Idem Celsus de Aur. arg. leg. *Colv.*

An non Socrates] De quo similiter Diogenes: Ἠξίου δὲ καὶ τοὺς νέους συνεχὲς κατοπτρίζεσθαι, ἵν', εἰ μὲν καλοὶ εἶεν, ἄξιοι γίγνοιντο. εἰ δ' αἰσχροὶ, παιδείᾳ τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν. *Idem.* Galenus in adhortatione ad artes fol. 3. Χρὴ τοίνυν τὸν νέον πειθόμενον τῷ παλαιῷ παραγγέλματι, τὴν ἑαυτοῦ μορφὴν ἐν κατόπτρῳ θεασάμενον, εἰ μὲν καλὸς εἴη τὴν ὄψιν, ἀσκῆσαι τοιαύτην εἶναι καὶ τὴν ψυχὴν, ἄτοπον ἡγησάμενον ἐν καλῷ σώματι ψυχὴν αἰσχρὰν οἰκεῖν· εἰ δ' αἰσχρὸς αὐτῷ φαίνοιτο τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν εἶναι, τόσῳ δὲ μᾶλλον ἐπιμεληθῆναι τῆς ψυχῆς. *Elmenh.*

PAG. 425 *Ut virtutis laude turpitudinem tegerent*] Laërtius: Παιδείας τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν. Lysias (Scipioni notatus,) Τὰ τοῦ σώματος δυστυχήματα τοῖς τῆς ψυχῆς ἐπιτηδεύμασιν ἰᾶσθαι. Senec. Nat. Quæst. lib. I. 'Specula inventa sunt ut homo se ipse noscat: multi ex his con-

sequuntur primo sui notitiam, mox consilium quoddam: formosus, ut vitet infamiam, &c. deformis ut sciat virtutibus redimendum, quidquid corpori defuerit.' Phædrus l. III. 'Quotidie speculo vos uti volo, Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis, Tu faciem ut istam moribus vincas bonis:' similia Galenus Adhortat. ad Art. *Pric.*

Primarium dicendi artificem] Cicero de Orat. I. 'Quæ Græci dicendi artifices, et doctores reliquerunt.' Vide hominem doctiss. Lud. Cressolium Theatr. vett. Rhett. lib. III. c. 1. *Id.*

Ante speculum, quasi ante Magistrum, caussas meditatum] Εἶναι αὐτῷ μέγα κάτοπτρον οἴκοι, καὶ πρὸς τοῦτο τὰς μελέτας ἐξ ἐναντίας ἱστάμενον περαίνειν, tradidisse ex ore ipsius Plutarch. Phalereum ait. Fabius lib. XI. cap. 3. 'Decor quoque a gestu et motu venit: ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat.' Simile quid sonant Themistii ea Orat. XIII. nam quum absentem Imperatorem Constantium laudans, in Senatu causam redderet cur Romam usque non fuisset profectus, ut eum coram præconio ferret, dixit, ἐγγυμναστέον ἔτι καὶ ἐμμελετητέον πρὸ τῆς ἀληθινῆς θέας, ταῖς εἰκόσι καὶ τοῖς κατόπτροις, priusquam ad augustum illud spectaculum accederet, esse obtutum ad specula formandum, componendumque. B. Nazianz. Carm. 63. *speculum* vocat οὐκ ὁρόωντα διδάσκαλον. Non aliter aves quædam edoceri solitæ. Idem de sturnis: Ψῆρες μὲν λαλέουσιν ὁμοῖον ἀνθρώποισιν, Φωνῆς ἀλλοτρίης ζηλήμονες, ἣν ἐδίδαξεν Εἴδωλον ξεστοῖο κατ' εἰσόπτροιο φαενθὲν Ψηρὸς, κρυπταδίην τε ἱεὶς ὄπα κερδαλέως φώς. *Idem.*

Adseveranda] I. e. ad severitatem componenda. *Vulc. in marg.*

PAG. 426 *Philosopho objurganti*] Apposita nimis vox illa *objurganti*. Gellius lib. V. cap. 1. 'Cum Philosophus hortatur, monet, suadet, objurgat.' Idem lib. XIX. cap. 10. 'Cum sententia quidem tali, quali severissimæ Philosophorum esse objurgationes solent.' Iterum de Epicteto Philosopho lib. I. cap. 2. 'Theorematibus nugalibus, ei puerilium Isagogarum commentationibus dilatrantes, objurgatione justa incessuit.' Et ibid. cap. ult. de Plutarchi servo, homine (ut ipsius verbis loquar) nequam, et contumace; sed libris disputationibusque Philosophiæ aures imbutas habente: 'Postremo vociferari inter vapulandum incipit; neque jam querimonias, aut gemitus, ejulatusque facere, sed verba seria, et objurgatoria.' Addam etiam quæ sequuntur ibi, adeo tempestive se objicientia, amplius, in exemplari Coloniensi meo ite fæde interpolata. 'Non ita' (inquit) 'esse Plutarchum, ut diceret Philosophum irasci turpe esse: sæpe eum de malo iræ dissertavisse: librum quoque περὶ ἀοργησίας pulcherrimum conscripsisse. Is omnibus quæ in eo Libro scripta sunt, nequaquam convenire,' &c. Scribe et interpunge: 'Non ita esse Plutarchum ut deceret: Philosophum irasci turpe esse,' &c. Et statim: 'iis omnibus,' &c. *Pric.*

Judices sorte ductos] Κεκληρωμένους. De more ita Asconius II. Verr. 'Quam multi Judices in consilio cum Prætore suo judicaturi essent qui Quæsitor fuisset in causa publica, &c. necesse fuerat eos primum de Curia Senatoria conscribi quum Senatus judicaret: deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset: tertio permitti accusatori et reo, ut ex illo numero rejiciant quot putaverint sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore, &c. rejectione celebrata subsortiebatur Prætor alios, quibus Judicum legitimus ille numerus compleretur.' Hujus argumenti sunt corrupta ea in Isidori Glossis: 'Sortinidus, qui judet per sortem.' Pro *judet*, *judicet* scribendum facile video:

in prioribus comminisci nil possum quo acquiescam. *Idem.*

Profectæ a nobis imagines, &c.] Ita exprimit vocem Græcam Epicuri *ἀπόῤῥοιαι*: Lucretius *texturas* pro ea dixit: quia non solum fluunt de corporibus hæ exuviæ: sed etiam imaginem objectu speculi generant et quasi texunt. Sic ille lib. IV. 'Et quamvis subito quovis in tempore, quamque Rem contra speculum ponas, apparet imago: Perpetuo fluere ut noscas e corpore summo Texturas rerum tenueis, tenueisque figuras.' Sed venit aliquando mihi in mentem Apuleium eo loco legisse *Exuvias* non *texturas*: itaque esse rescribendum: de quo judicent docti viri. *Casaub.* Lucretius eamdem Epicuri sententiam iisdem fere verbis expressit: quo loco pro *texturas*, cupit eruditissimus Casaub. *Exuvias*, quasi et Appuleius ita illic legisset. Mihi videtur par elegantia, et jus in utroque verbo esse; et pariter pluribus utrque exprimere, quas Epicurus *ἀποῤῥοίας* dixit. Lucretii locum imitatus est Quinctil. lib. X. cap. 11. 'Sufficiat virtutis imaginem effingere, et solam, ut sic dixerim, cutim, vel potius illas Epicuri figuras, quas e corporibus summis dicit effluere.' *Scip. Gent.* Corrigendus per occasionem Lucretii locus, e quo hic Apuleii adumbratus lib. IV. Casaubonus quoque meudum censet, et probo: sed *extutas* lego ad ductum litterarum. *Extutæ* pro *Exdutæ*. Nam, ut notum, librarii D et T inter se commutant plerumque, nullo discrimine. Jam *exdutas* dixisse veteres, quæ posteriores *Exuvias*, ex Festi schedis accipimus. *Meurs.* Hunc Epicuri locum ab Apuleio mutuatus videtur Macrob. lib. VII. Saturn. cap. 14. Apuleius autem sua illa e Lucretio adumbravit lib. IV. *Brant.*

Quum læve aliquid] Observandum est, hic Appuleium agere non de ratione videndi, neque oculorum in genere, sed proprie de visu et simulachris, quæ a speculo redduntur. Nam visus quomodo fiat extra speculum ita ex Epicuro docet Aul. Gellius lib. V. cap. 16. 'Epicurus adfluere semper ex omnibus corporibus simulachra quædam corporum ipsorum, eaque sese inferre, atque ita fieri sensum videndi putat.' Plutarchus de Placitis Philosophorum lib. IV. cap. 13. Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, κατὰ εἰδώλων εἰς κρίσεις ᾤοντο τὸ ὁρατικὸν συμβαίνειν. nullam hic reflectionis illius, quæ a speculo in oculos fit, mentionem vides, item reciprocationis imaginum ab oculis in speculum, ita ut eæ in speculo controversim respondeant. Quod ita eodem libro cap. sequenti Plutarchus exponit, τὰς κατοπτρικὰς ἐμφάσεις γίνεσθαι κατ' εἰδώλων ὑποστάσεις, ἅτινα φέρεσθαι μὲν ἀφ' ἡμῶν, συνίστασθαι δὲ ἐπὶ τοῦ κατόπτρου κατὰ τὴν ἀντιπεριστροφήν. Quæ verba interpretatus hic videtur Appuleius, clarissime et elegantissime, at Plutarchi interpres obscure et mutile hæc eadem vertit. *Scip. Gent.*

Mediis oc. proliquati] Respicit illa Platonis in disputatione de visu, ὥστε τὸ μὲν ἄλλο ὅσον παχύτερον στέγειν πᾶν· τὸ τοιοῦτο δὲ μόνον αὐτὸ καθαρὸν διηθεῖν. *Casaub.*

PAG. 427 *Atque ei uniti*] Sic legi debet, vel, ut Colvio visum, *inuniti*. Vulgo, *atque muniti.* Plato ibidem: τὸ τῆς ὄψεως ῥεῦμα, τότε ἐκπῖπτον ὅμοιον πρὸς ὅμοιον ξυμπαγὲς γενόμενον, ἓν σῶμα οἰκειωθὲν ξυνέστη. similia mox ubi tractat περὶ τῆς τῶν κατόπτρων εἰδωλοποιΐας. *Idem.* Fulvius *uniti*, alii *ei uniti*, quæ vera lectio est: nam Plato ex oculis radios profluere ad aliquod spatium in aërem cognatum, atque ex corporibus contra etiam lumen in eum aërem concurrere, atque ita misceri atque uniri aërem, qui in medio est, diffusu ac conversu facilem esse, in ignea visum eum penetrare. Quam Platonicam συναύγειαν vocatam esse, Plutarchus ait. Quare de ratione

omni visus Plato scribit, cui mox adjungit eam, quæ oritur ex speculo. *Scip. Gent.* *Inuniti* malim, ut sæpe in Asino. *Brant.* *Atque ei uniti.* Ita Pythæus et Fulvius. Flor. 2. *atque ita uniti*, vel, *atque ei muniti.* Elmenh. Ita Libri, et potior Expositorum pars: magis Africanum puto *inuniti*, ἑνωθέντες. Tertullian. contra Valentin. cap. 29. 'Triformem naturam primordio professi, et tamen inunitam in Adam.' *Pric.* Quod in Edd. ante Vulc. sec. exstat *muniti*, prorsus nihili est: quod viderunt Fulv. et V. D. in marg. Ed. Junt. post. legentes *uniti*, cum Salmas. qui in Ed. Vulc. τὸ *m* calamo delevit. Non opus sane τῷ *ei*, quod, cum *uniti*, margini adscriptum a Vulcanio, dein exhibitum in ejus Ed. tert. item Cas. Elm. Wow. Scip. Gent. Pric. Flor. Primam tamen litteram τοῦ *muniti*, pro nihilo non habendam censuerunt Lips. in marg. Colv. et Brant. divinantes *inuniti*, quam vocem, firmatam a Priczeo auctoritate Tertulliani, admisi cum Scriverio. *Inunare* profert etiam Du Cangius pro *adunare*. In Codd. manu exaratis *muniti* et *inuniti* distingui vix possunt; atque adeo quod in Ms. D'Orv. exstat h. l. *inmiti*, nihil scriptura differt ab *inuniti*. Addita per epenthesin compositis præpositio *in*, prorsus est ex more Appuleiano. cf. ad Met. lib. VIII. p. 559. b. quemadmodum passim hæc præpositio, ut Gr. α, in compositis aut negativam aut intensivam vim habet, cf. Voss. Lex. Etym. V. *in*. nisi potius dicendum, eam non tam intendendi vim habere, quam plane otiosam vacare, ut censet Heynius V. Cel. ad Virg. Æn. XII. vs. 1.' Appuleius sane sæpissime istiusmodi compositis utitur, licet significatione nihil differant a simplicibus verbis: adi Oudend. ad Met. lib. II. p. 135. a. Quod autem Brantius ait ipsum illud *inunire* in Metam. libris sæpe occurrere, id falsissimum est: sed ob oculos eum habuisse puto locum lib. VIII. p. 545. ubi Oudend. monuit sejunctim legendum esse *in unita*, ut excudi jussit Cel. Editor: et ibi Mss. constanter habent *munita*, quemadmodum Met. lib. XI. p. 811. ubi simplex *unitus* occurrit. Alibi in nostro scriptore id legere me non memini. Verum in Ed. Vic. est *ita muniti*: quod clare exstat in Mss. Pith. et duobus Florent. sed in his *uniti*. Sed tum requiri videtur *ei*: quare et *ita* corruptum censeo ex prima syllaba verbi *inuniti*; nam in D'Orv. non comparet, et Ms. Pith. non est ex vetustissimis. *J. B.*

Uti Plato arbitratur] Timæo, cujus ibi verba: Ἐκ γὰρ τῆς ἐντὸς, ἐνός τε αὖ περὶ τὴν λειότητα ἑκάστοτε γενομένου, καὶ πολλαχῇ μεταῤῥυθμηθέντος, πάντα τὰ τοιαῦτα ἐξ ἀνάγκης ἐμφαίνεται, τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον πυρὸς τῷ περὶ τὴν ὄψιν πυρὶ, τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν ξυμπαγεῖ γιγνομένῳ. Ex hoc loco legerim paulo ante, *mixti atque inuniti*. Colv.

Oculis profecti] Sic etiam supra proxime, 'profectæ a nobis imagines:' longe non abest tamen quin *projecti* et *projectæ* reponam: nam et Plato, et Heliodorus Lariss. eodem argum. παραβάλλων. et respondent oppositæ voces *rejectare* et *reficere*, quod aiunt specula facere post recepta simulachra. Lucret. 'Assiduo crebroque repulsa Rejectæ reddunt speculorum ex æquore visum.' Id. 'Nostros oculos rejecta revisit.' Basil. Scholast. 'Figura Qualem rejectat speculi nitidissimus orbis.' *Pric.*

Ut Architas putat] De Architæ hac sententia nihil reperi vel in Laërtio, vel in alio auctore. Sed Pythagoræ, et discipulorum eadem fuit sententia. Plutarchus eodem loco περὶ κατοπτρικῶν ἐμφάσεων· Οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου, κατ' ἀντανακλάσεις τῆς ὄψεως· φέρεσθαι μετὰ γὰρ τὴν ὄψιν τεταμένην, ὡς ἐπὶ τὸν χαλκὸν, στείχουσαν δὲ πυκνῷ καὶ λείῳ πληχθεῖσαν ὑποστρέφειν αὖ τὴν ἐφ' ἑαυτὴν,

ὁμοιόν τι πάσχουσαν τῇ ἐκτάσει τῆς χειρὸς καὶ τῇ ἐπὶ τὸν ὦμον ἀντεπιστροφῇ. Quæ itidem verba ante oculos vel in mente habebat magni Plutarchi magnus nepos orator hic noster. *Scip. Gent.*

Aëris fracti] Sic emendavit ante nos idem Pithœus. Vulgo erat, *veris facti*, vel, *viris facti*, ut in Rom. Edit. Asserit hanc lectionem Lucretius, agens de hac eadem re: 'Post extraria lux oculos perterget, et aër Alter, et illa, foris quæ vere transpiciuntur.' *Colv.* Petri Pithœi viri doctissimi, et cui æternum hæ nostræ literæ ac Juris scientia debebunt, est hæc emendatio: nam omnes libri hic corrupti sunt. Plutarchus in Placitis ex Chrysippo vocat *συνέντασιν τοῦ μεταξὺ ἀέρος νυγέντος*, ut de tanti viri correctione nemo dubitare debeat. *Casaub. Ut Stoici rentur.* Quorum princeps Chrysippus, cui hanc sententiam adscribit ibidem Plutarchus: *Χρύσιππος, κατὰ τὴν συνέντασιν τοῦ μεταξὺ ἀέρος ὁρᾷν ἡμᾶς, νυγέντος μὲν ὑπὸ τοῦ ὁρατικοῦ πνεύματος, ὅπερ ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ μέχρι τῆς κόρης διήκει, μετὰ δὲ τὴν πρὸς τὸ παρακείμενον ἀέρα ἐπιβολὴν ἐντείνοντος αὐτὸν κωνοειδῶς, ὅταν ᾖ ὁμογενὴς ὁ ἀήρ. προχέονται δὲ ἐκ τῆς ὄψεως ἀκτῖνες πυριναὶ, οὐχὶ μέλαιναι καὶ ὁμιχλώδεις· διόπερ ὁρατὸν εἶναι τὸ σκότος.* Ita autem Cl. Pithœus in Adversariis suis hunc locum Appuleii recte et acute emendarat. *Scip. Gent.* Venetus et Rom. et Flor. *veris facti:* inepte. *Elmenh.* Duplicem esse veterum philosophorum sententiam de speculo, atque adeo omni videndi ratione, ait Appuleius: quorum alii, ut Epicurei, imaginibus illud fieri, alii, radiis, arbitrantur. Duplicem hanc opinionem respiciunt etiam aliorum scriptorum loca. Cic. ad Att. II. 3. 'Si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valde laborarent εἴδωλα in angustiis: nunc fit lepida illa ἔκχυσις radiorum.' Seneca Nat. Qu. II. 5. 'De speculis duæ opiniones sunt: alii enim in his simulacra cerni putant, id est, corporum nostrorum figuras a nostris corporibus emissas ac separatas: alii imagines aiunt non esse in speculo, sed ipsa adspici corpora, retorta oculorum acie, et in se rursus reflexa.' Isidorus Orig. XI. 1. 'Visum fieri quidam asseverant aut externa ætherea luce, aut interno spiritu lucido per tenues venas a cerebro venientes, atque penetratis tunicis in aërem exeuntes, et tunc commixtione similis materiæ visum dantes.' Arnob. adv. Gent. l. II. p. 46. 'Radiorum et luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent, et nostris in pupulis sidant.' Id. l. III. p. 110. 'radiis aut imaginibus cernere, aut, quod oculis commune est omnibus, sine alterius luminis commixtione nihil omnino conspicere.' Lactant. de Opif. Dei cap. 8. 'Ne forte existimes, aut imaginum incursione nos cernere, (ut philosophi dixerunt,) quoniam videndi officium in eo debet esse quod videt, non in eo, quod videtur; aut intentione aëris, cum acie, aut effusione radiorum, quoniam, si ita esset, tardius, quam oculis advertimus, videremus, donec intentus aër cum acie, aut effusi radii, ad id, quod videndum esset, pervenirent.' Heronis fragm. Latine versum apud Schneider. in Eclog. Physic. Vol. II. p. 227. 'Optica sane rerum naturam non inquirit, nec investigat, an defluxiones ad corpora defluentes emissitiis e visu radiis fiant, an vero simulacra emanantia ab iis, quæ sensu percipiuntur, in visum ingrediantur occurrentia, aut simul extendatur aut simul nutriatur, qui medius intercedit, aër.' Jam vero, (ait noster Auctor,) qui imaginibus cerni putant, in speculo illud ita fieri arbitrantur, ut 'imagines . . . a corporibus manantes, cum læve aliquid et solidum offenderunt, illisæ reflectantur, et retro expressæ contra versum respondeant:' qui vero in radiis videndi facultatem esse cen-

sent, illud in speculo ita effici existimant, ut 'radii . . . cum alicui corpori incidere spisso et splendido et lævi, paribus angulis, quibus inciderant, resultent ad faciem suam reduces.' Verum de natura et origine istorum radiorum quum inter eosdem illos philosophos minime constaret, quasi per parenthesin addit Auctor: *seu radii illi sint mediis oculis proliquati, &c. uti Plato arbitratur; seu tantum oculis profecti, &c. ut Archytas putat; seu intentu aëris fracti, ut Stoici rentur.* Exspectes itaque etiam Stoicorum sententiam de natura et origine radiorum ab Auctore proditum iri, et desideres participium, quod respondeat τοῖς *proliquati, profecti.* Habemus tale participium in antiqua et scripta lectione *facti,* quæ tum quoque sententiam Stoicorum de origine radiorum continere videatur, quod scilicet radii *fiant* intentu aëris. Verum hæc sententia Stoicorum non fuit, neque etiam esse potuit. Nam et illi τὰς ἀκτῖνας προχέεσθαι ἐκ τῆς ὄψεως censebant, ut e placito Chrysippi apud Plutarchum patet. Quare quum hac parte Stoici cum Platone et Archyta consentiebant, non necessarium videri potuit Auctori addere, et Stoicos ita sensisse; modo diceret, eos non mixtioni extrarii luminis et radiorum, neque radiis solis per se vim videndi tribuisse; sed judicasse, ad effectum videndi requiri et radios oculorum et intentionem aëris: atque hoc ipsum est quod Lactant. l. c. ait 'intentionem aëris, cum acie,' dum Gellius aiens 'caussam videndi' secundum Stoicos esse 'intentionem aëris,' haud dubie ita intelligendus est: ut tamen radii ex oculis profecti adsint. Acquiesco itaque in emendatione P, Pithœi, quam inde a Colvio expresserunt Editores: ita tamen ut *fracti* jungam τῷ *aëris,* non τῷ *radii,* quod fecisse videtur Floridus, interpretans: *fracti intensione aëris.* Non enim radii franguntur aëre, sed aër frangitur, scinditur, a radiis per eum transeuntibus. Possis etiam suspicari *tacti,* quod propius aliquanto accedit ad scriptam lectionem *facti,* et ad verbum, a Plutarcho adhibitum, ἀέρος νυγέντος ὑπὸ τοῦ ὁρατικοῦ πνεύματος. In Addend. fortasse ad hunc locum redibimus. Interim non inutile forsan fuerit de omni videndi ratione unum addere locum Macrobii Saturn. VII. 14. 'Tria ista nobis necessaria sunt ad effectum videndi; lumen, quod de nobis emittimus, et ut aër, qui interjacet, lucidus sit, et corpus, quo offenso desinat intentio' (radiorum nempe, qui ex oculis profecti sunt) &c. *J. B.*

Corpori, &c. spisso, et splendido, et lævi] In de Deo Socrat. 'Corpore denso, seu lævi, seu quodam speculo.' *Pric.*

Resultent ad faciem suam reduces] Donat. in Adelph. 'Inspiciendi speculi effectus, est formæ per imaginem resultatio.' Gloss. Vindocinens. ineditæ: 'Resultare, similitudinem referre.' *Idem.*

Imaginentur] Ms. Pith. *imagīnt.* i. e. imaginent. Non male: si alii bonæ notæ Codd. addicerent. Solet passim Deponentia active efferre App. et ipsum hoc verbum sic exstat apud Gellium N. A. v. 16. 'Ut speculum in loco certo positum nihil imaginet.' Sed aliter Noster Met. l. VIII. p. 541. 'meos forsitan tibi pestiferos imaginaris amplexus:' et l. XI. p. 808. 'divinos tuos vultus imaginabor.' *J. B. Quod extra tangunt ac visunt, id intra speculum imaginentur.* Opinio Hipparchi. Plutarch. de Plac. Philosoph. lib. IV. cap. 13. "Ιππαρχος ἀκτῖνάς φησιν ἀφ' ἑκατέρων τῶν ὀφθαλμῶν ἀποτεινομένας τοῖς πέρασιν αὐτῶν, οἷον χειρῶν ἐπαφαῖς περικαθαπτούσαις τοῖς ἐκτὸς σώμασι, τὴν ἀντίληψιν πρὸς τὸ ὁρατικὸν ἀποδιδόναι. ex quibus obiter etiam intelligas illud *tangunt,* quod Heliodorus Larissæus ἐπιβάλλειν vocat. ὅτι (inquit) προβολῆς

τινος ἀφ' ἡμῶν γενομένης, ἐπιβάλλομεν τοῖς ὁρωμένοις. In κεφαλ. ὀπτικ. *Pric.*

Cuncta specula vel uda, vel suda] Seneca Natur. quæst. lib. I. cap. 16. 'Quamvis enim eum' (Solem) 'orientem occidentemque contemplari liceat, tamen habitum ejus ipsum, qui verus est, &c. nesciremus, nisi in aliquo nobis humore lævoreve aspici facilior occurreret:' 'Humor et lævor' sunt quæ heic *uda* et *suda*. Idem.

PAG. 428 *Ubi et cur*] *Ubi*, i. e. vel, quo loco, quam longe recedere oporteat a speculo, ut læva cum dexteris permutentur; vel, *ubi* notat, in quibusnam speculis. Seneca Nat. Qu. I. 5. 'Sunt quæ dextras facies ostendant, sunt quæ sinistras, sunt quæ torqueant vel evertant.' *J. B.*

Exadversum Soli] Florid. II. 'Samos Icario in mari modica insula est, exadversum Miletos.' leg. *Mileto*. Terent. 'Exadversum loco textrina erat.' *Pric.* V. ad Flor. N. XV. init. *J. B.*

Appositum fomitem] Scribendum *oppositum*. Casaubonus. Florent. 2. et Rom. *appositum*. Male. *Elmenh.* Recte Casaub. *Oppositum f.* Pric. Casaubonus hic legit: *oppositum fomitem*, non *appositum*, melius, mea quidem sententia. *Florid.* Nec tamen in textum recepit Florid. emendationem Casauboni, quod fecerant Scal. Wow. Elm. Scriv. cum novissima Ed. Bip. Revocavi ego Mstorum et veterem lectionem, *appositum*, quam probat etiam Heinsius ad Ovid. Her. Ep. VII. vs. 100. Speculum, exadversum Soli positum, ei oppositum est: quod si alia res eidem speculo opponatur, Solis radii intercipiantur necesse est. Speculum igitur Soli *opponitur*, sed fomes accendendus speculo *prope ... juxta ... ad ... ponitur*. J. B. *Cur cava specula si ex adversum Soli retineantur, oppositum fomitem accendunt*] Plinius l. VII. c. 106. 'Cum specula quoque concava adverso Solis radiis facilius etiam accenduntur.' *Pric.* *Ex adversum Soli*] Florid. II. 'Samos Icario in mari modica Insula est, exadversum Miletos.' leg. *Mileto*. Terent. 'Exadversum loco Tonstrina erat.' *Idem.*

Nubibus, varie duo Soles] Lego: *nubibus varia, duo Soles*. Brant. Explicat Plutarchus in Libello de facie in orbe Lunæ: ὅταν ἴριδες δύο φάνωσι, et quæ sequuntur. Unde ita scriptura Appuleii distinguenda: *uti arquus in nubibus varii, et duo Soles:* nisi varietatem colorum, non iridum numerum interpretari malis. Vide Aristotelis et aliorum Meteorologica, et Appuleium ipsum, libello de Mundo, et Senecæ Natur. Quæst. *Scip. Gent.* *Varie duos Soles.* Sic Florent. Alii: *varii et duo Soles*. Elmenh. Post Casaub. et Scalig. editum (excepta Elm. Ed.) *varii, et duo Soles, &c.* et facile sane ex ejusmodi scriptura *varī et* fieri potuit *varie*. Nihilominus tam constanter Mss. et Edd. servant *varie*, ut hanc lectionem cum Elmenh. revocandam putaverim, quoniam bonum habet sensum; modo distinguas, non, ut fieri solebat, ante, sed post hanc vocem: ita: *arcus in nubibus varie, duo Soles æmula similitudine visuntur.* Opponuntur inter se *æmula similitudine* et *varie*, i. e. vario colore. Plin. XXXVII. 10. 'Mitrax multicolor, contra Solem varie refulgens.' Non bene emendabat Brant. *varia:* nam *similitudo varia* absurde dictum foret. *J. B.* *Duo Soles æmula similitudine*] Aristoteles παρηλίους vocat, ut et Seneca citato loco. Cicero 'geminatum Solem.' Caussas apud Ammian. lib. III. cap. 11. vide, Histor. lib. XX. Senecam ubi supra. Aristot. in Meteorologicis. *Pric.*

Ejusdemmodi] Infra: 'item alia ejusdemmodi.' Florid. II. 'Hæc et alia ejusdemmodi.' In de Deo Socrat. 'Ejusdemmodi beneficio.' *Idem.*

Quæ tractat, &c.] Κατόπτρων ἐξάψεις inter alia ejus Tzetzes memorat Chiliad. XIII. c. 457. forsan non alium

librum Appuleius innuit. *Idem.* Rectius ex h. l. conjicit Scheibel in Einleitung zur Mathem. Bücherkentniss part. IX. p. 268. Archimedem magnum volumen de omnibus doctrinis opticis conscripsisse; monente Harles. ad Fabric. Bibl. Gr. l. III. c. 22. sect. II. § 11. Imo suspicio est ipsum hoc opus esse, cujus Arabica versio, adhucdum inedita, exstat, sub titulo 'Perspectiva.' cf. id. ibid. § 12. *J. B.*

Pag. 429 *Abaco et pulvisculo*] Mos olim Mathematicorum, cum aliquid demonstrare, describere vellent, in abaco pulvere consperso suas lineas, circulos, numeros, notas virgula ducere. Hunc 'eruditum pulverem' vocat Cicero l. II. de Nat. De. Seneca Ep. LXXXVIII. 'Itane in Geometriæ pulvere hærebo?' Et Epist. LXXIV. 'Utrum majorem an minorem circulum scribes, ad spatium ejus pertinet, non ad formam: licet alter diu manserit, alterum statim obduxeris, et in eum in quo scriptus est pulverem solveris, in eadem uterque forma fuit.' Elegans de hoc locus est Claudiani, de Mallii Theodori consulatu, qui dignus adscribi: 'Illa per occultum Ligurum se mœnibus infert, Et castos levibus plantis ingressa penates, Invenit ætherios signantem in pulvere cursus, Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis: Quæ moveant momenta polum, quis certus in astris Error, quis tenebras Solis, caussisque meantem Defectum videat numerus, quæ linea Phœben Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat. Ut procul adspexit fulgentia virginis ora, Cognovitque Deam, vultus veneratur amicos. Occurrit, scriptæque notas confundit arenæ.' Vide Martian. Capell. lib. IV. VI. et VII. apud quem graphica abaci pulverisque hujus descriptio. Hinc contendere ausim verisimilem conjecturam nostram in Gellii lib. I. cap. 20. ubi passim vulgatum legas: 'Planum est, quod in duas partes solum lineas habet, qua latum et qua longum: qualia sunt triquetra et quadrata, quæ in area fiunt, sine altitudine:' legendum scilicet videri *quæ in arena fiunt*, et de hac arena accipiendum. Nec alium etiam *numerorum Arenarium* dixisse videtur de Pallio Tertullianus, quam eum qui in hac itidem arena numeros colligit et disponit, aliosque eam artem docet: 'De meo vestiuntur, et primus informator litterarum, et primus edomator vocis, et primus numerorum arenarius, et Grammaticus, et Rhetor, et Sophista,' &c. Huc spectat etiam Persius Satyra I. 'Nec qui abaci numeros et secto in pulvere metas Scit risisse.' Unde putem Pulveraticum dictum, mercedem agrimensorum, seu potius corollarium. Aggenus Urbicus: 'Agrimensores tres aureas accipiant, absque pulveratico:' et sic accipiendum in constitutione quadam Valentiniani et Theodosii, quæ apud Frontinum. *Colv.* *Pulveraticum* dicitur præmium quod agrimensoribus et præsidibus datur, ut pluribus testimoniis docet eruditissimus Cujac. lib. IV. Observ. 18. *Scip. Gent.* Add. Pricæi Comment. *J. B.* *Abaco et pulvisculo*] Vetus Persii Interpres: 'Abacus dicitur mensa, in qua Geometræ designant loca vel mensuras.' Papias: 'Abax, et Abacus, tabula in qua viridi pulvere formæ depinguntur.' Barthius pro *viridi* legit *vi radii:* sed nil mutandum. *Pulvis viridis* est quem *hyalinum* vocat Marcianus lib. VI. et ibid. (si memini) in princip. 'glaucum pulverem.' Gloss. Vindocinens. Ms. 'Viridis, glauca.' *Pric.*

Pulvisculo] Supra: 'Candificum, nobilem pulvisculum.' Onomast. Vet. 'Pulvisculus, κονίσαλος.' *Idem.*

A Thyesta Tragico] Satis hæc lectio facit Bourdelotio, ni toleretur tamen, *Thyade Tragica*, scribenti. *Pric.* Ms. Pith. *Chieste Tragica.* Perperam Pri-

cæus, quem rursus hic descripsit. Floridus, de Thyeste Tragœdo cogitat. 'Thyestes Tragicus' est qualis in Tragœdiis inducitur. Cic. in Pis. 20. 'Ego te non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem!' Atque ita 'Tragicas Erinnyas' apud Propert. II. 16. 29. exponit Passerat. ubi hunc nostri Auctoris locum a præpostera Pricæi conjectura recte vindicat Burmann. quemadmodum vulgatam lectionem defendit etiam Bentlei. ad Horat. A. P. vs. 96. ubi vide. Thyestam autem, cum comesos a se liberos cognovisset, horribiliter ex angore et fastidio distorsisse vultum, nemo est qui non facile credat. Itaque Thyestæ post epulas illas in scenam prodeunti talem forte etiam larvam dederint. *J. B.* *Teterrimum os tuum a Thyesta Tragico demutet*] Ni Thyestis vomitum respiciat, non capio: videsis Eustath. ad Iliad. β. et ο. Etymologus: Ἐμεῖα, τόπος ἐστὶ Μυκηνῶν, παρὰ τὸ ἐμῶ, &c. λέγεται δὲ, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Κέρβερος ἀνελθὼν ἐκ τοῦ Ἅδου· ἢ ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Θυέστης φαγὼν τὰ τέκνα αὐτοῦ. Juvat sane aliquantillum sententiam hanc quod subdit Noster, 'vultu distortissimo;' oris enim inter vomendum distorsionem fieri vel usus probat. Mihi vero, (neque mala fide loquor, aut quo suspicionibus meis viam sternam) istiusmodi allusio frigida, nedum absona est. Novi *Thyestem* fabulam, non Tragædum. Vide itaque an rectius *Thespi* legas, de quo Plutarchus et Laërtius. Hunc ex scriptoribus iis non solum *Tragicum* fuisse scimus, sed et (quod propius Appuleio accedit) deformitatis captatorem primum. Suidas; πρῶτος μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμμυθίῳ ἐτραγῴδησεν, εἶτα σανδαράχῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν. Horatius Art. Poët. 'Ignotum Tragicæ genus invenisse Camenæ Dicitur et plaustris vexisse Poëmata Thespis, Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.' Plura Casaub. de Satyr. Poës. lib. I. cap. 5. Fuit et *Thespis* Comicus quidam, de quo in Vesp. Aristophanes. *Pric.*

Sulcos rugarum] Ovid. 'Sulcavitque cutem rugis.' Claudian. I. in Ruffin. 'Rugisque severas Persulcata genas.' Idem in Eutrop. I. 'Sulcisque genarum Corruerat (malim *aruerat*) passa facies rugosior uva.' Virgil. 'Frontem rugis arat.' D. Hieron. 'Arata rugis frons.' Plaut. Bacchid. 'Frontem consulcare.' *Idem.*

At ego non mirer . . . reticere] Sensus est: Quantumvis ægre feras, Æmiliane, me de isto distortissimo vultu tuo dicere, facile tamen equidem credam, te boni hoc consulturum, modo de moribus tuis, multo etiam truculentioribus taceam, quod sane faciam, &c. Male itaque vulgo, exceptis Edd. Junt. post. Ald. Cas. et perpaucis aliis, per interrogationem hæc leguntur: *At ego . . . reticere?* Ed. Scriv. *consules.* J. B. *Distortissimo vultu tuo*] Bene *distorto* vocat, quod jam ante *Tragico* adsimilavit. Clemens Pædag. Στόματι τραγικῶν δίκην διελκομένῳ. Varroni 'Facies mæandrata,' ταφῇ Μενιπ. Accius apud eund. VI. de Ling. Lat. 'Personæ distortæ oribus, deformes, moriones.' Hujus generis est sigillum ex antiquaria penu Cl. Bourdelotii depromptum. [Sequitur in Ed. Pric. delineatio sigilli, ut et paullo infra alia, e Pignorio. *J. B.*] Nec abeunt illa μορμολυκεῖα olim in anteludiis pomparum exhibita, nonnullis risui excutiendo, aliis incutiendo timori: *matticos*, et *manducos* Veteres vocaverunt; homines nempe magnis malis dehiscentes magnumque dentibus strepitum facientes: mentio apud Juvenalem, Prudentium, nec non alios. Lucian. περὶ ὀρχησ. Στόμα κεχηνὸς παμμέγα, ὡς καταπιόμενον τοὺς θεατάς. Ejusmodi ludicram effigiem invulgavit Pignorius Comment. de Servis. *Pric.*

Albus an ater] Proverbialiter dictum. vid. ad Catull. cap. 94. et comm. Scip. Gent. *J. B.*

PAG. 430 *Approbatore*] Forte: *a probatore.* Sed aliud forte latet. *Colv.* Vulgo *approbatore*, sed veram lectionem *a probatore*, ex edit. Rom. reposuimus. Sic dictum *a probatore obstare*, ut apud Græcos κρύπτειν et κρύπτεσθαι ἀπὸ τινὸς, etiam apud poëtam præcipuum. *Casaub.* V. c. *a probatore.* Sciopp. in Symb. Quid illa voce *approbatore* faciam, nondum despicio. Forte: *umbra ignob. opprobator* vel *approbator.* Pleraque adjectiva in *or* Veteribus communis generis censebantur. *Acidal.* Ita libri vulgares. Nonnulli antiqui, quos eruditiores secuti: *opprobratore.* Sequutus vestigia vulgarium et Mss. restitui: *umbra ignobilitatis a probatore obstitit:* ut apud Varronem de Re Rustica: 'a Sole obstare:' et apud Ciceronem, illud Diogenis ad Alexandrum: 'A Sole mihi obes.' *Wower.* Varro, 'a Sole obstare.' Cicero, 'a Sole obesse,' ubi Diogenis ad Alexandrum dictum exponit. *Ignobilitatis* autem dixit Appul. *umbram*, pro obscuritate vitæ et generis, vel etiam animi improbitate. Ennius: 'Nam quum opulenti loquuntur pariter, atque ignobiles, Eadem dicta, eademque oratio æqua, non æque valet.' Sensus igitur est: Ignobilitas tua in medio obstat, atque impedit, ne quis te cognoscat, et qualis sit, exploret. *Scip. Gent.* *Umbra ignor. a probatione.* Sic Florent. 2. legunt hunc locum: vulgo *tibi umbra ignobilitatis opprobatori:* male: vide notas Wowerii nostri. *Elmenh.* Multa de loquendi forma *a probatore obstitit* Gentilis, quæ utinam loco opportuniore docuisset nos: placet lectio ab has literas bene docto Ol. Grotio suggesta, *ab opprobatore obstitit*, quam etiam probe fulciunt quæ loquuntur heic. *Pric.* Edd. ante Vulc. sec. *approbatore:* sine sensu. Quod in marg. conjecerat Vulc. *opprobatori*, id in ejus Edd. sec. tert. editum est, neque longe ab eo recedit Grotii conjectura a Pricæo laudata: sed tum leg. saltem *opprobrat.* Verum fraudi fuisse videtur viris doctis media significatio τῶν 'probare,' 'probator,' 'probatio,' quæ, quemadmodum Gr. δοκιμάζειν, δοκιμαστὴς, δοκιμασία, non tantum approbationem, sed et simpliciter examen, explorationem, experimentum notant. Vid. Ernest. in Cl. Cic. v. *probatio*, et Græv. ad Cic. Verr. III. cap. 30. cit. a Burmanno ad illa Petronii cap. 70. 'mucronem ad buccam probare.' Optime igitur Colv. seu potius Lips. in marg. Ed. Bas. pr. cum Edd. Cas. Wow. (qui sibi deberi emendationem videri volebat) Gent. Pric. Elm. Scriv. Flor. (qui bene explicat) *a probatore:* quibuscum consentiunt præter Mss. Fulv. Pith. D'Orv. etiam 2. Florent. ex Coll. Lindenbrog. ita habentes, non, ut ait Elm. *a probatione:* licet et hoc bonum foret. Ceterum *Obstare a* locutio est, quam usurpavit etiam Lucanus I. vs. 59. 'nullæque obstent a Cæsare nubes:' item Sallust. Catil. c. 58. 'Exercitus unus ab urbe, alter a Gallia obstant:' i. e. impediunt, alter, quominus ad urbem, alter quominus in Galliam properemus. *J. B.*

Tegere quam aliena indagare] Neque propterea impostor, qui peccata sua tegit, quasi vero palam decantare sua facinora aliquis debeat, et gloriari in flagitiis, id vero non probi, sed furiosi esset. Quid? quod nec interrogatus quisquam cogitur fateri crimina. D. Hieronymus Epist. 107. 'Conatus sum crimen meum abnuere, non referre.' Non possum igitur probare acumen Lipsii olim nostri, qui pro *tegere* reponit hic *degere*, id est, Minuere, Detrahere. Sane justitiam simulare et ostentare, quum homo sis injustus, id prorsus vitiosum est, et vituperandum: licet vulgus contra sentiat, de quo Plato in Protagora:

Καὶ φασὶ, inquit, πάντας δεῖν φάναι εἶναι δικαίους, ἐάν τε ὦσιν, ἐάν τε μή· ἢ μαίνεσθαι τὸν μὴ προσποιούμενον δικαιοσύνην, et quæ seqq. *Scip. Gent.* Lipsius *degere* ἀρχαϊκῶς, pro *minuere*, ut apud Plautum et Nonium: in quam abit etiam Pontanus scripturam Analect. l. III. cap. 1. Ego vulgatam fero non illibenter. *Pric.* *Tegere* non esse sollicitandum arguit quoque, quod ei opponitur, *indagare*. Nihilominus citat hunc locum, quemadmodum emendari volebat Lipsius, Pareus in Lexico Plautino v. *agere;* adducens quoque Gell. XVII. 16. 'degendis venenis,' ubi nunc legitur *detergendis venenis*, licet *degendis* ibi sit in Mss. De rariori verbi *degere* notione, pro minuere, detrahere v. Non. Marc. IV. 117. cf. Par. l. c. Varro de Re Rust. 37. Vulgata lectio displicuisse etiam Scriverio videtur, edenti *regere:* nisi sit operarum vitium. Equidem sane in τῷ *tegere* acquiescendum puto. cf. quæ supra p. 401. de animi sui verecundia dixit Auctor. *J. B.* *Potius duxi mea peccata tegere, quam aliena indagare*] D. Hieron. ad Augustin. 'Sufficit mihi probare mea, non carpere aliena.' Phæbad. contr. Arrian. 'Sufficit conscientiæ puræ tenere quod credit, æstimanti fore rectius tueri propria, quam extranea et aliena discutere.' Optat. Milevit. cont. Donatist. lib. VII. 'Satis sit homini si de peccato suo reus non sit, quam ut de alieno judex esse desideret.' *Pric.*

Constitit] I. e. consistit: ut lib. XCVIII. D. de solution. Et *constiteremus* pro *consisteremus* l. XXVI. D. de negot. gest. Eadem Noster offiguratione Miles. VIII. 'Invadit ac superstitit sicarium,' nam quod in cusis legitur, *supersistit*, reiculum puto. *Pric.* De loco Met. l. VIII. pag. 539. perperam omnino judicare Priceum, monet ibi Oudend. Quod ad nostrum locum, vel pueris notum est, quemadmodum verbi Gr. ἵστημι consisto, perf. ἕστηκα constiti, i. e. sto, ita et Lat. 'constiti' habere vim præsentis verbi 'stare.' *J. B.*

Ego adeo servior: tu an habeas ad ag.] Non dubitavimus veram et certam emendationem nostram in contextu recipere, spreta vulgaria scriptura, *servor* et *abeas.* Scio *servor* pro *observor* Latinum esse, atque adeo Tullianum: sed id non posse hic locum habere pertendo: non enim de observantia et cultu qui honoris caussa a liberis personis exhibetur, intelligit: sed de servorum θεραπείᾳ et ministerio. Quid quod sequentia eam lectionem manifeste flagitant? debet enim repeti vox *servos* quæ in verbo *servior* intelligitur inclusa: ut in illo τῶν LXX. δικάσω· ἰθεῖα δὲ ἔσται: nimirum ἡ δίκη. est enim σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ, ὅταν ληπτέον ἐκ τοῦ ῥήματος τὸ ὄνομα, ut loquitur Eustath. in Iliad. β. Non igitur *servor* sed *servior* legendum. Seneca, 'servis paucioribus serviri:' de tranquill. vitæ. *Casaub.* Cum annis superioribus Petronii scholiastes locum hunc sic mihi recitaret, 'Ego adeo servor, tu an abes,' &c. ut experimentum scilicet ingenii mei caperet, facile quam et talia, quæ nonnulli fastidiosius venditant, domi nobis nascerentur, intellexit. Statim enim conjeci legendum: *Ego adeo servos tu an habeas.* Sciopp. in Symb. Plane rescribendum censeo cum eruditissimo Mercero: *Ego adeo servos, tu an habeas ad agrum colendum.* Wow. *Ego adeo servos.* Recte ita Memb. Florent. sicuti etiam Mercerus et Casaub. ante divinarant. *Elmenh.* *Ego adeo servior.* Recte hanc scripturam retinuit et defendit Casaubonus noster, qui et Senecam ita locutum docet. Cui geminum est verbum, *Ministrari*, eodem modo positum. Plautus Vidularia, apud Nonium: 'Malim moriri meos, quam mendicarier: Boni ministrantur; illum nunc irrident mali.' Nam quod idem Lips. lib. I. Antiquit. cap. ult. rescribit, *Boni immiserantur:* non plus ei adsen-

tior, quam illis qui in hoc loco Apuleii mallent *Servor* legi. Sunt qui legunt, *Ego adeo servos, tu an habeas ad agrum col.* Scip. Gent. Ita edit. Casaubon. nulla sententia: scribendum *servos*, ut et in Cod. Florent. legitur. *Pric.* Edd. ante Casaub. cum Mss. Pith. *Ego adeo servor, tu an abeas,* non sine sensu, si *servor* capias pro *abservor* cum Groslot. in marg. pro quo ipsum illud *observor* reponi voluere Vulc. in marg. et Jungerm. l. supra cit. insuper *adeo* mutans in *a te*: sed non viderunt VV. DD. nec Schikherad. legens, longius etiam a vulgata et scripta lectione, *cernor,* non viderunt igitur, totius periodi protasin constituere verba illa *Ego adeo . . . neque scio, neque laboro,* et tum denique sequi apodosin *At tu me scis, &c.* Casauboni conjecturam, quam non capio cum Pricæo, expressit tamen hic cum Scalig. et Scip. Gent. Sed bene omnino ex uno Cod. Florent. edidit Elm. *servos,* quem secuti sunt reliqui. Ne sic quidem tamen locus persanatus est, nam illud *tu* ante *an habeas* vacat non tantum, sed ne ferri quidem potest; nam τῷ *Ego adeo* opponitur in apodosi *At tu:* hic vero vis non est in *tu,* sed in *servos,* cui opponitur *an ipse operas, &c. cambias.* Jam vero pro *servos tu* in uno Florent. Cod. ex Coll. Lindenbrog. est *serviorne,* in Pith. *servorne,* in altero Florent. *servosne,* uti prorsus legendum est: *Ego adeo, servosne an habeas . . . an ipse . . . cambies, neque scio, neque laboro. At tu me scis, eadem die tris Œæ manumisisse. Servosne an hab.* pro *anne servos hab.* exquisite dictum, quomodo *ne* in interrogationibus haud raro abundat. cf. ad Met. l. I. p. 31. Oud. ad Lucan. VII. vs. 301. *J. B.*

Cum vicinis tuis cambias] Vox Græcæ originis, quam Charisius lib. III. et Priscianus ex eo vertunt ἀμείβομαι. Glossæ veteres ‘Cacumbeat διαλλάσσει.’ Lego, *Cambiat* ἀλλάσσει. Est a κάμπτω, propter gratiarum vices: semper enim Gratiæ καμψιδίαυλοι non σταδιοδρόμοι esse debent. Inde est nostrum Francoceltarum *change* ἀμοιβή. Græci tamen suum κάμπτω non usurpant pro eo quod est *cambio:* sed pro eo quod veteres Latini *campso* dicebant. Ennius *Leucaten campsant.* Græcum proverbium apud Strabonem, Μαλέαν δὲ κάμψαν ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. et apud Geographos sæpe, κάμψαι ἄκραν. *Casaub.* *Cambies.* Alii *Cambias.* Vide Indicem. *Elmenh.* Edidit tamen Elm. *cambias,* cum reliquis inde a Colvio, qui tacite ita rescripsit, pro eo quod legebatur in Edd. O. ante eum *cambies,* quomodo exstat in Mss. Florent. utroque, Pith. D'Orv. nec dubito de ceteris. Equidem *cambies,* quasi a *cambiare* sine librorum auctoritate non damnandum, imo postliminio revocandum putavi. Vossius quidem in Etym. v. *Cambire* recentiores ait corrupte dixisse *cambiare;* et Du Cangius in Gloss. ‘Italis,’ inquit, ‘Cambiare:’ ‘Latinis, Cambire;’ et *Cambire* citat Priscianus: *Cambiare* tamen est in Gloss. apud Casaub. et Elm. in Ind. Item Gloss. Philoxeni ‘Concambiat, διαλλάσσει,’ ex emend. Du Cangii. Sic posterioris ævi scriptores promiscue dixisse videntur ‘cambitio’ et ‘cambiatio,’ ‘concambitio’ et ‘concambiatio,’ ‘cambire’ et ‘cambiare:’ quod Appuleii ævo nondum obtinuisse, non satis mihi persuasum est, quam ut contra Librorum auctoritatem ei τὸ *cambiare* abjudicem. Siculus Flaccus de Condit. Agr. ‘Emendo, vendendoque, aut cambiando, mutandoque.’ *J. B.* *An ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias*] Hoc enim moris fuisse cum ex aliis, tum ex Gellio patet, lib. II. cap. 29. in Æsopi Apologo: ‘Fac amicos adeas, et roges veniant, operamque mutuam dent, et messem hanc nobis adjuvent:’ (quo loci inique τὸ *adjuvent* quidam proturbare adorti sunt, quo nil signantius potuit de multitudine efferri. Noster infra,

'An adjutorio multitudo eorum necessaria fuit?') Porro prædictæ sententiæ non absimilia hæc Varronis περὶ Ἀφροδισ. 'Utrum mercedem accipit is, qui meas venit Segetes ut sarriat, an ego ab illo:' hinc *mercenarii* isti, *metelli* dicti. Gloss. a Vulcanio editæ, 'Metellus, *μίσθιος*.' Gloss. Ms. Claud. Puteani: 'Metellus, mercenarius, a metendo.' Et verum hoc etymon putem, quidquid apud Festum lego. *Pric.*

Quod quidem] *Quod quidem*, non, ut alibi apud Nostrum, valet quandoquidem, sed eleganter inservit orationi ligandæ, ut 'quod si,' 'quod utinam,' et sim. *J. B.*

PAG. 431 *An consuetudinem*] Ms. D'Orv. *aut*. Male. Jungenda *cæcitatem dicam an consuetudinem?* Met. I. p. 31. 'cumque propere vestio dicam an contego?' infra p. 592. 'O grave veneficium dicam an ingratum beneficium?' *Tantumne esse* h. l. est infinitivus absolutus per admirationem, cui sic eleganter additur interrogandi particula *ne*, ut notum ex Terentio, et animadversionibus Dukeri ad Flor. I. 11. § 9. Græv. ad Cic. Epp. ad Att. II. 6. aliorumque. *Idem.*

Imperatores Pop. Rom. paucitate servorum gloriatos] Quod Noster adsignat modestiæ Romanorum Imperatorum, verius alii Veterum parsimoniæ, qui Legatis et Imperatoribus non alium famulitii modum statuerunt. Ideo M. Cato senior, quum Hispaniam regeret, intra Legatis præscriptum numerum remansit. Valer. Max. lib. IV. cap. 3. Nec majorem habuit Cæsar quum Britanniam oppugnaret, ut ex Cotta ejus Legato in lib. de Repub. Rom. refert Athenæus lib. VI. cap. 8. Ἰούλιος δὲ ὁ Καῖσαρ ὁ πρῶτος πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς Βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, ὡς Κότας ἱστορεῖ, ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ, ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι. Neglectam hanc regulam paulo prius deprehendo apud eundem: Σώφρονες δὲ ἦσαν, καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι· Σκιπίων γοῦν ὁ Ἀφρικανὸς ἐπίκλην, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσιν, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας. hujus rei testes Polybius et Posidonius: et quod de Catone diximus, quinarium ei numerum servorum in Hispania degenti Plutarchus assignat in vita ejus, et Scipioni in Apophthegmat. sed inter Valerium et Græcos nullum dissidium, quippe ex his quinque duo *σύνοδοι*, seu comites, nam legitimus servorum numerus ternarius. *Pric.* Sequitur in Ed. Pric. Bourdelotii observatio, aliquanto prolixior, de legitimo servorum numero, ad familiam constituendam. *J. B.*

Solos] V. D. e vet. cod. probat *solum*: male. In seqq. 'duos solos calones.... Tris servos solos ex urbe duxisse:' et amat hanc constructionem Appul. Met. lib. V. p. 325. 'verba tantum audiebat excidentia, et solas voces.' cf. de Phil. Mor. p. 600. et inprimis περὶ ἑρμ. p. 634. 640. 646. 647. 658. 659. 662. Ed. Flor. Ter. Phorm. III. 3. 24. 'Quantum opus est tibi argenti? ... Solæ triginta minæ:' et sæpe. *Idem.*

PAG. 432 *Adoreis*] Vide Festum et Scaligerum. *Brant.* Ms. Lips. *adoriis* solita variatione. cf. ad Met. III. p. 207. b. *J. B.* *Adoreis*] Miles. VII. 'Domi forisque fortibus factis adoreæ plenæ gloriarer.' Gloss. 'Δόξα, ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου, adorea.' Gloss. Bourdelot. Ms. 'Adoream, laudem bellicam.' Gloss. Puteani Ms. 'Adoreis, Victoriis.' *Pric.*

Una porta] Quasi vero non omnes triumphi eadem porta agerentur. Josephus Ἁλώσεως libro VII. πρὸς δὲ τὴν πύλην (triumphalem portam intellige) αὐτὸς ἀνεχώρει, τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι' αὐτῆς ἀεὶ τοὺς θριάμβους τῆς προσηγορίας αὐτῶν τετυχυίας. Sed re-

spicit Appuleius ad situm populorum de quibus Curius triumphavit, Samnitum, Sabinorum, Lucanorum, qui omnes ab eodem Tiberis latere sunt siti. *Casaub.* Non satis placet Casauboni explicatio, licet aliam, quam suppeditem, non habeam: neque tamen in tanta Mstorum et editionum constantia conjecturis indulgendum censeo. Possis alias divinare *Imperator.* J. B. *Qui ter triumphum una porta egerit*] Ex his unum de Lucanis fuisse Casaub. ait: Cicero tamen Cat. Maj. ut et Noster heic, pro Lucanis Pyrrhum nominat. Equidem triumphatos eos non puto: de iis ovavit tantum. V. Fast. Sigon. *Pric.*

Ipse in oratione scriptum rel.] Ex hac oratione M. Catonis fragmentum etiam exstare apud Festum viri docti censent, ubi sic legunt: 'Navitas secundum incorruptam consuetudinem dictos, quos nunc nos nautas dicimus: testis est Cato in ea quam scripsit, cum in Hispaniam proficisceretur, cum ait: Navitæ quod secum portaverant vinum atque oleum, usus tantum eo sum.' *Colv.* *M. autem Cato nihil oppertus, ut alii de se prædicarent, ipse in Oratione scriptum reliquit*] Id est, suarum ipse laudum præconium ab alio non expectans: quod demonstrat Titulus Orationum ejus, de laudibus suis apud veteres Grammaticos. Ex hac porro, quam hic citat Appuleius, oratione fragmentum Festus refert: 'Navitas,' inquit, 'secundum,' &c. Aliud fragmentum apud eumdem exstat tale: 'Maledictores,' inquit, 'dicebant Antiqui, quos nos appellamus maledicos. Cato, quum proficisceretur in Hispaniam, removendi maledictores.' *Scip. Gent.*

Quoniam ad villam publ.] Continentiæ exemplum hoc ipse de se memoriæ prodidit M. Cato. de cetero ne omittas emendare, *quom jam ad villam publ. venerat:* istic enim duos insuper pueros sibi emendos Cato curavit, et illos quinque in Hispaniam duxit. *Stewech.* Legebatur *quoniam* male, pro *quom jam.* Exierat Cato cum tribus servis: sed cum ad villam publicam, quæ in Campo Martio erat, pervenisset, subiit animum cogitatio, non posse tam paucos servos sufficere provinciam administranti: misit ergo in urbem, qui duos emeret: sic quinque habuit: quot et Plutarchus ait. Hæc vera mens istius loci. *Casaub.* Fulvius *quom ad*). in Symb. Andreas Schottus Observ. lib. v. c. 11. *Elmenh.* *Quom jam* Stewech. laudatque Casaubon. nihil minus. *Quoniam* significat non solum id quod *quia*, sed etiam id quod *postquam*, teste Festo. *Brant.* Male heic, si unquam, eximius castigator, qui quum in principibus editt. legeretur *quoniam*, exturbavit e contextu suo adeo antiquam ac probam notionem. Ejusdem culpæ affinis etiam Schottus Observ. Human. v. 2. *Quoniam* valet *postquam*, ut sæpissime apud Plautum. Gellius VII. 5. (ut in antiquis quidem, et melioris notæ Codd.) 'Polus unice amatum filium morte amisit, eum luctum quoniam satis est visus eluxisse, redit ad quæstum artis:' vide Festum. *Pric.* *Quoniam* pro postquam Plautinum est, vid. Parei Lex. Plaut. quod an apud alium scriptorem inveniatur, nescio: nam in Gellii loco a Pricæo cit. legitur *quum*, non *quoniam*, cujus lectionis ibi ne verbo quidem mentionem factam video. Ceterum in Ms. D'Orv. hic legitur *quum*, Lips. adscripsit *quom jam*, G. Voss. *quum jam*, ut edidere Casaub. Scip. Gent. Pric. reliqui *quoniam*, quod contra plerorumque Mstorum auctoritatem non mutavi, quia Auctor noster sæpius πλαυτίζει. Et sane *quoniam*, comp. ex *quom jam*, et tempus et caussam notasse non mirum est, quandoquidem idem obtinet in simplici *quom.* J. B. *Villam publicam*] Δημόσιον κατανώγιον; quod in nummo T. Didii apud Ursinum vidisse videor. Straboni Libro

v. Δημοσία ἔπαυλις. Positam in Campo Martio docet P. Victor. IX. Region. Usus ejus ad excipiendos Magistratus in Provincias euntes, Legatosque exterarum gentium peregre adventantes. Livius XLIII. 'Macedones deducti in Villam publicam extra urbem, ibique iis locus, et lautia præbita.' Et XXXIX. 'Quibus vetitis urbem ingredi, hospitium in Villa publica, ad ædem Bellonæ datus est.' *Pric.*

De mensa] Sic Florent. 2. vulgo *de tribus emi.* Elmenh. Id est, pecunia mutuo sumpta, seu nominibus factis apud argentarios. De mensa sumere, numerare, et de domo vel ex arca, diversa sunt. l. lecta ff. de reb. cred. Nec tamen superflue Cato, vel Appuleius, *in foro de mensa emi.* Sic Plutarchus, περὶ δυσωπίας· 'Ο δὲ Περσαῖος ἀργύριόν τινι τῶν γνωρίμων δανείζων, δι' ἀγορᾶς καὶ τραπέζης ἐποιεῖτο τὸ συμβόλαιον. *Scip. Gent.* Miles. VIII. 'collatitia stipe de mensa paratus:' nec aliud *mensa ista* quam πρατὴρ λίθος. Cicero in Pison. 'Duos de lapide emptos.' Pollux lib. VII. 'Εφ' ὃ δὲ βαίνοντες οἱ δοῦλοι πιπράσκονται, τοῦτο τράπεζαν 'Αριστοφάνης καλεῖ. *Pric.*

PAG. 433 *Paupertas olim Philosophiæ vernacula*] Marcianus lib. VI. de παιδείᾳ germana Philosophiæ: 'Hæc utpote talentorum conscia in omnium rara congressus, nec cuiquam facile primores saltem vultus superba committens, plerumque tamen adhæsit arrisitque pauperibus; magisque illis quos aut pedibus nudos, aut intonso crine hispidos, aut sordenti conspexit pallio semitectos.' *Pric.* *Paupertas olim philosophiæ vernacula*] Petronio, 'bonæ mentis soror.' Chrysostomo Homilia XVII. in acta: 'Mater sanitatis.' 'Parvo potens' ex Virgilio: 'Parvoque potentem Fabritium.' Eleganter idem Chrysostomus Homilia XIII. in eumdem librum: 'Dives,' inquit, 'nihil aliud mihi esse videtur, quam civitas absque muris in agro sita; et undique insidiantibus exposita. Paupertas vero securum præsidium æneis muris et expugnatu difficile.' *Scip. Gent.*

Adversum divitias possessa] An scribendum potius, *adversum divitiis professa,* vel *adversam:* hoc sensu, paupertatis professionem esse virtutem amare et sequi, contra quam soleant divites: quod et suadent quæ sequuntur. Lipsii emendatio, *adversum divitias possessu,* etsi elegans et ingeniosa, propterea minus placet, quia sensum hujus κώλου suspendit: cum videantur singula membra sensum absolvere debere. *Casaub.* Fulvii liber, *adversa divitiis.* Sed hæc verba loco suo mota, ita restituenda: *Enimvero paupertas olim Philosophiæ vernacula adversum divitias possessa est: frugi, sobria.* Wower. Lipsius legit *Æmula lautis, adversum divitias possesus h. s.* Casaubonus: *adversum divitiis professa*... adversam. Ego existimo legendum, *adversa divitiis possessa.* Judicabit lector. *Meurs.* Casaub. *Adversum divitiis possessa,* hoc sensu; paupertatis professionem esse virtutem amare et sequi, contra quam solent divites. Meurs. *Adversa divitiis possessa.* Wower. locum refingit, adi notas ejus. *Pric.* *Adversum divitias possessa* est lectio Mstorum O. (præter D'Orv. in quo non comparet *adversum,* et legitur *divitia*), et Edd. cunctarum, præter Floridi, qui, sensum non intelligens, Casauboni emendationem edidit, et Elmenh. quam Bipontina hic sequitur, qui ordinem et lectionem admisit, ut proposuit Wow. Imo Burmannus quoque ad Phædri IV. 6. 8. nullum his inesse sensum aiens, legendum monet, *adversa divitiis professa, hab. sec.* Equidem vulgatam lectionem veram puto, hoc autem voluisse Auctorem. Quum proprie dives tantum possideat, pauper vero nihil possideat; imo paupertas sit ipsum illud, nihil possidere: tamen pauper philosophus, pro divitia-

rum possessione, suam habet quoque possessionem, longe illam excellentiorem, quæ est ipsa paupertas, virtutum altrix, artium repertrix, neque fragilis et caduca, sed 'habitu secura,' 'cultu simplex,' &c. Argutius forsan hoc non nemini videatur: non tamen ab ingenio Auctoris et istius sæculi scriptorum abhorrent istiusmodi argutiæ. *J. B.* *Habitu secura*] Isid. Pelus. lib. II. Epist. 257. Πενία ἀσφαλείας ἁπάσης καὶ μετριοφροσύνης ὑπόθεσις. Monost. de morib. 'Divitiæ trepidant, paupertas libera res est.' D. Chrysost. in Act. Homil. 13. Ὁ μὲν πλούσιος οὐδὲν ἕτερον εἶναί μοι δοκεῖ, ἀλλ' ἢ πόλις ἀτείχιστος ἐν πεδίῳ κειμένη, πολλαχόθεν ἐπισπωμένη τοὺς ἐπιβουλεύοντας. ἡ δὲ πενία φρούριον ἀσφαλὲς χαλκῷ περιβεβλημένον πολλῷ, καὶ δύσκολον ἔχον τὴν ἄνοδον. *Pric.*

Consilio benesuada] Itane? male tum *malesuada* audit apud omnium fere gentium scriptores. At veniam non gravate damus: e causa, non sensu loqueris. *Idem.*

Neque vult ullas neque potest] Suspicione ducor scribendum, *neque vult ullas, neque putat:* hoc est, æstimat philosophus: ad eum modum id verbi Terentio, Ciceroni, Plauto usitatum pueri scire possint ex Nonio. Appuleius hac eadem Apologia: 'quod si hæc exempla nihil putas?' Appul. III. Florid. 'cupere nemo, si vere putet, potest.' Sallustio Jugurth. idem excidisse animadverti, in oratione Adherbalis: 'Familia nostra cum populo Rom. bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus, quam fortuna petenda erat:' legunt alii, nec male, *fortuna pendenda erat:* mihi tamen lubet quod diversis in membranis reperi, *petenda,* vel tantillum immutare, ac scribere, *fortuna putanda erat.* Cicero Attico: 'Jampridem scito esse, cum unum te pluris, quam omnes illos putem.' Lib. XII. Epist. 21. idem: 'ea a me minimi putabantur.' Lib. Famil. Ep. 20. Plaut. Amph. 'nam mecum argumentis puta.' *Stewech.* Bene quod ad sensum: sed non opus. Infra pag. 556. 'Latine neque vult, neque potest.' Cod. Barth. *neque Veneris potest.* J. B.

Ubi contra hanc] Ms. cod. *ut contra hanc.* Sententia loci totius non cohæret: quam tamen necdum concinniorem efficere potuimus. *Colv.* *Ubi contra, haud t.* Egregie emendavimus omnium librorum γραφὴν, *ubi contra hanc t.* nullo plane sensu: *ubi* est ὅπου Græcorum. *Casaub.* Flor. *ut contra hanc t.* Elmenh. Non omnia sana heic præsto: forsan abundaverit quid. *Pric.* Mss. O. et Edd. ante Casaub. *contra hanc temere int. ill. v. div. comp.* e quo bonum sensum elicere non possum. Vulc. e conject. et Wow. Elm. Scriv. quos sequuntur Edd. Altenb. et Bip. ediderunt *ubi contra hæc tem. inter ill. v. et div. comp.* sed tum, ni fallor, alio loco posuisset Auctor *hæc;* sane perspicuitas id flagitasset: neque placet vox *illustris* hoc sensu. Loquitur Auctor de *divitibus* et *pauperibus,* non de iis qui illustri aut humili loco nati sunt: sed 'illustres viri' quinam hic intelligendi sint, explicat Auctor ipse, 'quemcumque in aliqua laude miramur.' Amplector itaque Casauboni emendationem cum Salm. in marg. Grutero in Suspic. Ined. lib. XX. c. 14. Putschio et Jungerm. in Epp. Gudianis pag. 363. quam expressere Scip. Gent. Pric. Flor. Insuper tamen pro *ubi* e Mss. Lips. et duobus Florent. lego *ut,* seu potius *uti.* i. e. quemadmodum. *Haud temere* pro quo Groslot. malebat *hæc ferme,* i. e. non facile, ut sæpe. Quinctil. I. O. I. 3. 'Illud ingeniorum velut præcox genus, non temere unquam pervenit ad frugem.' *J. B.*

Paupertas] Vide quæ dixi ad Arnob. lib. II. fol. 45. *Elmenh.*

Prisca apud secula] Terent. Eunucho: 'aput seclum prius.' *Brant.*

PAG. 434. *Omnium artium repertrix*]

Theodoretus περὶ προνοίας. Orat. VI. Ὁ δημιουργὸς τέχναις παντοδαπαῖς τὴν πενίαν ἐκόσμησε. Plautus Stich. 'Illa omnes artes perdocet ubi quemque attigit.' Xenophon lib. II. Epist. 118. eam Σοφίαν αὐτοδίδακτον vocat, et B. Isidorus πάσης ἐπιστήμης τε καὶ τέχνης μητέρα. Paria Aristophan. Πλουτ. II. 5. Himerius apud Phot. Cod. 243. Demosth. contr. Eubul. Manil. I. Claudian. Rapt. Proserp. III. Et hæc obvia passim: illud non item, 'Artes Paupertatemque' Gaditanos iisdem aris coluisse. Ælian. περὶ προνοίας, apud Eustath. in Dionys. Philostrat. de vita Apollon. v. 1. *Pric.*

Omnium peccatorum inops] Vere Galenus in libello, quod optimus medicus etiam philosophus, fol. 9. οὐ γὰρ δὴ δέος γε μὴ χρημάτων καταφρονῶν καὶ τὴν σωφροσύνην ἀσκῶν, ἄτοπόν τι πράξῃ. πάντα γὰρ ἃ τολμῶσιν ἀδίκως ἄνθρωποι, φιλοχρηματίας ἀναπειθούσης, ἢ γοητευούσης ἡδονῆς, πράττουσιν. *Elmenh.*

Phocione .... Epaminonda strenua] Barth. Cod. *Farrone ... Epimenide serena.* Aristidem, Phocionem, Epaminondam, Socratem jungit quoque Ælian. V. H. II. 43. cum aliis, qui inter Græcos nobiles in paupertate vixerunt. cf. ibid. XI. 9. *J. B.*

In Phocione benigna] Ita Plutarchi χρηστὸν vertit Appuleius, et D. Pauli ad Galat. v. χρηστότητα D. Hieronymus: notior tamen in hac historia *bonitatis* vox, quidni et aptior? *benignum* nescio quid facilitatis habet, quod abhorrebat a Phocionis moribus: *bonitas* ejus erat austera probitas, et integritas. *Pric.*

Homero] Ei unicum modo fuisse servum tradit Seneca Consol. ad Helv. 12. licet Scindapsus Homeri servus memoretur Ptolemæo Chenno ap. Photium p. 489. Ed. Schotti, et alius Bycco nomine Tzetzæ XIII. Chil. v. 643. quæ duo loca habeo ex indicio Harlesii ad Fabr. B. Gr. lib. II. c. 1. § 8. et fame eum periisse Sotades apud Stobæum Serm. 96. cf. Libri de Vita Homeri, Herodoto adscripti, c. 9. 11. et passim. *J. B.*

Proque eo in hodiernum d.] Sic Plinius N. H. lib. XXXV. c. 12. 'In sacris quidem, etiam inter has opes, hodie non murrhinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpuviis.' Dionysius Halic. Καὶ σπουδὰς εἶδον ἐγκεκραμμένας οὐκ ἐν ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς ἄγγεσιν, ἀλλ' ἐν ὀστρακίναις. *Colv.*

Simpulo] De simpulo, sive, ut alii malunt, simpuvio, accurate, ut erat rerum literarumque veterum apprime doctus, Phil. Rubenius, meus, utinam non olim, affinis et collega, lib. II. Elect. c. 8. ille inquam, quem, dum vixit, inter prima Belgii ingenia merito censuit Justus Lipsius, omni semper cum honore mihi nominandus. *Brant.* Scriv. edidit *sympuvio* ex altero Florent. Apud Plin. contra XXXV. 12. pro vulgato *simpuviis* est qui legat *simpulis*. *Simpuvium* habent etiam Mss. Prudentii περὶ στέφ. vs. 515. ubi Salm. malebat *Simpulum*. cf. ibi Heins. Nempe utrumque dixerunt vett. *simpulum* et *simpuvium*. v. Stewech. et Elmenh. ad Arnob. lib. IV. p. 148. Differre quidem putat Havercamp. ad Tertull. Apolog. cap. 13. ita, ut *simpuvium* ex ligno, *simpulum* fictile fuerit; sed vide Salmas. ad Solin. p. 583. *J. B.* *Proque eo in hodiernum Diis immortalibus sympuvio, et catino fictili sacrificat*] Porphyr. περὶ ἀποχ. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις, καὶ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιΐας, τοιούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον. *Pric.* *Catino fictili*] Nonnius in *Samium:* 'Oratio extat Lælii, quam sympuvia Diis immortalibus grata sunt, Samiæque ut heic vocat Capedines.' Eadem et Cicer. III. de Nat. Deor. Ergo *Capedines* eadem *Catinis* videntur. *Idem.*

PAG. 435 *Judices de caussa ista sed.*] Plautus Mostell. 'Sine medum istuc judicare, surge: ego istic assedero.'

Themistius Sophista: *ὡς δικαστάς μοι καθεδουμένους ὑπὲρ ὧν αἰτίαν ἔχω παρανομεῖν. Colv.* Vide adnotata ad Minutium p. 6. *Elmenh.* Add. Scip. Gent. et Pric. *J. B.*

Quorum filiæ ob paupertatem, &c.] Senec. ad Helviam cap. 12. 'Beatioresne istos putas quorum Pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a Senatu in dotem æs grave acceperunt?' Ammian. Marcellin. lib. XIV. 'Dotatur ex ærario filia Scipionis, quum nobilitas florem adultæ virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret Patris.' Locus non constat. Scribe, *quum nobilitas et flos adultæ virginis, &c.* adde his quæ Gentilis notat. *Pric.* *Quorum filiæ, &c.*] Vid. Seneca Consol. ad Helviam. Valer. Maxim. lib. IV. c. 4. *Scip. Gent.*

Agrippa pop. reconc.] Liv. lib. II. Cic. III. Offic. *Elmenh.*

Usura lucis] Cicero Verr. VII. 'Lucis usuram tam diuturnam.' Idem pro Rabyr. 'Usuram hujus lucis.' Salvianus VI. de guber. 'Vendunt nobis hostes lucis usuram.' Lib. I. Cod. de custod. reor. 'Luce usurpata.' Miles. II. Noster: 'Usuram Solis.' Prudent. II. contra Symmach. 'Luminis usum.' Herric. Altisiodorens. German. VI. 'Usum spiraminis.' *Pric.*

Si eum ex fortunæ indulgentia, non ex Philosophiæ censura metiris] Florid. II. 'Ingenii ejus fæcunditatem malo et doctrinæ, quam supellectilis multiformi instrumento gloriari.' Ita eum locum lego, vulgo male acceptum. *Idem.*

Diutinæ militiæ] 'Cum omnem apparatum castrensis disciplina submoveat.' Seneca loco proxime cit. *Brant.*

Pag. 436 *Nihilo minus quam lacinia propendens, impedit et præcipitat*] Expressum ex his Xenophontis: *Αἱ μὲν ποδήρεις ἐσθῆτες τὰ σώματα, αἱ δὲ ὑπέρμετροι περιουσίαι τὰς ψυχὰς ἐμποδίζουσι.* Dio Chrysost. Orat. *περὶ πλεονεξ.* *Καὶ ἐσθῆτα μὲν οὐδεὶς βούλεται μείζω τοῦ σώματος ἔχειν, ὡς δύσχρηστον ὄν· οὐσίαν δὲ τῷ παντὶ μείζω τῆς χρείας ἐπιθυμοῦσιν ἅπαντες ἔχειν, οὐκ εἰδότες ὅτι τοῦτο ἐκείνου χαλεπώτερον.* Symmachus III. 10. 'Odi in parvo corpore longa velamina: illa vestis decenter indutui est, quæ non trahit pulverem, nec humum demissa calcatur.' *Pric.*

Quicquid aptam moderationem supergreditur, oneri potius quam usui exuberat] Senec. Epist. CVIII. 'Et ostendere quam quicquid usum excederet, pondus esset supervacuum, et grave ferenti.' Porphyr. *περὶ ἀποχ.* lib. I. *πολὺ τὸ ἡδὺ ἐν τῷ κατανοεῖν ὅσων τις χρείαν οὐκ ἔχει· ἀρθείσης γὰρ πολυτελείας, ἀρθείσης τῆς περὶ τὰ ἀφροδίσια πτοίας, ἀρθείσης τῆς ἔξω φιλοτιμίας, τίς λοιπὸν χρεία πλούτου ἀργοῦ; εἰς μηδὲν ἡμῖν χρησιμεύοντος, ἀλλὰ μόνον βαρήσοντος. Idem.*

Oneri potius quam usui] Utitur solenni metaphora ab oneribus sumpta. Sic de Cratete II. Floridorum: 'Rem familiarem abjecit velut onus tergoris, magis labori quam usui.' Infra heic: 'Ad vivendum, velut ad natandum, is melior qui onere liberior.' Salvianus I. contr. Avar. 'Divitias onerum atque impedimentorum loco ducentes esse.' D. Hieron. ad Ageroch. 'Divitiarum sarcina prægravati.' Theodoret. *περὶ προνοίας.* Serm. VI. *Πῶς ἂν φρονήσεως ἐν ἕξει γένοιτ' ἂν ἄνθρωπος τοσούτοις φορτίοις τὸ λογικὸν καταχωννύς*; Ibid. de pauperibus: *τὰς αἰσθήσεις ἐῤῥωμενεστέρας πλουσίων ἔχοντες, καὶ τῶν περιττῶν φορτίων ἀπηλλαγμένας.* Satyræ de Lite Author, priscus et venustus: 'Qui bona perdere avita Non dubitavit, ut hoc quasi pondere mente levatus, Liberius studiis incumbere posset honestis.' D. Paulinus Epist. 38. 'Quæ veritas in tantum valet, ut de Gentilibus quoque qui vel extremæ veritatis lineas celsioribus ingeniis attigerunt, inquirendæ, nedum sequendæ sapien-

tiæ vocari non posse senserint, nisi pecuniarum onera quasi stercorum etiam in mare quidam projicerent.' Sarisburiensis (quem corrigo) lib. v. cap. 17. 'Ad salutem via tutissima est divitiis et oneribus' (vulg. *rebus*) 'aliis expedito: difficillimum enim est ut possessoris' (vulg. *possessorem*) 'sui non impediant cursum.' *Idem. Oneri potius, quam usui exuberat*] Clare imitatur illa Senecæ, ad Helviam: 'Quicquid extra concupiscitur, vitiis, non usibus laboratur.' *Scip. Gent.*

Mergunt] An *devergunt?* In de Deo Socrat. 'Devergunt pondere:' at nil muto. Lucret. lib. v. 'Nunc rerum copia mersat.' *Pric.* Quemadmodum gubernacula enormia, non devergunt, i. e. merguntur, ipsa, sed mergunt naves facilius, quam eas regunt, ita divitiæ immodicæ mergunt, i. e. perdunt homines. Ms. D'Orv. *quam regant.* J. B.

Quod habent irritum cop.] Ἄπρακτον περιουσίαν, quæ in rerum actu magis impediat, quam adjuvet. *Casaub.* Adde σφαλερὰν περισσότητα. *Vulc. Irritam copiam, noxiam nimietatem*] Boëtius de Consolat. lib. II. 'Satietatem si superfluis urgere velis, aut injucundum quod infuderis fiet, aut noxium.' *Pric.*

Qui nullo strepitu] Seneca Tragicus Thyeste: 'Sic cum transierint mei Nullo cum strepitu dies Plebeius moriar senex.' *Brant. Nullo strepitu, modico cultu*] Seneca de constant. Sap. cap. 15. 'Domus sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu,' &c. Juvenalis Sat. VII. 'Et strepitu, et facie majoris vivere census.' *Pric.*

Supervacaneu] Falsi qui scribi jubent *supervacua.* Florid. III. 'Supervacaneo studio.' Onomast. vet. 'Supervacaneus, περισσός.' *Idem.*

Poscit necessaria] Inepta et contra Auctoris mentem scriptio. Lege *possit nec.* Sequitur statim, 'non ultra volentes, quam poterant:' et non longe ante, 'delicias ventris neque vult ullas neque potest:' quem locum male sunt quidam arbitrati emendationis egere. *Casaub. Poscit necess.* Sic Florent. Casaub. *possit nec.* Elmenh. Casaub. *possit.* Supra, 'neque vult ullas neque potest.' Infra, 'non ultra volentes quam poterant.' *Pric.* Salm. quoque *possit* cum Edd. Vic. Vulc. sec. tert. et Wow. Verum Elm. et hinc Flor. tacite ediderunt *possideat.* Non tam inepta est vulgaris Mstorum et Edd. ante Casaubon. itemque Pric. et Scriv. lectio, *poscit:* nemo pauper est, qui, non cupiens supervacanea, *poscit* tantum necessaria. Hinc subjicit Auctor: 'namque is plurimum habebit, qui minimum desiderabit.' Observatum autem Appuleio, in toto hoc de recta divitiarum æstimatione loco, Ciceronis Paradoxon in Crassum, ubi inter alia: 'Quem intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius:' hoc est quod App. dicit, qui 'supervacanea nolit, poscit nec.' verum tum scribere debuerat *poscat.* Quare Casauboni emendationem sequor, in primis, quia hunc locum respexit Auctor infra: 'At contra hi philosophi, non ultra volentes quam poterant.' De sententia autem cf. Auson. Epigr. 134. et Epic. in patr. vs. 23. ibique Toll. *J. B.*

Quæ natura oppido pauca sunt] Manil. 'Parvos usus natura reposcit.' Lucanus: 'Discite quam parvo liceat traducere vitam, Et quantum natura petat.' Senec. ad Helviam: 'Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum non magno apparatu opus esset.' *Pric.*

Is plurimum habebit, qui minimum desiderabit] Censorinus Procem. 'Quisque non quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat, tanto est locupletior.' P. Syrus: 'Is minimo

eget mortalis, qui minimum cupit.' Valerius de Fabricio: 'Locupletem istum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare.' *Idem.*

PAG. 437 *Divitiæ non melius in fænore et fundis, quam in ipso hominis æstimantur animo*] Scitissimam γνώμην hanc quasi certatim plures expressere. D. Ambros. Epist. LXXXII. 'Non census divitem sed animus facit.' Ausonius: 'Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re, Ille opibus modus est, quem statuas animo.' Seneca ad Helviam: 'De contempta pecuniæ multa dicuntur, et longissimis Orationibus hoc præcipitur, ut homines in animo, non in patrimonio putent esse divitias.' Xenophon. in Conviv. Νομίζω τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἐν τῷ οἴκῳ τὸν πλοῦτον καὶ τὴν πενίαν ἔχειν, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς. Chremes Terentianus Heautontim. 'Quid reliqui est quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona? Parentes, Patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias: Atqui hæc perinde sunt ut illius animus qui ea possidet.' *Idem.*

Nec montibus auri satiabitur] Themist. Euphrad. Οὐκ ἵστησι τοὺς ἀεὶ τοῦ πλείονος ὀρεγομένους πέρας οὐδὲν, οὐδὲ ὅρος οὐδεὶς, οὐδ' ἂν πέλαγος εἴπῃς Ἀτλαντικὸν, οἷς γὰρ οὐ πέπηγεν ὅρος ἐν τῇ ψυχῇ, οὐδὲ ἐν τῇ γῇ. 'Montes auri' proverbiale est. Plaut. Aulul. 'Pici divitiis qui montes aureos colunt.' Varro περὶ γενεθλιακ. 'Non demunt animis curas ac religiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi:' sic πόντος χρυσίου apud Phœnicem Poëtam veterem Epistol. lib. II. Ἀνὴρ Νίνος τις ἐγένεθ', ὡς ἐγὼ κλύω, Ἀσσύριος, ὅστις εἶχε χρυσίου πόντον. Καὶ τἄλλα πολλῷ πλεῦνα Κασσίης ψάμμου. *Idem.*

Ante parta] Sic Plaut. Truculent. A. I. Sc. 1. 'Unde ante parta demus post partoribus.' *J. B.*

Nec refert quam magnum sit, quod tibi minus est] Seneca de remed. &c. 'Fælix est non qui aliis videtur esse, sed qui sibi.' Et Epist. IX. 'Non est beatus esse qui se non putat: quid enim refert qualis status suus sit, si sibi videtur malus?' *Idem.*

Philus] De hoc Philo nihil usquam se reperire ait Floridus. Non igitur legerat V. D. Ciceronis Lælium? ubi plus semel mentio Phili, amici Scipionis Africani. cf. cap. 4. 7. et 19. ubi: 'Nunquam se ille' (Scipio) 'Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio anteposuit, nunquam inferioris ordinis amicis.' Id. ad Att. IV. 16. 'Hanc ego de republ. quam institui disputationem, in Africani personam, et Phili, et Lælii et Manilii contuli.' cf. Ernesti in Ind. Cic. Hist. v. L. Furius Philus. Amicus quoque fuit Terentii si quidem, ut videtur, hic est ille Furius, quem, cum Africano et Lælio, familiarem Terentio fuisse tradit Portius apud auct. libelli de Vita Terentii, Suetonio adscripti. Miror, etiam Scriver. margini adlevisse h. l. *philosophus.* Idem.

Nec Lælius quantum Scipio] Cicero: 'Nec me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios, multi venalicii mercatores superarunt.' *Pric.*

PAG. 438 *Sed congruentibus desideriis*] Eadem plane docet Chrysostomus Homil. LXXXI. in Matthæum, ubi Avaritiæ mala enumerat atque exagitat incredibili facundia. Vide divinam orationem, quæ mirifice hunc totum locum Appuleii de paupertate et divitiis illustrat: delectabit te duorum eloquentissimorum hominum similitudo, et quasi certamen: me quidem hæc collatio singulari voluptate adfecit. *Scip. Gent.*

Pauper enim sis app. eg.] Alii *p. e. fis a. e.* Augustin. Serm. 206. 'Avaritia est esse velle divitem, non esse divitem.' Manilius lib. IV. 'Pauperior bonis quisque est, quo plura requirit.' Ausonius: 'Quis dives? qui nil cupiat: quis pauper? avarus.' Vide notas ad Minutium Felicem et

Agellium l. IX. cap. 8. *Elmenh.* *Pauper fis appetendi egestate.* In de Philosophia: 'Egestatem non absentia pecuniæ, sed præsentia immoderatarum cupidinum gignit.' Ibid. 'Quanto plurium cupidior, tanto egentior.' Hyperides apud Rutil. Lupum de figur. &c. 'Qui parcus est, utitur eo quod satis est: tu contra propter avaritiam quo plus habes, magis eges: ita non tam diligentiæ' (malim *opulentiæ*) 'fructus quam inopiæ miseria te consequitur.' *Pric.*

Dives non egendi satietate] Apud Philostrat. Apollonius: Τὸ δεῖσθαι μηδενὸς, ἐμοὶ Λυδία, καὶ τὸ Πακτωλοῦ πᾶν. Minuc. Octav. 'Quis potest pauper esse qui non eget?' Dion. Halicarnass. Πλούσιος οὐκ ὁ πολλὰ κεκτημένος, ἀλλὰ ὁ μικρῶν δεησόμενος. Isid. Pelusiota lib. V. Epist. 450. Αὐτὸν πλοῦτον ἔχειν, ἀλλὰ τὸ μὴ δεῖσθαι πλούτου, πλοῦτός ἐστι μέγιστος. *Idem.*

Equus si virtutibus suis polleat, &c.] E Xenophontis Œconomico. Paria apud Stobæum legere est Serm. I. Nostrum in de Deo Socrat. Juvenal. Sat. VIII. *Idem.*

Æquabilis vector, et cursor pernix] D. Chrysost. Δρομικὸν εἶναι, καὶ εὐσκελῆ, καὶ βαδίζειν εὔρυθμα. Loco jam dicto Noster: 'Ad cursum vegetus, ad vecturam validus.' Ibid. 'Volo enim non modo perniciter, sed etiam permolliter pervehat.' Item IV. Florid. 'Advectorem sibimet equum seligunt diutinæ fortitudinis, vivacis pernicitatis: idem' (malim *eundem*) 'et ferre validum, et ire rapidum.' Ennodius: 'Sublimem, validum, formosum, passibus aptum.' Idem: 'Cornipedem scandi qualem vix Cyllarus æquat, Mollibus æthereas qui vincit cursibus auras: Immobilis cujus currat per devia sessor, In statione volans pedibus constanter adactis.' *Id.*

Gracili Lare] Capitol. Clod. Alb. cap. 4. 'Natus Lare modico, patrimonio pertenui, parentibus sanctis.' *J. B.*

Pauciores habeo] Aut valde hujus animi frustra sum, aut scripsit Auctor: *quod paucos servos habeo*; paulo ante: 'Sed finge hæc aliter se, ac me ideo pauperem, quia mihi fortuna divitias invidit.' Expedita mihi, atque adeo certissima ad emendationem semita, ex geminatione syllabæ scribo, *aliter* SE, pro *aliter esse*. Virg. IV. Æneid. 'Quis me autem, fac velle, sinet?' Locutiones solennes linguæ Romanæ proceribus: 'fac ita esse:' 'fac aliter esse:' 'finge illum posse:' 'puta me dedisse:' 'pone victum esse:' 'da retineri posse,' &c. de quibus nos in usum puerorum egimus in lib. de Partic. *Stewech.* Vel *pauciores res habeo* scribendum, vel *pauciora*. Casaub. Alii libri *paucioris*. Fulv. *paucioris habito*. Sciopp. in Symb. Puto deesse vocem *servos*. V. C. *paucioris*; unde Fulvius autem legit *paucioris habito*: nescio an satis Latine. *Scip. Gent.* *Ego servos habeo.* Fulv. *quod paucioris habito*. Casaub. *pauciora habeo*. Sed nil mutandum. *Elmenh.* Varia hujus loci lectio est in excusis, nec minus variæ Expositorum conjecturæ sunt. Liberiores hujusmodi interpolationes mero ingenio nixas, utcunque a viris conspectissimæ eruditionis profectas, nos tanti nunquam putabimus esse, ut in easdem discedere velimus, quum præsertim majore compendio verum posse erui putamus. Ex fide boni hominis Isaaci Pontani, præfert Ms. Cod. *pauciores h.* qui non perceptus Archaismus videtur loco corrumpendo fuisse. *Habere* est *habitare*, ut apud Plautum et Comicos. Exempla pluscula apud Nonium cap. 4. vide. Varro de L. L. IV. 'Apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere solet.' Sumptum est a veteribus Græcis, apud quos sæpius ἔχειν pro οἰκοῦν legas: ut in illis ... θεοὶ Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, Item ... μακάρεσσι θεοῖς οἱ Ὄλυμπον ἔχουσι. quæ apud Homerum et Hesiodum quasi ex

more occurrunt. Theocrit. Eidyll. VII. Νύμφαι Κασταλίδες Παρνάσιον αἶπος ἔχοισαι. Scholiast. αἱ οἰκοῦσαι τὸ ὕψος τοῦ Παρνασοῦ. Et ne ita Poëtas tantum locutos putes, addam specimen e prorsa oratione. Marmor Cretense vetustissimum, nuper in Britanniam delatum, auspiciis Excellentissimi Herois, Thomæ Arundeliæ Comitis, solertia docti juxta ac sagacis Petræi: ΕΠΙ ΤΑΙ ΧΩΡΑΙΑΙ ΕΚΑΤΕΡΟΙ ΕΧΟΝΤΕΣ ΚΑΙ ΚΡΑΤΟΝΤΕΣ. At præstat totum adscribere, cum quia nondum est editum, partemque exhibet fœderis antiquissimi, voces etiam nonnullas hactenus inauditas: tum ut videant, qui his literis cupiunt, quam constanter hoc in stadio pergunt, honorique Antiquitatis consulunt, auctoritate, splendore, opibus, Illustrissimus Comes noster; Petræus cura, judicio, ac labore. *Pric.* Sequitur hic apud Pricæum exemplum ipsius marmoris, primo litteris majusculis, tum communiore charactere, ubi ex ingenio supplevit V. D. quæ deerant: dein subjecit versionem Latinam, cum brevibus notulis, versionem illam spectantibus. Hunc totum locum autem, quia ad Auctorem nostrum nihil omnino pertinet, rectius omittendum in hac Ed. putavimus. *J. B.* *Quod pauciores habeo.* Supple *domesticos, famulos,* nec quidquam interpolandum. Quæ sequuntur mire quadrant cum hoc intellectu: nec probo quæ hic Pricæus habet nimis intelligendo nihil intelligens. *Florid.* Nihilominus utrumque, et *ego* et *servos* in textu servavit Flor. cum Vulc. Ed. tert. et Elmenh. *Servos* exhibuit quoque Wow. Sed utramque vocem denuo ejecerunt Scip. Gent. ac Pric. et uncis inclusit Scriv. Comparent sane *ego* et *servos*, quorum hoc merum est additamentum Stewechii, in nulla Ed. vet. nec, quod sciam, Msto Cod. licet ex silentio Elmenh. et Lindenbrogii in Excerptis fere est ut colligam, in Mss. Florent. esse *ego servos*. Equidem non dubito, quin subintelligendum sit *servos:* quam vocem subaudiri ab Auctore, obscurum esse non poterat hominibus Latine loquentibus, quibus solemne erat verbo *pascere* uti, de dominis servorum. Spartian. in Hadr. cap. 11. de famulitio: 'ne quid otiosum vel emeret aliquando, vel pasceret:' ubi vid. Casaub. Sic 'ventres pascere' Petron. c. 57. vid. Pricæi notas p. huj. Ed. 161. a. ad illud: 'Unicam pascebat ancillulam.' Quomodo τὸ *servus* aliquoties ἐλλείπῃ, cf. Sanct. Min. IV. 4. Eleganter Amm. Marc. XXVIII. 4. § 9. de opulentis Romanis istius ævi, magno cum fastu, balneas intrantibus, et minaciter clamantibus: 'ubi sunt nostrum?' Quod autem Salm. et Lips. in marg. itemque Pric. putant *paucioris habeo* legendum esse, pro *vilius habito,* id cum Gentile et Jungermanno in Epp. Gud. p. 363. vereor ut Latinum sit, licet *habeo* frequens sit hoc sensu: de viliore domo dixerat quoque jam, 'vivo Gracili Lare;' neque est tum, quo referas *pasco* et *vestio;* nisi subintelligendum putes *me:* et sane, si *pasco* et *vestio* ad servos sit referendum, nimis ἀσυνδέτως tum sequi *minus obsono,* non est quod diffitear. In Mss. Lips. Pith. et Edd. ante Colv. est quidem *paucioris:* sed hoc nihil aliud est, quam frequens illa scripturæ variatio in acc. plur. 3ae decl. per *is, eis,* et *es.* Ms. D'Orv. *abeo.* J. B. Ad marmor Cretense, cujus mentio apud Pricæum in nota citat V. D. ad calcem Ed. Casaub. in Biblioth. Cl. V. M. Tydeman. Reines. VII. 22. p. 491. Reisk. ad Anthol. Cephalæ p. 170. *Idem in Addend.*

Animi ut corporis, sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est] Lactant. Divin. Instit. l. VII. cap. 1. 'Eo fit ut pauperes et humiles Deo credant,' (malim, *accedant*) 'facilius, qui sunt expediti, quam divites, qui sunt impedimentis plurimis implicati: imo catenati et compediti, serviunt ad

untum Dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit.' D. Hieron. ad Rufin. ' Nisi me attenuati corporis vires quadam compede præpedissent.' Fors et Glossarii mens ea, ubi 'Ποδάγρα, pedica.' Vide quæ notamus infra, ad ea 'morbo impeditus.' *Pric.*

PAG. 439 *Velut ad natandum*] Eadem assimilatione Paulinus Epist. XXXVIII. ' Atque utinam vel nudis nobis ex istius mundi salo liceat evadere, et in tempore isto quo in fragilitate corporea, et possessionum lubrico, tanquam in navigii fatiscentis infida compage fluitamus, exuere nos ad enatandum impedimentis angentibus, quasi vestibus madidis: et fidem salutarem, qua in virtute Christi Dei, vexillo crucis nitimur, quasi tabulam perfugii meminerimus invadere.' Et in Polycrat. Sarisburiens. lib. v. cap. 17. ' Sic omnes post divitias currunt, ac si alibi laborum requies dolorumque solatium inveniri non posset: ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si prægravi sarcina fuerint onerati.' *Idem.*

Cui quam minimis opus sit, eum esse Deo similiorem] Scitum Cynicorum. Vide Laërtium in Menedemo. Silenus Marco Imperatori apud Julianum in Cæsarr. Τί ποτε ἐνόμιζες εἶναι τὴν τῶν Θεῶν μίμησιν; καὶ ὅς, δεῖσθαι μὲν ἐλαχίστων. Xenophon Memorab. l. I. Ἐγὼ μὲν νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δ' ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου. Eadem in Cynic. Lucianus, et in Proëm. Censorinus. *Idem.*

Proinde gratum habitum] Insanabile vulnus inesse in his verbis doctissimus Interpres ait. Sententia tamen Appulei nihil clarius, gaudentis, sibi talia vitio verti, quæ pro gloriosis ipse amplectitur. *Scip. Gent.*

Proinde gratum habitum ad contumeliam diceretis] Inest in verbis vulnus, vereor ut insanabile: tamen erit sententia non contemnenda, si legas, *Proinde gratum habui cum ad contumeliam diceretis.* Sed præit ad aliam emendationem liber Rom. ubi *dicentis* (pro *dicenteis*, ut assolet) legitur, non *diceretis.* Fors fuat desunt aliquot voces: quas sine librorum ope velle comminisci, μαίνεσθαι μᾶλλον εἴη ἴσως, ἢ μαντεύεσθαι. *Casaub.* Legebam *Graium:* ut habitum Græcorum philosophorum intelligat, qui cum pera et baculo ambulabant. Nisi tamen *gratum hab.* sic dixit, ut supra, ' Acceptum philosopho crimen et ultro profitendum:' ubi itidem de paupertate loquitur. *Acidal.* Insanabile vulnus in his verbis inesse, doct. Casaub. putabat, conjicitque deesse aliquot voces, quas sine librorum ope velle meminisse, μαίνεσθαι μᾶλλον εἴη ἴσως, inquit, ἢ μαντεύεσθαι. Quæ verba summi viri ideo refero, ut Acidalii εὐστοχίαν impensius laudes. Is enim sic legendum putabat, *proinde Graium habitum ad contumeliam diceretis, &c.* ut habitum Græcum philosophorum intelligat. Nisi tamen, inquit, *gratum habitum* sic dixit, ut supra ' Acceptum philosopho crimen:' sed prior conjectura mihi magis placet. Julius Capitolinus in M. Antonino: 'Habitum philosophi adsumpsit.' *Scip. Gent. in Append.* Lege cum Acidalio, *proinde Graium habitum.* Elmenh. Locus qui multos exercuit, quia in speciem corruptus. Valens Acidalius scribit *Graium hab.* intelligens clavam et pallium, Philosophorum gestamina. Facilior veniæ locus illi si errasset solus, neque pendulas erroris consequias traxisset alios. Casaubonus hiatum subesse putat, sine Mss. ope non explendum: aut certe *habui* legendum, ut in Fulvio libro. Sed hoc recedit nimis a vulgata lectione: cujus heic et ubique habenda semper ratio. Ego, ut ne peccem hoc nomine, retinebo *habitum:* hoc valet *habuisse*, et ita loquutum Valerium ex fide veterum Codd. tradunt Pighius et Lipsius. Verba ejus: ' Æque mitis animus Pyrrhi regis: audierat

quosdam in convivio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum:' ubi vulgo male legitur *habuisse*. Interpretes Valeriani γραφὴν veram inculcarunt quidem, de cetero, vera necne, non ausi affirmare. Nos in Valerio eam stabilivimus, in Nostro revocavimus. *Pric.* Mss. et Edd. nihil variant, nisi quod Edd. Rom. Vic. *dicenteis* et Scriv. *pr. Deo g. h.* neque tamen in his idoneum sensum video. Verissime emendasse mihi videtur Casaub. cujus emendatio non nimis longe recedit a vulgata lectione, (*habui cum* facile abire potuit in *habitum*,) et sensum exhibet planissimum: hanc igitur, quum probatam videam quoque a Salmasio, et Lennepio V. Cl. exprimere, quamvis nimis audacter fortasse, sustinui. Crusius Probab. Crit. p. 54. divinabat *gratum habitum an contumeliam dicetis?* J. B.

Pera et baculus] Omittit Pallium: quod et divites usi. *Scip. Gent.*

PAG. 440 *Solitatem*] Idem *solitarem*. Colv. In Ms. exaratum fuit *solitarem:* quod profecto retinerem, si historia modo faveret, et esset *Solitaris* pro *unico*. Sic in seqq. Arbores plurimas et frugiferas præ uno baculo sprevit, villas ornatissimas una perula mutavit. *Meurs.* Sed, quantum memini, ne unicum quidem servum habuit Crates. Imo Noster Flor. N. XIV. 'Exinde non modo solus, verum nudus et liber omnium, quoad vixit, beate vixit:' ubi plura de Cratete, rem familiarem abjiciente. *Solitatem* ergo delegit Crates, quæ vox occurrit Met. l. IX. p. 627. et memini me legere eam quoque apud Amm. Marcell. *J. B.*

Frugiferas] Flor. *fructiferas*. Elmenh. Ut apud rei rusticæ scriptores. Sane, licet aliquoties *fructus* et *fruges* confundantur, proprie tamen distinguenda videntur. Noster de Dogm. Plat. lib. I. p. 583. Ed. Flor. 'Terrenumque esse arborum, ceterarumque frugum, quæ humi fixæ vitam trahunt.' Proprie itaque agri *frugiferi*, arbores *fructiferæ*. Non tamen observatur ubique hæc distinctio. Pliniani lib. XV. duntaxat titulus est 'Naturæ arborum frugiferarum:' et 'frugiferas' arbores idem dixit lib. XII. c. 3. licet alibi 'fructiferas' dixerit. Vide omnino Heins. et Burmann. ad Ovid. Nuc. vs. 19. et Oudend. ad Lucan. I. vs. 135. *J. B.*

Πήρη τις πόλις ἐστὶ] Qui istius parodiæ Cratetis loco, ipsa Homeri verba, quæ in vulgatis Edd. hic leguntur, substituit, næ ille fuit insigniter et imperitus et audax. Nam quis stupor aut κορυβαντιασμὸς, non vidisse illa non convenire isto loco! quæ vero audacia discedere a Rom. ed. ubi diserte ita legitur! Ex ea nos et Græca verba Cratetis (quæ tamen ex Laërtio multo ante annotaveramus quam eum librum vidissemus) et eorum versionem Appuleii restituimus. *Casaub.* Homeri, non Cratetis, versus comparent in Edd. Junt. post. Basil. Colv. Vulc. pr. et κρήτη est in Ms. Pith. in Lips. ὀρθή. Casaub. cum seqq. πήρη τις πόλις ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ καλὴ καὶ πίειρα. Vulc. pr. et Colv. male πεῖρα, qui addunt περίῤῥυτος. Sed Ed. Vulc. tert. pro πόλις, quod est in Mss. et Diog. Laërtio, habet γῆ, Edd. Basil. et Elm. ex Homero γαῖ'. In Edd. Junt. pr. Ald. et Ms. D'Orv. Græca desunt. Addidit Casaub. et cum eo Scip. Gent. Latina hæc: *Cæruleo in medio quædam urbs est perula ponto Pulchra et opima:* quæ, utpote ab Appuleio non profecta, cum reliquis Edd. omisi. Perperam quoque in ea versione est *ponto*, quum ipse Casaub. ediderit τύφῳ. Melius Laërtii interpres: 'Est quædam medio constructa urbs Mantica fastu; Pulchra quidem et pinguis.' *J. B.*

Equitibus phaleras] V. Marcilii Not. ad Persium. *Pric.*

PAG. 441 *Togam palmatam*] Insignia triumphantium, quod notum est, toga

picta, olim, et tunica palmata fuere. Non temere propterea suspectum quisquam habeat hunc locum. Nam etiam palmatæ togæ postea factæ: quas reperio fuisse triumphi et consulatus insigne. Constat hoc ex Martiale, Tertulliano, Cassiodoro, et Ennodio. Verum de istis alibi. *Casaub.* Nempe ad Lamprid. Alex. Sever. Addatur omnino Salm. ad Vopisci Carin. c. 20. ostendens olim tunicas triumphales fuisse tantum palmatas, ita dictas a clavorum latitudine; togas vero pictas vel purpureas, ut apud Livium semper ea distinctio obtinet: postquam vero et tunicæ triumphales pingi cœptæ sunt, et a picturæ argumento *palmatæ* sunt appellatæ, etiam pictis togis hoc idem nomen datum esse, et *palmatas* passim ipsas vocatas; nec enim aliter ævi medii scriptores eas appellitare consuevisse, quam *togas palmatas*. Hæc Salm. Aliquoties tamen apud Hist. August. Script. eadem distinctio, quæ apud prioris ævi Auctores obtinet. Trebell. Poll. c. 8. 'cum picta toga et tunica palmata.' Vopisc. in Aurelian. cap. 13. 'tunicam palmatam ... togam pictam.' 'Palmatam vestem' dixit Tertull. Apolog. cap. 50. 'palmatas,' non addito substantivo, Lat. Pacat. Paneg. c. 9. Add. h. l. Pricæi nota. *Togam palmatam* cum nostro Auctore dixit Martial. VII. 2. 8. ad loricam: 'magnos illæsa merere triumphos, Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.' *J. B.* *Togam palmatam.* Qualis hæc, quam expressimus e nummo Augusti. [Sequitur in Ed. Pric. haud inelegans delineatio togæ palmatæ. *J. B.*] Primo Triumphantium, post Consulum et Consularium fuit. Sumebatur autem e Templo Jovis Capitolini. (Livius lib. X. Juvenal. Sat. X. Ausonius Paneg. Lamprid. in Severo.) Quem morem abrogavit Gordianus senior Capitolino teste c. 4. *Pric.*

Pontificibus galerum] Varro lib. II. de Actione scenica: 'Galera, unde et Galeritula dicuntur:' ut legimus apud Charis. lib. II. Sic rescripsimus post ex Rom. et Ven. libro, *Lituum*, eodem genere. Sic quoque Nasum et Nasus, Collum et Collus, Lorum et Lorus. *Colv.*

Mendicabula animi sordent] Corrigere malim, *mendicabula, nimis sordent.* Idem. Lege *m. nimis sordent*, quod et aliis ante nos in mentem venerat. Erroris aperta caussa. Sic Floridorum 'quædam palliata mendicabula obambulant.' *Casaub.* Nuper in Mantissa ad librum de Luxu Romanorum censui legendum, *ut mendicabula nimis sordent.* Nunc video ante me ita fecisse et Casaubonum, quibus libens rescribo, contentus tantæ auctoritatis approbatione, qua merito gaudeo. *Meurs.* Forte rectius fuerit, *mendicabula hominum*, ut Plautus dixit, 'mendicabula regum.' Similis est significatio vocabuli *Nugæ*, quod observo Latinis poni pro hominibus malis et postremæ notæ. Cic. I. Epist. ad Q. Fratr. XI. 'Ego Apamensem Ephesium, ego levissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnæum, ego nugas maximas omni comitate sum complexus.' Mamertinus in elegantissimo panegyrico Juliano Imperatori dicto: 'At tu, Auguste, omnibus nugis remotis, optimum et doctissimum quemque perquiris.' Nugas dicit, quos paullo ante homines indoctissimos, vilissimos, improbissimosque adulatores adpellaverat. *Scip. Gent. in Append.* Flor. *m. animi sordent.* Elmenh. Colvio et Casaub. cum Groslot. et Salmas. in marg. tacite adsensum præbuerunt Elm. et seqq. ut repetita fuerit ultima littera vocis præcedentis, deinde ultimam prima sequentis absorpserit: quod firmat sane lectio alterius Cod. Florent. *mendicabula a nimis sordent.* Quoniam tamen in reliquis Mss. et in Edd. vett. cunctis diserte exstat separatim

animi; ego antiquam hanc et scriptam lectionem revocandam putavi. Jungo autem *animi* non cum τῷ *mendicabula*, ut reliqui intpp. fecisse videntur, sed cum *sordent*, hoc sensu: 'quoniam animo fastidis istos, veluti quosdam mendicos.' Dicitur autem 'sordere animi,' ut, 'angi animi,' 'consenescere animi,' 'recreari animi,' et sim. alia apud Nostrum. Adi Oudend. ad Met. I. p. 75. et ad II. p. 116. b. In adjectivis et præteritis participii hic genitivus Nostro quasi proprius. V. Ind. in v. 'Genitivus.' Infra p. 521. 'derepente animi mutatum.' Flor. N. XV. 'his artibus animi expletum.' Ms. Pith. *quidam mendicatitiā.* J. B.

Purgator ferarum] Lege *pugnator f.* nisi tamen alii occuparunt. Sic Seneca de Tranq. Vit. c. 2. 'Hos enim Stoici nostri sapientes pronunciaverunt, &c. et victores omnium terrarum:' ubi malim *ferarum:* de Ulysse et Hercule sermo est, cum quibus comparat Catonem. Alias et 'gentium domitor victorque' dicitur: ut vel Appuleio h. l. et de feris locutum ostendunt seqq. 'Cato cum feris manum non contulit,' &c. Collationis hæc summa. Hercules et Ulysses cum feris ac monstris luctati sunt, et vicerunt victores inclyti. Cato non cum feris aut monstris, sed cum ambitu, cum potentiæ cupiditate, cum vitiis civitatis degenerantis, malis sane multiformibus et monstris teterrimis, depugnavit, neque, quoad vinceret, vincere illa passus est. Sic Appul. philosophum Herculi comparat, IV. Florid. 'Quod Herculem olim poëtæ, &c..... memoria exstat.' Sed et Lucretius l. v. Herculem et Epicurum comparat, quod monuit Muretus. *Acidal.* Nonnulli pessimo exemplo *pugnator* scribunt. Noster in Floridis: 'Herculem olim, Poëtæ memorant, monstra illa immania hominum et ferarum virtute subegisse, orbemque terræ purgasse.' Et statim: 'omnes pestes mentibus exegit, familias purgavit.' Græci eod. argumento ἐκκαθαίρειν. Themist. Euphrad. Orat. 2. Τυράννων τε ὠμότητα, καὶ θηρίων ἐκάθηρεν. Lucian. Deor. Dial. Ἐκκαθαίρων τὸν βίον, θηρία καταγωνιζόμενος. *Pric.* Lactant. Inst. Div. I. 9. 'Hercules, qui orbem terræ peragrasse ac expurgasse dicitur:' et proprium est de Hercule apud Græcos scriptores καθαίρειν. v. loca a Celeb. Wyttenbachio allata, Bibl. Crit. vol. II. p. 25. Pro *lustrator orbis* Pith. *lustror orbi.* J. B.

Ad censum disserundum] In vetustis codd. ex antiquo scribendi more, fuisse autumo, *ad censum differendum*, vel, *deferendum* conveniens vocabulum ei, qui in judicio tanquam apud Censorem patrimonii sui vires professurus erat. Itidem Ulpianus in formula censuali: 'omnia,' inquit, 'ipse, qui defert, æstimet.' Idem: 'lacus quoque piscatores, et portus in censum dominus debet deferre.' l. forma ff. de censibus. Rursum depravate apud eundem Appul. superiori versiculo vulgarunt, 'Hercules purgator ferarum:' cum deberent *pugnator*. Stewech. Legebam *deferundum*. Gellius XVI. 10. 'Tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant.' *Pric.* Ms. D'Orv. *dissernitdum.* Pith. *difundum.* Non male quidem Pric. et jam ante eum Stew. conjecere *deferundum*, quemadmodum locutus est Tertull. de præscr. adversus hæret. cap. 32. 'Hoc enim modo Ecclesiæ census suos deferunt.' Sed non muto temere vulgatam lectionem. 'Disserere censum' est edere, profiteri censum, sive bona, facultates, rem familiarem. Simili notione *disserere* usurpavit Auson. Mos. vs. 83. 'Squamigeri gregis ede choros, liquidaque sub alvo Dissere cœruleo fluitantes amne catervas

vas.' 'Fabulas disserere' dixit Phædr. Prol. l. v. et Sept. de B. Troj. III. 16. 'rem, ut gesta erat, disseruit.' cf. Oudend. ad Met. l. VII. p. 451. 'sequens verbum nullo pacto disserere potui.' Mss. Pith. D'Orv. *sensum*. J. B.

PAG. 442 *Vicies paulo secus*] Ut l. III. Florid. in princ. 'Exemplum ejus rei paullo secus quam simillimum commemorabo.' *Brant.*

Idque a me longa peregrinatione, &c.] Tota ex Apollonio [Philostr. l. VIII. c. 7. p. 332. Ed. Olear. *J. B.*] Pric.

Modice imminutum] Imo vero non modice. Ait ipse Milesia ultima: 'Nam et viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensæ: et erogationes urbicæ pristinis illis provincialibus antistabant:' ubi et alia in hanc sententiam. Sed ita hic loquitur Appuleius, quia nihilominus dives remansisse videri voluit. *Casaub.* Prudenter dicit *modice*, et caussas honestissimas hujus imminutionis recenset, quod probro id sibi, ut aliis, datum iri videbat. Strabo de Arabibus loquens: ὥστε καὶ δημοσίᾳ τῷ μὲν μειώσαντι τὴν οὐσίαν ζημία κεῖται, τῷ δ' αὐξήσαντι τιμαί. Athenæus Democritum Abderitam, quia bona paterna absumpserat, publice condemnatum fuisse ab Areopagitis narrat: sed ubi mundi seriem, inferorumque arcana declarasset, continuo dimissum fuisse. Solonis nimirum lex erat, quam Laërtius recitat his verbis: Ἐάν τις μὴ τρέφει τοὺς γονέας, ἄτιμος ἔστω· ἀλλὰ καὶ ὁ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ὁμοίως. Sed ut ad Appuleium nostrum redeamus, alibi contra de se scribit: 'nam et viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensæ: et erogationes urbicæ pristinis illis provincialibus ante stabant.' Sed hic in judicio loquebatur, et capitis res erat: vel quia, ut doctissimus amicus noster putat, nihilominus dives remansisse videri volebat. Quod autem in eadem Milesia dicit, se adeo pauperem esse, ut vestem vendere sit coactus, quo sacrorum impensis parem summam corraderet, ad illud tempus, quum hæc diceret, referendum videtur. *Scip. Gent.* Vulc. adlevit quoque *haud modice*. J. B.

Quorundam filias dote auxi] Phalaris Epist. 143. Πέντε τάλαντον προῖκα κατέλιπεν αὐτῇ (θυγατέρι) Φιλόδημος ἐκπλέων παρ' ἡμῖν· καὶ οὐχὶ ταῦτα μόνον· ἔστι γὰρ αὐτῇ κοινὰ καὶ τὰ Φαλάριδος χρήματα. V. Hesych. Illustr. in Empedocle. Sæpe integre dotabant etiam. Noster x. Miles. 'Ut desolatam puellam, parentumque præsidio viduatam, domus suæ tutela receptaret: ac mox arctissimo, sibique multum dilecto, contubernali, largitus de proprio dotem, liberalissime traderet.' Specimen munificentiæ hujus insigne Vespasianus præbuit. Suetonius: 'Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit, dotavitque etiam et instruxit.' *Pric.*

Contemptu patrimonii] Lipsius argute, *contemptum patrimonii*. Colv. Cæcus sit oportet qui non videat vulgatam lectionem *contemtu* esse mendosam: nec debuit Colvius, præsertim qui tantum auctorem haberet, de ea in contextum recipienda dubitare. *Casaub.* Recte Lipsius. Mss. et editi *contemptu patrimonii* habent: male. *Elmenh.* Lipsii emendationem, receptam a Casaub. et seqq. firmat Ms. Pith. *J. B.*

Tanti revera estis, quantum habetis] Horat. Serm. II. 'Tanti, quantum habeas, sis.' Poëta vetus apud Senecam, Epist. 115. 'Tanti quisque, quantum habuit, fuit.' Lucillius: 'Quantum habeas, tanti ipse fies, tantique habearis.' *Pric.*

Arbor infœcunda, et infœlix] V. Muret. Var. VIII. 9. Brodæum Miscell. I. 1. Juret. ad Symmach. x. 28. Mercer. ad Nonium. Meurs. ad Lycophron. *Idem.*

Uno asello] Miles. IX. de seipso

tum sub asino delitescente: 'Me pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, magno ut aiebat, sed ut communi labore victum sibi quæreret.' Breviter porro, sed acerbe, Æmiliani sive μικρολογίαν, sive egestatem perstringit, nam 'Quod fieri per asellum potest, vilissime constat,' inquit Plinius l. XVIII. c. 6. quod et fuse persequitur Columella lib. VII. cap. 1. *Idem.*

Ad tempestivum imbrem tr. exarabas] Promptum hoc e rustica disciplina. Plato apud Plin. XVIII. 9. 'Ara tempestive,' h. e. dum impendent imbres, *post* in sulcos casuri: atque ita Virgilium IV. Georg. capio: 'Incumbere aratris, Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.' Et Claudianum: 'Felix qui Pharias proscidit vomere terras, Nubila non sperat tenebris condentia cœlum, Nec graviter flantes pluviali frigore Coros.' Locus est perquam luculentus, sed cujus sententiam corrumpit Barthius, dum τὸ *sperat*, *metuit* pessime interpretatur. *Pric.*

Unde tibi potius] Interrogationis nota in fine posita istius periodi totam sententiam corruperat, quæ hæc est: Æmilianus iste ob cadaverosam faciem et Acheronticam, vulgo Charon audiebat. Infra: 'Igitur agnomenta ei duo indita: Charon, ut jam dixi, ob oris et animi diritatem.' Hic vero vult videri Appuleius non ob turpitudinem formæ id ei adhæsisse cognomen: sed ex eo potius, quod multos suorum cupiditate hereditatis sustulisset; quamquam istud ab eo non tam dicitur, quam per figuram innuitur. Simili artificio et sub finem orationis utitur: ubi caussam explicat, cur idem Æmilianus cum Rufino consentiat in danda uxore Sicinio puero: vide locum. *Casaub.*

PAG. 443 *Numidiæ et Getuliæ in ipso confinio*] Hoc idem dicere voluit IV. Floridorum: sed is locus in Libris omnibus ita corruptus visitur, ut dixisse eum quidvis aliud putes. 'Ita mihi et patria' (inquit) 'in concilio Africæ.' Lectio nihili, corrigend. ex hoc loco, 'Confinio.' *Pric.*

Lolliano Avito] Qui sub Divis fratribus Bithyniæ præses, ut clarum ex Ulpiano nostro lib. III. § 1. de Decurionib. Consularem virum hunc etiam memorat, Helvii Pertinacis imperio, Jul. Capitolinus. *Colv.* Hic Lollianus Avitus Consularis vir fuit, ut scribit Capitol. in Pertin. Ulpianus autem Divorum fratrum rescriptum ad Lollianum Avitum citat lib. III. ff. de Decurion. atque ita etiam ter nominatur ab Appuleio infra, addito *V. C.* Consul (unde et Procos. Afr. fuisse constat) sub Pio fuit. Aurelius Victor Lollium Gentianum vocat. *Scip. Gent.* Eundem esse, qui ab Aurelio Victore Epit. c. 18. per errorem 'Lollius Gentianus' vocatur, monuit quoque Casaub. ad Capitol. Pertin. c. 1. cf. et ad cap. 7. ubi 'Lolliani Gentiani' mentio, viri consularis. *J. B.*

Illa terræ alumna] Virgil. 'Terræ omniparentis alumnum.' Miles VI. Noster: 'Terræ omniparentis agiles alumnæ.' Invaluit sensus apud non indoctos haud sanus, hoc verbi nusquam poni pro *Altore.* Nonium ut evincam non advoco; nam etsi vocis διλογίαν innuit, invalidis tamen probavit argumentis: afferam fortiora ego, de quibus nec dubitari queat. Avienus de Carthagine: 'Urbs Phœnissa prius, Libyci nunc ruris alumna:' id est, Metropolis. Idem de Tibride: 'Romanosque Lares lapsu prælambit alumno.' Et de Nilo: 'Longo segetes quod nutriat amni, Arentesque locos unda fœcundet alumna.' Florus lib. III. cap. 21. 'Alumna Urbis Ostia.' h. e. quæ Romam alit eo undique commeatu vecto. Meretrix in veteri Lapide: ME VENERI ALUMNÆ ADDIXI. In κρόσει alma vis ca-

dem. Noster IV. Miles. 'Orbis totius alma Venus.' Lucret. II. 'Liquor almus aquarum.' Servius Georg. II. 'Almus ager, ab eo quod nos alat.' Festus: 'Alma, sancta, sive pulchra, vel alens ab alendo.' Gloss. 'Alma, κλυτὴ, ἁγνὴ, ὡραία, θρέπτειρα.' Vet. Onomast. 'Almus, Ζείδωρος.' sic *alumnari* pro *nutrire* Miles. VI. 'Adolescentem istum quod meis manibus alumnatus sit, scitis omnes.' Et VIII. 'Canes rabidos et immanes, &c. quos ad tutelæ præsidia curiose fuerant alumnati.' Quæ omnia palam est activam significationem habere. h. e. innuere, non τρόφιμον, sed τροφόν. *Pric.* *Alumnus* dicitur is qui alit, et qui alitur. vid. Gruter. Suspic. lib. X. c. 5. cf. Parei Lexic. Plautin. et ibi cit. Cruquium ad Horat. III. 18. Italiam quoque 'omnium terrarum alumnam' vocat Plin. III. 5. Sed activam hanc significationem in nostro Appuleii loco obtinere, vix credam. Est quidem in Mss. et Edd. vett. itemque Vulc. Wow. Scriv. probante Crusio Probab. Crit. p. 54. 'terra alumna,' quod tum jungi debet τῷ *juverit*, ut *illa* scil. vinum et olus, sit quartus casus: sed sic pro more suo hic quoque addidisset Auctor *et*, ut in seqq. 'et regio fœc. et cœl. pluv. et,' &c. Tum sane perspicuitatis gratia, cum Wower. e Fulv. Cod. malim *illis:* ut *juvare* construatur cum Dativo, quemadmodum alibi 'adjuvare' et 'adjutare:' de quo vid. inttpp. ad Petron. cap. 62. et unde 'adjutor incepto' dicitur Sept. de B. Troj. II. 10. Sed præplacet emendatio Casauboni et Salmas. in marg. quam exhibuere Scip. Gent. Elm. Pric. et Flor. *terræ alumna:* sic multo efficacius hisce opponuntur seqq. 'Enimvero animo hominis,' &c. Corrumpendo loco esse potuit insolens usus τοῦ *alumnum*, neutro gen. sed quidni, ut *alumnus* et *alumna*, dicatur recte quoque *alumnum?* quum revera adjectivum sit: ut vel ex Avieni duobus postremis locis a Pricæo citt. clare patet. Proxime ad hanc lectionem accedunt Mss. Pith. et Florent. *terra et alumna.* J. B.

PAG. 444 *Quid ex istis addi vel minui ad virtutem vel malitiam potest*] Extat in hanc mentem sane Oratio quædam Themistii περὶ τοῦ μὴ δεῖν τοῖς τόποις, ἀλλὰ τοῖς ἀνδράσι προσέχειν. alia tamen Curtius lib. VIII. et Polyb. IV. Hippocrat. lib. de aer. et loc. Aristot. Polit. VII. 7. imo Plato tuus in Timæo, Menedemo, de Legg. V. de Republ. VIII. *Pric.*

Anacharsis] Juvenalis Satyra X. vs. 49. 'Cujus prudentia monstrat Summos posse viros et magna exempla daturos Vervecum in patria crassoque sub aëre nasci.' Vide Stobæum περὶ εὐγενείας, Sermon. LXXXIV. Theodoretum contra Græcos serm. I. pag. 78. 79. serm. V. pag. 172. *Elmenh.* *Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est.* Themistius: Ἀνάχαρσιν δὲ τὸν Σκύθην πάντων ἀκούεις, ὅτι καὶ σοφὸς ἦν καὶ Σκύθης. Julianus Orat. ad Senat. et Pop. Athen. Τυχὸν οὐ παράδοξον ἐν πολλοῖς φαύλοις ἕνα γίνεσθαι σπουδαῖον. ἢ γὰρ, οὐχὶ παρὰ Μήδοις ὑμνεῖταί τις Δηϊόκης, Ἄβαρίς τε ἐν Ὑπερβορείοις, καὶ Ἀνάχαρσις ἐν Σκύθαις; At cur *socordes* Scythas Appuleius vocat? Herodotus ex diametro pugnat, en verba ejus: Ὁ δὲ πόντος ὁ Εὔξεινος, ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται (ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ) ἔθνεα ἀμαθέστατα· οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίας πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιμον, παρὲξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Ἀναχάρσιος. censendum itaque est Appuleium hoc nomine omnes Ponti accolas intellegisse, Herodotum unam eorum gentem ita proprie vocatam, quam Scymnus Chius *Nomadicam* appellasse videtur: Καὶ τὸν σοφὸν δ' Ἀνάχαρσιν ἐκ τῶν Νομαδικῶν φησι γενέσθαι τῶν σφόδρα εὐσεβεστάτων. *Pric.*

Apud Athenienses catos] Tertull. de Anima cap. 20. 'Thebis hebetes et brutos nasci relatum est. Athenis sapiendi dicendique acutissimos ubi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. Siquidem et Plato in Timæo Minervam affirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam.' Vide Eusebium præpar. Evang. lib. VII. c. 9. *Elmenh.* *Athenienses catos.* Miles. I. 'Athenienses catos illos, et omnis scientiæ magistros.' Attici acuminis apud Veteres fama non infrequens. Tertullian. de Anima cap. 20. 'Thebis hebetes et brutos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicendique acutissimos.' D. Hieron. in cap. 3. Galat. 'Athenis expeditiora nasci ingenia Philosophi gloriantur.' Martialis: 'Tibi cor limante Minerva Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenæ.' Putabant enim acumen gigni ab aëris tenuitate. Cicero de Fato: 'Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici.' Vitæ Pythagoræ Author apud Photium Cod. 249. Διὸ καὶ οὐδ' ἐπείσακτός ἐστιν (ὡς εἰπεῖν) ἡ παιδεία ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἀλλ' ἐκ τῆς φύσεως ὑπάρχουσα· τοῦ τοιούτου ἀέρος ἰσχνοτάτου ὄντος καὶ καθαρωτάτου, ὡς μὴ μόνον τὴν γῆν λεπτύνειν, &c. ἀλλὰ καὶ τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων. συμβαίνει γὰρ τὸν λεπτὸν ἀέρα τὴν μὲν γῆν βλάπτειν, τὰς δὲ ψυχὰς ὠφελεῖν. Adi Cassiodor. Var. XII. 15. *Pric.*

Concessimus munere populi Romani ac d.] Ita Fulvius. *Sciopp. in Symb.* *Munere populi.* Puta deesse vocem *Romani*, quamvis Populus per excellentiam, sicut Urbs, de Romano dici possit. Et nota, quod ait, 'Munere populi ad Masinissam concessisse:' id enim ita intelligendum est, quomodo apud Sallustium Atherbal de tota Numidia: 'Jus penes Romanos procurationem tantum nostram esse.' Quod Feudistici juris doctores dicerent, Feudum populi Romani esse. *Scip. Gent.* Τὸ *Romani* expungunt vulgatæ Edd. *Elmenh.* Rectius in aliis *Munere populi Romani;* nam quod *Numine propitio* vir magnus voluit, neutiquam sequendum puto. Qui abnuunt τῷ *Romani, Populumque κατ' ἐξοχὴν* dictum volunt, næ ii nova somniant, et citra fidem authorum: nam etsi *Urbem* ea figura reperias, vix *Populum.* Omnem vero scrupulum eximemus simili Solini loco: 'Cæsariensi' (inquit) 'Coloniæ Cæsarea inest a D. Claudio deducta: Bocchi prius Regia, postmodum Jubæ indulgentia populi Romani dono data.' Quod ait *dono data,* Noster *munere concessa* dixit, et (ni fallor) utrumque absolutum jus notat. Itaque quæ de procuratione Gentilis hic, facessant ocyus. *Pric.* *Munere populi concessimus.* Hoc ordine legitur in Mss. Lips. Pith. D'Orv. quorum in nullo, uti nec in Florent. aut Edd. ante Wower. comparet *Romani,* quod ex conj. Fulvii et Salm. in marg. primus edidit Wow. et hinc seqq. præter Pric. et Gent. vehementer tamen id probantes: quibus ego, sine Mstorum auctoritate, haudquaquam accedo: aliud enim est dicere quomodo loqui potuerit, aliud quomodo probabiliter locutus sit Auctor. In Romana autem colonia, coram Romanis judicibus, orationem habet Appul. *Populus* itaque nullus alius intelligi poterat, quam populus Romanus: et opponitur hic *populus* iis, qui in coloniis vivunt. Apud JCtos autem *populum* aliquando vocari populum Rom. docet Brisson. de V. S. v. 'populus.' *J. B.*

Novo conditu] Sic recte judicavimus Venetiis olim esse cusum. In aliis omnibus libris vulg. *novo conditi.* Ms. cod. habet *novo conditus.* Nec vera videtur interpretatio doctissimi Turnebi Adversar. lib. XVII. cap. 15. *Colv.* Vide Turneb. Advers. XVII.

15. *Elmenh.* Conditus est Assignatio sive divisio agrorum: inde conditores dicti quorum id munus in Coloniarum deductionibus. Horum non infrequens mentio apud limitum scriptores. Turnebus legit hoc loco: 'novo conditi.' *Novum* ὑπαρκτικῶς, ut apud Festum, 'quum quid novatur.' Tertullianus sane hoc ipso argumento *novitatem* extulit. 'Viri Carthaginienses' (ait de Pallio) 'vetustate nobiles, novitate felices.' h. e. coloniæ hujus nova deductione. *Pric.* In Mss. quoque Pith. D'Orv. ex sequenti voce adhæsit τὸ *s.* In Florent. recte scriptum videtur *conditu.* Edd. ante Colv. præter Vic. Ven. *conditi.* At quis ita loquitur: *nos conditi novo veteranorum sumus colonia?* J. B.

Splendidissima Colonia] Omnia quæ in Coloniam cadere ornamenta possunt, videtur unico hoc verbo congessisse. Tacit. German. 'In splendidissima Rhetiæ Provinciæ Colonia.' Cicero Philipp. v. 'Mutinam firmissimam et splendidissimam Pop. Rom. Coloniam.' Lapides: ..... DECVRIONI SPLENDIDISSIMÆ COLONIÆ..... ORDO ET POP. SPLENDIDISSIMÆ COLON. AVG. HIMEREORVM. *Pric. Novo conditu, splendidissima colonia sumus.* Ne intelligas, iterum exædificatum illud oppidum fuisse, vel e ruinis excitatum, sicut Carthaginem Colonia deducta est: sed quia ex oppido vectigali et stipendiario colonia populi Rom. facta sit. Vide M. Velseri nobilissimi et eruditissimi Germanorum historici Rerum Vindel. August. lib. v. ubi et hunc locum Appuleii et totam rationem Coloniarum illustrat. *Scip. Gent.*

Loco principe] Bene vetus noster. Vulg. *loco principis.* Gell. Noct. Attic. XIII. 'T. Castricius, Rhetoricæ disciplinæ doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi.' *Colv.* Flor. *loco principis.* Elmenh. Mss. Pith. D'Orv. nec non mea collatio Cod. Lips. cum cunctis ante Colv. Edd. habent *principis:* quod nescio an prorsus damnandum. *Duumviri* in coloniis et municipiis, *principis loco* revera erant, et haberi volebant: unde et Consulis et Prætoris nomen affectabant, et Gr. ἄρχοντες et ἡγεμόνες dicebantur. vid. comm. Gent. et Pric. ac Brisson. de V. S. in v. Imo ipsum illum *duumviratum* videtur Augustinus *regnum* vocare Epist. v. ubi ait: 'Appuleius, qui nobis Afris Afer est notior, non dico ad regnum, sed nec ad aliquam quidem judiciariam potestatem potuit pervenire:' licet duumviratus et ipse judiciaria potestas fuerit. *J. B. Patrem habui loco principe, &c.* Quam claritudinem stemmatis sui vel e Milesiis patere voluit. Lib. III. 'Neque tuæ dignitatis, vel etiam prosapiæ tuorum sumus ignari, Luci Domine: nam et Provinciam totam inclytæ vestræ familiæ nobilitas complectitur.' Et XI. 'Nec tibi Natales, ac ne dignitas quidem, &c. usquam profuit.' De Patre vero, quem hoc loci memorat, quique vulgo *Theseus* perhibetur, vide alia omnia apud Salmas. in Prolegom. ad Solin. *Pric. Duumviralem.* Honoris apex in Municipiis, Coloniisque. Ulpian. lib. I. D. de alb. scrib. V. Scalig. Auson. Lect. lib. II. Panciroll. de Magistrat. Municipal. Alciat. Dispunct. lib. III. cap. 5. et ad l. 239. de verb. signif. *Idem.*

Cunctis honoribus perfunctum] Miles. x. 'Gradatim permensis honoribus.' Scatet ejuscemodi Elogiis Inscriptionum corpus. *Idem.*

PAG. 445 *Cujus ego locum in ea Republica*] Opinor, a patre nominatus. Nam duumviri sibi successores nominabant et creabant, pro quibus etiam tamquam fidejussores Reipublicæ obligabantur, Tit. de periculo nominatorum lib. XI. Codicis. Sed pater Appuleii jam multo antea decesse-

rat; et Duumviratus magistratus annuus fuit: de loco igitur et honore paterno loquitur, non de nominatione et successione. D. Augustinus epist. V. 'Appuleius enim, qui nobis Afris Afer est notior, Non dico ad regnum, sed nec ad aliquam quidem judiciariam potestatem cum omnibus suis magicis artibus potuit pervenire, honesto patriæ suæ loco natus et liberaliter educatus, magnaque præditus eloquentia. An forte ista ut Philosophus voluntate contempsit, cui cum sacerdos provinciæ pro magno fuit, ut munera ederet, venatoresque vestiret, et pro statua sibi apud Œenses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorumdam civium litigaret: quod posteros ne lateret, ejusdem litis orationem scriptam memoriæ commendavit. Quod ergo ad istam terrenam pertinet felicitatem, fuit magnus, quod potuit. Unde apparet eum nihil amplius fuisse, non quia non voluit, sed quia non potuit. Quamquam et adversus quosdam, qui ei Magicarum artium crimen intenderant, eloquentissime se defendit.' *Scip. Gent.*

Exinde ut participare Curiam cœpi] Ausonius: 'Curia me duplex, et uterque Senatus habebat, Muneris exortem, nomine, participem.' 'Participare Curiam,' est in Decurionum ordinem adscisci; secus enim impos fuisset Duumviratus. Paulus lib. VII. D. de Decurion. At vero 'tradi Curiæ,' aut 'Curialium obsequio,' tantum ab honore aberat, ut inter pœnas esset. V. Forner. Quotid. lib. I. cap. 28. *Pric.*

Zarathe] Sic prisci lib. Ego vero scripserim *Zarath*: in eo enim ἡ βαρβαρότης quam ridet, quod desinat hoc nomen in aspirationem contra linguæ Græcæ analogiam: alioqui non est quod vocabulum cujusquam aures offendat magis quam Ζάρηξ et Ζαρᾶς, quæ sunt nomina locorum in Græciæ penetralibus, apud Lycophronem et Geographos. Apud Ptolemæum scribitur hoc nomen Ζάρατθα, et sane scripsisse hic puto Appuleium *Zaratth*, in quo præter aspirationem alius etiam βαρβαρισμὸς ob geminatam consonantem in fine. *Casaub.* Ego existimarim ab Appuleio irrideri Æmilianum, quod quum Attice loqui se optime crederet, ne agellum quidem suum vel patriam sciret Attice pronunciare, sed Dorice Ζάραξ diceret, pro Ζάρηξ. idque inscientia quadam, non, ut Pausanias, dedita opera, cum de rebus Doricis loqueretur. *Scip. Gent.* Rom. *Zarate.* Elmenhorstius. Mss. Pith. *Zarat* cum Edd. ante Vulc. sec. plerisque, Florent. D'Orv. Lips. *Zarath* cum reliquis: recte, vel, ut Casaub. *Zaratth*: sed supra *Zarathensem* non *Zaratthensem.* Quid sibi velit Gent. mihi non liquet. *J. B.*

Asseveranter] Flor. 2. *adseverate.* Elmenh. Recte Ms. D'Orv. et Edd. Junt. post. Bas. sec. Colv. Vulc. Wow. ut apud Cicer. *adseveranter.* 'Adseverare orationem,' i. e. ad severitatem componere, supra dixit Noster p. 425. Vulgo hic *adseverate*: sed tum, ni fallor, passive scribendum foret *objectari*, quod vetant seqq. Non me latet apud Cic. I. de Off. cap. 17. activo sensu occurrere *copulatius*: 'nihil est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo:' ubi Pearc. cum aliis, ex Codd. quibusdam *copulantius* legit. Imo ipsum hoc *adseverate* est apud Gell. XVII. 5. de Polo: 'tragœdias scite et adseverate actitabat.' Plerumque tamen et proprie differre adverbia a partic. activis et passivis derivata, affirmare non dubitem. Appul. saltem, quo fortasse nullus scriptor in usu et compositione adverbiorum est frequentior et accuratior, ubique hanc distinctionem observat. cf. supra ad pag. 414. 'versus intempera-

tissimos.' Ut hic *adseveranter*, sic infra p. 483. 'perseveranter quæsivisti.' Met. l. v. p. 340. 'quam arroganter egerit.' VII. p. 476. 'pasti satianter.' i. e. ita, ut se penitus satiaverint. L. VIII. p. 536. 'simulanter revicta.' i. e. simulans se revictam. Ad eamdem normam 'abundanter,' 'instanter,' 'cunctanter,' 'amanter,' alia, sensu activo: passivo autem, 'accumulate,' 'obstinate,' 'gravate,' et sim. Utut est, habemus hic auctoritatem et Msti (D'Orv.) et Edit. (Junt. post.) optimæ notæ. *J. B.*

PAG. 446 *Vana hæc convitia aufertis*] Gellius lib. XVIII. cap. 4. 'Vanos doctissimi veterum non (ut vulgus) desipientes, aut hebetes, aut ineptos: sed mendaces et infidos, et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes, vocabant:' quæ optime vocis pondus in Appuleio monstrant. Festus Avienus in Fab. 'Vana laboratis aufer mendacia dictis:' *aufer* Plautinum est. Trucul. 'aufer nugas.' Aulul. 'aufer cavillum.' Pers. 'Jurgium hinc auferas.' *Pric.*

Scelera immunia] Conjeci olim *scel. immania*. Sed jam rectissimam judico vulgatam lectionem. Festus: 'Immunis, vacans munere: aliquoties pro improbo ponitur, ut apud Plautum: Immune est facinus.' Locus Plauti Trinummo, princ. fab. 'Amicum castigare ob meritam noxiam, Immune est facinus, verum in ætate utile et conducibile.' Fortassis etiam scribendum apud Arnobium lib. I. 'Hoccine est, quæso, audax illud facinus et immune?' sed vix est, ut ibi tolli debeat *immane:* quod hic tamen nequaquam rear reponendum, etiamsi Apol. II. 'Immo etiam sceleri adversus parentem nefando, immani, impetibili.' *Colv.* Lege *Immania.* Wower. Recte viri docti *Immunia* retinuerunt, quum antea maluissent *immania*. Festus: 'Immunis, vacans munere. Aliquoties pro improbo ponitur, ut apud Plautum: Immune est facinus.' Veteres Grammatici scribunt olim Munes dictos amicos, qui in unum consensum mutuis animis conspirabant. Lucilius lib. XXVI. apud Nonium: 'Munifices munesque amicis nostris videamur viri.' Versus restitueris vel feceris hoc modo: *Munifices munesque viri videamur amicis.* Scip. Gent. Alii *scelera immania.* Elmenh. Mirum quantum *immunia* arrideat eruditis. Ego (quod in quibusdam visitur) *immania* mordicus retineo. Infra, 'Sceleri nefando, immani, impetibili.' Virg. *Æn.* I. 'Scelere ante alios immanior omnes.' Latro in Catilin. 'Hujus immanissimi sceleris atrocitatem.' Ibid. 'deque ulciscenda immanissimi sceleris atrocitate.' Salvianus IV. de Gubern. 'Ad ea per scelera immania perveniri:' et alibi: 'Criminum turpitudinem, scelerum immanitatem.' *Pric.* Ms. Bemb. *immania*, quod unice verum puto, cum Jungerm. in Ep. ad Scip. Gent. inter Gud. pag. 363. Groslot. in marg. Wower. Elmenh. Pric. Scriver. Florid. Loco Festi temere abusos esse viros doctos existimo. Apud Plautum enim Trin. I. 1. 2. 'amicum castigare immune est facinus,' ita explicandum: facinus est, quod nemo dono aliquo aut beneficio remunerat, quod beneficium vix putatur, pro quo gratia non rependitur. cf. Gronov. Lect. Plaut. p. 337. Fortasse hoc voluit etiam Festus τῷ *inprobo*, aut locum Plauti nec ipse intellexit. Jam vero ridicule dictum foret *scelera, pro quibus gratia non refertur*. Nam simpliciter pro *scelerato, nefario*, vocem illam usurpatam fuisse, ex Festi loco non affirmare ausim. Desidero certe exemplum. Ceterum male in loco illo Plautino, qui citatur ab auct. ad Herenn. II. 13. in Ed. Ernest. legitur *immune*, sed recte eadem Ed. apud Cic. de Inv. I. 50. ubi

eadem Plauti verba referuntur, habet *immune*. *Immunis* legit quoque Ern. ap. Cic. de Amic. 14. ubi vulgo *immunis*. J. B.

Aggredior enim jam ad ipsum crimen Magiæ] Adhuc respondit maledictis adcusatorum: hic refutationem criminis Magiæ, quod principaliter ei intentatum adgreditur. Est igitur hæc pars altera judicii et legitimæ quæstionis. *Scip. Gent.*

Flammam stipula exortam] Virgil. 'Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.' Sedulius Opere Paschali: 'Velut ignis oberrans Arentes stipulas, vires cui summa cremandi, Materies infirma rapit, victoque furore, Labitur invalidæ deformis gloria flammæ.' *Pric.*

Persarum lingua] Apollonius Tyanensis Epist. ad Euphratem: Μάγους ὀνομάζουσι τοὺς θεοὺς οἱ Πέρσαι. Μάγος οὖν ὁ θεραπευτὴς τῶν θεῶν, ἢ ὁ τὴν φύσιν θεῖος. Dio orat. XXXVI. fol. 449. Τὸν βασιλέα συγγενέσθαι τε οὐχ ἅπασιν, ἀλλὰ τοῖς ἄριστα πρὸς ἀλήθειαν πεφυκόσι, καὶ τοῦ θεοῦ ξυνιέναι δυναμένοις, οὓς Πέρσαι μάγους ἐκάλεσαν, ἐπισταμένους θεραπεύειν τὸ δαιμόνιον· οὐχ ὡς Ἕλληνες ἀγνοίᾳ τοῦ ὀνόματος, οὕτως ὀνομάζουσιν αὐτοὺς γόητας. et Orat. XLIX. fol. 538. Πέρσαι μὲν, οἶμαι, τοὺς καλουμένους παρ' αὐτοῖς Μάγους, ὅτι τῆς φύσεως ἦσαν ἔμπειροι, καὶ τοὺς θεοὺς ᾔδεσαν, ὡς δεῖ θεραπεύειν. Porphyr. de Abstin. ab Anim. f. 58. Suidas in Μάγοι. Agathias de gestis Justin. lib. III. p. 57. *Elmenh.* Horum quædam habet Elmenh. e Lindenbr. Excerpt. *J. B.*

Leges cerimoniarum] Miles. XI. 'Cerimoniarum ritus.' Florid. II. 'Cerimoniarum potentias.' Arnob. VI. 'Cerimoniarum debita.' Gloss. Ms. Cl. Bourdelotii: 'Cerimoniæ, observationes religionum.' *Pric.*

Magia id est quod Plato interpretatur Θεῶν θεραπείαν] In Alcibiade puto. Porphyr. περὶ ἀποχ. lib. IV. Παρά γε τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται, &c. Hesych. Μαγεύειν, γοητεύειν, θεραπεύειν θεούς. Quod vero Laërtius e Clitarcho tradit, Chaldæos περὶ Ἀστρονομίαν καὶ πρόῤῥησιν ἀσχολεῖσθαι, Magos περὶ θεραπείας Θεῶν διατρίβειν, videtur tantulum a vero abhorrere: nam et Magi vaticinabantur et astrorum peritissimi erant. Cicero de Divinat. 'In Persis augurantur et divinant Magi.' Lucian. Macrob. Οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν, &c. Juvencus Hist. Apostol. lib. I. 'Gens est Eoi Phœbo orto proxima, regni Astrorum sollers ortusque obitusque notare, Quorum primores nomen tenuere Magorum.' Ammian. Marcell. lib. XXIII. 'Hystaspes Darii pater, quum superioris Indiæ secreta fidentius (suspectam hanc vocem habeo) penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cujus tranquillis silentiis præcelsa Brachmannorum ingenia potiuntur; eorumque monitu rationes mundani motus, et siderum, purosque sacrorum ritus quantum colligere potuit eruditus, ex his quæ didicit, aliqua sensibus Magorum infudit, quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura, per suam quisque progeniem posteris ætatibus tradunt.' *Idem.*

Puerum regium adolescentem Persæ imbuant] Clemens Στρωμ. V. ab Ægyptiis hunc morem eos traxisse ait. *Idem.*

PAG. 447 *Diis imm. acceptam*] Magos 'Deorum amicos' dicebat Heliogabalus, teste Lampridio in ejus vit. c. 8. Magiam 'divinorum incorruptissimum cultum' vocat Amm. Marc. XXIII. c. 6. § 32. ubi vid. Lindenbrog. *J. B.*

Antistitam] Pleræque edd. *antistitem:* minus recte. Vide Gellium lib. XIII. c. 19. Attius Astyanacte: 'Utinam unicam ibi antistitam arcitenens suam Tutetur.' Corn. Severus: 'Sta-

aras.' Plautus Rudente: 'Venerieæque antistitæ.' *Colv.* Vide Voss. de Anal. II. 21. Heins. ad Ovid. Met. XIII. vs. 410. Ms. D'Orv. *antistitem.* J. B.

Inter prima regalia] Nam nisi cum Magis familiariter versatus sit, regnare non potest. Philo de specialibus legibus fol. 611. τὴν μὲν οὖν ἀληθῆ μαγικὴν, ὀπτικὴν ἐπιστήμην οὖσαν, ἣ τὰ φύσεως ἔργα τρανωτέραις φαντασίαις ἐργάζεται, σεμνὴν καὶ περιμάχητον δοκοῦσαν εἶναι οὐκ ἰδιῶται μόνον, ἀλλὰ καὶ βασιλεῖς, καὶ βασιλέων οἱ μέγιστοι, καὶ μάλισθ' οἱ Περσῶν διαπονοῦσιν οὕτως, ὥστ' οὐδένα φασὶν ἐπὶ βασιλείαν παραληφθῆναι δύναμιν παρ' αὐτοῖς, εἰ μὴ πρότερον τοῦ Μάγων γένους κεκοινωνηκὼς τυγχάνοι. Hieronymus in Danielem lib. I. c. 1. 'Consuetudo et sermo communis Magos pro maleficis accipit; qui aliter habentur, apud gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum; et ad artis hujus scientiam reges quoque et principes ejusdem gentis omnia faciunt.' *Elmenh.*

In alia sermocinatione] Forte in Charmide, ubi de Zamolxide multa. *Colv.*

Thraci] Male alii *Thracii gen.* De hoc supra scripsimus ad Miles. lib. IV. Ad quæ adde Gellium lib. XIX. 'Cupiam Thraco insipienti et rudi.' *Idem.* Plato in Charmide fol. 156. *Elmenh.* De eo, quod *Thraci* scribendum, non *Thracii,* vid. ad Met. lib. IV. p. 274. a. *J. B.*

Viro] Vulc. in marg. *perito:* male. 'Viro generis quidem Thraci, sed artis ejusdem.' 'Vir artis' dicitur ut 'homo litterarum' Symmacho I. 72. et Sidon. V. 1. vid. Salm. et Casaub. ad Capitol. Maximin. c. 2. 'Semibarbarus et vix adhuc Latinæ linguæ.' cf. infra ad pag. 523. *J. B.*

Θεραπεύεσθαι δὲ τὴν ψυχὴν ἐπῳδαῖς τισι] Eadem Pythagoræ disciplina. Malchus in de vita ejus: Τὰς ψυχὰς νοσοῦντας παρεμυθεῖτο, τοὺς μὲν ἐπῳδαῖς καὶ μαγείαις, τοὺς δὲ Μουσικῇ. *Pric.*

PAG. 448 *Vi cantaminum*] Miles. I. 'Violentia cantionum:' ibid. 'Cantionum virtutibus.' Orig. I. contr. Celsum, ἐπῳδῶν δυνάμεις. *Idem.*

Venenarium] De venenariis mentio lib. XXIX. D. *de pœnis.* Gloss. 'Venenarius, φαρμακοποιός.' Gloss. Ms. Bourdelotii: 'Veniarum, herbæs̄.' lege *Venenarium, herbarium.* Idem.

Qualem isti dicunt] Primo reponebam *quaLEM isti dicunt:* valet, *qualem me:* cujusmodi multa passim in Pandectis Florentinis: de quibus ego in Commentario Vegetiano in emendatione l. *quæret aliquis* ff. de Verb. Sign. Postea, quod nesciam quis scrupulorum usus sit, malim: *quibus satellitibus: quibus custodibus.* Stewech.

Quibus scrupulis] Nihil in his aliter legendum: respondent enim illis quæ præcesserunt, 'Sicarium qui in judicium vocat, comitatus venit: qui venenarium accusat, scrupulosius cibatur: qui furem arguit, sua custodit.' *Colv.* Id est, qua scrupulositate, vel diligentia. Respondet enim ei quod dixerat, 'scrupulosius cibari.' non memini me alibi legere hoc sensu, sed pro dubitatione, *scrupulos.* Sisenna Histor. lib. IV. 'Hic tum injectus est levis scrupulus, et quædam dubitatio.' *Scip. Gent.* Stuporem Stewechii ingerentis *Satellitibus!* annon proxime præcessit 'cibari scrupulose?' *Pric.* Ante *scrupulis* deest *quibus* Ms. D'Orv. *J. B.*

Corporum causas meras] Fulvius *rerum* aut *Deorum* libentius legit. *Scip. Gent.* Pessime utique *Deorum:* nam opponuntur philosophi, qui mundi rerumque omnium originem ad meras caussas naturales et simplices, sine ulla divinæ mentis providentia referunt, (propterea *rerum naturæ patronos* vocari ab Appuleio puto, non, ut explicat Gent. infra,) opponuntur igitur hi philosophi illis, qui 'Providen-

tiam mundi curiosius vestigant et impensius Deos celebrant.' Neque tamen etiam necesse est cum eodem Fulvio rescribere *rerum:* sive *corpora* in universum intelligas omnia quæ sunt; sive, corpora illa, seu 'individua corpuscula,' (*atomos* vocant) quorum concursu effectum esse cœlum atque terram Philosophi illi censebant. *J. B.*

Rerum naturæ patronos] 'Democritum, ceterosque antistites bonarum artium' Seneca de Brevit. vit. cap. 14. dixit. *Scip. Gent.* Melius Florid. in Interpret. 'defensores causarum naturalium.' V. not. præced. *J. B.*

PAG. 449 *Epimenides, &c.*] Vide Plin. Nat. Hist. l. xxx. c. 1. de origine magicæ artis. *Elmenh.*

Astanes] Legend. ut edidit Colvius, *Ostanes:* meminit ejus infra Noster. D. Cyprian. in de Idol. Vanit. et Minuc. Felix (apud quem vulgo male *Sosthenes*) Plinius l. xxx. c. 1. duos *Ostanes* ponit; alterum in exercitu Xerxis, quum in Græciam descenderet; alterum citeriorem, M. Alexandri comitem. *Pric.* Cas. et Scip. Gent. *Astanes.* Florid. *Osthanes.* Scriv. *Hostanes,* cum Elmenh. in notis ad Arnob. l. I. p. 31. in cujus textu tamen legitur: 'Armenius Zostriani nepos,' non, *Ostanis nepos:* sed in Appuleio edidit cum reliquis *Ostanes,* ut scribitur hoc nomen Plinio xxx. 1. et Ὀστάνης Græcis scriptoribus, sed *Otanes* Herodoto, Arabibus *Andshan* s. *Aidsen.* De Ostane s. Hostane omnia vide apud Fabric. B. Gr. l. I. c. 14. § 1. ibique Harles. *J. B.*

Suspecta est Eocli Cathorino] Romæ impressum, *suspectata est Empedocli Cathorineo.* Colv. *Suspectata Empedocli Cathormæ.* Sic scriptum, paullo minus, in Codice Rom. in quo hoc tantum peccatum est, quod *Cathorinee* scripserunt operæ: debuerant enim *Catharmæ,* h. e. καθαρμοί. Nota Empedoclis γοητεία, noti καθαρμοὶ ex Plutarcho, Laërtio, aliis Græcis. At in Edd. post Romanam cusis quam fœde acceptus fuerat hic locus! Ita enim primus opinor Bernardus Philomathes edidit, *Eocli suspecta est Cathorino:* quam portentosam γραφὴν omnes deinceps Edd. feliciter servarunt. οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ τῆς ἀληθείας ζήτησις. *Casaub.* Καθαρμοί. Ita Flor. et Casaub. In Aldo et Rom. est *Catharino:* ineptissime. *Elmenh.* V. Casaub. notas. Schott. Obs. Hum. v. 15. *Pric.* Ms. Pith. *Epedocli:* sed bene exstat in D'Orv. in quo porro *Cathornice,* sed Pith. *Cathormee,* Edd. ante Colv. *Eocli Cathorino,* nisi quod Rom. Vic. *catorinee:* e quibus patet, in omnibus scribi per *o* non per *a*. Hinc firmatur aliquomodo conjectura Groslotii legentis καθορμεία, pro impetu in profundendis versibus, quem in Empedocle valde celebrant auctores: sed de poëtica Empedoclis facultate non constat inter antiquiores et recentiores. V. Bibl. Gr. Fabricio-Harlesiana v. I. l. II. c. 12. § 8. Utut est, quid illa poëtica καθορμεία ad h. l. ubi de rebus magicis et divinis mysteriis sermo est? Imo palmaria est Casauboni emendatio, Florentinarum membran. auctoritate firmata, et a seqq. editoribus jure merito expressa; nisi quod Scip. Gent. rursus Auctorem corruperit, excudens *Catharinæ,* quia ita operarum vitio scriptum vidit in Ed. Casaub. qui in Erratis id correxit. Scriv. sing. num. dedit καθαρμός; sed Empedoclis opus ubique inscribitur καθαρμοί. vid. Fabric. Bibl. Gr. l. c. quare minus bene quoque Turneb. Adv. 24. c. ult. et Mercerus, teste Groslotio in marg. divinarunt καθαρμά. Schottus Obs. v. 15. Casauboni εὐστοχίαν suis ineptiis se anteponendam censere, ingenue fassus est; et merito. Ceterum Latine *Catharmæ* edidere Cas. et Pric. de qua terminatione v. quos citat Oudend. ad l. de Mundo p. 319. a. et ad Lucan. II. vs. 593. et inttpp. ad Nepot. Milt. c. 4. 'qui hemerodromæ

vocantur:' atque ita hic legendum. *J. B.* [Vid. VV. LL.]

Socratis Dæmonium] Rectius heic quam in Apodeixi peculiari, ubi *Deus* vocatur. Ipse Socrates apud Platonem, Plutarchus, Cicero, Maximus Tyrius (qui duas edidit de eo dissertationes) ubique *Δαιμόνιον* vocant eum, non 'Deum.' *Pric.*

Platonis τὸ ἀγαθὸν] Non ita hæc accipi debent, quasi Plato fuerit magiæ suspectus: quam ille gravi supplicio proposito de sua republica exterminavit Legum XI. sed quia multa ille de Diis disserere solitus non in vulgus nota, ideo visus imperitis novos deos comminisci, quos sub novorum verborum involucro celebraret. Notum quid sit in Academia τ' ἀγαθόν. *Casaub.* Recte *Platonis* scriptum est, generandi casu, et ita etiam legendum, *Empedoclis* et *Socratis*, non enim ipsis, sed aliis suspectata illorum, quæ commemorat Appuleius hic. Plato l. x. Legum, Magiam (ut Romani decemviri) damnavit. *Scip. Gent.* Ignoravit Gentilis Auctoris nostri consuetudinem, nominum in *es* faciendi genitivos in *i*, de quo paullo supra, et sæpius monitum: quare non necesse est cum Florido restituere *Empedoclis, Socratis.* Ceterum Vulc. in marg. conjecit *Socratis Dæmonium Platoni τὸ ἀγ.* quomodo edidit Wow. forsan quia Socrates summum numen dicere solebat τὸ ἀγαθὸν et τὸν ἀγαθὸν, de quo insignis locus est Platonis l. II. de Republ. Sed aliud est Summum numen, aliud Dæmonium Socratis; hoc autem diversum omnino a Platonico τῷ ἀγαθῷ. *J. B.*

PAG. 450 *Habet aliquid Appuleius domi quod secreto colit*] Idem hoc ab Ethnicis objectum Christianis. Minuc. Octav. 'Cur etenim occultare et abscondere quidquid illud colunt magnopere (lego *tantopere*) nituntur, quum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?' Sophocl. Electr. πῶς τόδ', εἰ καλὸν, τοὔργον σκότου δεῖ; *Pric.*

Morbo corp. impeditus] L. *impetitus*, i. e. morbi cujusdam paroxysmo correptus. *Acidal.* Non probo Acidalii conjecturam, qui *Impetitus* reponit. Nam intelligit Appul. morbo impeditis, quasi colligatis omnibus membris corporis necessario procidisse, quod inferius dixit, 'moribundo corpore cessante animo cadere.' Tac. I. Annal. 'quia Tiberius casu an manibus ejus impeditus procideraț.' *Scip. Gent.* Acidalius *impetitus* otiose. Cic. Verr. v. 'Ætate et morbo impeditus.' Noster in Milesiis: 'Morbo implicatus.' Nonnus in Joann. νουσαλέῳ πεπεδημένος ἅψεα δεσμῷ. Symmachus VII. 28. 'Febre impeditus.' Ammianus Marc. lib. XIV. 'Ægritudine colligatus.' Pari elegantia est ubi pro sano *Expeditum* ponunt. Miles. IX. 'Sanum me, atque omni morbo scirent expeditum.' Supra heic: 'Sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est.' *Pric.*

Largiter aquæ] Male vulgatum, *largitur atque superest.* Per aquam intelligit Clepsydram, ad quam olim dicebant Rhetores, et caussarum patroni. Sic infra: 'At tu, interea dum legit, aquam sustine.' Et: 'mea aqua licet ad hoc utare.' Apol. II. 'At tu, licebit, aquam sinas fluere.' Philetas: Τοσαῦτα ὥσπερ πρὸς ὕδωρ εἶπον. Lucianus Piscatore: Ἢ τί ἂν εἴποιμεν Ἀνύτου καὶ Μελίτου πέρι, τῶν ἐμοῦ κατηγορησάντων, ἢ τῶν τότε δικαστῶν, εἰ οὗτος θνήξεται, μηδὲ τὸ παράπαν ὕδατος μεταλαβών; Synesius Dione: Ὕδωρ δὲ τουτί θεῖ διάττον δρόμον οὐ μεμετρημένον οὐδὲ πρὸς κλεψύδραν ταμιευόμενον. ἀλλ' ἐγὼ μὲν εἰ μήπω παύομαι, ἀλλ' αὐτίκα πεπαύσομαι. Sed nota res de Clepsydris his oratorum. Hoc adhuc observare est, a judicibus sive arbitris dari has, prout caussæ exigebant, vel plusculas vel pauciores solere. In quam rem elegans et festivus Martialis jocus Ep. 35. lib. VI. 'Septem clepsydras magna tibi Voce petenti

Arbiter invitus, Cæciliane, dedit. At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem Ampullis potas semisupinus aquam. Ut tandem saties vocemque sitimque, rogamus Jam de Clepsydra, Cæciliane, bibas.' Plinius lib. II. Epist. ad Arrianum: 'Dixi horis pæne quinque: nam decem clepsydris quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor.' *Colv.* De aqua notum. At quid illud, *pro accus. long.?* Barth. Advers. v. 12. æqualia utrinque dicendi spatia notari contendit; malim ego sesquialteram proportionem ex parte Rei, quod in caussis, capitalibus duntaxat, aliquando moris fuisse, docent Plinius lib. IV. Epist. 9. et Asconius Verr. III. *Pric.* *Pro longitudine accusationis*, i. e. quia longa fuit accusatio, et longa igitur defensio requiri videbatur, propterea multum temporis mihi ad dicendum datum est. Lat. Latin. legit *largiter aqua.* In Ms. Pith. *largitur.* Edd. vett. *largitur atque sup.* J. B.

PAG. 451 *Tamen aveant potius def.*] Ita Fulvius. *Sciopp. in Symb.* Legendum puto *aveant:* ut desiderium refellendi significet, ut supra. Sæpissime hæ voces *Habere* et *Avere*, et similia, locum mutarunt, et se mutuo extruserunt, ut doctissimi viri P. Victorius et Jac. Cujacius docuerunt. Possis tamen ita hic interpretari, *Habeant potius defendere*, vel debeant. Sed tum dixisset *Habeant defendendum:* ut Plinius: 'Quum enitendum haberemus:' et Suetonius: 'Ut consolandos eos magis Imperator quam puniendos habuerit,' et alia plurima. Græcismus autem est, *Non habeo dicere, οὐκ ἔχω εἰπεῖν.* sed hic non quadrat. *Scip. Gent.* Fulvius *aveant potius*, quod probo. *Elmenh.* Multi heic *aveant* legunt, quibus accedunt quæ et Cujacius notat ad Paul. Recept. Sentent. lib. III. Tit. de Testam. Ego in vulgata lectione nil video quod non optime ferri potest. *Pric.* Non male *aveant* reponi voluit etiam Lips. in marg. Bas. pr. ut sit fere sensus idem, quem supra p. 404. expressit: 'Est pudentis animi et verecundi vel falsam vituperationem gravari.' Invitis libris tamen non muto *habeant*, sive explices 'possint,' sive, quod malim, cum Florido, 'existiment satius esse.' Ms. D'Orv. *tamen potius haud def.* J. B.

De falso invidia] An scripsit Auctor, *de falsa invidia?* an potius Græcorum imitatione *falsoinvidia* nove dixit, ut illi possent ψευδόφθονος? *Casaub.* Illud amplexus est Scriv. quem Ed. Bip. sequitur; hoc Floridus. Ceteroquin Mss. et Edd. nihil fluctuant. Quare acquiescendum τῷ *de falso invidia:* quod tamen non pro uno vocabulo, ut Gr. ψευδόφθονος, capiendum puto, sed ita, ut sit adverbium positum pro adjectivo, et *de falso invidia* idem, quod infra p. 513. ait Auctor, 'ut ipse Æmilianus recognoscat, falso se ad invidiam meam inductum.' Nam de eadem et ibi et hic loquitur invidia, propter dotem nempe, et lucrum, cujus cupiditate invasisse Pudentillæ domum accusabatur Appuleius, quam 'cassam invidiam' vocat p. 510. Usus autem iste adverbii, substantivo additi, haud infrequens est apud Latinos scriptores. Vid. Passerat. ad Tibull. I. 3. vs. 29. et Oudend. ad Lucan. lib. I. vs. 63. quam constructionem alii explicant, ut adverbium jungatur verbo subaudito, melius tamen e Græcorum loquendi more derivari putem. Virg. Æn. I. vs. 198. 'ante mala:' τὰ πρὶν κακά. Lamprid. Alex. Sev. c. 35. et alibi apud Lat. Pacat. Tertull. alios, 'retro principes,' οἱ πάλαι ἄρχοντες. Sic tamen non explicandum puto Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. 63. 'patrem lacrimis et precibus adsidue ab exilio revocavit:' nec Terent. Andr. I. 2. 4. 'Heri semper lenitas Verebar quorsum evaderet.' *J. B.*

Officii gratia quam] Bas. 2. et Ald. *officii gratia potius, quam.* Sed rectius

hoc abest, et elegantius subauditur, Græcorum loquendi more. Sic Homerus Iliad. α. Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. Sophocles Ajace: 'Εμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς. Pindarus Nemeis: 'Υπνοῦμεν πάντες ἢ πιστεύομεν. Ubi τὸ μᾶλλον non exprimitur. Apologia II. 'Si quæ simulationis caussa dicta sunt, adseverantis pronuntiatione quam exprobrantis legantur.' Plautus Menæchmis: 'Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.' Casina: 'Ut quod vir velit Fieri id facias, quam adversere contra.' Sic sæpe Tacitus, Livius, Tertullianus, et JCti nostri: ut observatum notatumque viris doctissimis, A. Augustino, B. Brissonio, Lipsio. Sidonium Apoll. emendare ita me memini e cod. Ms. Gellius ita lib. II. cap. 7. Noster item lib. III. Florid. *Colv.* *Officii gratia potius quam.* V. C. Idem mox: 'immane quantum angori.' *Sciopp. in Symb.* Sic Ald. et Fulvii liber, alii τὸ *potius* male omittunt. *Elmenh.* Ἔλλειψις τοῦ *potius* jam vel pueris nota: adeo nil heic Elmenhorstius agit cum Fulvii Ms. *Pric.* Ipse tamen Elm. cum reliquis in textu expunxit *potius*, rectissime; neque etiam comparet in Ed. Ald. nec in Mss. præter Fulv. sed in Junt. post. post *idque* insertum *potius*. De hac ellipsi vide quos citavi ad Flor. N. XVI. add. Heyne Obs. ad Hom. Il. A. vs. 117. *J. B.*

Privignum meum, nuperrime curæ meæ ereptum] Id Solon lege cavit, Ne curator cum pupillorum matre cohabitaret, neve is fieret curator, ad quos post pupillorum obitum substantia pertineret. Sed aliud est, quod Appuleius hoc loco significat: nam maritus is erat matris pupillorum, neque divelli ab ea sic poterat. Immo, ne vir seorsim ab uxore habitare cogatur, multa contra leges constituta videntur, veluti, si ususfructus ædium vel habitatio alicui relicta sit, etiam cum uxore et familia habitare poterit, immo, de quo dubitatum fuit, si mulieri relictus usus sit, habitare cum viro poterit. Quod Q. Mutius primus admisit, inquit Ulpianus lib. XVII. ad Sabinum. Idemque in vidua admissum postea est, ut possit cum secundo marito habitare. Cæterum quod Appuleius ait privignum suæ curæ ereptum, id jure factum est. lib. I. Cod. ubi Pupill. edic. deb. Quod intelligendum de educatione et habitatione privigni est: fuit enim is ab Appuleio abductus ad patruum: potest enim vitricus tutor privigno dari. l. ult. Cod. de Contrar. Judic. tutel. Trogus lib. XXVIII. 'Cui' (filio Demetrii regis Macedoniæ) 'Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constituere laborat.' *Scip. Gent.*

Cujus obtentu et voluntate a patruo ejus accusor] 'Dederat Libellum enim nomine nepotis sui, adscripseratque se ei adsistere, &c. scilicet ut obtentu ejus ætatulæ ipse insimulationis falsæ non plecteretur.' Verba sunt Authoris in limine Apologiæ. *Pric.*

PAG. 452 *Phrygionibus*] Salmas. ad Vopiscum. Scriverius ad Senecam. *Idem.*

Maleficio] Magiæ, sic in XII. QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. Vide Heins. ad Silii Italici lib. III. *Idem.*

Cupedinariis] Sic rectè Memb. Florent. et Fulvii liber. Vulgo *cupediariis*: vide Indicem. *Elmenh.* Edd. vett. item Colv. Vulc. Wow. Gent. Pric. *cupediariis*, quomodo, vel *cupped.* scribendum præcipit Bentlei. ad Terent. Eun. II. 2. 25. ducta quippe voce a cupediis. Quoniam tamen et forum *cupedinis* fuit, (cf. Appul. Metam. lib. I. p. 73.) pariter, ut a 'cupediis,' 'cupediarius,' ita a 'cupedine' ἀναλόγως formatur 'cupedinarius,' quod firmant h. l. Mss. O. et plerique Terentiani, si non omnes. Dein in Pith. scribitur per *pp*, cum Bentleio, in Florent. *Cupidinariis.* J. B.

Cupediariis] Quos Onomast. vetus

reddit Ζωμοποιοὺς, quasi dicas, 'gnaros juris condiendi:' ego nec de illis, nec καθόλου lautiorum edulium venditoribus Appuleium loqui puto, prorsus nec alio genere hominum quam Piscatoribus. Miles. I. 'Forum Cupedinis peto, inque eo piscatum opiparem expositum video.' 'Forum Cupedinis,' est Forum piscatorium, ἰχθυοπώλιον, ut in vett. Glossis. Temere adversetur nemo, stat a nobis Scaliger, μάρτυρ σεμνὸς μάλα καὶ ἀξιόπιστος. *Pric.*

Depenso] E Ven. et Rom. edit. In aliis *de penso*. Depensum, Postulatum, Peccatum et sim. id est, quod impensum, quod solutum est, impensa. Paulus lib. I. Sentent. tit. 19. 'Quædam actiones si a reo inficientur, duplantur: velut Judicati, Depensi.' Glossarius liber: 'Depensi, ὑπερεκτίσεως.' Dependere enim etiam est solvere, exponere pro aliquo. Seneca de Beneficiis lib. v. 'Paratus, ne quem beneficii pœniteat, pro ingratis dependere.' *Colv.* I. e. immenso pretio emuntur. Cæsar de B. Gall. 'Quæque Galli impenso parant pretio.' Appuleius infra: 'Pretio impenso quæsisse.' Item, 'impenso pisces pretio mercari.' Quare in alio loco infra ubi scriptum est, 'Ut merito statuto præmio quærerentur,' malim, *pretio*, legere. *Statuto* autem non est ordinario et communi, sed quodcunque piscatori libuerit vel cupediario, id est, plurimo, ut mox loquitur. Vox populi Rom. 'Statue pretium humanæ carni:' quum fame suffocaretur. *Scip. Gent.* *Depenso* non valet *immenso pretio* (quod Gentilis vult) sed pretium nude numeratum, sine intensione. Supra proxime: 'An ex eo intellexistis maleficio quæri pisciculos, quod pretio quærebantur?' Infra: 'Piscatoribus mercede invitatis.' Pretium et mercedem, gratuitæ donationi opponit. *Pric.* Ms. Pith. *despenso*. De verbo *dependere* adi Oudend. ad Met. lib. IX. p. 666.

'depensis pro prandio lacrimis:' et Brisson. de Verb. Sign. in v. *J. B.*

PAG. 453 *Quo proximo signo*] Infra, 'Patiens et oppido proxima humanitate.' h. e. (ut supra notavimus) 'manifesta.' Minuc. Octav. 'Apertius, proximius.' *Pric.*

Altilia] Miles. x. 'Carnes lasere infectas, altilia pipere inspersa.' *Altilia* dixeris omnia in saginam tradita, proprie tamen volatilia. Gloss. 'Altilium, Σιτευτῶν.' 'Altiles, Σιτισταί.' legendum fors. *Altores, Avarii* nempe, quos olim in Œconomia lautiorum locum habuisse legimus, Lapis

.... PRISCVS.

L. VARI. AMBIBOLI.

AVIARIVS. ALTILIARIVS.

Alius:

ANTIGONVS. DRVSI. CAES.

AVIVM. FARTOR. &c. *Idem.*

Quid enim competit ad amoris ardorem, &c. piscis, aut omnino res pelago quæsita] Multum. Hesych. Illustr. Αἴσωπος, οὐκ ὁ μυθοποιὸς, ἔγραψε περὶ Ἑλένης, ἔνθα φησὶ πάνα ἰχθῦν καλεῖσθαι κητώδη, ἐν τούτῳ δὲ τὸν Ἀστερίτην λίθον εὑρίσκεσθαι, ὃς ὑπὸ τῷ ἡλίῳ ἀνάπτεται, ποιεῖ δὲ πρὸς φίλτρα. Eadem Suidas, et Ephestion apud Photium. Nec dissimile de Echeneide tradit Aristoteles de Animal. II. 14. de Mustela marina Ælianus Var. Hist. XV. 13. *Idem.*

PAG. 454 *Vittas mollis*] Ms. D'Orv. *v. mobiles:* contra Virgil. Ecl. VIII. vs. 64. 'Vittæ molles,' quia e molli lana confectæ. 'Torulum capiti circumflexum,' et 'verbenas felicis arboris' in re Magica memorat Amm. Marc. XIX. c. 1. § 31. *J. B.*

Tura] Sic D'Orv. et Virgilii Codd. sine adspiratione. Charisius lib. I. 'Tus a tundendo sine adspiratione dicitur: quamvis Julius Modestus ἀπὸ τοῦ θύειν tractum dicat.' *Idem.*

Vittas molles, et verbenas pingues, et Thura mascula] Eclog. IV. Ex eo Nemesianus: 'Quid prodest quod me

fronde sacra, ter thure vaporo Lustravit?' *Pric.* *Thura mascula*] Turneb. Advers. x. 2. Tiraquell. ubi supra, num. 66. et 67. *Idem.*

Licia discolora] Pharmaceutria: 'Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo:' item Ciri: 'Terque novena ligat vario diversa colore Licia.' Petronius Arbiter: 'Illa licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque unxit meam.' *Colv.*

Limum durabilem, ceram liquabilem] Joan. Sarisburiens. Polycrat. I. 12. 'Ad effectus hominum immutandos in molliori materia, cera forte vel limo, eorum quos pervertere nituntur, effigies exprimunt.' Plura de his malis pupis Heins. ad Theocrit. *Pric.*

Equi de fronte revulsus] Hippomanes. Id venenum accendere libidinem etiam in hominibus putatum antiquitus. Columella l. VII. de re rustica. Servius ad III. Ecl. et IV. Æneid. Theophrastus ad Photium f. 862. dicit equam id devorare, utilitati scilicet hominum invidens. Vid. Plinius l. VIII. cap. 42. l. XXVIII. c. 11. *Elmenh.*

Detergenda] Legi olim *detegenda*: quod jam mihi non placet. Haud dubium tamen est, sic legendum esse Plauti Epidico: 'Detegetur corium de tergo meo:' ut in suis libris etiam legi testatur doctissimus Camerarius; ut ego etiam in aliis esse scio. Nec Nonius audiendus, qui *Degetur* scribit, et Degere detrahere hic significare vult. Nam id ipsum potius Detegere est. Turpilius Pedio: 'Quæso omitte ac desere, quæ te semel nacta, semper studuit perdere, detegere, despoliare, opplereque adeo fama ac flagitiis.' Qui locus id omnino ita esse convincit, et ab ipso Marcello alias citatur. *Colv.* Malim cum aliis nonnullis *detegenda*, Degere, detrahere. v. Nonnium Marcellum. *Pric.* Cave mutes. 'Detergeri' non tantum dicuntur res liquidæ, ut 'lacrymæ' Nostro Met. p. 313. ubi vid. infra p. 498. 'criminis maculam detersisse;' sed in universum 'detergere' est demere, excutere. Met. l. VI. p. 422. 'deterso somno:' vide et ibi. Imo notat 'vi demere' et 'infringere:' unde 'detergere remos' proprium est in re navali, quod Græci dicunt τοὺς ταρσοὺς παρασύρειν. V. Voss. et Oudend. ad Cæs. l. I. de B. Civ. c. 58. *Detergeri* itaque recte dicitur Hippomanes, sive caruncula illa, quæ fronti equorum recens editorum innascitur, quæque *revulsa* dicitur Virgilio. *J. B.*

Dorsis squallentibus] Proprie 'squallere' dicitur 'de squamarum crebritate asperitateque quæ in serpentium pisciumque coriis visuntur:' auctor est Gell. N. A. II. 6. cit. ab Elmenh. in Ind. *Idem.*

Hamis inuncanda] Sic ex Ven. Romanaque edit. reposuimus. Vulgo erat *hamis iniucunda*. Unde Pithœus, *hamis vinciunda*. Lectio nostra magis probabilis. Sidon. Apol. l. VII. Epist. 10. 'Semper hic tamen bonarum partium mores pungentibus linguis maledicorum, velut bicipitibus hamis, inuncabuntur.' Et l. IX. 'Syllogismis tuæ propositionis uncatis volubilem tergiversantium linguam inhamantibus.' Hunc enim affectatorem sermonis Appuleiani jam sæpius observavimus. *Colv.* P. Pithœus vir doctissimus *inescanda*, cui ego ut non assentiar, facit locus ejusdem Appuleii supra, *unguibus inuncet*. Lego igitur *inuncanda*. Roald. Alii *hamis vinciunda* inepte. Vide Indicem. *Elmenh.* Colv. adhibet Sidon. Apol. l. VII. Ep. 10. Ego Columel. l. III. c. 3. 'Lana quanto prolixior in pecore, tanto magis obnoxia rubis, quibus velut hamis inuncata a pascentium tergoribus avellitur.' Lucil. l. XV. 'aut qui nummos tristis inuncat.' Nonius: 'Inuncare quasi unco invadere et arripere.' 'Quæstuum aduncatores' Cypriano de jejun. et tentatione.

Brant. Frustra eximius Pithœus *Inescanda.* V. Brantii et Colvii not. Item Savar. ad Sidon. Concion. lib. VII. Epist. 9. *Pric.* Jam ante Colvium *inuncanda* editum in Edd. Vic. Junt. post. Bas. sec. emendatum a Lipsio in marg. et exstat in Mss. quo verbo de aquila usus est Noster Flor. N. II. Quare non opus est cum Heinsio Advers. p. 533. emendare *insuenda* vel *inlicienda*; licet hoc sit verbum proprium in omni venatione: et sic maneret Auctor in ὁμοιοτελεύτῳ 'excidenda .... revellenda .... extrahenda .... metenda .... inlicienda.' Edd. vett. pleræque *iniucunda.* J. B.

PAG. 455 *Fluctum scrutaris*] Forte potius, *Fretum scr.* Colv. Male. Virg. Æn. III. vs. 270. 'Jam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos.' Sonat quodammodo poëticum quid Appul. *J. B.* *Fluctum scrutaris*] Voce aptissima usus est, 'Scrutari.' Manilius IV. 'Scrutarique novum pelagus.' Claudian. IV. Cons. Honor. 'Calidi scrutatus stagna profundi.' Priscian. in Perieg. 'Scrutantur ripis alii torrentibus imbri, Berylli gemmas.' Ausonius Mosell. 'Scrutatur toto populatrix turba profundo.' Ibid. 'Ille hamis et rete potens, scrutator operti Nereos.' Stat. Theb. 'Scrutator aquarum.' Et Sylv. III. 'Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi.' Nonnus in Joann. cap. 1. Ἐρευνητῆρα θαλάσσης. Valeant deliria hominum in Appuleio nova omnia aut absoleta somniantium. Scriptor cum primis purus, elegans, Latinus est: Leporis et amœnitatis Pater, norma proprietatis. *Pric.*

Versus ipsos, quos] Emendem *versus posui, quos.* Colv. Ita libri quos vidi omnes, nulla Syntaxi plane. Colvius ut constaret aliqua, pro *ipsos, posui* legit. At quæ (per Deos) est hæc ratio emendandi? Adeon' pro lubitu licebit mutare omnia et sententiam struere etiam per fas ac nefas? Si hoc concessum, næ ille bardus et bucco, qui non facile sanaverit Authorum corruptissima quæque. Innitendum est, in conjecturis, apicibus literarum: insistendum vestigiis vulgatæ lectionis: quibus quanto recedítur, eo praviora quæ suggerimus, magisque a Vera Critica aliena esse certissimum est. Hæc parce, non ut Manibus insultemus eruditi juvenis, (judicii mediusfidius in his studiis subactissimi) neque vero quod voculam eam censeamus sollicitandam (quam nullatenus in mendo cubare fidenter spondeo) sed ut moneam, si quis in ea locus mutationi fuisset (quod quidem ille persuasum habuit) debuisse eam ingerere emendationem aliquam minus longinquam. Nos (ut diximus) τὸ *ipsos* sanum præstamus: quærendus alibi defectus, dico in clausulæ principio; ejus non hiatum, sed rimulam expleo insertione unius interjectiunculæ, quam Authoris effusam calamo dejerabis mihi. Lego, *En versus ipsos quos, &c.* Pric. Salm. et alius V. D. in marg. ejici volunt *quos.* Nihil variant Mss. et Edd. quare Pricæi emendationem admittere nolim, nec quidquam mutare. Sabaudiri potest ἀπὸ κοινοῦ ipsum illud *attingam,* aut aliud, *recitabo,* vel sim. *J. B.*

Lælium] Lipsius mavult *Lævium* hic legere, quod is inter illos, qui amatoria scripserunt apud Gellium l. XIX. c. 9. Sed pluribus de eo Scaliger Ausonian. Lection. *Colv.* Vel *Lævium,* quem Festus allegat in verbo 'Petrarum:' 'Lævius in Centauris: Ubi ego sæpe petris.' Fuit et Cæsius Bassus poëta Lyricus, Quintiliano teste, si forte ita hic legendum esset, nam Lælius orator fuit. Fuit et Lælius quidam familiaris M. Varronis vel magister, cujus commentarius de Proloquiis a Gellio citatur l. XV. c. 8. *Scip. Gent.* Florent. Fulv. et Rom. *Lælium* Elmenh. Ambigi a doctis video quid heic scribendum, aut quis hic *Lælius,* de quo alibi nulla

mentio. *Lælios* quidem novimus quosdam, nullos qui Amatoriis luserint. Quærendus heic scriptor Ἐρωτοπαιγνίων. Eum Scalig. Auson. Lect. II. 27. *Lævium* putat, de quo Festus in *Redivia*. Auson. Cent. Nupt. Gellius II. 24. Macrob. I. 18. Plin. ad Pontium Epist. l. VII. Laudatur prædictis sane nomine *Lælii, Livii, Nævii*. Scaliger ubique *Lævium* rescribendum censet. Eruditiss. Gauminus ad Eustath. retinet *Lælium*. Junius Animad. 613. et Vinetus in Prolegom. a *Livio* stant, *Andronico* nempe, qui fabulas Romæ docuit etiam ante Ennium. Maxime probabilis videtur sensus Scaligeri, quem et firmat accuratissimus Solini enarrator. *Pric.* *Lævium* dedere Vulc. Wow. Elm. Scriv. cum Scalig. in Catal. p. 74. Reliqui *Lælium* ut est in Mss. Interim tamen *Lævium* exhibui, quem Erotopægniωn libros scripsisse docuere Scaliger, Scriv. et Toll. ad Auson. Cent. Nupt. p. 517. et cujus mentio apud Porphyr. ad Horat. III. 1. init. et Gell. XIX. 9. ubi tamen optimus Salmasii Ms. habet quoque *Lælius*: vide eum ad Solin. p. 661. Frequens est horum nominum 'Lælius,' 'Lævius,' 'Nævius,' 'Livius' confusio: *Lævii* nomen Horatio Ep. II. 1. 69. e Cod. Reginensi restituit Bentlei. et Prisciano pluribus locis, e conjectura, Osannus Anal. Crit. p. 53. sq. ubi vide. De Lævio vide Voss. de Anal. III. 35. Hermann. Elem. Doctr. Metr. p. 333. et p. 619. coll. Osanno l. c. et in Add. *J. B.* Ad Lævii fragmentum citatur a V. D. ad calcem Edit. Casaub. in Biblioth. Cl. V. M. Tydeman. Tho. Bartholin. Hist. Anatom. Cent. III. hist. 78. p. 107. *Idem in Addend.*

Antipathes] Sic scribendum fuit, non *Antiphates*: ut etiam visum ante annos multos B. Pio fuit, et postea Turnebo. *Antipathes*, ut scribit Plinius, gemma nominatur nigra, quam contra effascinationem prædicabant valere Magi. Ctesias apud Stobæum: Ὄρος ἐστὶ τῆς Μυσίας Εὔθρας καλούμενον. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῷ λίθος ἀντιπαθὴς προσονομαζόμενος, ὃς κάλλιστα ποιεῖ πρὸς ἀλφοὺς καὶ λέπρας δι' οἴνου τριβόμενος, καὶ τοῖς πάσχουσιν ἐπιτιθέμενος. *Colv.* Ita emendavit Turnebus lectionem omnium librorum *Antiphates*: quam scriptionem possis fortasse non minus bene defendere: ut de quadam planta, aut gemma, aliave re simili intelligatur, quæ inimicandi vim, ut illa insana laurus, ex perpetua contradictione, habeat. Fere enim quæcunque ad philtra adhibita, ea quam vim crederentur habere, ex ipso nomine paret. Jam 'antiphates illud' contra analogiam Græcam dictum fuerit, (nam illi τὸν ἀντιφάτην dicerent) ut alia quam plurima, in quibus genus mutarunt simul et declinationem Romani. σύρμα Græci et σχῆμα, et τὸν χάρτην: Latini syrmam, schemam, chartam: sexcenta sunt id genus. *Casaub.* Ita Turnebus Adv. l. XVII. c. 15. legit. In Flor. 2. est *antiphates*, quod retinet Casaub. quem vide, et B. Pium in annot. post. f. 167. c. 198. *Elmenh.* Ita primus restituit Pius, non Turnebus, ut Casaubono visum, qui tamen τὸ *Antiphates* censet retineri posse. *Antipathes* μῶλυ est, Alexipharmacum illud longe decantatissimum, quo Mercurius Ulyssen muniit adversus Circen. V. Eustath. ad Odyss. x. Plin. Hist. XXV. 4. *Pric.* *Antiphates* cum Edd. vett. et Scriv. servat Ms. Pith. cum aliis: male et contra Ms. D'Orv. v. Salm. ad Solin. p. 661. qui recte explicat: 'quidquid adversus effascinationes, incantationes, et amoris faciendi artes magicas, potenter est efficax,' ex Hesychio: ἀντίτομον φάρμακον ἀντιπαθὲς ὅπερ ὁ πιὼν οὐ βλάπτεται ὑπό τινος, ἀλεξιφάρμακον. In transponendis vss. 1. et 2. Salmasii auctoritatem in sua Ed. secutus est Floridus, cum eodem reponens *quærito*, sed tenens *eruunt*, quod Salm. mutandum

judicabat in *irruunt:* hoc sensu : Quærito ac parato tibi antipathes illud celebratum, nam omnia philtra in te comparantur, et admoventur omnes amatoriæ machinæ, a quibus ut tutus ac tectus esse possis, antipathes illud quærendum. Sane, si *eruunt* retinendum, videntur sequentia scribi debuisse in quarto casu, ut respondeant τῷ *philtra.* Probabilis quoque est emendatio *quærito:* probabilius tamen, ni fallor, legas *quæritor.* Neque tamen necessaria est mutatio: nam *quæritur*, i. e. desideratur, opus habetur. In tam abrupto fragmento contra Mss. nil muto. Nominativi illi habuerint fortasse post se verbum, quod non addidit Auctor, quia nihil ad rem faciebat, quum nominibus tantum ei opus esset. *J. B. Antipathes illud quæritur*] Recte eruditiss. Salmasius Not. ad Solin. p. 661. ubi v. plura, duplex heic mendum advertit. In voce *quæritur*, et in ordine versiculi ipsius. Στίχος hic præponendus priori, legendumque *quærito:* nam quis adeo imperitus est qui non agnoscat προσφώνησιν? *Pric.*

PAG. 456 *Trochiscili ungues*] Idem Pius, *Trochili ungues.* Jos. Scaliger *Trochiscili, iynges.* Scribit Scholiastes Theocriti Iyngi aviculæ vim inesse natam amatorii philtri ; ac ideo omnia in amorem impellentia ἴυγγας dici. Adi Suidam, et Junium nostrum Adagior. Centur. IV. ubi multa, quæ ad hunc locum penitius percipiendum. *Colv.* Non potest meo judicio dubitari de voce *ungues*, quin, ut emendat Scaliger, legendum sit *junges*, id est, *jynges.* Nam quis putet in hoc albo prætermissam avem illam, quam supra omnia impetrabilis efficaciæ esse in his sacris crediderunt? Et ratio est : quia cum viderent aviculam, quam ἴυγγα appellabant (quæ alia est ab Aristotelis : illi enim ἴυγξ non est inter aves quæ κινοῦσι τὰ οὐραῖα, ut σχοίνικλος, κίγκλος, τρύγας) assidue caudam motitari, crediderunt salacissimum esse ζωΰφιον. nam et in scena mimi mimæque, præcipue Gaditanæ, cinœdos ita exprimebant. Ideo philtris adhibitæ jynges inter præsentissima pharmaca, ut ex poëtis Græcis et eorum scholiastis notum. Romanis dicitur σεισοπυγὶς, inquit Theocriti vetus interpres : sic ille vertit Latinam vocem, *motacilla:* de qua Varro et Plinius. Glossarium, ‘σεισοπυγὶς, moticella, motacilla :’ at ἴυγξ ab eodem magistro exponitur ‘frutilla.’ Jam diximus iyngem in amatoriis aliam esse ab ea quam describunt Aristoteles et Plinius : neque dubium mihi, quamlibet de genere earum, quæ, ut ille ait, tremulum crispant, pro iynge in amantium φαρμακείᾳ, habitam et ita appellatam fuisse. Postea vero non hæ tantum aviculæ, sed ἁπλῶς omnia quæ conciliandi amoris aut amicitiæ vim habent, ita cœpere appellari : sic enim illam vocem disertissimi Græcorum etiam in honesta amicitia usurpant. *Trochilisci*, si ea lectio vera, sunt trochi minuti : est enim diminutio duplex ut in Latinis nonnullis, Græcis non paucis : τόκος, τοκάριον, τοκαρίδιον, χιτὼν, χιτωνίσκος, χιτωνισκάριον. Sic τροχὸς, τροχίσκος, τροχισκίλος. Bene autem trochus et iynges hic junguntur : nam et in usu jungebantur. Scholiastes Pindari, Pythionicarum ode quarta, λαμβάνουσαι αἱ φαρμακίδες τὴν ἴυγγα, δεσμεύουσιν ἐκ τροχοῦ τινος ὃν περιρομβοῦσιν ἅμα ἐπᾴδουσαι· οἱ δέ φασιν, ὅτι τὰ ἔντερα αὐτοῦ ἐξελκύσασαι καθάπτουσι τῷ τροχῷ. Theocritus : Ὡς δινεῖθ᾽ ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας, Ὣς κεῖνος δινοῖτο ποθ᾽ ἁμετέρῃσι θύραισι. Sic possumus eam lectionem tueri atque interpretari : quia tamen ea vox nonnihil insolens est, et versus ratio leviter repugnat, fortasse non male scripserimus : *trochilisci*, iisdem, sed transpositis literis. τροχιλίσκος est parvus trochilus, quod notum est aviculæ cujusdam nomen : quæ etsi parva, vigoris tamen plena est, et ut de

ea Græci scribunt, δρυμὸ ὄρνεον: unde potius ortum videtur quod de odiis trochili et aquilæ Plinius ex Græcis refert, quam ex eo quod ille ἀναιτίως prorsus αἰτιᾶται. Hanc avem videntur Veteres philtris aptam censuisse, ut quæ accelerandorum votorum vim haberet: nam grammatici τροχίλον, παρὰ τὸ τρέχειν dictum volunt. Semper autem, ut ante diximus, ex nomine captabant omen: quod tamen Appuleius oratorie magis quam serie alibi ridet. *Tæniæ* sunt quæ alii auctores in hoc argumento licia nominant: quorum non in magicis hisce tantum sacris olim fuit usus; sed in plerisque opertaneis. Sic apud Clementem Alexandrinum legas ταινίας ἐρίῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένας in expiationibus fuisse adhibitas. Erant et magicæ istæ tæniæ diversi coloris. Petronius, 'Illa de sinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam.' Non exprimit colorum numerum: cæterum plurimi aliquando miscebantur: nam in Ciri canit Virgilius 'Terque novena ligat vario diversa colore Licia.' Fere tamen pauciores: puta tres, ut in Pharmaceutica: 'Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo:' aut etiam duo: conjicio ex hoc Lælii, seu verius Lævii loco. Ita enim hos versiculos et legendos et digerendos censeo: *Trochiscili, iynges, tæniæ, Alterplices bicoloreæ, Radiculæ, herbæ, surculi.* Nam qui vulgatam lectionem conantur explicare, et ad aureas ac cordylas pisces referunt, ii vero τελέως παραπαίουσι. Quid enim magis κατὰ διάμετρον oppositum menti Auctoris dici fingive potuit? Sed id genus scriptorum sententiæ pleræque de numero sententiarum per me tollantur licet. At eam lectionem quam supra posuimus, ut affirmare pro vera non ausimus, ita nihil absurdi continere asseveramus. *Alterplices*, est duplices, ut et Festus interpretatur. Legebam prius *atriplices* et de ea herba accipiebam, quam Græci χρυσολάχανον vocant: de cujus mirabili virtute ex Pythagora refert Plinius libro xx. Sed sequenti voce *bichordilæ* quid fiet? Placet itaque magis superior emendatio. Ac videtur initio scriptum fuisse *bichoroliæ* transpositione literarum, pro bicoloriæ, vel bicoloreæ, quod usitatius bicolores dicitur. Atque hæc est nostra de hoc loco sententia: quam contanter et verecunde ideo proferimus, quia meminimus esse a te, Scaliger eruditissime, aliter pridem emendata ista et exposita. Legis tu *Auriplices bitortilæ:* et refers ad simulacra magica quæ ipsiplices alio nomine videntur appellata: ingeniosissime, ut omnia, et doctissime. Enimvero non is es, tu vir nobilissime, qui in hoc genere literarum, quod (ut de medicinæ arte Celsus ait) conjecturale magnam partem est, tuas omnes sententias, ceu κυρίας δόξας, velis haberi: quod falso nimis et improbe sycophantas quosdam, non Scaligeri nominis magis quam Musarum hostes, dictitare non pudet. Sed quid eos pudeat, qui ea scribunt, ea tuentur, quæ nemo legat sanus, quin statim 'exclamet periisse Fontem de rebus?' *Casaub.* Flor. *Trochissili ungues.* Scaliger et Casaubonus, *Trochiscili, Iynges*, recte. Nicephorus in Synesium de insomniis fol. 360. τὴν δὲ Ἴυγγά φασιν ὄρνεον εἶναι ἀεὶ σεῖον τὴν οὐράν· εἶναι δὲ πρὸς ἐρωτικὰς ἐπῳδὰς χρήσιμον ταῖς φαρμακίσι· γυναῖκα δὲ οὖσαν τὸ πρότερον εἰς ὄρνεον μεταβεβλῆσθαι ὑπὸ τῆς Ἥρας φασὶν οἱ μῦθοι, διότι φαρμακεύουσα διετέλει τὸν Δία πρὸς τῆς Ἰοῦς ἔρωτα· ἄλλοι δὲ κιθάραν ἐμμελεστάτην φασὶ τὴν ἴυγγα, ὡς ἐντεῦθεν καὶ πᾶν γλυκὺ καὶ ποθεινὸν Ἴυγγα καλεῖν. Suidas in ἴυγξ. *Elmenh.* Pius conjunctim legit *Trochyli ungues*, refertque ad *Trochilum* avem (quæ et *Regaliolus;* Aristoteli πρέσβυς dicta:) sed heic (ut in seqq.) nugatur nugacissime. *Salmas.* *Trochus, pili, ungues.* τὸ *ungues* retinet etiam Gaulminus ad Eustath. Scimus

nos, et *pilos* et *ungues* sæpius veneficiis adhibitos, magis arridet tamen hæc lectio, *Trochisci, Iynges. Trochos* seu *Rhombos* autem *Iyngibus* signatissime adjunxit, nam et simul positos reperias in usu Magico, ut jam ex Pindari Scholiaste aliis adnotatum. Tzetzes Chiliad. XI. 380. Καὶ ὅλον ὁλοκλήρως δὲ πρὸς ἔρωτας τὸ ζῶον Ἐκτεταμένον τοῖς πτεροῖς ἐπὶ τινὸς τροχίσκου, Καὶ συμπεριστρεφόμενον εἰς ὄνομα ἐρῶντος, Τοῦτο κυρίως γίνωσκε τὴν Ἴυγγα ὑπάρχειν. Ejusdem usus, et fere formæ fuere sphærulæ Hecaticæ. Psellus in Scholiis ad Oracula Chald. Ἑκατικὸς στρόφαλος σφαῖρά ἐστι χρυσῆ, μέσον Σάπφειρον περικλείουσα, διὰ ταυρείου στρεφομένη ἱμάντος, δι᾽ ὅλης αὐτῆς ἔχουσα χαρακτῆρας· ἣν ἐπιστρέφοντες ἐποιοῦντο τὰς ἐπικλήσεις, καὶ τὰ τοιαῦτα καλεῖν εἰώθασιν Ἴυγγας, εἴτε σφαιρικὸν εἶχον, εἴτε τρίγωνον, εἴτε καὶ ὅτι σχῆμα. ἃ δὴ δονοῦντες, τοὺς ἀσήμους ἢ κτηνώδεις ἐξεφώνουν ἤχους, γελῶντες, καὶ τὸν ἀέρα μαστίζοντες. *Tæniæ* quæ sequuntur heic, sat notæ: cui minus, Casaubonum adeat. Versiculus quartus non controvertitur, in quinto sudatur maxime. *Pric. Trochiscili* firmatur auctoritate Ms. Florent. unius, nam in altero est *trochilisci*, itemque Pithœani, in quo *trotichiscili:* neque est emendatio virorum doctorum, ut putabat Salm. l. c. sed constanter id habent non tantum Gent. et Pric. sed Edd. ante Vulc. sec. et tert. In his enim conjectura Casauboni *trochilisci* (probata ab altero Florent.) expressa est. Imo *trochiscili* carere analogia ait Salm. reponens *trochi, pili:* quod si sit, scribendum utique, e Mstorum vestigiis, *trochisci*, ejecto τῷ *pili* ob versum, ut fecerunt Elm. Scriv. Flor. Isid. Orig. IV. 9. de remediis et medicaminibus: 'Trochiscos dictus, quia in modum rotulæ deformatur, τρόχος enim Gr. rota dicitur.' Videtur vero a diminutivo Græco aliud diminutivum fecisse Lævius: nam *trochiscili* neutiquam mutandum puto. Quod enim in textu hujus Ed. editum est, *trochilisci*, id invito me factum. Fateor tamen Scaligeri commentum *trochi, pili* non parum verisimilitudinis acquirere e scriptura Ms. D'Orv. *trochipili*. Dein in *ungues* consentiunt cuncti Mss. et Edd. vett. At Scaligeri conjecturam *iynges* sequentes editores lubentius amplexi sunt, quia celebratissimam in re Magica aviculam ægre omissam ferebant. At minime omissa fuit: vid. seqq. *Ungues* sacro oleo aut chrismate delibutos in re magica memorat Sarisber. Polycrat. II. 27. cit. infra ab Elmenh. ad p. 475. et de *unguium* magico usu vide Plin. H. N. XXVIII. 7. Acute observat Salm. primo poëtam posuisse τὰ ἄψυχα vs. 3. tum τὰ φυτὰ vs. 4. postremo τὰ ζῶα vs. 5. et 6. *J. B.*

Aureæ illices] Pius *Aureæ iynges.* Scaliger, *Auriplices, bitortilæ:* quem vide ad Append. Virgilianam, Pium autem, si tibi tanti, Annot. post. c. 198. ubi versiculos hos omnes explicare conatur. *Colv.* Flor. *auri illices bicodulæ.* Rom. *a. bichordulæ.* Elmenh. Pius, *Aureæ, iynges, tryehiæ, cordylæ*, designans pisces quosdam nimis infeliciter. Scaliger ad Virgil. Cyrin, (quem sequutus est Delcampius) *Auriplices bitortilæ. Auriplices* refert autem ad sigilla Magica quædam, in Glossis *Ipsiplices*, apud Festum *Ipsullices* perperam appellata. Gaulminus retinet vulgat. *Aureæ illices.* 'Tænias (inquit) radiculas,' &c. amoris *illices* vocat, quia eum conciliant. *Aureas* dixit, ut et alii χρυσῆν ἔρωτος μανίαν. Casaubonus versiculum hunc (qui vulgo quintus) ponit quarto loco, refertque ad *Tænias* illas quæ claudunt στίχον tertium. Scribi autem debere putat *Alterplices bicoloreæ.* 'Alterplices,' duplices, ut apud Festum Pompeium. 'Bicoloreæ,' ut 'licium varii coloris' apud Petronium. Salmasius ad Pall. Tertull. (omnium novissimus) *Auri plices* legit. *Plices* tabellas vocat,

quas πτυχὰς Græci: alibi tamen (Not. ad Solin.) alia, atque ex membranis vett. scribendum omnino censet, *Sauri, illices bicodulæ. Sauros* (retenta Græca voce) *Lacertos* vocat, quos etiam memorat Theocrit. φαρμακευτρ. *Illices bicodulas* ait *Iynges* esse, id est σεισοπυγίδες, dictas *bicodulas*, quod caudas vibrando duplicent: sic serpentes 'bilingues' dictos a linguæ spisso motu, et apud Hesychium τὰ δόρατα διπλᾶ, nempe a tremula vibratione. *Pric.* In Ms. Fux. viderat quoque Salm. *surculis aure:* unde verissime eum emendasse puto *Sauri, inlices bicodulæ. Sauri* exstat diserte in Mss. Florent. nisi quod *s* littera male priori voci juncta sit, et *inlices bicodulæ* in Mss. Pith. D'Orv. sed in Pith. *bicodilæ.* Inlices bicodulæ ipsæ sunt *Iunges*, quas propterea supra vs. 3. inter ἄψυχα intrudere non debuerant VV. DD. Negant alii σεισοπυγίδα et ἴυγγα eandem esse avem. V. Burm. ad Anthol. Lat. lib. v. Ep. 69. p. 354. *J. B.*

Hinnientum dulced.] *Hinnientium* scribi jusseramus, ob metrum: nam primus pes est spondæus trium syllabarum cum συνιζήσει. *Casaub.* Salmas. fusissime ad Solin. p. 939. et seqq. *Pric.*

Verisimilius confinxisses] Ita hæc periodus tota concipienda, non ut in vulgatis libris. *Casaub.* In quibus major distinctio ponebatur post *confinxisses*, et omittebatur parenthesios signum. *J. B.*

PAG. 457 *Nihil adjutare*] Rom. Ven. Ald. Bas. 1. *mihi adjutare.* Placebat Lipsio, *mihi adnutare.* Et si, inquit, adversarius meus mihi concedere, hoc ita esse, videatur; rationem tamen meam promam. *Colv.* Legebatur, *quamquam videatur*, fecimus, *quare autem*, melius, opinor, et verius, quam docti viri quibus placet, *mihi adnutare.* Sic in ἀποθέσει hujus sermonis, 'Dixi cur non arbitrer quidnam,' &c. *Casaub.* L. *quam cur v. n. a. d. unde i. e.* Piscis ad magiam, inquit, nihil facit. Quod quia affirmo, ne vel hinc magum me suspicemini, dicam, cur mihi ita videatur, et unde conjecturam illam habeam. Hanc esse mentem loci patet ex seqq. et ex ipsa denique ejus narrationis conclusione *Dixi cur non, &c. adjuvare.* Si viri magni hoc vidissent, non tam ineptam interpretationem hic essent commenti. *Acidal.* Quod vehementer probo. *Scip. Gent.* V. C. *ad magiam nihil quicquam videtur adjutare. Dicam unde id conjectem.* Wowerius. Flor. *quamquam v. mihi adjutare.* Elmenh. Locus a pluribus ventilatus: legitur in quibusdam *quamquam videatur, &c.* melius Acidalius, *Quam quur vid. &c.* τὸ *id* enim quod sequitur, παρέλκει, ut et alibi. *Pric.* Ante Colv. editum legitur *quamquam vid. mihi* ut exstat in Mss. plerisque. Quæ cum nullum darent sensum, emendavit Colv. quem secutus est Florid. Sed Vulc. eumque secuti Wow. et Elm. pro *quamquam* reposuere *quod autem*, τὸ *nihil* retinentes cum reliquis post Colv. Casaubonum denique secuti sunt Scip. Gent. et Pric. Lipsius utique minime audiendus est, nam haudquaquam adversarius adnutabat, nihil pisces facere ad magiam. Infra: 'Credamus Æmiliano solere pisces etiam ad magicas potestates adjuvare.' Acidalii emendatio nimis contorta videtur. Sed præplacet mihi lectio Msti Fulv. quam, forsan ex Ms. Fux. margini adlevit Salm. itemque alius Vir Doctus: *ceterum ad Magiam nihil quicquam vid. mihi adjutare. Dicam, &c.* Sed tum necessario legendum *videtur*, ut legitur revera in Mss. Fulv. D'Orv. et Ed. Junt. post. Ipsa tamen hæc variatio possit facere ut quis eo magis τὸ *quamquam* retinendum censeat. v. Oud. ad Flor. N. I. init. In *mihi* consentiunt Mss. et Edd. vett. *Videtur mihi* est, quod infra dixit, *cur . . . arbitrer.* Quid sibi velit Scriv. *quamquam videatur nihil adjurare* non capio:

nisi sit operarum vitium. *J. B.*

Pythagoram Zoroastris sectatorem] Imo *Auditorem*. Florid. IV. 'Sunt qui Pythagoram aiunt eo temporis inter captivos Cambysæ Regis Ægyptum quum adveheretur, doctores habuisse Persarum Magos, ut præcipue Zoroastrem, omnis divini arcani Antistitem.' Sed turbat temporis ratio, enim Pythagoras recentior multo. *Zaradæ* tamen Pythagoræ præceptoris meminit Plutarchus in περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. qui an idem cum Malchi *Zabrato*, et *Nazarato* Clementis Alexandrini, vide apud incomparabilem Seldenum nostrum in de Diis Syris, Syntag. II. cap. 1. *Pric.*

It. suæ, quam subsicivam Græciam] *Græcia subsiciva*, est Græcia altera et secunda: sic apud Arnobium lib. v. 'subsicivæ laudes' sunt laudes secundariæ. *Casaub.* Scribe ex eodem libro, *It. sibi quam subc.* Wower. In veteri Cod. legi aiunt, *Italiæ, sibi quam, &c.* quod pro illorum opinione est, qui Pythagoram advenam in Italia dicunt. Contra Appuleius hic innuit, quum ait, *suæ*. Scip. Gent. 'Græcia exotica' Plauto in Menechm. *Pric.* Pro *suæ* Elm. rescripsit *sibi* e Ms. Fulv. eique adsensum præbuit Florid. Non ego. *Italiæ suæ*, i. e. quam tantopere dilexit; quæ ejus quasi propria est; quam exornavit privatim et publice præstantissimis et institutis et artibus; quam 'subsicivam Græciam,' quasi partem subsectam celebri illi Græciæ, proindeque similem Græciæ, atque alteram Græciam, reddiderat. *J. B.*

A quibusdam piscatoribus everriculum trahi, fortunam jactus ejus emisse] Valerius lib. IV. cap. 1. 'A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam jactum emerat.' Gloss. et Onomast. 'Verriculum, Σαγήνη.' *Pric.*

Jussisse illico pisces qui capti tenebantur, solvi retibus et reddi profundo] Fusius rem narrat Plutarchus Sympos. VIII. 8. et Tract. Πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν, &c. Similem (ut Arnob. vocat) humanitatem, Plutarch. χρηστότητα εὐεργησίας, in Xenocrate Ælianus memorat, Var. XIII. 31. *Idem.*

Quos scilicet e. d. m. amissurum n. f.] Scribam, *Quos scire licet eum de manibus missurum non fuisse.* Casaubonus. Vulgo *quos scire licet*. Elmenhorstius. Piget dicere adeo elegantem κρᾶσιν a viro maximo sollicitatam, utique cum eandem vim habeat quam illius τὸ *scire licet*. Pricæus. Male Cas. *scire licet* et *de manibus missurum*. Sæpissime in Appuleio *scilicet* eodem modo: et *amittere* omnis antiquitas ait pro 'dimittere.' *Vir Doct. in marg. Ed. Casaub.* Sed infinitivus non pendet a τῷ *scilicet*, sed a verbo subaudito, *aio*, *credo*, aut *conjecto*, e superioribus nempe, 'unde id conjectem.' Certe Casauboni inventum contra Mss. non amplecti debuerant Scal. et Wow. Neque etiam, aut hic cum Casaubono, quem tacite seqq. præter Gentil. et Pric. secuti sunt, aut cum Bentleio apud Terent. And. v. 3. 27. et Phorm. IV. 3. 70. pro *amittere* reponam simplex *mittere*. Quod enim ad Terentium: non nego, *amitti* proprie dici uxorem, quæ domum jam ducta est, quia *amittere* rem non videntur, quorum ea propria non fuit; *mitti* vero, quæ nondum ducta est. Sed *amittere*, ut hic apud Appul. ita et apud Terent. valet *dimittere*. Vide Parei Lexic. Plaut. Burm. ad Phædr. I. 13. 10. Oudend. ad Lucan. III. 46. et Pricæum ad Met. lib. VI. pag. 265. b. in Append. Appul. *J. B.* *De manibus amissurum*] Miles. VI. 'De manibus emittas offulam.' Et VIII. 'Prædam mediis manibus amittimus.' Cæsar Bello Civil. I. 'Hostem ex manibus dimitti.' Idem VI. Gall. 'Prædam ex manibus dimitterent.' Et alibi: 'Fortunam tantam ex manibus dimittant.' *Pric.*

PAG. 458 *Τοῖα Διὸς θυγάτηρ*] Non fuit difficile locum satis aperte ab

Auctore indicatum, ex poëta promtum apponere. Est 'Οδυσσ. δ. *Casaub.* *Cum de quadam saga ad hunc modum memoravit:* Πρεσβυτάτην δὲ θύγατρ' εἶχε ξανθὴν 'Αγαμήδην, Ἣ τόσα φάρμακα ᾔδη ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών. *Itemque carminum similiter:* Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον, &c.] Sic v. c. in quo et decem alii versus perscripti sunt, qui 'Οδ. δ. leguntur sicut priores duo Il. Α. *Sciopp. in Symb.* Aptiores versus explendæ huic lacunæ censebat Ful. Ursinus, qui extant Iliad. Λ. Πρεσβυτάτην δὲ θύγατρ' εἶχε ξανθὴν 'Αγαμήδην, Ἣ τόσα φάρμακα ᾔδη ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών. *Wower.* Homerus Odyss. δ. et κ. Fulvius alios versus hic substituit, quos vide apud Wowerium. *Elmenh.* Quod Sciopp. versus illos citat quasi e vet. cod. id intelligendum videtur de conjectura Fulvii. In Mss. et Edd. ante Casaub. Græca non comparent: sed vere eum cum seqq. lacunam explesse, docent exempla, quæ subdit Appuleius, ex iisdem Odysseæ libris Δ. et Κ. petita. *J. B.*

'Ως ἄρα φωνήσας] Et hic asterisci erant pro Homeri verbis, quæ ex Odyss. κ. restituimus: certum enim non alium locum ab ipso Auctore olim appositum. Similem nuper medicinam similiter affecto Symmachi loco faciebamus: ita enim vulgo legitur Epist. 101. lib. XI. 'Ut plane Homeri ...... relatione usus ...... id est æquimanum te esse pronunciem,' scribendum, *ut plane Homerica relatione usus* περιδέξιον *id est æquim. te pron.* Casaub.

Nec Proteus faciem] Non dicit πρόσωπον, sed totius corporis speciem: vide A. Gellium lib. XIII. c. 28. sic de Deo Socr. 'omnem humani animi faciem pati:' quod et in Augustini de Civitate Dei legere memini, ut alia multa hujus scriptoris. Idem significat dictio *instar.* Florid. lib. II. ex vulgata divisione: 'Psittacus Indiæ avis est: instar illi minimo minus quam columbarum: sed nec color ei' (male vulgo *colorum*) 'columbarum:' ita legi et interpungi locus ille debet: neque quicquam deest quod falso quidam sunt arbitrati. *Instar* est ὄψις, species: sic apud Virgil. 'quantum instar in ipso.' Valer. Maxim. 'habere instar arcis.' Gloss. vett. 'Instar, similitudo, ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα.' In eodem libro postea scriptum *Ister,* ἔθος, συνήθεια, τύπος, τρόπος. ubi legi debet *Istar,* quod valet *instar.* sic mox 'istita:' pro 'instita:' multa enim male lecta, male scribit Græcus ille magister longe doctissimus. Porro Homeri locus est 'Οδυσσ. δ. In eodem poëmate omnia habes, quorum hic fit mentio: præter cingulum Veneris, de quo sic maximus vatum Iliad. ξ. Ἦ καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα Ποικίλον· ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο. *Casaub.* *Faciem* de toto corpore dici, monitum quoque ad Metam. v. Ind. Not. *J. B.*

Ulixes scrobem] Odyss. Λ. *Colv.* Vide Beroaldi annot. in Appuleium fol. 71. *Elmenh.* *Ulixes* bene Ms. D'Orv. Adi Ind. Not. *J. B.* *Ulysses Scrobem*] Miles. I. 'Devotionibus sepulchralibus in scrobem procuratis.' Lycophron, Ψυχαῖσι θερμὸν αἷμα προσρavas βόθρῳ. Ovid. Metam. VII. Horat. Sat. I. 8. Silius Ital. lib. XIII. Theodoret. θεραπ. Serm. VIII. Justin. Martyr. Apolog. II. Philostrat. de vit. Apollonii. IV. 5. Euseb. in Hieroclem. Nicephor. ad Synes. περὶ ἐνυπν. Omnium accuratissime Heliodor. lib. VI. *Pric.*

PAG. 459 *Carminum vector ... noxium conscia*] Ut scribendum *noctium conscia;* quæro sitne pariter verum, *Mercurius carminis inventor:* persuadebo puto his, qui memores erunt Mercurium bubulcum fistulas inflasse, compegisse, ac demum Apollini cessisse pro virga aurea, teste Apollodoro lib. III. Quæ superant, ea interpretabitur nobis Virg. IV. Æn. 'Tercentum tonat ore deos, Erebum-

que Chaosque, Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ. Sparserat et latices simulatos fontis Averni, Falcibus et messæ ad Lunam quæruntur ahenis.' *Stewech.* Fulvius *animarum vector,* forte *manium.* Sciopp. in Symb. *Animarum ductor.* Alii legunt *carminum inventor:* minus apte ad hanc rem. Al. *vector.* Quid si *animarum evocator?* Virg. IV. Æn. 'Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco:' tametsi Petron. p. 107. 'Mercurius, qui animas ducere et reducere solet.' Horat. II. O. 18. 'Satelles orci callidum Promethea revexit.' Lib. I. O. 24. 'Quam virga semel horrida,' &c. O. 10. 'Tu pias lætis animas,' &c. *Acidal.* *Carminum vector.* Quasi cantamina, ut nuncius et alatus, subveheret. Veram tamen lectionem existimarim: *Mercurius animarum vector.* Wowerius. *Animarum* legunt Fulvius et Joann. Wower. *Manium* Scioppius. Utrumque probum. *Brant.* Scaliger et Fulvius *animarum v.* bene. Laërtius in Pythagora l. VIII. τὸν δὲ Ἑρμῆν ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν, καὶ διὰ τοῦτο πομπέα λέγεσθαι. *Elmenh.* Locus varie interpolatus. Scripserim *Animarum vector,* aut *Animarum evocator.* Tertull. de Anima cap. 53. 'Tunc exultat aut trepidat, prout paraturam deversorii sui sentit de ipsius statim Angeli facie, evocatoris animarum, Mercurii poëtarum.' *Pric.* Groslot. in marg. minus recedens a vulgata et scripta lectione, *carminum auctor.* *Animarum vector* in mentem quoque venit Lindenbrogio, probante V. D. in Obs. Misc. vol. II. p. 188. monente, *manium vector* admitti non posse ob statim sequens 'manium potens.' Sed conjecturis indulgendum non esse arbitratur alius ibid. V. D. qui 'Mercurium carminum vectorem' explicat, 'qui advehit et suppeditat carmina,' magica scil. et ex Valer. Flacco I. 737. ostendit Mercurium in magicis sacris invocatum fuisse: cui sententiæ accedo, ob Mstorum consensum. *Vehere* eo sensu dixit Horat. lib. III. O. 29. vs. 47. 'Quod fugiens semel hora vexit,' i. e. advexit, suppeditavit: neque obstat quod contrario plane sensu, pro auferre, usurpat Noster Met. lib. III. p. 229. ubi v. Ratio est, quod simplex frequenter ponitur pro composito: atque adeo *vehere,* nunc pro *advehere,* nunc pro *avehere* usurpatur. *J. B.* *Noctium conscia*] Scilicet libidinum fœdarum testis. Juvenal. Sat. VI. vs. 309. ubi impuratas bestias exagitat: 'Inque vices equitant, et Luna teste moventur.' *Elmenh.* *Illex animi Venus, et Luna noctium conscia, et Manium potens Trivia*] Diversis nominibus hisce intellige idem Numen: Lunam nempe, 'Deorum Dearumque illam uniformem faciem, cujus Numen unicum multiformi specie, vario ritu, nomine multijugo totus veneratur orbis.' Verba sunt Authoris Milesia XI. Lunam autem præfuisse τοῖς ἐρωτικοῖς, Magorumque Venerem fuisse, doctissime Seldenus monstrat jam laudati operis Syntag. I. cap. 2. Videsis et προλεγόμενα ejus de ista πολυωνυμίᾳ, quam a Magis eo ostendit usurpatam, ut virtutis carminibus plus esset, et facilior venia. *Pric.* *Et Luna noctium conscia*] Id est, libidinum et dulcium furtorum, quæ noctu plerumque committuntur, unde 'noctes emere' vel 'pacisci.' Propertius: 'Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras, Ipse amor accensas concutit ante faces.' Adde prologum Plautinæ Mercatoris, ubi amatores ait nocti et Lunæ suas miserias narrare. Appuleius igitur Lunam 'consciam' dixit, Propertius 'ministram,' Plautus 'quasi consiliariam,' Cicero 'sociam,' Philipp. II. 'Cum tamen tu nocte socia, hortante libidine.' Lunam enim intelligit. *Scip. Gent.*

Et Portuno et omni ch. Ner.] Ita edidi ex Ms. D'Orv. Vulgo erat, *et Portunus cum omni ch. Ner.* Ms. Pith.

et Portunum et nuni ch. N. Ceterum observa, Neptunum hic bene distingui a Portuno, quem eundem esse ac Neptunum, cum Florido censebat Oudend. ad Met. lib. IV. p. 308. a. Sæpe eos confundi non nego: sed ibi tamen Portunus idem videtur ac Palæmon. Nam Neptunum ipsum in comitatu Veneris fuisse probabile non est, et tum primo loco eum nominasset Auctor, ut h. l. Neque obstat quod eum describit App. ‘barba cærula hispidum:’ est enim ille solemnis omnibus Diis marinis habitus, neque, quod scio, Palæmon semper ut puer describitur. Apud Virgil. certe Æn. lib. v. vs. 241. est, ‘Pater ipse manu magna Portunus euntem Impulit,’ ubi omnino vide omnium Virgilianorum interpretum principem, Heynium. *J. B.* *Neptunus cum Salacia, et Portunus cum omni choro Nereidum*] Philostrat. Heroic. Ποσειδῶν τε αὐτὸς, καὶ Ἀμφιτρίτη, Νηρηΐδες τε ξύμπασαι. *Salacia* uxor Neptuni. D. Augustin. VII. de Civit. &c. ‘Jam utique habeat Salaciam uxorem Neptunus.’ Nec aliud quam mare. Miles. IV. ‘Gravis piscoso sinu salacia.’ Gloss. ‘Salacia, Ἀμφιτρίτη.’ Varro D. L. L. lib. IV. hoc nomine notat æstus recessum. *Pric.*

PAG. 460 *Perfossor*] Parietum nempe: sed ita ἁπλῶς Τοιχωρύχος, perfossor. Affines his τυμβωρύχοι, qui et νεκρορύκται dicuntur, ut apud Phlegontem. *Casaub.* *Qui vectem perfossor*] Festus, ‘vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt, furandi gratia.’ Optatus (quem corrige) contra Donat. lib. II. ‘Divinum opus malitiæ vectibus destruentes:’ vulg. *militiæ*. Gloss. ‘Vectis, Μοχλὸς σιδηροῦς.’ Idem et ‘Laberna,’ Gloss. Isid. ‘Laberna, ferramentum latronum, grassatorum, vel furum.’ *Pric.*

Sicarius] Glossæ Nomicæ, Σικάριος, ἀνδροφόνος· παρὰ τὴν σίκαν, ἥ ἐστι σιδηρᾶ μάχαιρα. Et quidem satis constat de *Sica:* at vero de *Cicra*, quam aliæ Glossæ ἀσπίδα λῃστρικὴν vocant, adeo in promptu res non est ut ne quærendum sit. *Idem.*

Aliquid aliqua] Margarit. poët. *ad aliqua.* Sed Plautus Milite: ‘Antevenite aliqua alios.’ *Colv.* Lucillius Sat. lib. XXVI. ‘Evadat saltem aliquid aliqua quod conatus sum.’ *Pric.* Ms. D'Orv. *aliquo.* *Aliqua*, i. e. aliqua ratione. Plaut. Merc. II. 2. extr. ‘Ne ad illam me animum adjecisse aliqua sentiat:’ et alibi. Id. Plaut. jungit Epid. III. 1. 10. ‘Verum aliquid, aliqua, aliquo modo, Alicunde, ab aliqui, aliqua tibi spes est, fore mecum fortunam.’ Vulc. pro *aliquid* adscripsit *alicui*, non male: sed *aliquis, a, id*, haud raro abundat. *J. B.*

Nequiorem] F. *sequiorem.* Brantius. Met. lib. X. p. 700. ‘servi nequissimi atque mulieris nequioris.’ Plaut. Bacch. IV. 3. 5. ‘nequior nemo est.’ cf. Most. I. 2. 32. Men. II. 3. 79. *J. B.*

Menelai socios] Error memoriæ. Ulixi fuerunt. Vide Odyss. μ. Athenæum lib. I. Meminit quoque Plutarchus l. de Iside et Osiride. *Colv.* Qui Appuleium commisisse hic ἁμάρτημα μνημονικὸν notant, et rejiciunt nos ad Odyss. μ. ii vero falluntur, et cujus peccati alium insimulant, ejusdem se, ἀφραδίῃσι νόοιο, obligant. Locus est Odyss. δ. ubi poëta Menelaum in hæc verba loquentem facit: Νῆσος ἔπειτα τίς ἐστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ, Αἰγύπτου προπάροιθε· Φάρον δὲ ἑ κικλήσκουσι. et mox de suis sociis: Αἰεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμενοι ἰχθυάασκον Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν· ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός. *Casaub.* Male hoc loco Colvius Appuleio attribuit μνημονικὸν ἁμάρτημα, a quo eum recte liberat Casaubonus, quem vide. *Elmenh.*

Famem propulsasse] Veter. edit. *famem propulsos esse.* Unde conjecimus, *famem propulsum isse.* Sed *propulsos esse*, pro *propulisse*, forte eo genere loquendi dictum, quod notavimus su-

pra ad l. III. de Asino aur. *Colv.* Puto veram lectionem primæ editionis *propulsatos esse. Propulso* et *propulsor*, idem: nam antiqui verba quam plurima ancipiti terminatione in una eademque significatione protulerunt; quorum longum catalogum contexit Priscianus l. VIII. *Casaub.* Flor. *propulsasse.* Colvius *propulsatum isse.* Elmenh. Edit. princeps Rom. *propulsatos esse*, atque ita Appuleium scripsisse Casaubonus putat. Eo cadit *propulsos esse*, quod Clariss. Salmasio placet: sic 'crines tonsus est,' pro *totondit* apud Solinum: et in Glossis: 'compilatus est, ἐσύλησεν,' pro *compilavit.* Tacit. Annal. XIII. 'Illusum esse' pro *Illusisse:* et ibid. 'subvectæ essent' pro *subvexissent.* Colvius legendum censuit *propulsum isse.* Infra: 'Pari pertinacia prohibitum isse:' item: 'Ut videretur merito ultum ire.' *Pric.* De Activa vi participii perfecti sæpe monuerunt VV. DD. Adi Oudend. ad Met. VIII. p. 544. b. Imo, omnibus præteriti temporis participiis æque activam ac passivam vim adtribuit V. D. in Misc. Nov. Lips. vol. v. p. 1. Diss. 7. non tamen persuadens Oudend. ad Sueton. Aug. c. 21. nec Ruhnken. ad Vellei. Pat. II. c. 97. Peculiare quidem est Nonii caput, 'de contrariis generibus verborum:' ubique tamen, et sine ullo discrimine, id auctoribus obtrudere velle, nimis quam audacter factum videatur; præsertim ubi Mss. aliam etiam lectionem præbent, et depravatæ alterius lectionis caussa probabilis reddi potest. Scriptum nempe fuerat *fame*, omissa lineola, qua *m* finalis indicaretur; quemadmodum *fame* exstat revera in Edd. Vic. Junt. pr. Ald. Bas. pr. Hinc putabat librarius hoc velle Auctorem, socios Menelai fame coactos fuisse appellere ad insulam Pharum, *apud Pharum insulam fame propulsos esse.* Nam *propulsos esse* legi in Mss. testatur Salm. ad Solin. p. 38. qui id neutiquam mutandum censet; et est sane ita in Ms. D'Orv. et Edd. ante Elmenh. exceptis Rom. in qua *propulsatos esse*, ac Junt. post. et Casauboni, qui cum reliquis dedit *propulsasse.* Hanc autem, quoniam diserte probatur auctoritate Mss. Florent. et Pith. veram lectionem puto. 'Propulsare famem' dixit quoque Cic. de Fin. IV. 25. Notandum tamen quod est in Petronii Carm. de Bell. Civ. vs. 249. 'Pax...niveos pulsata lacertos,' quod cum Bouhierio non mutandum putem in *peltata* aut *pullata.* 'Pulsare lacertos,' inter volandum, signum est festinationis, qua Pax terram relinquere properat, sibi odiosam. Cæterum quemadmodum hunc locum Colvius, ita alium Taciti Annal. III. 17. emendabat Lipsius legens *illusum isse*, ubi in Mss. et Edd. vett. *ill. esse.* J. B.

Gulones] Num *gluttones?* Glossarium: 'Glutto, λίμβος.' Isidor. Orig. l. x. 'Glutto a gula, id est, gulosus.' Immo a Glutto. Idem Glossarium: 'Gluttus, βρόγχος.' Persius: 'Nec glutto sorbere salivam Mercurialem.' Sed *gulones* etiam dicuntur. Festus: 'Ingluvie a gula dicta: hinc et Ingluviosus et Glutto, et Gulo, Gumia, Guttur, Gluttus, Gutturosus, Gurgulio.' *Colv.* *Qui impenso pisces pretio*] Florent. et Fulv. liber, *qui impendio pisces pretio:* male. Agellius l. III. cap. 17. 'Quod impenso pretio librum Pythagoricæ disciplinæ emisset.' Livius l. II. c. 9. 'Salis vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, ademptum privatis.' *Elmenh.* Infra: 'Impenso pretio per piscatores quæsisse,' &c. Cæsar B. Gall. 4. 'Impenso parat pretio.' Gellius l. III. c. 17. 'Quod impenso pretio Librum, &c. emisset.' Cicer. ad Attic. XIV. 13. 'Minusculam vero villam utique Quinto traditurum vel impenso pretio.' Hæc eo plura adduxi, ut loquutionem istam minus insolentem probem, mutatamque a viro magno

[Salmas. ad Solin. p. 1007.] haud citra noxam. Ait in vett. legi *Impendio a piscatoribus merguntur.* Ita Plinius de Coquis: 'Domini censum mergunt.' Plura de verbo βαπτίζειν in hac notione affert, non inelegantis observationis, sed quæ (vereor) locum heic non habent, si perpensa. Elmenhorstius etiam (cujus ex fide membranas eum laudare puto) legi ait, non, *Qui impendio a piscatoribus merguntur*, sed, *qui impendio pisces pretio a piscatoribus merguntur*: unde recte, et minima mutatione vulgati Codd. *Qui impenso pisces pretio a piscatoribus mercantur.* Pric. Sed negligenter, ut solet, Mstos laudat Elm. Nam in Fulv. τὰ *pisces pretio* non reperiuntur, testibus Scioppio et Wower. in Var. Lect. nec in Florent. teste Lindenbrogio, in Excerptis: non comparent quoque in D'Orv. Pith. et Fux. (nam hæ sunt membranæ, quas laudat Salm. non ex fide Elmenh. ut putabat Pric.) *Impendio a piscat. merguntur* genuinam itaque lectionem putabat Salm. τῷ *mergere* contrarium *emergere* de eo, qui ad bonam frugem redit, est apud Cic. pro Cœl. c. 12. et idem verbum absolute positum de eo, qui ære alieno liberatur apud eund. Catil. II. c. 10. *Mercantur* tamen est in Edd. vett. e quibus Junt. post. proxime ad veram lectionem *impendio pisces* (reliquæ *impenso pisces pretio*) *a piscatoribus mercantur*: sed τὸ *pisces* in nullo est Ms. Quare unice mihi placet Fulviani Cod. scriptura *qui impendio a piscatoribus mercantur.* Per se quidem proba locutio est *impenso pretio.* Vid. Popma ad loc. Cic. a Pricæo laud. Davis. ad Cæs. de B. Gall. IV. 2. Salm. l. c. sed hoc nihil ad rem, utrum magno an parvo pretio emerent, dummodo emerent, et sæpe emerent: quare nec Salmasii et ceterorum Mstorum lectio *merguntur* placet, in qua plura etiam sunt, quæ displicent. *Impendio* autem, vox Appuleiana, valet, valde, magnopere, sedulo. Met. l. II. p. 133. 'Cum impendio excusarem, negavit veniam.' L. X. p. 685. 'impendio suadet.' Flor. N. XVIII. 'impendio delectatus:' de Deo Socr. p. 697. Ed. Flor. 'impendio mirari.' Supra p. 425. 'impendio curaret:' infra p. 504. 'impendio colere.' *J. B. Gulones, qui impenso pisces pretio a piscatoribus mercantur*] 'Gulones' vocat quos Apollonius apud Philostrat. τῇ γαστρὶ πάντα χαριζομένους. 'Impenso pisces pretio mercari,' est quod ibidem τοὺς ἰχθύας ὠνεῖσθαι πλείονος ἢ τοὺς κοππατίας οἱ λαμπροί. passim (ut in limine dixi) exprimit Apollonium Noster. *Pric.*

Acquirunt] Emendo, *anquirunt*: composita vox ex præpositione antiqua *am* (quæ significabat, circum) et *quæro*: testem habeo Festum. Idem verbum et libris superioribus Appuleio aliquoties reddendum notaveram: at loca in præsentiarum non occurrunt. Inferius hac eadem Apologia: 'eadem Græce et Latine adnitar conscribere, et in omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere:' in vulgatis hæret *acquirere.* Revoco et apud Juvenal. id verbi Sat. XIV. 'nam quæ terraque marique Anquirenda putes, brevior via conferet illi.' *Stewech.* Male vulg. *acquirunt*: sic emendatum etiam a nobis infra: *In omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere.* Anquirere est cum cura et studio quid quærere: verbum quod sæpius loco suo motum ab imperitis librariis. Cicero in Fato: 'In qua quid valeat id quod fieri possit anquiritur.' Magis latet in Arnobio l. VI. ubi sic legitur in Rom. Ed. 'Opem rogare suppliciter, adversisque in rebus, atque in temporibus asperis propitii numinis favore succurrere:' et Gelenius qui locum non bene habere recte arbitratus, edidit, *propitii numinis favores accurrere.* Sed eruerim etiam ibi hoc verbum, *propitii numinis favorem anquirere.* Sermo enim

omnis de hominibus, Deorum gratiam et favorem ambientibus. *Colv.* Bene inde a Colvio editum *anquirunt* cum Mss. Florent. In reliquis *acq.* Vide ad Met. l. II. p. 118. b. *J. B.*

Ut si helleborum] Separavimus male cohærentes in vulgatis lib. sententias. *Casaub.* Omnes id secuti sunt. Male. Minor distinctio rectissime ponebatur post *argue*. *Ut si*, valet, quasi si. Vid. Drakenb. ad Liv. XXII. 50. 'ut si nihil obstet.' Distinguendum plene post *emissem*. Fraudi fuit viro docto nominativus absolutus initio periodi *Alia:* de qua eleganti stili negligentia adi Oudend. ad Florid. N. XVIII. p. 87. a. Ante *ut* D'Orv. habet *mihi*, in quo pro *papaveris emissem* corrupte *paraverit semisse*. J. B.

PAG. 461 *Themison servus noster, medicinæ non ignarus*] Et infra 'Themison medicus.' Hoc nomen, qui magni haberi in arte medica volebant, vel ominis boni caussa, olim sumebant, præsertim servi, quorum possessio illa ars, alioquin nobilissima, erat apud Romanos. Cornelius Celsus lib. I. 'Themisonis vero æmuli, si perpetua, quæ promittunt, habent, magis etiam quam ulli rationales sunt.' Juvenalis: 'Quot Themison ægros Autumno occiderit uno.' Eleganter D. Hieronymus talia nomina, quæ sic sumuntur, 'Votiva vocabula,' adpellat. *Scip. Gent.*

Nondum etiam invenit] Scil. Themison, qui mihi alterum illum piscem attulit. *J. B.*

Ejus mihi aut formam commemorent] 'Commemorare' est 'dicere.' Serenus Sammonicus: 'Est et vis morbi quod telum commemoratur.' Supra Noster: 'De quadam saga ad hunc modum memoravit.' Gloss. 'Commemora, φράσον.' *Pric.*

Nequierint] Miles. IX. 'vel si id nequierint, certe larva, vel aliquo diro numine immisso.' *Idem.* Negligenter Pric. citat locum Met. lib. IX. qui est huj. Ed. p. 649. et ita, *vel, si id nequiverit.* Et solet sic, *nequeo, nequivi,* Noster efferre hoc verbum. Scribendum itaque et hic *nequiverint* cum Ms. Pith. et Edd. Junt. post. Ald. cf. Met. lib. I. p. 45. Supra p. 455. Ed. Flor. Sic Met. lib. II. p. 112. *quivi.* Sed *nequisti* est Met. lib. VII. extr. *J. B.*

Propter infantiam] Putabat V. D. in marg. Fulvium h. l. legi velle *fidem;* quod probat. Verum *Infantia* propria notione hic dicitur de eo, qui fari nequit, ut non uno loco apud Ciceronem opponitur *eloquentiæ*. cf. Ernesti in Cl. Proprie itaque dictum *non eloqui propter infantiam.* Tannonius ille supra pag. 405. vocatur 'homo, vere ille quidem non disertissimus.' *Idem.*

Hæsitato] Scriv. eumque secutus Florid. rescripsere *hæsitans*, ut exstat in Ms. Bemb. et legendum esse monuit Lat. Latin. A vulgata lectione standum putavit Editor Bip. Recte. *Hæsitato*, i. e. quum hæsitatum esset, quum hæsitasset. Vide de hac constructione quos citat Drakenb. ad Sil. lib. XIV. vs. 97. add. Cort. ad Sallust. Hist. V. Virg. Æn. I. vs. 737. 'Primaque, libato, summo tenus attigit ore.' Vell. Pat. III. c. 107. 'Impetrato, ut manum contingeret.' Amm. Marc. XIX. 11. 'audito, quod staret adhuc Imp.' In primis familiaris est hæc constructio Septimio de Bello Troj. lib. II. 28. 'Chryses, cognito filiam suam,' &c. cf. III. 5. VI. 3. et 15. ib. III. 4. 'edicto, uti omnis miles in armis esset.' IV. 6. 'Ajax lacessit regem, prædicto prius Ulixi et Idomeneo, a ceteris uti se defenderent.' cf. VI. 2. ib. V. 11. 'ad muros movent, prænunciato Trojanis.' VI. 3. 'conspirato inter se.' VI. 15. 'credito, Telegonum adventare.' Loquendi ratio Græcis quoque haud infrequens est. V. Matthia Gramm. Gr. § 663. *Idem.*

Virile marinum] Cave putes, τὰ *virile marinum* esse verba Tannonii, et

eam quam ridet Appuleius circumlocutionem, quæ non est ab eo posita. Sic autem ipse vocat piscem, quem mox uno nomine *veretillum* appellandum esse docet: sic enim malo, quam *veretillam* scribere. Græci *αἰδοῖον θαλάττιον*. Epicharmus apud Athenæum l. III. Ἐντὶ δ' ἀστακοὶ κολύβδαιναί τ' ἔχουσαι ποδία μικρά. sequitur paucis interjectis interpretatio ejus loci, κολύβδαιναν δ' εἴρηκεν Ἐπίχαρμος ἐν τοῖς προεκκειμένοις, ὡς Νίκανδρός φησι, τὸ θαλάττιον αἰδοῖον. *Casaub.* Ms. D'Orv. *virilem*. J. B.

Feminal] Pith. *feminam*. Pius Annot. post. c. 198. intelligit valvulas, qui pisces sunt forma haud dissimiles genitalis muliebris: quorum in Epistt. lib. I. meminit Plinius. *Idem*.

Interfeminium] Onomast. vet. 'Interfeminium, τὸ γυναικεῖον.' An et ita in Glossario legend.? ubi vulg. 'Μεσομήριον, Interfemus.' *Pric.* ***Interfeminium tegat, et femoris objectu, et palmæ velamento***] Prorsus ut in isto signo Arundelliano. [Sequitur in Ed. Pric. effigies Veneris. V. Ovid. Art. Am. II. 614. et ibi Burm. Bayer. in Mon. Petropol. de Venere Coa. *J. B.*] cujus schematis etiam expressionem videre esset in Milesiis, si liceret per caliginem spissam illam corruptorum Codicum: legitur, 'Glabellum feminal rosea palmula obumbrans de industria, quam tegens verecundia.' Editt. Rom. et Ald. *Glabellum feminal vel. rosea palmula obumbrans, &c.* Codex Ms. meus, *G. f. vel3. ros. pal. &c.* quæ certe scriptio proxime a vero abest: lege ex compendii vestigiis, *velamento roseæ palmulæ*. Miles. II. 'velamentum naturale' vocat. *Pric.*

At ego illi] Fallit Cl. Savaro, dum heic innui Æmilianum putat. Caussas is nunquam egit, 'homo agrestis et barbarus; vir ultra Virgilianos opiliones et bubsequas rusticanus:' ut quidem passim indigitat eum App. noster. τὸ *illi* refer ad Tannonium, de quo superius. *Idem.* Male exsulat *at* a D'Orv. In quo *exprobrarim:* et mox *dicta* pro *dictu*. *J. B.*

Sordide blatteret] Quia virile marinum mala ac sordida circumlocutione nominaverat. *Idem.*

Fringultiat] Hinc notemus, quid Fringultire, et ex Apol. II. 'Audisti Maxime paulo ante privignum meum fratrem Pontiani, diserti juvenis, vix singulas syllabas fringultientem.' Quocirca etiam rescribamus in Sidon. Apoll. Epist. 10. lib. VIII. 'Neque enim valuissemus aliquid in commune consulere; nisi, judicii sui faciens plebs lenita jacturam, sacerdotali se potius judicio subdidisset, presbyterorum sane paucis angulatim fringultientibus; porro autem palam ne mussitantibus quidem:' nam vulgatum male, *angulatim singultientibus*. Colv. Cf. Pric. et Gent. infra ad p. 557. Ed. Flor. Pith. *fringulitiat*. J. B.

Obmutescat] Ut qui, feminal nullo pacto reperiens munditer dicere, ad mea scripta confugere debuit, unde honestam locutionem depromeret. *Idem.*

De Ven. statua nihil d.] Ne sibi repugnare videatur, lego, *de V. st. nonnihil d.* Roald. Male. In libro illo scripserat quædam de Veneris statua, et ea occasione verba illa adhibuerat, supra citata: jam, inquit, si ego de Veneris statua *nihil* dixissem, atque adeo *interfeminium* non nominassem, accusare me non potuisses, propter infantiam tuam. *J. B.*

Quibus tandem verbis accusasses crimen illud, &c.] Non aliud est hoc crimen quam balbuties illa: quod eo moneo, ut ne prima facie impingant alii itidem ut ego feci, dum hoc crimen nimis longinque investigarem. Cur autem Naturæ vitium appellat crimen? puto, quod cum præ infantia adeo inepte blatteraret, eloquentiam non timuit profiteri, et Patronum agere. *Pric.*

Fortassean] Vulg. *fortasse an*. Dic-

tionem hanc primus eruit Maximus Astreæ antistes J. Cujacius Observ. lib. IX. cap. 10. ubi pluscula illi e Tertulliano, quæ etiam nos notaveramus ad hunc locum, aliisque probis auctoribus collecta exempla. Censeo etiam legendum apud Senecam Ep. XXIX. 'Vitia ejus etiamsi non excidero, inhibebo. Non desinent: sed intermittentur fortasse an, et desinent:' cum editum sit ubique, *fortasse autem*. Colvius. *Et fortasse an peracute*. Ita V. C. *Sciopp. in Symb.* Malim *Hac f. peracute r. v. v. At quæsisse, &c.* Acidal. *Peracute* rectissime scribitur in Edd. Rom. Cas. Gent. Pric. et Mss. Fulv. Pith. D'Orv. In reliquis *præacute*. *Peracute*, i. e. acutissime: *præacutum* est, quod præminentem aciem habet; ut 'spatham præacutam mucrone infesto' Met. lib. I. pag. 20. 'præacutas præminentes silices' lib. VI. p. 432. 'sudes præacutas' lib. VIII. p. 553. 'gelu præacuta frusta' lib. IX. p. 654. Sed et hoc possis explicare valde acutum, ut 'novaculam præacutam' Met. lib. V. p. 356. quemadmodum *præ* æque ac *per* intendendi vim habet, apud Nostrum sæpe. v. Ind. Quare si Mss. addicerent, non damnarem *præacute*. J. B.

Veretillum] Glossæ et Onomast. vet. 'Veretrum, Αἰδοῖον.' Glossæ Arabico-Lat. 'Veretrum, portum orinum.' Legerim tantisper *porcum marinum*. V. in voce Ἀλεσσούριος Etymologum. Isid. Orig. lib. XI. cap. 1. *Pric.*

Virginal] Bas. 1. *viaginal*. Virginal, pars illa corporis in virginibus, qua feminæ habentur. Prudentius: 'Intactum ab omni crimine virginal.' Solinus Memorab. cap. IV. 'Feminis perinde est infausta nativitas, si consertum feminal fuerit.' B. Augustinus lib. XXII. c. 8. de Civ. Dei: 'Non credunt hoc, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos suos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt.' A similitudine partis ejusdem corporis feminini etiam Vulvulæ, piscium genus apud Plin. lib. I. Epist. et μήτρα χωριάπυος apud Eubulum Nutricibus, citante Athenæo lib. VII. Deipnosophist. *Colv. Virginal*] Idem in Gloss. 'Virginal, membra virginis in quo habitat:' fors. *V. membrana, virginitas in qua habitat*. Omnino altera lectio nil expedit. *Pric.*

Eliciendos mortuos] Expressit voce aptissima vim eam quam passim Magicis carminibus tributam videas. Neque alio putem ferenda quæ in Glossis lego, 'Elicuit, Ἐξεβιάσατο.' 'Eliciens, Ἐκβιαζόμενος.' *Elicia* hæc ψυχαγωγίας vocat Max. Tyrius Dissert. XIII. Justin. Mart. Apolog. II. ψυχῶν κλήσεις. Miles. I. Noster, 'Manium sublimationes.' *Idem.*

Marina calvaria] Scilicet propter ὁμωνυμίαν terrenæ, quæ in maleficio frequens. Miles. III. Noster (officinam feralem deformans,) 'Heic nares et digiti, illic carnosi clavi pendentium: alibi trucidatorum servatus cruor, et extorta dentibus ferarum trunca calvaria.' Petronius de saga vetula: 'Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, et sincipitis vetustissima pars mille plagis dolata.' Joannes Sarisburiensis, ubi de maleficiis Juliani lib. I. cap. 21. 'In Carris aperto templo, quod usque ad reditum suum clausum esse præceperat, inventa est mulier capillis appensa, manus extensas habens, aperto utero: in cujus jecore eventum belli Persici fuerat speculatus. In Antiochia quoque arcas in Palatio plurimas humanis capitibus plenas invenerunt.' *Humana capita* ista non alia quam *calvaria* puto. *Idem.* *Nugas marinas, et quisquilias littoraleis*] Puta, *Conchiliorum reduvias*, ut apud Solinum. *Muricum, ostreorumque fragmenta*, ut apud Melam; φυκία καὶ

βρύα, ἐκβαλλόμενα εἰς τοὺς αἰγιαλοὺς, καὶ εἰς τὰς ψάμμους, ἄτερπνα πάνυ, καὶ οὐδὲ ὀνομαζόμενα. Ita eas in Epistolis designat Julianus. *Idem.*

Nugas marinas et quisquilias littorales] Joannes Passeratius, præfat. in Propertium, sic legi debere ait, ubi pessime nunc legitur, inquit, *qui scyllas.* Vide elegantissimi viri locum illum, in quo hunc illustrat ad probandum, naturæ solertiam etiam in minimis et contemptissimis rebus adparere, vereque vaticinatum esse Plinium: 'nusquam magis, quam in minimis totam esse naturam.' *Scip. Gent.*

PAG. 462 *Congestim et acervatim*] Miles. IV. 'Pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis.' Glossæ: 'Σορηδὸν, Acervatim, concervatim,' lege *coacervatim.* Pric.

Conchulam striatam] Plautus Rudente: 'Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas, Marinam urticam, musculos, plagusias, striatas:' ubi etiam pro *plagusias*, *plagias* legere malim: nam ita alio nomine Purpuras vocari, auctor Plinius lib. IX. cap. 37. *Colv.* Pith. *cum chalar str.* D'Orv. *conchalam str.* J. B. *Conchulam striatam*] Plinius: 'Striata concharum modo.' Sidonius lib. IV. Epist. 8. 'Quod posset aptari conchæ capaci, quæ per ansarum' (lego *ansatum*) 'latus utrumque, in extremum gyri a rota fundi, senis cavatur striaturis.' Glossæ, 'Striata, Συστρωτά.' V. Vitruvium lib. IV. cap. 4. Palmariam corruptæ vocis hujus restitutionem debemus Colvio ad II. Florid. Edebatur *decoris histricis*, et *decoris instrumentis:* correxit acutus juvenis, *decoris striis.* Pric.

Testulam habentem] Mihi certe illa scriptura non sapit: nescio an conjecturam aliis probaturus sim, *testulam hiantem.* Stewech. Vulgo *habentem.* Stewech. *hiantem*, utrique præferam *albentem.* Brantius. Flor. *testam habentem*, male. *Elmenh.* Meursius in Critic. Exercitt. legit *testulam hiascentem.* (sic et I. Miles. 'Lagena orificio cessim dehiascente:' quo loco libri omnes habent *dehiscente*) Stewech. *hiantem.* Scipio (ex Roberti Titii Assertion. lib. VII. c. 9. restitutione) *hebetem:* quod quia cujusmodi sit, non capio, non dicam hebes commentum esse. Præfero interdum conjecturam Brantii, *albentem.* Priceus. *Hebetem* jam ante Rob. Titium in Ed. Vic. editum legitur, idque confirmant Mss. D'Orv. et Medic. apud Gronov. l. mox citando: atque ita dedere Colv. et seqq. præter Scriver. qui revocavit ceterarum ante Colv. Editionum lectionem a Mss. Florent. et Pith. confirmatam, *habentem*, sed ita, ut jungat *conchulam striatam testam habentem:* quod quominus ab Appuleio profectum putem, hac maxime impedior causa, quia Auctoris nostri oratio paribus membris procedere solet, *conchulam striatam, testam hebetem, calculum teretem;* ut mox: 'cancrorum furcas, echinorum calyculos, lolliginum ligulas;' et singulis paginis. Stewechii conjectura *testam* (sic, non *testulam* legendum) *hiantem*, ex eo nonnihil adjumenti capere videtur, quod et ostreo cuidam nomen est *hiatula*, χήμη, ab hiando scilicet, cujus meminit Salm. ad Solin. p. 772. sive potius intelligendum tum de concharum hiantibus testis, quas permultas in littus evolvere solent fluctus. Magis ad proprietatem sermonis tamen dixisset tunc Auctor *concham hiantem* cum Cicer. de Nat. De. II. c. 48. et propius ad scriptam lectionem eodem sensu sic divinaverit Gronovius pater *testam patentem* (cf. Gronov. fil. ad Minuc. Fel. c. 1.) quemadmodum 'pinna, duabus grandibus patula conchis' est apud Cicer. ibid. et 'pectines patuli' Horat. II. Sat. 4. vs. 34. Omnium minime placet Jac. Gronovii emendatio ad illud Minuc. Fel. l. c.

'Is lusus est testam teretem, jactatione fluctuum levigatam, legere de litore;' emendantis h. Nostri l. *testam tabentem*, i. e. quæ continuo adeditur, et imminuitur magis magisque, jactatione fluctuum, ἀλίτρυτος. Sed *hebetem* a 2. Mss. oblatum, et inde a Colvio fere editum, verum puto. Nonnullæ testæ sunt aculeatæ: his opponuntur hebetes. Sic in fragm. Cicer. Acad. lib. II. apud Non. II. n. 408. 'cur Lunæ nascentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua.' Esse autem permultas testas, quæ formam haud absimilem Lunæ obtusis cornibus repræsentant, sciunt harum rerum inspectores: tales igitur testas ob oculos habuisse Appuleius videtur. Varias autem concharum figuras sic describit Plin. H. N. lib. IX. cap. 33. 'in conchis magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis,' &c. *J. B.*

Teretem] Ms. *terentem*. Vides, quam facile supra *hebetem* in *habentem* depravari potuerit. 'Teretem testam' habuimus modo apud Minuc. Felic. add. Amm. Marc. XXIII. 6. extr. ubi Margaritæ *teretes*, opponuntur *flexuosis*, i. e. non plane rotundis. *Idem.*

Lolliginum ligulas] V. Sidonii Expositores lib. I. Epist. 2. *Pric.*

Assulas] 'Fomites' appellant Festus et Isidorus lib. VII. cap. 6. suntque proprie de ligno. Noster ad lapides transtulit, ut et Vitruvius. Vet. Onomast. 'Assula, Σκινδαλμός.' *Idem.*

Ostrea Pergami vermiculata] Multis de caussis mihi hic locus suspectus: nam et ostreorum mentio hoc loco aliena est, inter assulas et festucas littorales: cum potius inter superiora essent recensenda: et ostrea Pergami qui ad hunc locum? imo vero quis uspiam quicquam de iis legit? Quare portentum hic aliquod suspicor latere: cæterum qui emendem, non video. Tu, Scaliger, emendabis. *Casaub.* F. *ostreorum terga vermic.* Plautus Pœn. A. I. Sc. 2. 'Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito.' *Brant.* Locus contaminatus fœde, quem Joann. Brantius feliciter correxit. *Elmenh.* *Ostrea vermiculata* putem, quorum testæ minutis maculis insignitæ sunt, aut potius parvis foraminibus, velut ligna vermibus exesa: (unde apud Varronem, ni fallor, ταφ. Μενιπ. *facies vermiculata*) at quid de media voce statuemus? Maximus Casaubonus portentum aliquod heic latere putat, fatens non videre se quo acumine tolli possit. Salmas. *frusta Pergami vermiculata* legit. Vide, ut apud Solinum se explicat, pag. 659. Brantius, *ostreorum terga vermiculata*, ut apud Plautum, 'Tergum ulceribus ostreatum.' Malim ego (ut cuique arrident sua) *ostreorum terga levigata*, h. e. levia, splendentia, ab assidua jactatione. Minuc. Octav. 'testam teretem, jactatione fluctuum levigatam.' Gregor. Nazianz. Orat. 28. φυκία καὶ κήρυκες, καὶ τῶν ὀστρέων τὰ ἐλαφρότατα. *Pric.* Nihil variant Mss. et Edd. sed eo magis doctorum opiniones. Et Salmas. quidem ad Solin. p. 659. divinavit *frusta Pergami vermiculata*, i. e. τρύφη τοῦ Περγαμηνοῦ σκωληκόβρωτα. Triller. Observ. Crit. I. 14. *ostrea in tergo vermic.* vel *ostrea peregrina vermic.* (*peregrinatione* gaudere ostrea ait Plin. XXXII. 6.) vel *ostrea perigrammis vermic.* h. e. striis, lineis, figuris, voce Græca, pro more Appuleii; vel denique: *ostrea, purgamina, vermic.* An vox [illegible]epta *Pergami* hanc habuerit originem, quod librarius errore calami scripserit *vercumi vermiculata*, et τὸ *vercumi* lineola leviter obduxerit, unde sequens librarius id non advertens effinxerit *Pergami*, affirmare non ausim. Ingeniosissima utique hæc est conjectura Clar. Lennepii. In-

terim si, ut videtur, aliquid tribuendum est Casauboni observationi, inter assulas et festucas, ostrea locum non habere, quæ supra recensenda fuissent, omnes laudatæ conjecturæ cadant necesse est, excepta Salmasiana: sed *frusta Pergami*, pro fragmentis chartæ Pergamenæ, an recte dicatur, dubito. Verum, donec Mss. certius quid adferant, ultra conjecturas res non procedit: quare, ne solus nihil attulisse videar, mihi in mentem venit, *et cetera teredine vermiculata:* nequaquam, quod sic scripsisse Auctorem putare ausim; sed quod sic sane haud ineleganter loqui potuisset. De teredine, qui est vermis marinus ligna peredere solitus, vid. Heins. ad Ovid. I. ex P. I. vs. 69. 'Estur ut occulta vitiata teredine navis.' Aptius verbum excogitari non potuit quam illud *vermiculata* de lignis vermibus exesis, et parvis quasi foraminibus insignitis: quemadmodum 'emblema vermiculatum' est in Lucil. fragm. Utut est, τὸ *vermiculata* neutiquam mutandum. De reliquis ἐπέχω. *J. B.*

Muscum et algam et] Βρύον καὶ φῦκος, de quibus vide Salmas. ad Solin. p. 80. F. *Idem.*

Maris ejectamenta] Tacit. German. 'Jacebat inter cætera maris ejectamenta.' Curtius lib. IX. 'Maris purgamenta.' *Pric.*

Ubique littorum] Sic loqui amat Noster. Infra: 'Ubicunque locorum.' In Milesiis, 'ubique itineris,' 'ubique gentium,' et similia, quæ cum probam Antiquitatem præferant, hinc inde exulant tamen. *Idem.*

Ventis expelluntur, salo exspuuntur] Nazianz. ubi supra: Ἐξωθεῖτο καὶ ἀπεπτύετο. *Spuere* signantius dixit. Solinus: 'Mari incito exspuuntur.' Carminis de Sodoma Author in Tertulliani Libris: 'Maris exspuit æquor.' Catullus: 'Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis.' *Idem.*

Spuria et fascina] Sic vocat quæ modo 'maria virginalia:' alludens ad vocis originem. quasi *spuria* sint in femina τὰ σπόριμα μόρια. nam et σπείρειν et ἀροῦν venuste eo sensu poëtæ usurpant: et vocem *spurius* ἀπὸ τοῦ σπείρειν esse deductam, pars veterum et criticorum et JCtorum existimavit. *Fascinum* vocari τὸ τοῦ ἀνδρὸς μόριον, et quare ita appelletur, notum est. *Casaub.* *Spurium* muliebre pudendum notatur Plutarcho. *Brant.* Add. Pric. Isid. Orig. IX. c. 6. 'Spurius patre incerto, matre vidua genitus, velut tantum spurii filius, quia muliebrem naturam Veteres spurium vocabant, velut ἀπὸ τοῦ σπόρου hoc est, seminis.' Scalig. ad Festum citatur a V. D. in marg. Male Lat. Latin. suspicabatur legendum *sumptam de mari spumam;* licet *spuma* sit in Ms. D'Orv. *J. B.* *Spuria*] Græci subsicivæ vox est. Plutarch. Quæst. Rom. Τοὺς Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον. De Etymo recte Casaub. Σπόριμα μόρια. *Pric.*

Cancer ad ulcera] Ὁ καρκῖνος πρὸς τὰ καρκινώματα. *Casaub.*

Alga ad querquerum] Impressum ubique, *alga ad querectum.* Querquerum seu Querquera, id est, Febris querquera, de qua Festus. Minucius Octavio: 'Cum querquero quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris.' Arnob. l. I. 'Vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos.' Plauti versus, qui apud Festum ex ejus Frivolaria est, sic legendus: 'Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera:' ut est apud Priscian. l. VI. Posset ergo hic legi etiam, *ad querqueram.* Colvius. Roman. Edit. *quercerum.* c pro *qu*, ut in *cocus*, *coquus*, et aliis multis. Rectius tamen scripseris *querqueram;* nam subauditur *febrim:* et est jocus valde facetus, quasi alga quodam algu proprio posset mederi fervori febris. *Casaub.* Id est, ad algorem, sive alga, ut Veteres dixere. Alii putant, *quer-*

querum stridens significare. Unde 'febris querquera.' Lucilius: 'Querquera consequitur febris capitisque dolores:' a frigore enim fit ille in febribus dentium stridor et collisio: cujus causa quia bilis esse solet, ideo 'bilis querqueratum' Plautus dixit. *Scip. Gent.* Flor. et Rom. *quercerum*, ut et Agellii Msti omnes, quos inspexi. *Elmenh.* Bene Florid. Frigidam febrim et algidam esse quercerum, ex Festo et Paulo liquet. cf. Voss. Etym. in v. Beroald. in Gruteri Lamp. t. I. A. p. 237. Ceterum *quercerum* scripsi ex Edd. vett. et Mss. hic, et alibi. *J. B.* *Alga ad querquerum*] *Querquerum* Gentili algor est, vel stridor frigidus, qui ut plurimum febricitantibus oboritur, quum dentes collidunt: ita etiam accepisse videtur Minuc. in Octav. et nescio qui alii apud Festum. At si *querquerum* ex se frigidum, ad quid *alga?* ut intendatur frigus? nugæ: *algam* facete Appuleius ut remedium caloris posuit: *querquerum* itaque censeamus oportet febrem calidam et siccam. Vise vocem eam ap. Guicciard. Ling. Harmon. Etymolog. *Pric.*

PAG. 463 *Proxima humanitate*] Magis placet *prolixa humanitate:* de quo nos alibi: hoc amplius ipse Appuleius mox, 'liberalitatem uxoris suæ prolixam' vocat. Item Minutius ait: 'prolixe gaudere.' *Stewech.* Lipsius corrigit *prima hum.* ego, *plurima hum.* Colv. Si quid mutandum, placet quod pridem nobis in mentem venit, *prolixa:* sed cur *proxima* non ferimus? nam ita Latine dicitur homo obvius et humanus, ὁ χρηστὸς καὶ εὐεργετητικὸς, et obvia humanitas, talis animi habitus. Ab eadem mente, præsens auxilium, et præsentem Deum dicimus. Inde et illud Hesiodi, Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί. *Casaub.* Alii *prolixa hum.* Lipsius *prima h.* Colv. *plurima h.* male. Vide Casauboni notas. *Elmenh.* Pontanus et Stewech. legunt *prolixa*, ut infra, 'uxoris prolixam liberalitatem.' Lipsius *prima*, Colvius *plurima.* Ego nil muto: *proximum* est *manifestum.* V. quæ notamus supra ad ea, 'proximum argumentum.' *Pric.* *Prolixa* dedit Scal. in Ed. Vulc. sec. In promptu quoque foret emendare *maxima.* Sed nil muta. Quemadmodum *proximi* dicuntur, qui alicui adsunt in judicio, vid. Græv. ad Cic. Verr. v. 63. Gronov. Obs. I. 23. sic, 'proxima humanitas,' est officiosa. *J. B.*

Quorumdum adhuc] Ita reponendum duximus, maleque passim ante impressum, *quorumdam adhuc.* Sic τὸ *dum etiam* positum infra Apolog. II. 'At tu dum putas eam etiam nunc fratri tuo denupturam.' Et supra Florid. III. 'Et jamdum eum ingenti plaga reconcilio.' Sic apud Plautum sæpius: ut Milite: 'nequedum exarui ex amœnis rebus et voluptariis.' Ita *etiamdum* Pseudolo: *Primumdum* Rudente, et alibi: *Ineptusdum* Trinummo etiam sic accipiendum, et legendum: 'Quid ego ineptusdum sermonem vereor interrumpere?' Male mutarunt veterem lectionem Truculento: 'Tristis exit: avet convenire etiam hicdum Phronesium:' nam Camerarius et Lambinus ediderunt: *Tristis exit, haud conveniℯe etiam hic velim Phronesium.* Quorum edd. secutus J. Gulielmius, amicissimus meus, aliud quid reponendum censuit. Parisiensis editio antiqua lectionem habet, quam priorem dedimus. *Colv.* Sic Celsus JCtus l. XVIII. D. de acq. poss. 'Possidere me certum est, quamquam id nemodum attigerit.' *Brant.* Lego, *quorum dum nescius esse nolui.* τὸ *adhuc* certum habeo irreptitium esse, neque aliud quam τοῦ *dum* particulæ interpretamentum. Gellius l. XX. c. 7. 'Ibi dum cœnantibus nobis, magnus ostrearum numerus Roma missus est:' at hoc otio est abuti, cum vel præcedentia cominus inspecta satis superque illud vocis supervacuum evincant, nec tamen

parum heic turbant Expositores quidam. *Pric.* Deceptus fuit Colv. τῷ *nolui*, quod exstat in Edd. Rom. ni fallor, Junt. post. Colv. et seqq. Sed melius Mss. Fulv. Pith. D'Orv. Edd. Vic. Junt. pr. Ald. Bas. *nolim*, ut legendum monuit Jungerm. Ep. 31. inter Gudian. p. 363. *J. B.*

Occidua senectute] Pollux Onomast. lib. II. c. 2. Λέγοιτο δ' ἂν καθ' Ὑπερίδην, ἐπὶ δυσμαῖς βίου. Hesychius: Δυσμαῖς βίου, τὸ τέλος τῆς ζωῆς. Prudent. Cathemer. 'Occasus vitæ.' *Pric.*

Serum plane et post vinum] Memineram Auctorem hunc lib. IV. de asino dicere, 'spem posthumanam:' ideoque emendabam hic, *doctrinam serum plane et posthumum:* idemque ut Jac. Cujacio primario JCto in suis Observatt. lib. III. cap. 4. placere intellexi, oppido gavisus sum, nobis in mentem venisse, quod tantus vir suo quoque calculo probarit. Sic 'immortalitatem posthumam' vocavit Minucius Felix, quæ Christianis post resurrectionem tribuetur. *Stewech.* *Postumam.* Ita, nec aliter scribendum fas fuisse duximus, emendavit ante annos multos JC. præcipuus, J. Cujacius, præceptor noster, Observ. lib. III. cap. 4. Tertullianus de Testimonio animæ: 'Quorum innumera elogia sunt contemptæ mortis propter postumam famam.' de Anima: 'Et in Phædro post mortem differt sententiam veritatis, postumam scilicet: et tamen nondum mortuus philosophatur.' Hæc duo loca non notavit magnus ille vir, ad quem fortassis te relegasse sufficiat. *Colv.* Ms. Fulvii liber, et Rom. *post vinum.* Forsan scripsit Appuleius, *post vinam.* Elmenh. Hoc non capio: licet *postuinam* voluerit etiam Fulv. teste Wower. in Var. Lect. Optime emendasse Cujacium arguunt Mss. Florent. et Ms. Pith. in quo *postumus,* cum D'Orv. ubi *postremum:* e Glossa. Vide ad Met. lib. VI. p. 443. b. Ms. Fulv. cum Edd. vett. *post vinum.* J. B.

Eudemum] De Eudemo Rhodio, Aristotelis discipulo, vide Fabric. Bibl. Gr. l. III. c. 8. in Catalogo Peripateticorum, ubi et de Lycone. *Idem.*

Aristotelis περὶ ζώων] Apud Diog. Περὶ ζώων, α', β', γ', δ', ε', ϛ', ζ', η', θ'. Ἀνατομῶν, α', β', γ', δ', ε', ϛ', ζ', η'. Ἐκλογὴ ἀνατομῶν α'. Ὑπὲρ τῶν συνδέτων ζώων, α'. Ὑπὲρ τῶν μυθολογουμένων ζώων, α'. *Colv.* Græca non comparent in Mss. et Edd. vett. de more. Primus ea addidisse videtur Editor Junt. post. Malim tamen sic: Περὶ ζώων γενέσεως, Περὶ ζώων ἠθῶν καὶ βίων (cit. ab Athenæo lib. VII. nisi sit idem liber ac περὶ ἱστορίας) Περὶ ζώων μορίων, Περὶ ζώων ἱστορίας. ut singula singulis respondeant, 'de genitu,' 'de victu,' 'de particulis,' et agmen claudat nobilissimum illud opus, quo omnem animalium *differentiam* explicuit. *J. B.*

Multijuga volumina] 'Quinquaginta ferme volumina de animalibus condidit.' Plin. H. N. VIII. 17. *Idem.*

PAG. 464 *Ordinatius et cohibilius*] Τεταγμένως μᾶλλον καὶ συνεσταλμένως. Sic apud A. Gellium, 'celer oratio et cohibilis.' Lib. XVI. cap. 19. et lib. VII. 'dicendi genus subtile et cohibitum.' *Casaub.*

Si opera est] Infra: 'Sed non est operæ in istis diem terere:' de Deo Socr. 'Non est operæ diis superis ad hæc descendere.' Opera est, et operæ est, dixit etiam Plautus: in quo non temere hoc vel illud loco movendum, quod quidam faciunt. Aulularia: 'Da mihi operam parumper, si opera est, Euclio.' Mercat. 'Sed ea ut sim implicitus dicam, si operæ est auribus.' Casina: 'Operam date, dum mea facta itero, est operæ auribus percipere.' Milite: 'Occupata est, operæ non est.' *Colv.* Non temere in *operæ* mutandum recte Colvius monuit: passim apud Plautum utrumque sine delectu occurrit. *Pric.* *Operæ* in marg. conjecit etiam Dra-

kenb. ut sæpe *operæ est*, pro vacat, operæ pretium est, apud Plautum. v. Gronov. Lect. Plaut. p. 115. atque ita edidit Scriv. sed invitis Mss. et Edd. reliquis. 'De versibus opera deest mihi' dixit Cic. ad Q. Fratr. III. 4. quidni igitur et *opera est* bene dictum sit? Talia mutare perquam est facile: sed opus est cautione. *J. B.*

De Magicis] Aut εἰρωνικῶς loquitur, aut legendum *Physicis*. Pric. Illud verum puto. *J. B.*

Si quos forte] Τὸ *si* non est in Florentinis. *Elmenh.* *Quos forte.* Scribe periculo meo, *si quos forte, &c.* Infra, 'Dicite aliquis, si quis forte meminit hujus loci principium. Audisne Maxime multos suggerentes? imo ecce jam liber offertur.' Addam e Marciano Capella locum, ad hos Authoris nostri appositissimum, interpolatum autem pessime etiam in optima Edit. Extat lib. VI. extr. ubi de Geometria: 'Quo dicto complures' (lege *cum plures*) 'philosophi qui undique secum' (leg. *secus*) 'constipato agmine consistebant, primum Euclidis Theorema formare eam velle cognoscerent, confestim acclamare Euclidi, plaudereque cœperunt, cujus laudibus etiam ipsa Geometria plurimum gratulata, se per sectantis gloriam sublimari provehique cognoscens, ab eodem' (leg. *a quodam*) 'Libros ejus (quos casu apportari conspexerat) festina corripuit,' &c. *Pric.* Nullus Ms. agnoscit τὸ *si*, quod primus e conjectura Lipsii admisit Scalig. quem præter Gent. reliqui secuti sunt, excepto Florid. qui rursus ejecit. Recte. *Hic*, i. e. in hac urbe, ubi judicium habetur: de qua dicemus infra ad pag. 501. Illuc autem libros istos non ipse attulerat, sed ab amicis, studiosis rerum naturalium, eos conquisiverat. Post *amici* D'Orv. addit *mei*. J. B.

Quos f.. ..sedulique Natur. Quæst.] Emendare placet Lipsio: *si quos f.... sed utique Nat. Quæst. ac quintum maxime.* Colvius. *Sed utique Nat. Q.* Omnino ita legendum: nam illud vulgatum *sedulique* ineptum est. Atque ita nos hunc locum pridem, in nostri Codicis ora, ut plerosque alios, cursim inter legendum emendaveramus: postea animadvertimus Justum quoque Lipsium, virum doctissimum, qui pro Aristarcho fuit Colvio hunc auctorem recensenti, similiter emendasse: quod et in aliquot locis aliis usu venit. *Casaub.* Lipsius *sed utique n. q.* bene. *Elmenh.* Lipsii et Casauboni emendationem expressere etiam Gent. Pric. Wow. Flor. E Cod. D'Orv. nihil notatum video; unde colligo, ibi revera ita exstare: quod si sit, *Naturalium Quæstionum* non fuerit titulus libri, qui Græce scriptus fuit; neque etiam ulla istius operis mentio invenitur. Sed fuerit tunc sensus: Prome ex libris meis librum aliquem, quemcunque voles, modo *naturales quæstiones* contineat. Infra: 'Pauca etiam de Latinis scriptis ad eandem peritiam pertinentibus, legi jubebo.' Pleræque tamen Edd. et vett. O. cum Mss. servant *sedulique*, quod temere a Casaubono mutatum pronunciat Acidal. ad Vell. lib. I. c. 6. explicatque *studiosi quæst. nat.* Eandem lectionem tuetur Gronov. Obs. I. 25. sed aliter explicat, ut nempe jungantur *amici sedulique*, i. e. amici, advocatique, et studiosi mei, quique in judicio mihi adsunt. Ego facio cum Acidalio. *J. B.* *Et superstes*] Annos sex, si Suidæ fides: alii, iique plures, utriusque emortualem diem uno eodemque anno statuunt. V. Cl. Seldeni not. ad Marmora Arundeliana. *Pric.*

Vixit enim ad extremam senectutem] Annum prope centesimum. Lucian. Macrob. Valerius, alii. *Idem.*

Quum accusaretur a filio] Sophoclis historiam narrant Cicero, Valerius, Plutarchus. Quod ait *filio* Noster (qui Luciano et Aristophani *Jophon*) advertendum Ciceroni et Plutarcho

plures memoratos. *Idem.*

Quasi jam per ætatem desiperet] Ita Græcus ejus βιογραφεὺς, Ὡς ὑπὸ γῆρας παράφρων. Cicero quod in Œconomia æquo negligentior: et fors hoc vero propius; nam non alio nomine accusatus publice Democritus, non alio modo purgat se quam quo Sophocles noster. Athenæus IV. Δημόκριτον Ἀβδηρῖται δημοσίᾳ κρίνοντες, ὡς κατεφθαρκότα τὰ πατρῷα, ἐπεὶ ἀναγνοὺς αὐτοῖς τὸν μέγαν διάκοσμον, καὶ τὰ περὶ τῶν ἐν Ἅδου, εἰπὼν εἰς ταῦτα ἀνηλωκέναι ἀφείθη. Fere eadem Laërtius. *Idem.*

Coloneum peregregiam Tragædiarum] 'Qua sola fabula omnium ejusdem studii Poëtarum præripere gloriam potuit.' Verba sunt Valerii lib. VII. cap. 7. Somniabam aliquando τὸ *Poëtarum* a Glossatore fuisse. *Idem.*

PAG. 465 *Omnes Judices tanto Poëtæ adsurrexisse*] In plausum nempe. Phædrus: 'In plausus consurrectum est.' Sueton. in August. 'Assurrectum ei ab universis, et a stantibus plausum.' Arnob. lib. IV. 'Conclamant, et adsurgunt Theatra.' Author Dial. de clar. Orator. 'Testis ipse Populus, qui auditis ejus' (Virgilii) 'versibus, surrexit universus.' Græci ἀναπεδᾷν vocant, et ὑπανίστασθαι. *Idem.* *Ibi comperior omnes judices tanto poëtæ adsurrexisse.* More Romano puto Appuleium nostrum loqui. Virgilius: 'Utque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis:' se ipsum intelligens, cui recitanti populus Romanus adsurrexerit, vel [ut opinor *J. B.*] collegium poëtarum, quod Romæ fuit, in quod quum C. Cæsar venerit illa dignitate vir, numquam ei adsurrexisse Accium poëtam Valerius refert, ut qui facultate poëtica, et dignitate collegis præstaret. *Scip. Gent.*

Cothurnum facundiæ] Fulvius, *cothurni facundiam.* Sciopp. in Symb. Wower. Standum est a vulgata lectione. Ut in illo Virg. Ecl. VIII. vs. 10. 'Sophocleo carmina digna cothurno,' 'cothurnus Sophoclis' est gravitas Sophoclis, sic *cothurnus facundiæ* est gravitas eloquentiæ Sophocleæ. Imo de Nicophane, pictore, Plin. lib. XXXV. cap. 10. 'Cothurnus ei et gravitas artis.' De stilo tragico frequenter usurpatur. Amm. XXVII. 11. 'Ut videretur, cum sibi fideret, de cothurno strepere tragico, et ubi paveret, omni humilior socco.' id. XXVIII. extr. 'Et ne quid cothurni terribilis fabulæ relinqueret intentatum:' ib. cap. 1. 'cum cothurnatius stilus procederet lacrimosus.' *J. B.*

Nec ita multum omnes abfuisse, quin, &c.] Imo nihil abfuisse ait Lucianus Μακροβ. Patrem enim absolutum narrat, et condemnatum filium. *Pric.*

Lege pauca, &c. *Tu interea, &c.*] Illa ad Scribam refer, hæc ad Apparitorem, ἐφύδωρα. *Idem.*

Interea dum legit] Supra proxime, 'Interea dum hic quærit:' ne quid forte putes παρέλκειν. *Idem.*

Causam sustine] Jubet Appuleius amanuensem, aut alium recitare ex libro a se composito, quæ adversarii ut magica accusaverant: nihilominus tempus, quod huic lectioni impendebat, effluere sibi oranti nolebat, quare jubebat non causam interea sed *aquam*, aut *clepsydram* sustinerent. Causarum patronis tempus distribui solere ad clepsydras, apud Vegetium docui. Eodem spectant et hæc paulo infra: 'cedo pueros istos quibus confiditis, produc nomina, qui sint: mea aqua licet ad hoc utare:' natum ab his clepsydris adagium, 'aqua mihi hæret:' quo Cicero usus ad Q. Fratrem lib. II. Ep. 7. Appuleius Apologia seq. 'at tu licebit aquam sinas fluere:' quod ad figuram clepsydræ antiquæ etiam Appuleii hæc adjicienda censeo ex III. de Asino: 'Sic rursum præconis amphoboatu citatus accusator quidam senior exurgit et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua, populum sic adorat.' *Stewech.*

Alii *causam sustine:* inepte. *Elmenh.* Ms. D'Orv. *quicquam sustine.* Edd. ante Junt. post. si non omnes, certe pleræque *causam sustine:* unde Lips. in marg. Ed. Bas. pr. conjecit *capsam sust*, sed quænam capsa hic intelligi possit, nondum invenire potui. Nihil verius, quam emendatio Stewechii, quæ tamen jam ante Stewech. in Ed. Junt. post. edita legitur *aquam sust.* quam egregie firmat Ms. Pith. *taquam sustinet.* J. B. *Aquam sustine*] Sic in Attico foro Demost. κατὰ Κόνων. Λέγε αὐτοῖς ταύτας τὰς μαρτυρίας, σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ. Et κατὰ Στεφαν. Λάβε δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν, καὶ ἀνάγνωθί μοι, σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ. *Pric.*

Locus ex Græco] Quotiescunque in hac oratione fuisse aliquid recitatum, cum ea pronunciata est, indicatur; ejus, quod lectum est, titulum curavimus inserendum ex ipsius auctoris verbis. Qua ratione quantum lucis orationi accedat, nemo non videt. Fuit ea oratorum præsertim Græcorum consuetudo, ut in scribendis orationibus quo quæque loco litis instrumenta fuissent producta et recitata, titulo apposito indicarent. Nulla fere hodie extat Græca oratio, ubi indices istiusmodi plures non reperias. Male ergo meriti sunt de hac oratione, male de nobis, qui hos titulos exemerunt: quos fuisse olim ab Auctore appositos, unicus saltem qui remanserat argumento sit: hunc dico qui in ipso fere fine orationis habetur, TESTIMONIUM CASSII LONGINI, &c. nam si illum Appuleius adjecit, cur solum? cur eum potissimum? cur non alios quoque omnes? ille vero omnes ἀναμφισβητήτως. Nemo igitur factum nostrum calumnietur; quod non dubitaverimus absque librorum auctoritate, aliena verba in contextum recipere; non enim ita est: sed inserta olim ab Auctore, et male postea sublata, in suum locum restituimus. *Casaub.* His jam editis observavimus Bernardum Philomathem ex suis Mss. uno aut altero loco hos titulos in sua editione reposuisse. *Id. ad Calcem Edit.* Hæc delet Rom. et Flor. Codex. Vide Casaubon. *Elmenh.* *Locus ex Græco libro Apuleii Naturalium Quæstionum.* Ita, exemplo Casauboni, dederunt qui eum secuti sunt Editores; nisi quod Scriver. ita, *deest locus Græcus ex Quæstionibus Naturalibus Apuleii;* quasi titulus Appuleiani libri fuerit *Quæstiones Naturales:* quod non puto. v. supra. Quare malim, *Deest locus ex Appuleii Libris Physicis*, vel sim. quid. *J. B.*

Feminæ subent, mares suriant] Vet. edit. *Fem. subentant, mar. sur.* Glossæ veteres, 'Subat ὀρεγιᾷ.' Scribo ὀργᾷ. Eædem: 'surit καπρᾷ.' Subare in fæminis, surire in masculis plurimum posuerunt Antiqui. Lucretius lib. IV. de equa: 'Subat, ardet, abundat Natura, et Venerem salientum læta retractat.' Tertullianus exhortatione ad castitatem: 'Et quando finis nubendi? credo post finem subandi.' Sed sæpius indiscriminatim tam de his, quam de illis. D. Hieronymus advers. Jovian. lib. I. 'Qui post castitatem et diuturnam continentiam subant ad coitum, et pecudum more lasciviunt.' Tertull. de Jove: 'Nunc fœde subantem in sororem, sub commemoratione non ita dilectarum jampridem amicarum.' Festus: 'Ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum Subare et Surire dicuntur.' *Colv.* Arnob. lib. I. princ. 'Animalia terris sueta, atque in aquis degentia non esuriunt non concipiunt:' ubi *esuriunt* pro *suriunt*, Gr. ὀργῶν. Longus Sophista venustissimus scriptor ποιμενικῶν lib. III. de Daphnide et Chloë: Πείθεται Δάφνις καὶ συγκατακλιθεὶς αὐτῇ πολὺν χρόνον ἔκειτο, καὶ οὐδὲν ὧν ὤργα ποιεῖν ἐπιστάμενος, ἀνίστησιν αὐτὴν, &c. Quæ ita vertebat Gothofredus Jungermannus Lipsiensis invida nuper morte nobis subtractus: 'Flectitur Daphnis et concumbens cum ea diu jacuit, cete-

rum nihil quorum caussa suriebat, agere scius, erigit ipsam,' &c. *Brant.* Add. Pric. et Burm. ad Anthol. Lat. lib. III. Ep. 187. vs. 14. et ad Nostri ἀνεχόμενον vs. 14. Edd. Vic. Junt. pr. Bas. pr. *subentant*, quod dat quoque Ms. Pith. In D'Orv. *subvertant*, (cf. Pius ad Plaut. Cistell. I. 1. 58.) Ed. Ald. *subant*. Pro *suriant* Ms. D'Orv. *aureant*. J. B. *Fæminæ subent, mares suriant*] Paulo argutius hæc quam pro more dicta: non enim usus loquendi hoc discrimen admittebat. *Subare* de maribus efferri solitum Colvius notavit: ego *surire* dictum et de fæminis docebo. Festus Pompeius: 'Sues immundissimi sunt ex omni pecore mansueto, et ardentissimæ libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, quum subare et surire dicuntur.' Ubi male expungit vir doctus τὸ *surire*: nam et καπρᾷν, ut exponitur *surire* in Glossario, Aristoteles de sequiore sexu protulit, lib. VI. de Animal. Eustath. ad Iliad. λ. Καπρᾷν ἐκ τοῦ κάπρου λέγεται, τὸ ἀσελγαίνειν· ὅθεν καὶ γυνὴ καπρῶσα, ἡ ἀσελγής. Scaliger Not. ad Varr. tamen ex hoc loco Authoris nostri καπρᾷν tantum ad mares refert. De *subare* et *surire* non recoquo quæ jam alii. V. Paul. Leopard. Emend. lib. II. c. 10. Rittershus. ad Oppian. Κυνηγετ. III. Salm. ad Solin. p. 661. a. *Pric.*

PAG. 466 *Ne operose animalium genita pergam*] Vet. edit. *ne perose anim.* Verum puto, *ne per omnia anim. gen. perg.* Compendium erat, *per oĩa.* hinc mendum. *Colv.* Hæc lectio utcunque ferri fortasse potest: sed ne quid dissimulem, aliter Appuleium scripsisse arbitror. Lego autem, *Et ne per omnes animalium genitus pergam:* est transitio a primo loco librorum Appuleii De piscibus, ad secundum: is locus fuerat περὶ γεννήσεως illorum; quæ in multiplici differentia est posita: aliquot recensuit Appuleius præcedentibus verbis, non tamen omnes: ideo hac transitione utitur, *ne per omnes animalium genitus pergam.* hoc est, ἵνα μὴ πάσας τὰς ἰδέας τῆς γεννήσεως αὐτῶν ἐξακριβῶ. *Genitus* est γέννησις. delectatur enim hic Auctor ea nominum forma, ut alio loco notamus. Illud *operose* natum ex compendio scripturæ *perοẽs*, id est, 'per omnes.' *Casaub.* Emendavit certissime Casaub. *Ne per omnes animalium genitus pergam:* supra 'De genitu animalium:' τὸ *operose* non dubium est ex scripturæ veteris compendiis irrepsisse. *Pric.* Mss. Pith. D'Orv. cum Edd. vett. plerisque *perose*, quod si quis defendere velit pro moleste, odiose, restat tamen insolentior paullo constructio *pergere genitus*, pro, ad genitus: nam τῷ *pergere* semper Appul. jungit præpositionem, nisi ubi sequitur proprium loci nomen: vid. ad Met. pag. 412. b. Apud Tacit. tamen legimus Ann. I. 28. 'prospere cessura, quæ pergerent,' pro, ad quæ pergerent, vel quæ peragerent. Casauboni emendationem amplexus est Wow. probante Lat. Latinio. Quia tamen *operose* jam est in Ed. Junt. post. (quæ vox occurrit quoque lib. I. pag. 31. 'enormem eluviem operose effrico.') verius puto, quod tacite, sed e Mss. Florent. dedit Elm. cum seqq. *ne operose per omnes anim. genitus pergam.* Reliqui Mss. et Edd. vett. item Colv. Gent. Pric. *genita*, cujus vocis hoc sensu exemplum non suppetit. 'De genitu animalium' dixit Noster supra pag. 463. Quare sing. num. forsan legendum *genitum*. Scriptum fuerat *genitũ:* hinc, omissa lineola, factum *genita*. J. B.

Moneta] Gloss. 'Τύπος, τὸ χαραγεῖον, moneta.' *Pric.*

Cetera animalia n. in comm. differentiis] Parva menda inerat in his verbis, sed conjuncta cum totius sententiæ labe. Legebatur, *nec cætera animalia nisi in communibus differentes attingam:* scripsimus *differentiis.* Non attingam, inquit, alia animalia præter

aquatilia: nisi quatenus inter explicandum horum genera, incidet oratio in differentias ipsis communes cum reliquis. Exemplo res erit clarior. Plinii sunt verba: Aquatilium tegumenta plura sunt: alia corio et pilo integuntur, ut vituli et hippopotami: alia corio tantum, ut delphini.' Vides Plinium dum pergit per species animalium incidere in differentias communes ἐνύδροις καὶ χερσαίοις. *Casaub.* L. *nisi in communibus different.* Acidal. *Communes differentias* vocat, ut Aristot. de part. Animal. c. 3. τῶν δὲ διαφορῶν, inquit, αἱ μὲν καθόλου εἰσὶ, &c. *Scip. Gent.* Speciosa est Casauboni emendatio, cui adsensum præbuerunt seqq. Neque tamen veram eam puto. Mss. O. et Edd. constanter habent *differentes:* jam quia *animalis* fem. gen. haud semel apud Nostrum genuinæ lectionis corrumpendæ causa fuit; (v. ad Met. l. II. pag. 152. et alibi cf. Ind.) mihi nullum dubium est, quin scripserit Auctor, *ceteras animalis* (vel *cis* vel *es*) *nisi in communibus differentes att.* i. e. non attingam ceteras animantes, nisi quatenus earum quædam a reliquis differant in iis, quæ cum aquatilibus communia habent. *Communia* et *commune* substantive apud Nostrum ponuntur. V. Ind. In eadem re Cic. de Off. I. 4. 'Commune omnium animantium est conjunctionis appetitus.' *J. B.*

Græca vocabula] Hæc quidem extant in Flor. Membranis, sed adeo monstruose ab ineruditis et supinis exscriptoribus accepta, ut ne ipsum quidem Appuleium (si naturæ lex eum pateretur ab inferis paulisper redire) ea legere, multo minus intelligere posse, pro certo affirmare ausim. Ut tamen fidem meam liberem, ita ea hic apponam uti in Mstis exarata fuere, si forte essent medicinæ faciendæ feliciores manus: Cαλυχεcκ καλακειu καλακοcτΡακα † οκαΡακακεα οcτρακοΔερΝα κuρ † νΡοαΝ τυcιΝ φιβια cΝι dυτυφoλια ωτα dερκοπτερα πεcu Νο nodu κοΝ hphcy ΝΑreλaeπκα. *Elmenh.* Hæc in contextus seriem conjicere nos ausi sumus ex Elmenhorstii fide, qui primus ea in Notis suis exhibuit e Florent. Cod. legi quo pacto debent autem non docuit. Eorum integram medelam a me nolo expectari, cum nonnulla existimem corruptiora, quam ut ullatenus restitui possint. Ceterum quæ certius assequutus videor, fere hæc sunt. Pro Cαλυκεcκ lego σελάχεια h. e. 'cartilaginea;' pro καλακειu, μαλάκια, 'mollia;' pro καλακοCτΡακα, μαλακόστρακα, 'crustis tenuibus contecta;' pro οCτρακοΔερΝα, ὀστρακόδερμα, 'testis duris conclusa;' pro ιΝφιβια, ἀμφίβια, 'quæ terra simul ac mari degunt,' pro φυλιαωτα, φολιδωτὰ, 'squamosa;' pro dερκοπτερα, δερμόπτερα, 'quibus cutis pro alis est.' Reliqua felicioribus ingeniis eruenda delego. *Pric.* Coll. Lindenbrog. cαλυχεcu καλακειu καλα POSTRAKA τοκαΡακακεu οcτΡακοΔεΡΝα κuP t νΡΟαΟΝτυcιΝ φιβια e NI du τυφολιαωτα deΡκοπτε ΡαπecuNo NOau κoNh PhcyNcI reλaeπκα. Corrupta hæc Græca, prout citata erant ab Elmenh. contextui inseruit Pric. quum reliqui, inde a Casaub. *τοῖς Græca Vocabula*, vel *Græca Vocabula desunt*, indicaverint ea excidisse. Ante Casaubon. ne hæc quidem ipsa leguntur. Interim Gronovius Florentiæ degens membranas Florentinas diligentius inspexit, et ex earum vestigiis ad Herodot. p. 880. tam felicissime, me quidem judice, locum hunc emendavit, ut ipsa Græca vocabula, ita emendata, jam tandem Auctori reddere non dubitaverim. Pro σελάχεα, cum Pricæo malui σελάχεια, vel leg. σελάχια. *J. B.*

PAG. 467 *Secundum Cynicam temeritatem rudi et indocto*] Infra: 'Mollitia rudi et indocta.' 'Rudis et indoctus' est, qui (ut Cynici) neque Gratiis neque Musis litavit. Athen. Deipnos. Οὐχ ὥσπερ σὺ Κύνικε, ὁ μηδέποτε ταῖς χάρισιν, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς Μού-

σαις θύσας. Hinc apud Plautum Bacchid. 'Indocti mores:' ex quo corrigendus apud Nonnium Cæcilius: 'Quid narras barbare cum indoctis moribus?' nam vulgo male editur, *indomitis*. Pric.

De Diis immortalibus Patri et Matri credere] Deridet Philosophico more imperitam multitudinem, quæ aut investigandæ veritatis tædio succumbit cuilibet opinioni, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα τρέπεται μᾶλλον, (ut in Argumento pari Thucydides,) aut, ut potior pars, perculsa timore nescio atque inani, Parentum relligiones suscipit, ac cæcos ritus. Minuc. Octav. 'Has fabulas et errores, et ab imperitis parentibus discimus, et (quod est gravius) ipsis studiis, &c. elaboramus.' Prudent. lib. I. contra Symmach. 'Sic observatio crevit, Ex atavis quondam male cæpta, deinde secutis Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta, Traxerunt longam corda inconsulta catenam:' confer quæ in Sat. XIV. Juvenalis. *Idem.*

Q. Enn. ædes phagitica, quæ versibus scripsit] In mendo cubat titulus operis Enniani, e quo eum levarim legerimque, *Q. Ennius Ichthyophagetica, quæ versibus scripsit*, seu Græce malis, ἰχθυοφαγητικά. Fuit mihi etiam verisimile, legendum videri, *Hedypathia*, seu Ἡδυπαθείᾳ. quo nomine versibus opusculum inscripsit peritissimus rei culinariæ Archestratus, aliquoties ab Athenæo laudatum; in quo quædam, quæ ab Ennio translata videntur; immo sunt: quemadmodum post docebimus. Quod argumentum certissimum existimandum est, eumdem eum indicem hujus scripti Enniani fuisse. Simile volumen Varronis περὶ ἐδεσμάτων, de quo Gellius l. VII. c. 16. *Colv.* Non tam facile est veram lectionem istius loci præstare, quam arguere falsam proclive. Ed. Romana habet, *edes phagitica.* Video placere doctissimis viris indicem carminis Enniani fuisse Ἰχθυφαγικά. Itaque hic esse emendandum. Ego dum diligentius veterem lectionem ruspans rimor, adducor in suspicionem, tractasse Ennium eo carmine non solum de Piscibus, sed et de aliis esculentis: ac quid ubique terrarum palmam obtineret percensuisse. Itaque poëmati illi fecisse titulum *Edesta vel Phagica*, hoc est, ἘΔΕΣΤΑ Ἢ ΦΑΓΙΚΑ. Sic Græci quidam, ut ex Athenæo discimus, hujus argumenti libros cum scriberent, Περὶ ἐδεστῶν inscripserunt: ut Mnesitheus Atheniensis. Varro unum e Menippeis suis περὶ ἐδεσμάτων. Ita ergo, fors fuat, in Appuleio scribendum, *Q. Ennius Edestis aut Phagicis, quæ versibus scripsit.* Casaub. *Q. Enn. Edesphagitica, quæ versibus scripsit.* Hæc scriptura antiqua, quam tamen falsam alii jam olim evicerunt. Clariss. Casaubonus scribendum arbitratur, *Edestis aut Phagicis.* Sed non valde usitatum fuit Antiquis duplici titulo monumenta sua insignire, nisi illud argumenti varietas, aut certa quædam ratio postularet. Nulla vero diversitas inter ἐδεστὰ καὶ φαγικά. unde et illa similium vocum repetitio minus elegans. Et Græcos hujus argumenti opera περὶ ἐδεστῶν inscripsisse comperimus: ut apud Latinos eorum imitatione Varro Menippeam περὶ ἐδεσμάτων, teste Gellio lib. VII. cap. 16. Versus autem isti, quos recitat Appuleius, ostendunt Ennium hoc poëmatio recensuisse omnis generis suavia quæque, et commendatione gulæ nobiliora: ideoque haud absurde veteris scripturæ vestigia secutus, titulum operis fuisse dixeris, *Hedyphagica.* Notum vero, Latinis familiare, a Græcis sumere operum argumenta, ipsasque adeo inscriptiones; multa ab iisdem mutuata transferre, multa de suis adtexere. Ita cum ex Athenæi lib. VII. colligimus, Archestratum confecisse opus plane gemini argumenti, quod ἡδυπάθειαν inscripserat: plurimique ex illo

versus reliqui, quos Ennius transscripsit et vertit, omnino verisimile, eundem auctorem, a quo argumentum, ipsumque adeo opus mutuatus, in titulo quoque secutum. Quare in Appuleio reponendum, *Hedypatheticis, quæ versibus scripsit*. Wowerius. Fulvius ex V. C. *Edesphagitica*: quæ indubitate vera lectio est, licet secunda litera extrita in eo fuerit. Non enim omnia piscium genera videtur Ennius descripsisse, sed ea tantum, quæ sapore in primis nobilitata essent, quæ alibi, atque alibi meliora nascuntur, ut loquitur Plinius. Eodem in argumento et alii veteres operam otiumque suum occupaverunt, ut Archestratus, Antiphanes, Hermippus, Mnesitheus Atheniensis, ex quibus multa refert Athenæus. Nec dubitandum est quin et Varro, Satyra περὶ ἐδεσμάτων, et Ennius plurima de Græcis transtulerint, ut hi versus Ennii indicant, quos ex Archestrato ad verbum pene convertit: Τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος, Τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη, Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει, κάπρους τε μετ' αὐτῶν· Μεσσήνη δὲ πελωριάδες στενοπορθμίδι κόγχαι. 4to horum versuum apud Athenæum legitur καὶ ἄπλατα μετ' αὐτῶν. sed ingeniose, ut omnia, Casaubonus ita legendum censet, ut scripsi. *Scip. Gent.* Locus corruptus. Florent. *Hediphagitica*. Rom. *ædesphagetica*. Aldus, *phagetica*. Colv. *Hedupathia*. Casaub. *ædestis, aut phagicis*. Fulvius, *Edesphagitica*. Vide Wower. *Elmenh.* Quanta heic Interpretes. Equidem hanc ἐπιγραφὴν, etsi ante eam corruptam fateor, ex eorum interpolationibus evasisse corruptiorem puto. Quid opus est *Edestis* aut *Phagicis*, aut *Hedypatheticis*? innitamur vestigiis Mss. et Edd. principum: habent ea *Hedyphagitica*, et (quod posuimus) *Ædes Phagitica*. Ex his suspicari licet scripsisse Ennium Ἡδυφαγικὰ, aut certe Ἰχθυφαγικά. *Pric.* *Q. Ennii Hedepathetica*. Ita corrigendum ex corrupto *Hedesphagetica*. Scaliger. Sub titulo *Q. Ennii Phagesiorum Fragmentum*, edidit Pithœus post finem lib. VI. Epigr. vet. In Scaligeri Catalectis lib. I. p. 215. vitiose excusum est *Q. Ennii Hedypatheticorum Fragmentum*. *Phageticorum* inscripsit Hier. Columna in Fragmentis Ennii pag. 155. cujus notas evolvisse operæ pretium erit. Sed titulum hujusce Enniani poëmatis fuisse *Edesta* vel *Phagica* putat Is. Casaub. ad Apulei. Apolog. pag. 160. apud quem exstant hi Ennii versus, quos de Græco fonte derivatos atque ex Archestrati Gastronomia desumtos notat D. Heins. de Satyr. Horat. lib. II. pag. 103. quos vide apud Athenæum lib. III. cap. 13. ex quibus nonnulla in his Ennianis illic corrigit Casaubonus, cujus notæ ad Appul. Apolog. merentur legi, et Scipionis Gentilis ac Pricæi, qui præfert titulum Ἡδυφαγικὰ vel Ἰχθυφαγικά. sed ἡδυπαθητικὰ placet Salmasio in Præf. ad Tab. Cebet. Arab. pag. 17. *Addephagia* vel *Addephagica* Trillero lib. I. Observ. Crit. cap. 14. licet in fine capitis magis inclinet in *Hedypathica* vel *Hedypathia*, quod omnium probabilius videtur, quia hic titulus fuit poëmatis Archestrati, de quo agit lib. III. cap. 1. pag. 160. et vide Casaub. ad Athen. lib. VII. c. 8. circa finem. Simile opus Varronis fuit περὶ ἐδεσμάτων, de quo vide D. Heins. lib. I. de Sat. Horat. p. 81. nam uterque luxum et delicias ciborum nimis exquisitas in istis operibus perstrinxerunt. Insignem etiam operam ad emaculandos hos versus contulerunt Turneb. lib. XXI. Advers. cap. 21. et Salmas. ad Solin. tom. II. pag. 1128. et seqq. ed. Paris. *Burmann. ad Anthol. Lat.* Ep. 135. Edd. Vic. Junt. pr. Bas. Colv. Cas. Vulc. pr. Gent. Pric. *ædes Phagitica*, Florid. junctim *ædesphagitica*, quod nihili est: licet ei lectioni proxime accedat Ms. Fulv. *Edespha-*

git. quomodo cum Ed. Rom. edidit Wow. et citat Freher. ad Auson. Mos. vs. 151. sed et hoc explicari nequit. Edd. Ald. Junt. post. simpliciter φαγιτικὰ contra Mss. et Edd. Scaliger in Ed. Vulc. sec. ἡδυπαθητικοῖς. *Hedyphagetica*, ediderunt Elm. et Scriv. adstipulantibus Mss. Florent. Fux. et Pith. nisi quod per i scribant *phagitica:* ut prius scriptum fuisse videtur, 'Dioclitianus,' 'Apologiticus,' et sim. vide Salmas. ad Lamprid. Heliogab. 21. Ms. D'Orv. *edicitur fagitica.* Putarem cum Gronov. ad Gell. VII. 16. Mstorum ductu *Hedyphagetica* fuisse verum Enniani carminis titulum, i. e. de eduliis, quæ optime sapiunt; ut infra Noster: 'Qualiter assus aut jussulentus optime sapiat:' nunc vero, cum fuerit ἡδυπάθεια Græci poëtæ Archestrati carmen epicum (vid. Athen. I. p. 4. *e.*) quod imitatus videatur Ennius, credo legendum esse, *Hedypathetica*, cum Salmas. ad Solin. p. 794. b. et in præf. ad Tab. Ceb. Verum enimvero terminatio *etica* sit neutrum plur. necesse est: quare τὰ *Ennius Hedypathetica, quæ versibus scripsit . . . enumerat*, egent ampliore emendatione. Senserunt id Vulc. qui margini Ed. Colv. adscripsit ἰχθυοπαθητικοῖς, et Scalig. in Ed. Vulc. sec. edens ἡδυπαθητικοῖς, cum Scriv. *Hedyphageticis;* nec non Lips. qui in marg. Ed. Bas. conjecit *edens Phagetica.* Mss. O. servant terminationem *ca:* nec placet emendatio Lipsii. At in Mss. Pith. D'Orv. pro seq. *quæ* exstat *a*, ortum ex compendiosa scriptura: hinc scribo *qui.* J. B.

Omnibus ut Clypea] Corrigendum putat Turn. *Omnibus at Clypeæ.* Clypea Africæ promontorium, apud Plinium lib. v. cap. 4. et cap. 7. Sed etiam piscem hoc nomine ponit Plinius et Callisthenes ιγ. γαλατικῶν. Γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῷ μέγας ἰχθὺς κλουπαία καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. cujus loci copiam nobis facit doctissimus Jos. Scaliger Auson. Lection. lib. I. cap. 3. *Colv.* Turnebus legit, *Omnibus at Clypeæ:* possumus et *at Clypea* vel *a Cl.* Notum loquendi genus 'mustela Clypea,' ut 'vinum Chio' apud Varronem imitatione Græcorum. Clupea est urbs veterum Carthaginiensium, quam Græci Geographi Ἀσπίδα vocant. *Casaub.* Hi versus ab emendatoribus varie interpolati sunt. Flor. pro *lupea* legit *clupea.* Rom. *clipea.* Vide Colv. et Casaub. *Elmenh. At Clypeæ* Turneb. Hier. Columna, Pith. et Scalig. *ut Clypea* edidit Casaub. Gentilis, et Pricæus, *ut Clupeæ* Harduin. in Emend. ad Plin. lib. IX. 24. de clupea pisce, non vero urbe, intelligunt nonnulli, ut Rondeletius lib. VII. de Piscib. cap. 15. de quo inter alios pisces, silurum, sturiones, similesque, agit Scaliger. lib. I. Auson. Lect. c. 3. et Maussac. ad Plutarch. de Flum. p. 244. sed rectius Scaliger et Columna Clypeam urbem intelligunt, quum in sequentibus versibus, æque ac in Varronis fragmento, etiam recenseat loca, in quibus insigniores nascantur pisces, ut hoc versu dicit mustelas, quæ Clupeæ nascantur, omnibus marinis mustelis præstare. Est vero Clupea urbs, cujus meminit etiam Lucanus lib. IV. 589. 'Inter semirutas magnæ Carthaginis arces Et Clupeam tenuit stationis litora notæ:' ubi *Clupeam* ex melioribus libris prætulit Cl. Oudendorpius, non *Clepiam, Clipeam,* vel *Clypeam,* ut in aliis; ibidemque Patruus meus in notis suis hunc ipsum Ennii versum etiam de Clupea urbe, circa quam tractus fuit piscatura lucrosus, accipit: eam vero in deditionem acceperunt Romani, antequam in agrum Carthaginiensem facerent impetum: vide de hac urbe Suritam ad Antonin. Itiner. p. 222. et Merulam ad Enn. p. 424. quem tamen illic errare, dum Clupeam et Aspidem diversas urbes facit, videbis ex notis Drakenb. ad Silium lib. III. 244. *Burm. At* edi-

dere Wow. et Flor. cum Burmanno, ex emendat. Turnebi et Scaligeri, contra Mss. Quare, quia ignoratur, quid præcesserit apud Ennium, Mss. sequor. Dein, quum hisce versibus Ennius multos pisces decoravit, 'et ubi gentium quisque eorum inveniatur ostendit,' quivis videt, cuique pisci addidisse poëtam nomen loci, atque adeo *Clypeam* hic intelligendam esse urbem, non piscem. Male autem Burm. et Florid. ex Turnebi conjectura edidere *Clypeæ*. 'Mustela Clypea' dictum esse ut 'vinum Chio' monent Casaub. et Salm. ad Solin. p. 227. b. Sic 'hospes Zacyntho' Plaut. Merc. v. 2. 99. 'ficus Zacyntho,' ibid. vs. 102. et alia sim. Vide Davis. ad Cæsar. de B. Civ. I. 24. Gronov. Lect. Plaut. ad Bacchid. II. 2. 53. Rutgers. Lect. Venus. cap. 20. p. 358. Burm. ad Anthol. Lat. t. II. carm. 122. vs. 20. cf. Muncker. ad Hygin. fab. 97. Gronov. ad Gell. N. A. III. 15. Variavit Virg. Æn. IV. 36. 'mariti non Libyæ non . . . Tyro.' add. Septim. de B. Troj. II. cap. 35. 'Asius Hyrtaci Sesto:' ubi tamen Ms. Periz. addit *de*, quemadmodum ubique eo loco additur præpositio, *de Caria, ex Mœsia, ex Phrygia*. Nostro autem Appuleii loco non obstat, quod in seqq. est *Æni, Abydi, &c.* nam ibi verbum *est* necessario id postulat: at hic optime legitur, *mustela marina Clypea*, i. e. a vel e Clypea, *præstat omnibus* aliis mustelis. Ceterum varie scribitur *Clypea*, *Clupea*, *Clipea*, Ms. Pith. *Clippea*. Gr. κλυπέα. Perperam Edd. Vulc. sec. tert. *Lupea*. J. B. *Clupeæ*] Quæ et *Aspis*. Strabo lib. VI. Solin. cap. 17. Meminerunt Stephanus etiam, Plinius, et Lucanus. *Pric.*

Pag. 468 *Mures sunt Æni aspera et ostr. pl. Ab.*] Idem Turnebus Advers. lib. XXI. cap. 20. legit: *Mures sunt Æni, ast aspra ostrea plurima Abydi*. Lipsius: *Mures sunt Æni, ac plera ostrea, pluria Abydi.* Archestratus: τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος. *Colv.* In Rom. *Teni:* et est Tenus una de Cycladibus. Sed ex Archestrati verbis τοὺς μύας Αἶνος ἔχει ita pridem emendavit magnus ille Hadr. Turnebus ὁ πολυμαθέστατος. quamquam nescio an per omnia in illo argumento Græcum poëtam secutus esset Ennius: num potius in quibusdam suum et suorum Italorum palatum consuluisset. Præterea scimus qua licentia versati sint veteres poëtæ Latini in Græcis scriptoribus: etiam tum, quando eos ex professo vertendos suscipiebant. *Casaub.* Florent. *a. ostrea plurima Abydi.* Abydus in Hellesponti angustiis, ubi habentur ostrea delicatissima. Unde in Catalectis vett. poët. 'Nam te præcipua in suis urbibus colit ora Hellespontiaca ceteris ostriosior oris.' *Elmenh.* *Mures sunt Æni, ast aspra ostrea, &c.* Ita Turnebus, aliique ex illis Archestrati, Τοὺς μύας Αἶνος ἔχει. ut intelligatur Ænus Thraciæ urbs, de qua Harpocration in voce Αἶνος. ejusque mentio apud Athenæum lib. VIII. cap. 10. ubi in Æno per octo menses cœlum frigidum esse memorat: vide et de Æno Begeri Thesaur. Brandenb. tom. III. p. 55. Recte vero *ast aspra ostrea*, non, *Mures, sunt Æni, aspra ostrea*, hiante versu, unde non opus est Salmasii fulcimento, tam hoc in loco, *Mures sunt Ænid, aspra ostrea, &c.* quam infra *Surrentid elopem, &c.* Burm. Ed. Vic. et marg. Bas. pr. *Teni.* Junt. utraque et Aldi *Œni:* ut in Antonini Itiner. p. 57. sed et ibi leg. *Æni:* ut video esse in Ms. cujus collatio ab Is. Vossio facta nunc penes me est. Gr. Αἶνος, de qua urbe, in Melane sinu sita, non longe ab ostiis Hebri, v. Salm. ad Solin. p. 114. Dein Edd. Vic. Junt. pr. Ald. Bas. *Mures sunt Æni* (Vic. *Teni*) *aspera ostrea plurima Abydi*, consentientibus Mss. Florent. Pith. D'Orv. In Junt. post. et Vulc. pr. *m. s. A. aspera et ostrea pl. Ab.* Colv. Vulc. sec. tert. Wow. Elm. Scriv. *m. s. a. aspera et*

ostrea et pl. Ab. Scal. tandem Casaub. Gent. Pric. Flor. cum Burm. in Anth. Lat. *M. s. A. ast aspra ostrea pl. Ab.* Ad fulciendum versum, quem in prioribus Edd. claudicare primus viderat Editor Junt. post. a diversis editoribus ex ingenio inserta sunt *et*, *et*, *ast*, quæ in nullo comparent Ms. Imo fulcris illis nihil opus esse bene, ni fallor, vidit Salm. ad Solin. p. 794. Simpliciter enim legendum *aspra* et addendum *D*, sic, *Ænid:* ut *Prædad. Altod. Marid.* in columna Duiliana, et sæpe in fragmentis Ennii, Nævii, et apud Plautum. V. Voss. de Ar. Gramm. II. 14. qui Veterum loquendi modus solebat corrumpi in Mss. quare id recepi, refragante licet Burm. Pro *ostrea* D'Orv. *austrea.* J. B. *Abydi*] D'Orv. *vidi.* Nostra ætate quoque ostreis frequentem esse Abydon, docet Guys Voyage litter. de la Grèce t. II. p. 238. *Idem.*

Mus Mitylenæ est pecten, &c.] Turnebus: *Mus Mitylenæ est, pecten aperque apud Ambraciæ amnes.* Cui scripturæ adstipulatur parte aliqua Archestratus: τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη, Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει. Pro *caradrum* substituendum censuerim, quod propius accedit ad vulgatam lectionem, *carabum.* Nam eo nomine piscem commemorat Aristophanes: Πολυπόδιον, σηπιδάριον, καράβον, ἀστακὸν, ὄστρεα. Etsi non videam adhuc, quomodo versus hic eo pacto numeris suis reddi possit. De quo adhuc deliberandum. *Colv.* Hic versus in cod. Rom. portentose erat deformatus: *Mus Mitylenæ est pecten caradrumque apud Umbraciæ finis.* Hercules ἀλεξίκακε quod genus metri istud est? Doctissimus Turnebus emendavit *Mus Mitylenæ est pecten aperque apud Ambraciæ amnes:* nos, hoc modo: *Mitylenæ est pecten, caprosque apud Ambracienses:* cujus emendationis priusquam rationem reddo, apponam Archestrati versus Græcos, unde hi facti sunt, ut eos legendos censeo: Τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος, Τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη· Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει, κάπρους τε μετ' αὐτῶν· Μεσσήνη δὲ πελωριάδες στενοπορθμίδι κόγχαι. tertii versus pars posterior apud Athenæum hodie sic corruptissime legitur καὶ ἄπλατα μετ' αὐτῶν. nos cum videremus manifesto desiderari piscis nomen, et didicissemus ex Aristotele ac Plinio κάπρον piscem in ea ora inveniri, emendavimus ex facili κάπρους τε μετ' αὐτῶν. sequentem versum ex Mss. correximus. Nunc videamus de versu Ennii: in cujus principio vocem *Mus* male positam bene sustulimus: nonne enim jam dictum, 'Mures sunt Æni?' deinde aliter poëta Græcus: ut valde mirer hoc leviculum potuisse Turnebi acumen fugere. Adjecere hanc voculam ceu tibicinem aut destinatam fulciendo versui, qui aliter eum putabant ruiturum: sed non mirabuntur versiculum esse ἀκέφαλον, ut appellant veteres critici, qui στιχηρὸν hoc πάθος meminerint antiquis poëtis per fuisse familiare. 'In hoc ipso fragmento sequitur: 'Melanurum, turdum, &c. Polypus Corcyræ.' Item *capros* legimus ex vestigiis veteris lectionis *caradrum.* Græcissat scilicet more suo et jure cascus poëta: quod norunt, qui illius reliquias in deliciis habent. Lego etiam *apud Ambracienses*, ex illis, 'apud Ambraciæ finis:' utrumque dicunt Græci Ἀμβρακιεὺς et Ἀμβρακιώτης, et Latini similiter, 'Ambraciensis' et 'Ambraciota.' *Casaub.* Florent. *Mitylene est pecten, caradrum apud Umbraciæ fines.* Rom. *mus Mitylenæ pecten, &c.* Elmenh. *Mitylus et pecten.* Melius ita meo judicio, quam *Mitylena est pecten:* tametsi non ignoramus, Archestratum dixisse τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη. *Scaliger.* Inprobat hanc Scaligeri emendationem Columna, non sine quadam acrimonia, dum Scaligerum nimis interdum in Veterum scriptis emendandis sibi fi-

dentem addit, et adhærens Archestrati verbis τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη edidit, *Est Mitylenæ Pecten, Aperque apud Ambraciæ amnem.* Casaubonus ad Athenæum et Appuleium emendaverat: *Mitylenæ est pecten, caprosque apud Ambracienses:* rejecitque Turnebi conjecturam, *Mus Mitylenæ est pecten aperque apud Ambraciæ amnes:* sed Casaubono obstat metri ratio in ‘Mitylenæ’ ut et Salmasio corrigendum jubenti, *Mitylenæ est pecten, charadrumque apud Ambraciai:* vel *Ambraciensis* aut *Ambraciensem,* Heinsius *Ambraciotas.* Amplector vero Columnæ sententiam pectinem hic Mitylenæ, et *aprum* vel *caprum*, Ambraciæ tribuendum censentis, quia hæc presso pede insistunt istis Archestrati: τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη, Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει, κάπρους τε μετ' αὐτῶν. ut ad Appuleium emendabat Casaubonus, qui inde hic legebat, *caprosque apud Ambracienses:* de capro vel apro pisce vide Rondelet. lib. v. de Pisc. cap. 27. de Mitylo autem, quem Scaliger hic reponi volebat, vide ad h. l. Ep. 63. 5. *Burm.* Metri constituendi conatus iterum locum corrupit. Nam ex Mss. et Archestrati versu haud dubie legendum *Mitylenæ est pecten:* ut in primo pede sit anapæstus, quales versus apud Homerum aliosque aliquoties occurrunt. Infra ‘Melanurum, turdum, &c. Polypus Corcyræ,’ &c. Idem Ennius p. 135. Ed. Hessel. ‘Capitibus nutantis pinus rectosque cupressos.’ De talibus vss. vide Hermanni Elem. Doctr. Metr. lib. I. c. 10. § 21. et lib. II. c. 20. § 20. et 21. Bene itaque sic ediderunt Cas. (nam quod in ejus Ed. legitur *Mitylena,* videtur esse a typotheta, licet exstet etiam in Ms. Pith.) Gent. Wow. Pric. Flor. Male Elm. Scriv. *Est Mitylenæ.* Pejus Edd. ante Casaub. *Mus Mitylenæ,* vel *Mitylene,* ut est in plerisque et Mss. Florent. D'Orv. Scaligeri conjectura *Mitylus est pecten* expressa est in Edd. Vulc. sec. tert. et a Burm. in Anthol. Lat. Pro *pecten* D'Orv. *petere.* J. B. *Charadrumque apud A. &c.*] Varie et hic versus interpolatus fuit. Edd. ante Casaub. et Ms. Fulv. *caradrum quæ apud.* Mss. Florent. Pith. *caradrum apud,* D'Orv. *caradium q. apud.* Casauboni emendatio, quam expressere Gent. Pric. Flor. Altenb. nonnihil verisimilitudinis accipit e Plinii lib. XI. cap. 51. (piscis) ‘is, qui caper vocatur in Acheloo amne grunnitum habet:’ quum Achelous haud longe ab Ambracio sinu mari influat. Tum sane melius fecit Ennius qui Græcum vocabulum *capros* retinuit, quam Plinius, qui Gr. κάπρος vertit *caper:* nisi apud eum legendum sit *aper,* non *caper;* quemadmodum h. Appuleii l. *aperque apud, &c.* edidere Scal. in Ed. Vulc. sec. Wow. Elm. Scriv. Sed neutra lectio placet, cum ob communem librorum dissensum, tum quia vs. 5. memoratur *apriculus,* et sic bis de eodem pisce loqueretur poëta. Propius ad Mstos accedit Colvii emendatio *carabusque apud, &c.* *Carabi* inter cancros meminit Plin. H. N. IX. 31. Hesych. κάραβοι, τὰ ἐν τοῖς ξύλοις σκωλήκια, καὶ ζῶον θαλάττιον. Quod Scal. in Catal. et inde Burm. in Anth. Lat. dedit *charadrusque apud, &c.* non intelligo, nisi fuerit nomen piscis aliunde incogniti. Dein Mss. et Edd. ante Casaub. dant *apud Umbraciæ* (Pith. et D'Orv. *Umbracie* vel ... *tie*) *fines.* Casauboni conjecturam *Ambracienses* amplexi sunt Gent. Pric. Flor. Altenb. *Ambraciæ amnes* lectio est Scalig. in Catal. et in Ed. Vulc. sec. Wow. Elm. Scriv. Burm. in Anth. Lat. Mihi adhucdum præplacet acutissima Salmasii sententia ad Solin. p. 794. locum ex Mss. ita constituentis *Mitylenæ est pecten, charadrumque apud Ambraciai. Charadrus,* Gr. χάραδρος vel χαράδρα, proprie est fossa, vel sinus in formam alvei excavatus, eamque vocem Ennius hic usurpavit de *portu fossilio* (de quo plura ibi Salm.)

vel omnino de sinu Ambraciæ. Quoniam vero Glossæ vett. χαράδραν interpretantur *cancellum*, quam vocem de finibus et limitibus passim Latini usurparunt, hinc ex Glossa manavit illud *fines*, quod versum prorsus pessumdat: nam *Ambraci' fines*, quod non nemo voluit, ferendum vix puto. Archestratus canit etiam, apud Ambraciam pectines frequentes esse. Possis etiam suspicari latere nomen *Charadi*, urbis Syriæ, quam memorat Plin. v. 20. *J. B.*

Br. sargus, &c.] Turnebus hos duos versus sic scribendos etiam ponit: *Brundusiis sargus bonus est: hunc, magnus erit si, Sume. Apriclum piscem scito primum esse Tarenti.* Lipsius vero: *Brundusii sargus bonus estur, magnus erit si, Sume: apriclum p. sc. pr. e. T.* Ut sit magnus, etiam præcipit Archestratus: Τῆμος ἔχειν ὀπτὸν σαργὸν, τυρῷ κατάπαστον, Εὐμεγέθη, θερμὸν, δριμεῖ δεδαϊγμένον ὄξει. *Colv.* Secuti sumus judicium Turnebi in restituendis quæ hic erant corrupta. Advers. XXI. *Casaub.* *Magnus erit si* versus requirit, non *magnus si erit*, quod tamen est in Mss. et Edd. ante Casaub. *J. B.*

Sume apriculum, &c.] Hieron. Columna, *Sume, ast apriculum scito, &c.* quasi scil. τὸ *piscem* ex margine irrepsisset. Ego non probo, nam cur glossam ejusmodi, ubi loci totius series de piscibus est? imo supra eodem modo loquutus Noster: 'Aut venandis apris piscem apriculum.' Etsi non negem signantius et ad discrimen dictum. *Pric. Brund. Sargus bonus est, hunc, magnus erit si, Sume, apriclum piscem scito primum esse Tarenti.* Ita Pithœus, Scaliger, Casaubonus, Gentilis, et Pricæus ediderunt. male vero Colvius: *Brundusii sargus bonus est: hunc, magnus si erit, sume. Apriculum piscem scito, &c.* qui in notis testatur Lipsium legisse: *Brundusii sargus bonus estur: magnus erit si, Sume: apriculum piscem, &c.* H. Columna *piscem* otiosum putat, corrigitque, *Sume: ast Apriculum scito, &c.* inprobante Pricæo. *Apriclum* autem, vel *apriculum*, veteribus ignotum, neque quis fuerit, constare notat vir eruditissimus Henr. Cannegieterus ad Avieni Fab. XXXVIII. pag. 209. qui *piscem* hic etiam penitus inutile verbum recte damnat, et pro eo præclara emendatione substituit, *Brundusii sargus bonus est, hunc, magnus eris si, Sume Apulum. Phycin scito primum esse Tarenti:* hoc sensu, bonus quidem sargus Brundusii est, sed si *magnus*, vel *mactus*, id est, dives, vel in re lauta eris, sume, sive eme, Apulum, quia, licet carior, melior est in Apulia. *Phycin* vero, vel *phycum*, aut *phucum*, divitibus inter delicias in honore fuisse pluribus erudite illic ostendit; ut de egregia hac conjectura non dubitandum videatur. *Phycis* vero piscis nomen habet a φῦκος alga, seu *fuco*, de qua voce merentur legi observata Spanhemio ad Callim. Hymn. in Del. 198. et hinc inter pisces, qui circa copiosam algam inveniuntur, φυκίδες etiam enumerantur, et cum turdis junguntur ab Oppiano lib. I. Halieut. 126. ubi κυφίδες in primo cod. Palatino legi ad marginem ed. Rittersh. notatur: vide plura de phycide apud Rondelet. lib. VI. de Pisc. cap. 10. *Apriculum* tamen piscem inter alios memorat Appuleius in Apolog. pag. 44. ed. Casaub. 'Si dicas marinum pectinem comendo capillo quæsitum, vel aucupandis volucribus piscem accipitrem, aut venandis apris piscem apriculum, aut eliciendis mortuis marina calvaria:' quem ad hos Ennii versus illic respicere, et *apriclum* vindicare posse opinor, nam et *pectinem* et *calvaria* hic quoque memorata conjungit. Retineamus igitur *apriclum*, et *phycin* cum Cl. Cannegietero legamus hoc modo: ... *hinc magnus erit si, Sume apriclum. Phycin scito, &c.* neque enim opus esse arbitror

emendatione Withofii in Enc. Critic. pag. 285. . . . *hunc magnus erit si, Sume epulis. Phycin scito primum, &c.* ubi Cannegieteri conjecturam late ad examen revocavit: sed *epulis* hic æque otiosum opinor ac *piscem*: præsertim cum *apriculum* Veteribus non omnino ignotum ex Appuleii loco pateat. *Burm.* In vulgata lectione equidem acquiescendum puto: nam τὰ *magnus erit si* pertinere ad *sargum*, Archestrati versus arguunt, a Colvio allati. Neque etiam tum otiosum illud *piscem* mihi videtur. Aprorum catuli Veteribus etiam in deliciis fuere, 'neque' enim 'alio ex animali' (ait de suibus Plin. lib. VIII. c. 51.) 'numerosior materia ganeæ:' hinc, in primis cum id metrum suaderet, distinguendi gratia addidit poëta *piscem*. Supra p. 461. Ed. Flor. 'aucupandis volantibus piscem accipitrem: aut venandis apris piscem apriculum.' p. 471. 'aselli piscis.' Pro *sume* Salm. in marg. *sumo*: credo, pro var. lect. Ms. Fux. In D'Orv. *pisces*. Ed. Vic. *sito*. Ms. Pith. *secto* vel *seco*. J. B.

Surrenti ellopa fac emas] Turnebus: *Surrenti fac emas glaucum, et Cumas apud. at quid Scarum pr. &c.* De elope tamen etiam scribit Archestratus; sed ita ut ad eum Ennius vix respexisse videri possit. Lucilius: 'Quem præclarus elops, quem Ægypto sargus movebit.' Varro: 'Nec multinummus piscis ex salo captus Elops.' Quærāmus igitur licet huic versui medicinam aliam. *Colv.* Flor. *Surrenti Teloren facemas Glaucum apud Cumas quid.* De Ælope et Scaro vid. Quintilian. lib. V. c. 10. et Plin. p. 1390. *Elmenh.* Miror non animadvertisse acutissimos viros, post verbum, *Surrenti*, piscis nomen sequi debere, quum unicuique loco suum genus, quod præstantissimum in illo reperitur, reddat noster Orator. Sed forte non ipsi etiam, quid conveniret, repererunt. Existimet aliquis, pro verbis illis, *Fac emas*, scripsisse Appuleium *Bocem*, qui piscis una cum Scaro conjungitur hoc loco, ut etiam in lib. I. Anthol. a Paulo Silentiario: ἢ σκάρον, ἢ βῶκας φλέξον ἐρευθομένους. Nec displicet, si quis legeret, *Phagem*, et sono et literis simillimam vocem, quæ res depravando loco fuerit, præsertim apud indoctos librarios, aut sciolos. Hujus emendationis auctor Constantinus Cæsar (si ejus opus est) lib. XX. de Re Rust. cap. 7. ubi piscium genera enumerans scribit, *Phages, Scarus, Glaucus*: quæ tria genera etiam ita plane, et eodem ordine Appuleius hic enumeravit. *Glaucum* litera prima majusculis cudi debet: est enim piscis nomen, non coloris. Galeus Glaucus alias dictus, cujus admirabilem φιλοστοργίαν et ingenium commemorant scriptores, Aristoteles in primis, et Oppianus lib. I. Alieut. Οἷον δὴ καὶ γλαῦκος, ὃς ἔξοχα τέκν' ἀγαπάζει, &c. *Scip. Gent.* In notis dixi mihi videri legendum *Surrenti Bocem, Glaucum Cumas apud*: vel propius ad scripturam vulgatam: *Surrenti Bocam*: qui idem piscis. Vid. Athenæus. *Id. in App. Not. Surrenti Chemas.* Ita emendamus ex corrupto quod circumfertur, *Surrentes fac emas.* χήμη genus ostrei. *Scaliger. Surrenti lopadas, glaucum Cumas apud: at quid Scarum, &c.* edidit Scaliger et Pithœus, quod probat Columna. Jungermannus in Epist. XXXI. ad Scip. Gentilem, inter Gudianas, legebat, *Surrenti fac emas glaucum. Cumis apuas. quid?* [cf. Scip. Gent. Comm. inf.] Columna autem edidit, *Surrenti fac emas Glaucum, et Cumas apud, &c.* et pugnat valde pro *fac emas*, ut Turnebus, quod improbandum videtur, quia neque ex Ennio, aut alio e vetustioribus, vix puto exemplum produci posse, ubi *fac* corripiatur: unde recte viri eruditi, ubicumque apud poëtas antiquos *fac* occurrit in vulgatis editionibus, *face* emendandum monuerunt. Vide Hein-

sii et Patrni notas ad Ovid. Epist. II. 98. Remed. Am. 682. et I. Fast. 287. et Voss. lib. II. Art. Gram. cap. 29. Hinc apud Ausonium Epigr. LXXX. recte corrigit Mariang. Accursius, *vel face utrimque parem:* quod inter Italos poëtas suo etiam calculo adprobarunt Joh. Jov. Pontanus tom. II. Poëm. pag. 58. 'Officium face amice pium,' &c. Joh. Bapt. Amaltheus pag. 99. Carminum: 'Tu face, ut ex humili,' &c. pluresque alii. Male igitur *fac* corripi posse urguet Moneta in tom. III. Menagian. pag. 340. et 341. Mihi porro hic ingeniosa satis videtur Scip. Gentilis conjectura, *Surrenti Phagem,* quod, propter literarum vestigia, cum *fac emas,* præferendum alteri emendationi *Bocam,* præsertim cum hic piscis æque ac ille cum scaro et glauco a Constantino in Geoponicis jungatur: licet *Elops* aliis hic placuerit, qui ediderunt, *Surrenti Elopen fac emas:* sed vitiose, vel *Ellopa,* ut Colvius. Elopen cum sargo jungit Lucilius in Fragm. p. 7. 'Quem præclarus elops, quem Ægypto sargu' movebit:' de hoc pisce elope, quem Rhodiis adsignat Varro in fragmento supra prolato, vide Rondelet. lib. XIV. c. 9. p. 411. et lib. XV. cap. 12. *Burm.* Ed. Vic. *Surrenti elopem fucemus gl. apud Cumas quid:* item Junt. pr. Bas. pr, sed *fucernas* Ald. Junt. post. Bas. sec. Colv. Vulc. pr. *Surrenti ellopa fac emas gl. ap. C. q.* Vulc. in marg. *Surrenti ellopa emas: glaucum Cumas apud, at quid* ejus Edd. sec. tert. Elm. Scriv. *Surrenti chemas, glaucum Cumas apud. at quid, &c.* ex conject. Scaligeri. Ipse Scal. in Catal. et Burm. Anth. Lat. *Surrenti lopadas:* et citat ita Ciofan. ad Ovid. Halieut. vs. 12. Casaub. Gent. *Surrenti fac emas glaucum Cumas apud. At quid.* Wow. *Surrenti fachemas, &c.* corrupte. Tandem Florid. *Surrenti phagem gl. C. apud. At quid:* ex Gent. conjectura. Jam consulamus Mstos, Florent. *Surrenti Telopen* (sic Coll. Lindenbrog.) *facemus gl. apud Cumas: quid.* Pith. *Surrētia elopē . . . . apud Cumas quid.* D'Orv. *Surrētiā elopē fucernas claucum apud Cumas quid.* Videmus, mirum in modum Editores hæc interpolasse, et longius, quam par erat, a Mss. aberrasse. Nam primo quidem, ex Mstorum vestigiis, ni fallor, clare patet, rursus legendum esse *Surrentid,* quomodo jam legendum monuit Salm. ad Solin. p. 794. ut supra *Ænid.* Dein *elopem,* quam vocem, suadente Turnebo, ejecerunt Casaub. et seqq. firmatam videmus a Mss. et Edd. vett. Verum elopem non Surrenti, quod oppidum est in agro Picentino, sed Rhodi, capi aiunt Plin. IX. c. 54. et Varro apud Gell. VII. 16. et de Re Rust. II. 6. Imo Ovid. Halieut. vs. 96. canit: 'At pretiosus Elops nostris incognitus undis:' quod confirmat Colum. VIII. 16. scribens, in Pamphylio mari, non alibi, nasci elopem. Respondeo tamen, propterea poëtam non dixisse *Surrenti esse* elopem, ut *Mures sunt Æni, &c.* sed *Surrenti fac emas elopem,* quasi indicare voluerit, ibi elopem, aliunde advectum, optime condiri, vel ibi potissimum in vivariis adservari; et propterea Surrenti emendum esse: vel dicendum, Ennium et hic a reliquis dissentire, sicut infra scarum ad Peloponnesi oras capi ait, quem alii Siculo mari attribuunt. Observandum adhuc ad locum Ovidii, quod elopem, quem *pretiosum* vocat poëta, Plin. l. IX. c. 17. nullo in honore esse ait, quod quidem mirari se dicit, *cum sit rarus inventu:* atque ex eo loco Plinii elops idem videtur piscis, qui acipenser: sed hac de re videant harum rerum studiosi. Quod autem ad Ennii versum, si, ubicumque in antiquis poëtis *fac* correptum occurrit, illud in *face* mutandum est, quidni et hic in *face* mutemus? Sed quid jam faciemus de reliquo versu? quod enim in Mss.

et Edd. vett. legitur *Glaucum apud Cumas: quid:* Id aperte repugnat metro. Quare Salm. legit *ad Cumas: quid*, ut versus sit spondaicus, quales in Ennii fragmentis inveniuntur permulti: et hoc certe multo malim, quam cum plerisque *Cumas apud: at quid.* *Ad* pro *apud* obvium est, et corrigendum forsan in Veget. IV. 31. sive noviss. Ed. Schweb. v. 1. *apud Misenum:* ubi Ms. Voss. *ad M.* Sic statim sequitur 'Nestoris ad patriam.' Nisi totum illud *apud* e glossa marginali τῶν *Nest. ad patriam* huc intrusum sit, scripseritque Ennius *Cumis*. Nam *fac emas ad* vel *apud Cumas*, non placet. Utut est, propius Mstis innitendum est, quam fecerunt plerique VV. DD. et Editores. *J. B.*

PAG. 469 *Scarum præterii cerebrum Jovis*] Hunc Ennii versum in animo habebat Glossator Petronii ad cap. 93. Satyr. ubi occurrit Epigramma supra editum Ep. 134. 'ultimis ab oris Adtractus Scarus, atque arata Syrtis:' ita enim illic Glossæ veteres: 'Scarus piscis nobilissimi genus, mari Carpathio frequens, cerebrum Jovis dictus ab Ennio:' ubi de hoc pisce Lindenbrogii notas consule et Torrent. ad Horat. Epod. II. 49. *Scarum* hic prima producta ab Ennio poni, quæ ab Ovidio, Petronio, aliisque corripitur, observat Rittersh. ad Oppian. lib. I. Halieut. v. 109. Cur autem Scarus Veteribus ex proverbio *cerebrum Jovis* vocaretur, præter notata Columnæ, Gentili, et Colvio: vide Vales. lib. I. Emend. cap. 21. et quæ illic olim notavi. *Burm.* *Cerebrum Jovis pæne supremi*] Elegans locutio: ad quam explicandam unus unicusque locus iste Suidæ: Διὸς ἐγκέφαλος. οὕτω λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἐπὶ τῶν ἡδυπαθούντων, ἢ βασιλέως ἐγκέφαλος. cujus nobis index amicissimus Lipsius fuit. Sic fere Archestratus: Κέστρεα τὸν κέφαλον καὶ τὸν θεόπαιδα λάβρακα. Sed malim ibi etiam: Κέστρεα δ' ἐγκέφαλον. *Colv.* Athenæus Deipnos. lib. XII. f. 329. Κλέαρχος δὲ περὶ τοῦ Περσῶν βασιλέως διηγούμενος, ὅτι τοῖς αὐτῷ πορίσασιν ἡδύ τι βρῶμα ἆθλα ἐτίθει γοῦν οὐκ ἔχων. τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ λεγόμενος, οἶμαι, Διὸς ἅμα καὶ βασιλέως ἐγκέφαλος. *Elmenh.* D'Orv. *celebrum.* J. B. *Scarum Præterii, cerebrum Jovis pæne supremi*] Hujus piscis etiam multa apud veteres scriptores mentio: illud moneo, alium piscem esse, qui vocatur *squarus*, vel *squalus*, Plinio lib. IX. cap. 24. Oppiano ῥίνη. doctissimus Turnebus apud Plinium legere malit cum Massatio, *Galei*, pro *Squalei:* quasi Plinius vocem Græcam illam usurpaverit, quum Latinam, quæ ei responderet, non haberet. *Scip. Gent.* *Cerebrum Jovis*] Παροιμιακῶς. V. Adag. Διὸς ἐγκέφαλος. *Pric.*

Nestoris ad patriam hic capitur] Aliter Archestratus: Καὶ σκάρον ἐν παράλῳ Καρχηδόνι τὸν μέγαν. et Petronius: 'Siculo scarus æquore mersus:' an et hinc Gellius corrigendus lib. VII. cap. 16. ubi vulgo *Scari Cilices*? Idem.

Polypus Corcyræ] Idem Archestratus: πώλυποι ἔν τε Θάσῳ καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄριστοι, Καὶ Κόρκυρα τρέφει πολλούς. *Colv.*

Calvaria pinguia Carnæ] Turneb. *Calvaria pinguia Atarnæ.* Malim cum Lipsio *calvaria pinguia, atarne:* vel, *atarna.* Atarne, ut Cete, piscis genus, quod fortassis sic etiam restituendum Lucilio apud Gellium: 'abdomina thynni Advenientibus priva dabo, cephalæaque, atarne:' et in Plinio cap. 11. lib. XXXII. ubi *Acarne* inter pisces marinos, pro *Atarne*, vel *Atarna.* Glossæ veteres: 'Atarna, ἰχθύος εἶδος.' *Colv.* Malim, ut Columna, *c. pinguis:* supra hujus piscis mentio: 'Eliciendis mortuis marina calvaria.' Eundem *Orchi* aut *Orbi*, de quo Plinius, idem Columna putat, sed is neutiquam e numero edulium, ut et Bellonio visum. Melius *Cephaleam* putes esse, nam et in

Gellii Ms. *Cephalæaque Aternæ* legisse se Turnebus ait Advers. XXI. 21. Abeat Columnæ conjectura, qui *atarnam* piscem intelligit. An non æquius est, ut et in ceteris, ita heic locum designari? *Aterna*, inquam, oppidum est, de quo Stephanus. *Pric.* *Polypus Corcyræ, calvaria pinguia Atarnæ, Purpura, muriculi, mures, &c.* Ita Turnebus, qui testatur se in cod. Ms. Gellii invenisse, *cephalæaque Atarnæ:* et per *calvaria* intelligit salsamenta e capite thynni: nec aliter ediderunt Scaliger, Pithœus, et Columna. Colvius vero, *calvaria pinguia Carnæ. Purpura, matriculi, mures.* Sed pro *mures*, quos supra jam memoravit, recte Casaubonus *murex*, quod arripuit Columna, et in editione sua etiam recepit Scip. Gentilis: sic 'murex marinus' in Fragm. Lucilii p. 14. Salmasio *mues* reponendum videbatur, qui cetera sic constituebat: *Polybius Corcyræ, calvaria, pinguis Acarne:* ubi forte operarum vitio *Polybius* pro *Polypus.* *Acarnen* vero piscis genus e Plinio notat: sed *calvaria pinguis* legit cum Columna Pricæus, et Atarnæ oppidi nomen facit Stephano memorati, ubi tamen Ἀταρνεὺς non Ἀτάρνα, legunt viri docti, quod firmatur ex Harpocratione, qui oppidum prope Lesbum facit. Sic *Atarnea* in Ionia apud Xenoph. lib. VII. Anab. pag. 425. et III. Hellen. pag. 488. Echini denique inter mensarum delicias a potentioribus apud Romanos enumerantur quoque a Macrobio lib. II. Saturn. cap. 9. 'ante cœnam echinos, ostreas crudas, peloridas, sphondilos, turdum, &c. iterum spondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos,' et seqq. quæ ultima in mendo cubant, et, pro *ficedulas, lumbos,* Salmasius ad Solin. pag. 455. legit *ficedulas, lumbos caprugineos, aprugnos:* sed præfero Bronkhusii conjecturam, *ficedulæ lumbos,* quam firmabat loco Martialis lib. XIII. Ep. 5. 'Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo:' ubi *libo* male in quinto cod. Vossiano. *Burm.* Edd. ante Colv. *pinguia carne.* Bas. sec. Colv. et Vulc. pr. *pinguia Carnæ.* An ut oppidum *Carnen* intelligas, quam Syriæ adscribit Plin. lib. V. c. 20.? Sane *Carnæ* est etiam in Ms. D'Orv. Sed Cas. Vulc. sec. tert. Wow. Elm. Pric. Scriv. Scal. in Catal. Burm. in Anth. Lat. *pinguia Atarnæ,* quod confirmant Mss. Pith. et Florent. Perperam Edd. Altenb. Florid. Bip. cum Columna et Pric. *pinguis Atarna:* nam *calvaria* esse neutr. plur. videre est e pag. 461. Ed. Flor. ubi 4to casu est 'marina calvaria,' quod miror non observasse Pricæum. *Pinguis acarna* legi voluit Lat. Latin. Adhucdum servo *pinguia Atarnæ,* licet non displiceat *acarne,* cum Salmas. quod piscis nomen et apud Plin. XXXII. 11. et apud Gell. X. 20. habetur. cf. Salm. ad Solin. p. 704. *J. B.*

Mures] Vulgati libri *mures:* nec mutavit Turnebus: sed cur ante recensitos mures denuo commemoret? *murex* ergo scribimus, ut sæpe alibi purpura et murex juncta leguntur. *Casaub.* Si *muriculos* cum Salmasio intelligas parvos murices, æque minus ferendum hic *murex.* Probabilior tum Salmasii conjectura *myes,* sive *myaces,* quod est ostrearum genus, diversum a muribus marinis. *Mures* tamen est in Edd. ante Casaub. et Mss. Florent. Pith. Quoniam vero fieri potuit, ut *mariculos* dixerit Ennius, quos alii *musculos,* vel, ut peculiare conchyliorum genus constituerint *muriculi,* diversi a *muricibus,* postremo, quia *murex* confirmari videtur a Ms. D'Orv. hinc Casauboni emendationem cum seqq. admisi. *J. B.*

Dulces quoque echini] Vide Deipnosophist. librum modo laudatum. *Colv.* *Dulces quoque Echini*] Etiam γλυκεῖς eos Athenæus Deipnos. III. vocat, at ὑπολαμβανομένοις μετ' ὀξυμέλιτος, καὶ σελίνου, καὶ ἡδυόσμου. Massilienses vero ob nativum saporem, quibus vul-

go *Doussins.* Bellon. de piscibus lib. II. *Pric.* *Et ubi gentium quisque eorum inveniatur, qualiter assus aut jussulentus optime sapiat*] D. Hieronymus (μιμητικῶς) Epist. ad Nepotianum: 'Novi nomina et genera piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo: sapores avium discerno, et provincias.' Juvenalis Sat. XIV. 'Nulli major fuit usus edendi Tempestate mea: Circæis nata forent, an Lucrinum ad Saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu: Et simul adspecti dicebat littus Echini:' quin et aptius in hanc mentem Boëtius quam ut omitti debeat, de consol. lib. IV. 'Ipsos quinetiam fluctibus abditos, Norunt recessus æquoris: Quæ gemmis niveis unda feracior, Vel quæ rubentis purpuræ: Nec non quæ tenero pisce, vel asperis Præstent echinis littora:' cujus loci me admonuit doctiss. Bourdelotius. *Idem.*

PAG. 470 *Jussulentus*] Miles. x. 'Pisces exotico jure perfusos.' *Idem.*

Ne ego reprehendar] Leviter primo suspicabar de anastrophe *Ne ego*, positum pro *Egone*, ut apud Plautum 'Ne turbaverint' pro 'turbaverintne.' Sed aliter juvandus locus, mutatis saltem interpunctis aliquot. L. *qualiter assus an jussulentus optime sapiat: nec tamen ab Erud. ne ego reprehendar, qui, &c.* 'Ne ego reprehendar' valet 'necdum ego,' vel, 'nedum ut ego reprehendar.' Locuti sic optimi quique. Sallust. Catil. 'Quippe secundæ res sapientium animos fatigant, ne illi corruptis moribus victoriæ temperarent.' Cicero: 'Me vero nihil istorum ne juvenem quidem movit unquam, ne nunc senem.' Livius: 'Novam inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris: ne nunc dulcedine capti ferant desideria.' Sed de hoc Priscian. lib. XVI. qui tamen ipse sibi non constat. Forte et prior conjectura verior. Nam apud Terent. quoque 'Ne tu,' pro, 'tune' Andr. Et in Plauto 'ne illi,' pro 'illine.' Pseud. 'Sed nimis sum stultus, nimium fui indoctus, ne illi audeant id facere.' *Ne eodem* modo positum, vel pro *num ubique* potius positum. Arnob. lib. I. 'Unde tibi est scire, ne quod exuberat, sic tollatur,' &c. sic etiam lib. I. p. 4. vs. 5. in Ald. exemplari scribitur *Ne tu fortunarum, &c.* et cum interrogatione ad finem. Lucretius posuit *si et* pro *etsi.* 'Nam si et abest quod amas,' &c. ubi tamen forte leg. *si id abest.* Acidal. De τῷ *ne* pro *nedum* vel *nedum ut*, plura supra dicta sunt. V. Ind. Not. Edd. Altenb. Flor. Bip. perperam *nec ego repr.* Absunt hæc verba a Ms. D'Orv. In Pith. *reprehendam.* J. B.

Medicinæ neque instudiosus, neque imperitus] Priscianus quidem libros Appuleii Medicinalium laudat: de herbis autem liber non hujus nostri Appuleii est, sed Appuleii, Celsi medici, ut docti judicarunt, puto, et illos medicinalium. *Scip. Gent.*

Ad suppetias] Vocem militiæ propriam, ad medicinam transtulit. *Pric.*

Carmina remedia] Marcellus de Medicament. 'Gramine seu malis ægro præstare medelam, Carmine seu potius; namque est res certa saluti Carmen ab occultis tribuens miracula verbis.' Vide Alex. Trallianum et Nicol. Myrepsum de *medimentis*, qui totas pagellas nugis istis implent. Et Martinum del-Rio disquisit. magicarum lib. I. cap. 4. qu. 3. *Elmenh.* *Veteres quidem carmina remedia vulnerum norant*] Pindar. Pyth. Od. III. et ibi Scholiast. Virgil. 'Neque eum juvere in vulnere cantus.' Marcian. Capel. 'Febrem curabant vulneraque veteres cantione.' Medendi modus tractus a Pythagora. Porphyr. in vita ejus. Jamblich. cap. 29. et 34. *Pric.*

Homerus docet] Odyss. T. Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο Δῆσαν ἐπισταμένως· ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν

Ἔσχεθον. *Casaub.*

PAG. 471 Ἀνατομῶν] De quibus supra ex Diog. Laërtio. *Colv.*

Aristoteli et expl.] Perperam in quibusdam libb. *Aristotelis.* Infra 'ex lectione et æmulatione Aristoteli.' συνίζησις patrii casus a recto veteri *Aristoteleus.* Miles. I. 'Ulyssi astu deserta.' Infra heic: 'Ultra Ulyssi vota, &c. oculatus.' Utrumque inflexionis modum obtinuisse e Varrone de L. lib. VII. discas. Adi Grammaticos etiam Diomedem, Servium, Priscianum. *Pric.* Ms. D'Orv. et Edd. Junt. post. Bas. sec. Bip. *Aristotelis.* cf. Pric. et supra sæpius, de istiusmodi genitivis in *i.* D'Orv. caret copula. *J. B.*

Ego nihil clanculo, sed omnia in propatulo ago] Plautus Trinummo: 'Nil ego in occulto agere soleo.' Suetonius de Augusto: 'Filiam et neptes ita instituit, ut vetaret loqui aut agere quidquam, nisi propalam.' Velleius Paterculus de Druso lib. II. 'Quum ædificaret domum in Palatio, in eo loco ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est: promitteretque ei Architectus ita se eam ædificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus hominibus' (legebam *omnium luminibus*) 'esset, nec quisquam in eam despicere posset; Tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perspici possit.' *Pric.*

Extrarius arbiter] Tertullian. Apolog. 'Eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros.' *Idem.*

In primori fronte] Ennius: 'Amicitias atque inimicitias in fronte promtas gero.' Plautus Pseudolo: 'iram in promptu gerere.' M. Tullius pro Cn. Plancio: 'Hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis quam ceteri, et vultu promtum habuit et lingua.' *Casaub.* *In primori fronte animum gestare*] Symmachus: 'Te in primori affectionum mearum fronte constituo.' Lucretius lib. IV. 'Jam prima in fronte parata.' *Pric.*

Solus ille, cum sit cetera exossis] Fallitur Bellonius, qui hæc de Lepore Marino capit. Refer tu ad pisciculum illum, quem quidem accusatores ejus *leporem* vocarunt, Appuleius autem nescivit quo nomine insignitum iret: neque debuit Gentilis hæsitare in re adeo manifesta. *Pric.*

Duodecim numero ossa] Τὸ *numero* παρέλκει, et id adeo frequenter in Authore nostro, ut si exempla congerere liberet, occupandæ paginæ forent. Symmachus: (quem putem emendandum, etsi non in voce ea:) 'Piget dicere in quinque numero solidos potissimum subscriptoris fuisse legatum:' legerim *potissimi,* i. e. *honestissimi,* nam signabant plures. *Pric.*

Qui aselli piscis] Legere hoc memini non apud Aristotelem, sed apud Athenæum et Ælianum sæpius, neque id περὶ ὀνίσκου sed περὶ ὄνου, verum Romani tam ὄνον quam ὀνίσκον asellum vocant. *Casaub.*

PAG. 472 *Ruspareɾ*] Bas. 2. Veteres aliæ, *rusparet.* Ruspare, seu Ruspari, id est, truncare, scindere. Tertull. de Pallio: 'Itaque cogitans omnia sibi domum, intelligens alibi stipantem copiam, alibi deserentem, runcare atque ruspare consuluit; ut inde, velut ex surculis et propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus per ubique orbis pangerentur.' Alia hujus verbi notio apud Nonium et Festum. *Colv.* Add. Pric. Elmenh. in Ind. Oisel. ad Gell. XVII. 19. Edd. Vic. Junt. pr. Ald. Bas. pr. *rusparet.* Ms. D'Orv. *rusperat.* J. B. *Rusparer*] Gloss. Isidori: 'Ruspantur, perquirunt anxie.' Glossæ Philoxeni: 'Ruspinat, Χειροτριβεῖ.' [v. ad Gell. XVII. 19.] *Pric.*

Hepetia suffod.] Malim scribere, *Hepatia suffod.* Lucillius Satyr. l. VIII. 'Gigeria sunt, sive adeo hepatia.' *Colv.* Male Edd. ante Vulc. sec. *hepetia,* licet suffragari videantur Mss.

præter Florent. *Hepatia* inter ventris delicias recenset Petron. c. 66. ubi cf. VV. DD. Quare coctorum piscium hepatia suffodere apposite gulosi tribuit Auctor, quum talia multo magis tamen Magiæ suspicionem habere dicat, quam crudum piscem proscindere: nam ut est apud Philostrat. in Vit. Apoll. l. VIII. c. 7. s. 15. ἐν τῷ ἥπατί φασι τὸν τῆς αὑτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα. J. B. *Hepatia suffoderem*] Onomast. vet. 'Jecuscula, Ἡπάτια.' Lucillius (Colvio notatus) 'Gigeriæ sunt, sive adeo hepatia.' *Pric.*

Suomet obsonio dixit] Emendandum censeo *vivit*, et sensum hunc esse arbitror. Perstringit Æmilianum, quod Sicinium Pudentem puerulum indulgentia corrumperet, ac molliter apud se haberet: addit autem *suomet obsonio*, quod valet, suis ipsius sumtibus: in quo magnum Æmiliani scelus, qui eo tempore illum puerum regebat: qui igitur austerus et vere patruus esse debuit, contra, miserum juvenem gulæ et nepotatui se passus est dedere, et bona sua in ventrem condere. Agnoscent loquendi genus, qui Plautum non ignorant. De sententia, quam dixi, non dubitabit qui postrema hujus orationis legerit. *Casaub.* Casaubonus *vixit* legit, et interpretatur, suis ipsius sumptibus eum apud Patruum vivere et gulæ ac nepotatui servire. Notum est proverbium, suo succo vivere, in Parasitos factum. Sed aliud hoc loco Appuleii significatur. *Scip. Gent.* Casaub. *vixit*, sensu minus vivido. Bene Florent. Cod. *discit*, structuram, vel scissuram nempe. Ars hæc doctores et discipulos habuit, uti hodie etiam apud Germanos. V. Dousæ ad Arbitrum Præcidan. l. 16. Lips. Saturn. II. 2. *Pric.* Bene *discit* rescripsere Wow. Elm. Scriv. Flor. consentientibus Mss. Florent. D'Orv. Antea, et a Pricæo, editum *dixit*, sine sensu; vel, ut legitur in Vic. Junt. pr. Ald. Bas. pr. *opsono dixit*. Ms. Pith. *apsono dixit*. Casauboni conjecturam *vivit*, non *vixit*, exhibent Edd. Vulc. sec. tert. Lipsius adlevit *vixit*. Sed multo invidiosius est *discit*: quasi Æmilianus Sicinium Pudentem, quamvis puerum, jam doceat omnes gulæ delicias; ut bona istiusmodi cœnæ pars in ipsius præceptoris ventrem descendat, et omnem in eam sumtum discipulus ferat. cf. Pric. *J. B.*

An hariolis licet jocinera rimari] Proprie *jocinera*. οὐ γὰρ πᾶσι τοῖς σπλάγχνοις οἱ μάντεις ἐχρῶντο πρὸς δήλωσιν τῶν ἐσομένων, ἀλλὰ τῷ ἥπατι μόνῳ. verba sunt Nicephoræ ad Synes. περὶ ἐνυπν. Petronius: 'Recluso pectore extraxit fortissimum jecur, atque inde mihi futura prædixit.' Apollon. ap. Philostrat. τὸ ἧπαρ, ἐν ᾧ φασι τὸν τῆς αὑτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα, οἱ δεινοὶ ταῦτα. Festus generalius paulo: 'Cujus ad exta inspicienda conducuntur harioli:' hinc ὀπαρκτικῶς *Inspicia* apud Tertullianum I. contra Marcion. quæ 'Fissiculationes extorum' Noster de Deo Socratis et Capella de nupt. &c. l. II. vocant. Abrogata hæc deliria ab Impp. Valerian. Gratian. et Theodos. l. II. Cod. de Pagan. et Sacrif. *Pric.*

Quod ego et Maximus in Aristotele miramur] Non est arrogantiæ tribuendum, quod se ante Claudium Maximum Proconsulem nominet: ita enim et ratio et consuetudo Latini sermonis postulabat; et alia de caussa Imperator Tiberius in Crispo municipe Vicellensi, qui in Senatu ita exorsus erat, PC. ET TU CÆSAR offensionem dissimulavit; ut est apud Veterem Juvenalis scholiastem, Satyra IV. *Scip. Gent.*

E Bibliothecis] *Publicis* nempe, de quibus infra etiam mentio occurrit. *Pric.*

Magicis artibus] Otiosa hæc, neque per me stat quo minus exturbentur. *Pric.*

Ubi pisces, &c.] Tertull. de Pallio:

'Nutavit et totus orbis aliquando aquis omnibus obsitus, adhuc maris conchæ et buccinæ peregrinantur in montibus.' *Brant.*

PAG. 473 *Quod ego gratulor*] Hæc ita in emendatissimis libris scripta erant: *Quod ego gratulor nescire istos, Legisse me Theophrasti quoque περὶ et Nicandri θηριακὰ ... Cæterum me etiam beneficiis postularent, ut qui hoc negotium ex actione et æmulatione Aristoteli nactus sum, nonnihil et Platone me adhortante, qui ait eum qui ista vestiget, ... Nunc, &c.* Conferant nunc studiosi lectionem quam edidimus cum isto lacero et in modum cribri perforato textu: omnia sarcivimus, omnia sanavimus. Indicem sane libri Theophrasti non fuit difficile ex Laërtio nostro promptum apponere. Illud miror, neminem vidisse adhuc, *veneficii postularent* scribendum esse, non *beneficiis.* Quo nihil neque ad intelligendum ineptius, neque ad emendandum facilius. *Cæterum* valet εἰ δὲ μὴ, ut locis sexcentis in Appuleio. Post vocem θηριακὰ sequentia continuavimus: quia in Editione Rom. non amplius spatii relictum, quam ad recipiendam eam vocem quæ ibi deerat. Platonis verba ex Timæo restituimus: in quo an εὐστοχίᾳ litaverimus, doctorum erit æstimatio: non enim facile erat ex tam paucis verbis, *eum qui ista vestiget*, quid esset substituendum divinare. Locus Philosophi ita habet: τῷ δὲ περὶ φιλομάθειαν καὶ περὶ τὰς τῆς ἀληθείας φρονήσεις ἐσπουδακότι, καὶ ταῦτα μάλιστα τῶν αὐτοῦ γεγυμνασμένῳ, φρονεῖν μὲν ἀθάνατα καὶ θεῖα, ἄν περ ἀληθείας ἐφάπτηται, πᾶσα ἀνάγκη που. Prima verba visus expressisse Appuleius illis paucis, *eum qui ista vestiget*, breviter et dextre accommodans suo instituto parum alias similem locum. Ideo dixit, *nonnihil et Platone me adhortante:* nempe hac laudatione τῆς φιλομαθείας: cujus ambitu etiam illa intelliguntur de quibus hic disputatur. *Casaub.* Andreas Schottus Observat. l. v. cap. 12. *Elmenh.* Veteres Edd. *Legisse me Theophrasti quoque περὶ * et Nicandri θηριακὰ* ... Hiatum priorem supplevit Casaub. Schottus Obs. Human. v. 13. utrumque in hunc modum sarcivit: *Theophrasti quoque περὶ ζώων ἐν ξηρῷ διαμενόντων, et Nicandri θηριακὰ καὶ* Ἀλεξιφάρμακα. *Pric.* Quum in Mss. et Edd. vett. titulus operis Theophrasti non legatur, res ultra conjecturas non excedit. Quare Casauboni conjecturam, cum reliquis amplector, addito ζώων. Librum περὶ δακετῶν ζώων καὶ βλητικῶν præter Diog. Laërt. v. 43. citat etiam Athen. VII. p. 314. *J. B.*

Veneficii postularent] Sic Fulvius. *Sciopp. in Symb.* Facile advertit Casaubonus legendum *veneficii postularent.* Nam sæpiuscule hac in re peccatum ab ineptis scribis. Sic in Inscript. Gruteri fol. 687. Inscript. 5. *Beneficium* pro *veneficio*: et in Herbario Celsi Appuleii, summæ fidei ac reverendæ vetustatis libro, *vivere* pro *bibere*, et *benenatis foliis* pro *venenatis f.* semper legitur. *Elmenh.* Mss. et Edd. ante Casaub. *beneficiis*: quod bene correxere reliqui. Ms. Pith. *benefici.* Vulgo itaque hactenus editum *veneficii postularent.* Quoniam vero in Mss. Florent. est *benef. eundem post.* et in D'Orv. *benef. eum post.* atque in Edd. Bas. pr. et Junt. post. *benef. postularent eum:* in ejus marg. V. D. recte emendavit *post. reum:* nisi quod e Mstorum vestigiis malim *reum post.* Litera *r* adhæsit præcedenti voci. unde factum *beneficiis. Postulare aliquem veneficii* et *post. aliquem reum venef.* utrumque recte dictum, et Nostro usitatum. Met. III. p. 183. 'ne tantillo quidem unquam crimine postulatus.' VII. p. 450. 'crimine latrocinii postulabar.' Supra p. 403. 'hominem extraneum tot tantorumque criminum postulasset.' Infra p. 522. 'me suo machinatu reum postulatum:' ubi negligenter excidit *re-*

um in Ed. Flor. p. 528. 'multi rei cujusvis maleficii postulabuntur.' Sic et alii scriptores. Amm. Marc. XIV. 7. 'pulsatæ majestatis imperii reus postulatus;' id. XIX. 12. 'reus hac gratia postulatus, quod,' &c. Adi et Brisson. de V. S. in v. 'postulare.' *J. B.*

Platone meo] Ita dedi ex Ms. D'Orv. cum Edd. Junt. utraque, Ald. Bas. pr. Vulgo *Pl. me.* Ms. Pith. *mo.* Ed. Vic. *modo:* sic Flor. N. XV. 'noster Plato:' de Deo Socr. p. 669. Ed. Flor. 'sed ne Platoni quidem meo quiverunt,' &c. et ubique Platonis sectatorem se jactat Appuleius. Infra p. 510. 'competentissime videor usus Platone, ut vitæ magistro, ita causæ patrono, cujus legibus obedientem me videtis.' Hinc non prorsus adsentiri possum Viris Celebb. ad init. Metam. qui librariis adscribunt additamentum illud nominis Appuleii, 'Platonici Philosophi.' Pugnat aliquomodo contra eos locus de Dogm. Plat. l. III. p. 634. ubi propositionem hanc 'Appuleius disserit,' ait auctor, 'eadem vi manente in plura verba posse protendi, ut si pro Appuleio dicas, Philosophum Platonicum Madaurensem.' *Idem.*

Ad maleficia magica] Magnum periculum est illud, *magica*, olim interpretandi causa ad vocem præcedentem adhibitum. Supra dixit 'maleficia et artes nefandas.' Itidem III. de Asino dicebat Fotis ancilla: 'et quod alioquin publicitus maleficæ disciplinæ perinfames sumus.' Iterum hac eadem Apol. 'ut me in aliquo maleficio experirentur.' Similiter princ. Apologiæ seq. vox illa accipienda est, his verbis: 'et ipsis maleficiis infensus accusationem istam suscepit.' Quinimo solent aruspices, mathematici, arioli, augures, vates, Chaldæi, et quicunque magicis carminibus adsueti sunt, non alio, quam malefici nomine, consuetudine vulgi, appellari, L. nemo et L. etsi c. de maleficiis. In reliquis Appuleii repono 'exdorsuari pisces;' imitatio Plautina est ex Aul. 'Congrum, murænam exdorsua quantum potest.' *Stewech.* Supra p. 400. 'Insimulare magicorum maleficiorum.' p. 412. 'sed quid ad magica maleficia, quod ego,' &c. infra p. 503. 'quod me aiunt ad magica maleficia, occulta fabrica,' &c. p. 515. 'priusquam foret magicis maleficiis a me coacta.' p. 489. 'aut constituant magi et malefici hominis.' Met. l. VI. p. 411. 'tu quidem videris maga quædam mihi et alte prorsus malefica.' Ex quibus locis, cum non nullo Ms. et Ed. Junt. post. ordinem mutavi, quum vulgo legeretur *ad maleficia magica.* J. B.

Desquamari] Onomast. vetus, 'Desquamo, 'Εκλεπίζω.' *Pric.*

Exdorsuari] Festus: 'Exdorsua, dorsum confringe; alii exime.' Nonnius: 'Exdorsuare, dorso nudare.' Vet. Onomast. 'Exdorsuo, 'Αποσοτίζω.' *Idem.*

Ad præscriptum opinionis et famæ] Id est, ut famam et opinionem hominum retinerent. *Scip. Gent.*

Remotis arbitris, secreto loco] Sequitur continuo, 'paucis consciis testibus:' non heic me extrico: puto locum in mendo esse. Si *remotis arbitris,* quomodo *testibus consciis?* Priceus. *Remotis arbitris* incantatus fuit, sed *paucis consciis testibus* corruit. Male etiam interpunctio se habet in Edd. quibusdam, et Florid. in interpret. τὰ *paucis consc. test.* prioribus junxit. Verum vidisse tamen videtur ipse Pric. citans Senec. de Ira III. 10. loquentem de Epilepticis: 'Vitaverunt turbam, et sine teste ceciderunt.' *J. B.*

Arula et lucerna] Scio, quid jam aliis notatum de aris Magicis, ex Virgilio, Flacco, Lucano, aliisque. Velim h. l. tamen legi *arcula.* Recte *lucernæ* junxit autem, et ex Magiæ ritu. Miles. III. de Pamphile se in avem plumatura. 'Jampridem' (lege

jamprimum) 'omnibus laciniis se devestit, et arcula quadam reclusa, pixides plusculas inde depromit, &c. multumque cum lucerna secreto collocuta, membra tremulo succussu quatit.' De *arcula* etiam Apollonius Argonaut. 3. Ἡ δὲ τέως γλαφυρῆς ἐξείλετο φωριαμοῖο Φάρμακον. . . . Vide quod discrimen statuat additamentum unius literulæ: quid momenti afferat vel apex unus repositus tempestive. En et Varronis locum in eadem voce corruptum: facilem emendatu fateor, at non ideo prætereundum. 'Ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, diripere incipiunt:' legendum *arca*. Pric. Adstipulatur nonnihil Ms. D'Orv. *acula*: et citat *arcula* h. l. Burm. ad Prop. IV. 5. 13. Non sequor tamen. Si locus secretus fuit, magicisque sacrificiis destinatus, ut perhibebant accusatores, *arula* deesse non poterat: sive capias de parva ara, sive, quod malim, de strue lignorum, quæ in sacris magicis fieri solebat, et quæ pro *ara*, ἐσχάρᾳ erat. cf. Heynius ad Virg. Æn. IV. vs. 504. *Arula*, pro acervo terræ, et alibi occurrit. *J. B.*

Carmine cantatum corruisse] Zonaras in Constant. M. Ζαμβρῆς παρὰ Ἰουδαίοις ἀνὴρ γόης βοῦν ἐνεχθῆναι ἠξίου διὰ τοῦτο λέγειν, μέλλων ἐνδείξασθαι τὴν δύναμιν τοῦ οἰκείου θεοῦ. προσηνέχθη ὁ βοῦς, πεπλησίακεν αὐτῷ, ὑπεψιθύρισέ τε εἰς τὸ οὖς, κἀκεῖνος μέγα τε καὶ γοερὸν μυκησάμενος, καὶ τρόμῳ συνδινηθεὶς, καταπέπτωκε. Dæmonas καταβολικοὺς habes apud Tertullian. lib. de Anima cap. 28. *Pric.*

Paucis consciis testibus corruisse] Seneca de Epilepticis, de Ira III. 10. 'Vitaverunt turbam, et sine teste ceciderunt.' *Pric.*

Progredi mendacio] Lactant. Divin. Instit. l. III. cap. 11. 'Quousque progredi fingendo liceat.' *Idem.*

Præsagium et divinationem] Non credo Appuleium ita argutatum fuisse, ut a *præsagio Divinationem* distingueret: quod ut fecisse eum concedamus, locus non sanus erit: scribendum supra enim *hæc emolumenta*: contra, si discriminis nil posuit, agnoscenda est inutilis quædam geminatio, quam profecto non possumus affingere ei citra noxam. Vide quas tricas incidis qui hæc perpendis: ego, quantum potest, extricabo te, quo te demerear. Dixerat Appul. ut impleretur accusatorum fabula, addendum etiam illud fuisse, puerum non tantum corruisse, sed etiam multa *præsagio* prædixisse; quippe hoc (inquit) emolumentum canticis acceptum ferimus. *Emolumentum* acceptum *Præsagium* esse, vel cæco apparet, quod tamen invidens oscitator quispiam, quum hæc percurreret, adscripsit Glossæ vice in marg. *Præsagium, Divinationem*: synonymis his, ut fieri amat, exponens rem unam. Ea imperitiores Librarii receperunt post in contextum, et ut Syntaxis quadantenus constaret, adjunxerunt σύνδεσμον. Nos, ut turbantia locum, expellenda censemus, vel enim quam longissime potest, ableganda. *Pric.* De Deo Socr. p. 692. Ed. Flor. 'non consilio, sed præsagio indigebat; ut ubi dubitatione claudicaret, ibi divinatione consisteret.' Et *divinationem* a *præsagitione* nihil differre arguit Cic. de Divin. I. 31. Quare et mihi verba illa *Præsagium et Divinationem* suspecta sunt. *J. B.*

Nec modo vulgi opinione, verumetiam doctorum virorum auctoritate] Supra eadem Antithesi: 'Tam rudes vos esse omnium literarum, omnium denique vulgi fabularum.' Gellius lib. II. cap. 18. 'Non modo his communibus hominum sensibus opinionibusque compertum non est, sed ne inter Physicas quidem Philosophias,' &c. *Pric.*

PAG. 474 *Verum adcuratissime doctum atque eruditum*] *Doctus* refertur ad disciplinas graviores, et solidam, ut ita dicam, perfectamque doctrinam. *Eruditus*, ad humaniorem lite-

raturam et elegantiam. Sic Sallustius L. Sullam 'Græce et Latine juxta atque eruditissime doctum dicit.' Cicero in Bruto, 'Literate doctus.' *Scip. Gent.*

Puerum, &c.] Græci ὑδρομαντείαν vocant. Plinius l. XXVIII. 'aqua tentare Deos.' Augustin. de Civit. Dei l. VII. c. 35. 'Nam et ipse Numa, ad quem nullus Dei propheta, nullus sanctus angelus mittebatur, hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes dæmonum, a quibus audiret quid in sacris constituere atque observare deberet: quod genus divinationis idem Varro a Persis dicit fuisse allatum.' Plinius l. ult. 'Anancitide in Hydromantia dicunt evocari imagines Deorum.' *Casaub.* Add. de divinatione in speculo, idem Casaub. ad Spartian. Julian. c. 7. *J. B.*

Simulachrum Mercurii] Nam Deorum imagines in aqua videri dicebantur vi Magica evocatæ, ut idem scribit lib. ultimo, cap. XI. [vid. sup.] 'Ananchitide in hydromantia dicunt evocari imagines Deorum: Synochitide umbras inferorum evocatas teneri.' Idem tradit D. Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei, cap. 35. de rege Numa: 'Hydromantiam facere compulsus est: ut in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes Dæmonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere, atque observare deberet, quod genus divinationis Varro a Persis dicit fuisse allatum.' *A Persis*, id est, ab Osthane, ut Plinius dicto lib. XXX. cap. 1. docet, ubi et Pythagoram in eas regiones hujus Magiæ discendæ caussa profectum dicit, ex quo forte Numa rex hausit, cujus dicitur Pythagoras familiaris et magister fuisse. Plura de his eruditissimus Casaubonus in Spartianum in vita Juliani, ubi κατοπτρομαντείας plures species enumerat, quibus omnibus species e levis tortisque corporibus reddantur, qualia enses lucidi, pelves, Cyathi, variaque genera speculorum; etiamque orbis Lunæ ad hanc insaniam advocatus a Thessalis sagis, in quo literas speculo inscriptas legerent. Spartianus: 'Et ea, quæ ad speculum dicuntur fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur.' Ubi idem vir doctissimus malit legere, *Res prospicere:* unde et 'providus puer' infra adpellatur. Sed nihil forte mutandum. Ita enim et Lucanus in hac re locutus est lib. VI. 'Mæstum fletu manante cadaver Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit, Respexi.' De his ego pueris Tertullianum loqui arbitror Apologetici XXIII. ubi scribit: 'Magi phantasmata edunt, etiam defunctorum inclamant animas, pueros in oraculum eloquii eliciunt, multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt.' Vide et memorabile Hydromantiæ exemplum apud Nic. Choniatem in imperio Andronici Comneni circa finem. *Scip. Gent.* *Puerum in aqua, &c.*] Specimen Hydromantiæ, de qua passim in Libris. Propertius: 'Umbraque quæ Magicis mortua prodit aquis.' Damascius apud Photium Cod. 242. Nicet. Choniat. lib. II. *Pric.*

Quum quingentos denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse] Ita loquitur, quasi non illicitum fuerit hoc tum divinationis genus, quum ad talem virum consultum venerint. Imperator Tiberius vetuit aruspices secreto, et sine testibus consuli. Suetonius in eo, cap. 36. *Scip. Gent.*

Indicasse ubi locorum defossa erat crumena] Varro in Fragmentis: 'Demonstratum præterea quo in loco defodisset aurum.' *Pric.*

PAG. 475 *A pedissequo*] Ex more honestiorum, de quo fuse et eleganter heic Casaubonus. Plautus Asinar. 'Ego bajulabo, tu ut Dominum decet, ante me ito inanis.' *Idem.*

In stipe Apollinis] Lego *in stipem:* hoc est, cum vellet stipem Apollini conferre: quod tamen apparet eum non fecisse, negotiis, credo, præter exspectationem impeditum. De stipe diis inferri solita quia notatum aliis, nihil dicam. Sed cur a pedissequo pecuniam accipit Cato? Quia olim moris non fuit ut viri honesti per urbem incedentes pecunias secum gestarent: quod si qui ad manum habere volebant, ut fere homines liberales et voluptuosi et ostentatores, pedissequorum ipsos comitantium id erat munus et onus. Inde illud est Theophrasti nostri περὶ ἀλαζονείας. καὶ τῷ παιδὶ μάχεσθαι οὐκ ἔχοντι χρυσὸν ἐν τῷ ἀκολουθεῖν. Plutarchus in Cimone, αὐτῷ νεανίσκοι παρείποντο νόμισμα κομίζοντες ἄφθονον, οἱ παριστάμενοι τοῖς κομψοῖς τῶν πενήτων ἐν ἀγορᾷ, σιωπῇ τῶν κερματίων ἐνέβαλλον εἰς τὰς χεῖρας. Mos est antiquissimus; nam apud Eustathium legere memini sub finem Iliadis, ex aliquo veteri scriptore, ἡ δὲ ἱστορία, ait, ἐπαινεῖ τὸν Πεισίστρατον, ἐπειδὴ περιήγετο ἀεὶ νεανίσκους δύω ἢ τρεῖς ἔχοντας κέρματα, ἐξ ὧν διδοὺς εἰσέφερέ τι καὶ εἰς ταφήν. Laërtius in Zenone ποιήσας δέ ποτε κοῖλον ἐπίθημα τῇ ληκύθῳ, περιέφερε νόμισμα, λύσιν ἑτοίμην τῶν ἀναγκαίων ἵν' ἔχοι Κράτης ὁ διδάσκαλος. Suave est quod ex eodem scriptore discimus, a delicatis quibusdam et voluptariis aliquando factitatum: ut si servi copia non esset, non solum ipsi nummos circumferrent, sed etiam in vicis et angiportis, aliisve locis publicis, occultatam pecuniam haberent, ibique servarent. Verba ejus de Polemone, νέος δ' ὢν, ἀκόλαστός τε καὶ διακεχυμένος ἦν οὕτως, ὥστε καὶ περιφέρειν ἀργύριον πρὸς τὰς ἑτοίμους λύσεις τῶν ἐπιθυμιῶν· ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς στενωποῖς διέκρυπτεν· ἀλλὰ καὶ ἐν Ἀκαδημίᾳ πρὸς κίονι τινί που τριώβολον εὑρέθη προσπεπλασμένον αὐτοῦ, διὰ τὴν ὁμοίαν τῇ προειρημένῃ πρόφασιν. Meminit et alibi idem auctor, aliique. Sed hæc præter institutum. *Casaub.* Flor. *in stipe.* V. Casauboni notas. *Elmenh.* Casauboni auctoritatem reliqui sunt secuti; sed adversantibus Mss. cunctis, qui cum Edd. vett. tenent *in stipe:* recte; monente Gronovio de Pec. Vet. IV. 11. quem vide. Cato fuit sacerdos Apollinis, et stipem a pedissequo quodam, religionis caussa, oblatam, dei sui nomine, accepit. Vel sic tamen rectum foret *in stipem.* Sed sequendi sunt Libri, et cf. Ind. v. *in.* Ms. D'Orv. *Apollonis.* J. B. *In stipem Apollinis*] Inscriptio vetus, APOLLINI SIANNO STIPE ANN. Varro de L. L. VI. 'Diis quum Thesauris asses dant, stipem dicunt.' Seneca de Benef. lib. VII. cap. 4. 'Omnia Deorum sunt, tamen Diis posuimus donum, et stipem jecimus.' De modo alicubi apud Græcos usitato, hæc Pausanias Achaic. Ἀφικόμενος δ τῷ Θεῷ χρώμενος τίθησιν ἐπὶ βωμὸν τοῦ ἀγάλματος ἐν δεξιᾷ νόμισμα ἐπιχώριον, καὶ ἐρωτᾷ πρὸς τὸ οὖς τὸν Θεὸν, &c. *Pric.*

De magicis pueris] Aldus, *de magicis et pueris*, male. Tertullianus Apol. cap. 23. 'Porro si, et Magi phantasmata edunt et jam defunctorum inclamant animas, si pueros in eloquium oraculi eliciant.' Saresber. Policr. lib. II. cap. 27. 'Dum enim puer ut psalmos addiscerem sacerdoti traditus essem, qui forte specularium magicam exercebat, contigit ut me et paulo grandiusculum puerum præmissis quibusdam maleficiis pro pedibus suis sedentes ad specularium sacrilegium applicaret, ut in unguibus sacro nescio oleo aut Chrismate delibutis vel in exterso et levigato corpore pulvis quod quærebat nostro manifestaretur indicio. Cum itaque prædictis nominibus quæ ipso horrore, licet puerulus essem, dæmonum videbantur, et præmissis adjurationibus quas Deo auctore socius meus se nescio quas imagines, tenuiter tamen et nubilosas, videre indicasset, ego quidem ad illud ita cæcus extiti,

ut nihil mihi appareret, nisi ungues aut pelvis et cætera quæ antea noveram. Exinde ergo ad hujusmodi inutilis judicatus sum, et quasi qui sacrilegia hæc impedirem, ne ad talia accederem condemnatus, et quoties rem hanc exercere decreverant, ego quasi totius divinationis impedimentum arcebar.' Vide Notas ad Gennadium p. 195. *Elmenh.*

Inter Deos atque homines, natura et loco medias quasdam Divorum potestates intersitas] In de Deo Socrat. 'Sunt quædam mediæ divinæ potestates inter summum æthera et infimas terras, in isto aëris spatio intersitæ.' Ibid. de iisdem; 'Inter nos ac Deos ut loco regionis, ita ingenio mentis intersitæ.' 'Secundæ Beatitatis Numina' Marciano Capellæ lib. II. Dissert. 27. 'Αθάνατοι δεύτεροι Max. Tyrio. *Pric.*

Easque divinationes cunctas, et Magorum miracula gubernare] Ibid. Noster: 'Per hos eosdem, ut Plato in Symposio autumat, cuncta denunciata, et varia Magorum miracula, omnesque præsagiorum species reguntur.' Nicephor. ad Synes. Μαγεία ἐστ' ἡ διὰ τῶν μέσων Δαιμόνων ἐνεργοῦσα. Minuc. Octav. 'Magi non tantum sciunt Dæmonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per Dæmonas faciunt.' *Idem.*

Delenimento] Ita Edd. Vic. Junt. post. quod invitis etiam Mss. rescribendum esse pro *delinimento*, monuit Oudend. ad Met. l. III. p. 192. b. ubi v. Ferri tamen posse h. l. puto *delenimento*, propter adjunctum *odorum*, i. e. unguentorum. In suis tamen Mss. *delen.* invenisse videtur Philom. Pisanus. *J. B.*

Pag. 476 *Sopore quodam futura rerum præsagire*] Cicero Cat. M. Xenophon. παιδ. VIII. Damascius apud Photium. *Pric.*

Verum enimvero utut ista sunt] Sic in de Deo Socratis lege, pro eo quod vulgo, *Verum enimvero ut ista sunt.* Idem.

Fides impertienda est] In de Syllogis. Categ. 'Fidemque illis ex se impertiant.' Et in de Deo Socrat. 'Religionum observationibus, et sacrorum suppliciis, fides impertienda est:' ubi Scaligerum *impetrienda* legisse aiunt, quod nollem factum. *Idem.*

Puer providus] Lego *puer probus*: providum enim et quod mox subjicitur, solertem esse, non videntur tam convenire, ut videlicet dicatur divina providentia in eo puero, tamquam in bonis ædibus diversari. Dicta hæc de puero, cujus opera usi in vaticinatione magici, de cujus habitu scribit Appuleius secundo de Asino: et meminit illius Lactantius Firmianus, lib. VII. cap. 15. In verbis reliquis, *in eo aut divina potestas*, visum mihi, τὸ *aut* minus sincerum: fortasse an mutandum in *autem*: quo modo supra hac oratione particula *vero* conlocabatur, his verbis: 'qui providentiam mundi curiosius vestigant, et impensius deos celebrant, eos vero vulgo magos nominant.' Pari phrasi apud Plinium non uno loco, nominatim lib. tertio, epist. octava: 'quare ego vero honestissimæ voluntati tuæ pareo.' *Stewech.* Levissimum mendum, virgula inter *puer* et *providus* interjecta quosdam impulit, ut locum sinistre acciperent, et emendarent scilicet. *Puer providus* dicitur ab Appuleio is, qui ad prævidenda et prædicenda futura adhibetur. *Casaub.* Male Stewech. *p. probus. Providus* est προγινώσκων, præscius. Miles. II. 'Diem commodum peregrinationi cupiens prævidere:' h. e. 'præscire.' *Pric.* Gruter. Suspic. Ined. l. XXII. c. 6. *providis*, pro, *a providis*. J. B.

Corpore decorus atque integer deligi] Plinius de Nerone lib. XXX. cap. 2. 'Sunt quædam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi Numina: forte hoc in illo, nihil membris defuit.' Imo et legitimis eorum

sacris mutilatio exclusa. Seneca in controvers. 'Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vocanda est:' (legebam *vitanda*) 'hoc in victimis notatur, quanto magis in Sacerdotibus!' Idem in Pontificio Christianorum Jure observatum etiam, Decretal. P. 5. Dist. 55. 'De corpore vitiatis,' h. e. quos sola mutilos voluntas fecit, at P. Eugenius etiam Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmæ a prædone abscissos cognoverat, omnino a celebratione Missæ arcendum censuit; 'quia nec secure' (inquit) 'propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus: cæteris autem officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibemus.' Decret. Greg. l. III. Tit. 6. de Cler. ægrot. *Pric.*

Si digne tamen, &c.] Concipienda *παρενθέτως*, quod miror indicasse neminem. Ratio autem verborum istorum non adeo in aperto est. Elevat, ni fallor, Appuleius puerilem *σμικρότητα*, quasi ineptam atque omnino indignam divino hospite. Pulchre etiam in sententiam hanc Anonimus Panegyristes: 'Non frustra doctissimi viri dicunt naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illo cælestis spiritus intrarit habitator.' Et Pacatus ad Theodos. 'Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo: sive divinus ille animus ventionis in corpus, dignum prius metatur hospitium, sive quum venerit, fingat habitaculum pro habitu suo: sive aliud ex alio crescit, et quum si paria junxerunt, utraque majora sunt.' *Idem.*

Aut ipse animus] Mss. Florent. Pith. D'Orv. *an ipse an.* Respondet præcedenti *aut*, ubi male Stew. *autem.* Hoc ait Auctor: Puer ille providus debet esse corpore decorus et animo sollers, ut, *aut* in corpore deversari divina potestas, *aut* animus ipse (ubi ἡ ψυχὴ, somno illo magico *αὐτὴ καθ' αὐτὴν συναγερθεῖσα καὶ ἀθροισθεῖσα*, futura præsagiverit) ad prævisorum memoriam prompte erigere se possit: præterea 'ore facundus,' ut prævisa bene possit enunciare. *J. B.*

Ad divinationem suam] Putabam verius *ad divinam naturam suam*, ut paullo ante, 'redigi ac redire ad naturam suam, quæ est immortalis scilicet ac divina:' sed nec vulgatum damno. *Casaub.* Conjecturam tamen antiquæ et scriptæ lectioni prætulerunt Scal. in Ed. Vulc. sec. Wow. Elm. Scriv. me non probante. Ubi per somnum, ait Auctor, puer futura præsagiverit, et animus, e somno illo expergitus, ad humani animi vulgarem conditionem redierit, eorum, quæ per somnum vidisset, statim oblivisceretur, nisi animo sollers esset puer. Sed ea animi præstantia requiritur, ut cito *ad divinationem suam*, i. e. ad ea quæ per somnum divinavit, præsagivit, reduci possit: quarum quidem rerum prævisarum notiones prompte ipsi insitæ facile resumi debent, ne oblivione ulla sauciæ et hebetes fiant, quemadmodum in rebus per somnum visis fieri solet; quo pertinet illud monitum somnii, Agamemnoni a Jove immissi, apud poëtam Il. β. vs. 33. *μηδέ σε λήθη Αἱρείτω, εὖτ' ἄν σε μελίφρων ὕπνος ἀνήῃ.* *J. B.*

Ex omni ligno] Euseb. de Præpar. Evangel. lib. v. Ὅτι δὲ καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτοὶ ὑπέθεντο πῶς χρὴ ποιεῖν καὶ ἐκ ποίας ὕλης δηλώσει τὰ τῆς Ἑκάτης, ἔχοντα τοῦτον τὸν τρόπον. *Colv.* *Non ex omni ligno debet Mercurius exsculpi*] Plinius lib. XVI. 'Quidam superstitiosius exquirunt materiam unde Numen exsculpant, et quanquam Priapus ille Deus facilis et crassus haud gravatur ficulnus esse, non tamen idem liceat in Mercurio, Deo tam ingenioso, totque prædito artibus.' Jamblich. Vit. Pythag. cap. 34. Τὸν μὲν γὰρ ἐκδομένου τινὸς Ἑρμῆν ζητεῖν ἐκ

τὴν διάθεσιν ξύλον ἐπιτήδειον. Hoc ξύλον ἐπιτήδειον Pausanias Arcadic. ait θύον esse, de quo Theophrast. Vid. lib. v. cap. 5. *Pric.*

Thallus] Nomen servile censeo *Thalus* scribendum. Lapis vet. D. M. TI CLAUDII AUG. LIB. THALETIS VINCIANI NOMENCLATORIS A CENSIBUS THALUS ET JANUARIA LIB. D. S. P. et in alio THALUSA LIBERTA. Vetus Epigramma: 'Liberta et conjunx Petronia cara Patrono, Thalusa hoc tumulo condita luce caret.' *Idem.* Est a Gr. Θαλὸς, quod et θαλλὸς scribitur. *Thalusa* a θάλουσα sive θάλλουσα. *Thalli* nomen frequens est in inscriptionibus et monumentis antiquis, per *ll.* adi Burmann. ad Anthol. Lat. lib. IV. Ep. 79. vs. 2. *J. B.*

PAG. 477 *Ut ter aut quater die corr.*] Loquitur de morbo comitiali, quem putabant a Luna immitti flagitiosis hominibus, unde et *sacrum* eum appellarunt. Aretæus Cappadox de diuturn. morb. causis pag. 40. Theophilactus in Matthæum c. 4. Theodorus Priscianus lib. XI. cap. 11. Cælius Aurelianus lib. I. c. 4. Celsus lib. III. c. 23. *Elmenh.* *Aut* non est in Pith. et calamo expunxit Salm. Infra p. 550. 'Ter et quater.' Horat. I. Od. 13. vs. 3. 'ter et quater.' Virg. Georg. I. vs. 410. 'Ter gutture voces Aut quater ingeminant.' *J. B.*

Q. in Th. despuant] Sic lego cum Florent. membr. Vulgati *despiciunt* habent. Vide Ind. *Elmenh.* Jam ante Elmenh. quem sequuntur Pric. et Scriv. in Ed. Junt. post. editum *despuant:* præclare. Membranis Florent. accedunt diserte Mss. Bemb. et D'Orv. quare depravatam veterem lectionem revocare non debuerant Flor. Edd. Altenb. et Bip. *Despiciant* (nam sic est in Ms. Pith. et Edd. vett. plerisque, *non disp.*) ortum vel ex scripturæ similitudine, vel ab interpolatore, qui nesciebat frequentem illum despuendi ritum. Sic *despuere* in *dispuere* et *dispicere* abiit in Mss. Prudentii Apoth. vs. ult. Id. contra Symm. vs. 580. 'Jovis infectam sanie non despuat aram.' De despuendi ritu in morbo comitiali vide dicta ad Plauti Capt. III. 4. 18. ibique cit. Casaub. ad Theophrasti Charact. c. 16. extr. add. Broukhus. ad Tibul. I. 2. 54. Pric. ad h. l. Plin. X. 23. extr. 'Comitialem propter morbum despui suetum.' *Quid in Thallo despuant*, i. e. quid sit illud mali in Thallo, quod despuendo avertere cupiunt. *J. B.* *Quid in Thallo despuant*] Morbum comitialem nempe. Plinius lib. XXVIII. cap. 4. 'Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus.' Plaut. Capteiv. 'Illic isti qui insputatur morbus interdum venit.' *Pric.*

Eodem poclo bibere] Lucillius apud Nonnium: 'Eodem poclo bibo, eodem amplector.' *Idem.*

Vos ipsi videtis] Quid videbant? Thallum certe non: nam ille non aderat. Num igitur, illum, multo prius quam App. Œam veniret, corruere solitum? Sed tum leg. *vidistis.* Quare rescribo, quod margini adlevit Salm. *vos ipsi, si audetis, negate, &c.* Primo omissum fuerat *si*, ob proxime præcedens *ipsi:* dein, ad aliquem eliciendum sensum, *audetis* mutatum in *videtis.* Alloquitur orator accusatores suos, non auditores. *J. B.*

PAG. 478 *Rus ablegatus in longinquos agros, ne familiam contaminaret*] Titinnius apud Festum: 'Rus detrudetur pedicosus squallidus.' D. Ambros. Apolog. David. c. 14. 'Plerique divitum amandare consueverunt mancipia sua, et per agellulos relegare.' *Pric.*

Corpore morbido] Νοσερῷ, Onomast. vet. *Idem.*

Cujus caput contingat] Profecto hic locus, si quis alius, observatione dignus: habet enim ritum quempiam in susurris Magicis instinguendis usitatum, ut a nullo Commentatorum expositum, ita reapse minus protritum. Fateor non incommode referri

posse ad προσεγγύσεις illas, quibus Magi ut plurimum carmina infundebant sua: ut ex Zonara superius adducto, Heliodoro lib. VI. aliisque conspecti nominis Scriptoribus haud incompertum est: imo (ut quod sentio dicam,) ita capiendum censeo: obiter admonebo tamen, sententiam hanc non eam esse, quæ etiam alius aditum præcludat prorsus. Oro, qui scimus an protensio manus designetur, necne? male non convenit certe τὸ *contingat:* quin et nescio quid legisse videor mihi apud D. Chrysost. in Act. Apost. ubi de pueri contacto capite disertim mentio; quod tamen loci hujus esse non affirmare ausim. Liber ad manum non est, eoque minus eum locum adduco: cæterum defectum ejus (idque ni fallor, prolixe) sarciam, adscripto alio necdum typis edito, in quo ejusmodi extensionis, charta inter digitos conclusa, ad quodcunque libido ferret instinguendum potentiam, planeque Diabolicam vim luculentissime expressam videas. Extat autem in Chronico Richerii Senoniensis Monachi, stilo rudiore scriptus, neque tantum temporibus iis, sed et nonnihil narrationis fidei consentaneo forsan. *Idem.* Sequitur narratio de Magistro Roberto, qui chartulam tanta arte composuerat, ut si eam capiti alicujus imponeret, quæcunque ille vellet, fateretur: qua Magister ille usus dicitur ad matronam, quæ ejus libidini obsequi nolebat, morti addicendam, ut quæ confessa fuerat, se e secta Hæreticorum esse. Detecta tamen fuit fraus ab ipsius matronæ filio, qui nefario Prædicatori chartulam de manibus excussit: quo facto meritas sceleris pœnas dedisse dicitur Magister Robertus. *J. B.*

Pulchro pallio] Non displiceat *puro pallio.* Vide Festum in 'pura vestiment.' *Casaub.* Adsentior doctissimo viro, qui *puro pallio* legit, ut intelligatur, quod Festus 'pura vestimenta' vocari dicit, 'non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculata:' qualia Sacerdotum erant. atque ita Lucius noster hic, 'quem quis sacrificio adhibent.' De Pallio Sophistico, quo Novitii Athenis amiciebantur, videndus Olympiodorus in excerptis Photii. Similis ritus in Germania, quæ Depositio Scholastica dicitur. *Sc. Gent.* Ed. Junt. post. jam dederat *puro*, quod addicit Ms. Pith. et auctore Casaubono amplexi sunt Wow. Elm. cum seqq. Pro *amiciat* Ed. Ven. *amiciatur.* Mox τὸ *speret* exsulat a D'Orv. pro quo. Bemb. *spectet.* J. B.

Oculos truces in te invertisset] Salvian. Massil. 'Vibrans in os meum truces oculos.' *Pric.* *Oculos t. i. t. i. faciem tuam spumabundus conspuisset*] Lucian. hoc ipso argumento in Φιλοψευδ. Τῷ ὀφθαλμῷ διαστρέφοντας, καὶ ἀφροῦ πιμπλαμένους τὸ στόμα. Gellius de irascente l. I. cap. ult. 'Oculi truces, os turbidum, et in spumam effervescens.' Nicander de intoxicato Ἀλεξιφαρ. Λοξαῖς δὲ κόραις ταυρώδεα λεύσσων, Θήγει λευκὸν ὀδόντα, παραφρίζει δὲ χαλινοῖς. *Idem.*

PAG. 479 *Caput succussisset*] In eadem re Seneca, de Ira III. 10. 'Memoria sublabitur, caputque versatur.' *Idem.*

Ejus ruina] Hac voce, hoc eodem argumento Sammonicus utitur cap. 58. 'Ipse Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.' *Idem.*

Gagates] Anshelmus Boëtius in historia gemmarum et lapidum lib. II. cap. 165. Ætius Tetrabibli primæ serm. II. cap. 24. 'Suffitus gagatis menses ac secundas detrahit, deprehendit item et arguit morbos comitiales. Gagates suffitu serpentes fugat, dæmonicos prodit, ac dæmonibus adversari creditur. Epileptici autem et morbo Comitiali laborantes, si suffitum ipsius olfecerint, extemplo morbo corripiuntur, ob id num liberati sint, nec ne, hac nota facile per-

cipitur. Contra nocturna terriculamenta, Ephialten, dæmonumque vexationes ac præstigia gestatus plurimum conducit.' *Elmenh.* Vide de Gagate et aliquoties cum eo confuso gangite lapide Salmas. ad Solin. pag. 178. seqq. Turneb. Advers. XVII. 15. Bersm. ad Lucan. VI. vs. 676. Gentil. ad h. l. *J. B.* *Quum incensus Gagates lapis, ut apud Physicos lego*] Libet de hoc lapide verba Henrici Huntingdonii Anglicanarum Histor. lib. I. in principio, in descriptione Britanniæ, adscribere: 'Gignit etiam lapidem Gagatem plurimum optimumque. Est autem nigrogemmeus, et ardens: igne adcensus serpentes fugat, attritu calefactus adplicita detinet æque, ut succinum.' Alius est lapis Achates, sive Agathes, in Sicilia, de quo Facellus lib. I. de Rebus Sicul. cap. 4. et Priscianus de situ orbis. *Scip. Gent.*

Cujus odore etiam, &c.] Optime heic locum habere possunt, quæ de pisciculo quodam supra Noster: 'Apud veteres Philosophos proprietatem hanc non reperio, quanquam omnium rarissima sit, et hercle memoranda.' *Pric.*

Venalitiis] Δουλοπρατηρίοις. Vide Pric. ad h. l. et VV. DD. ad Petron. cap. 29. ubi tamen dubitat Burm. an *venalitium* dici possit locus in quo vendebantur servi, et exponendum putat, turbam, gregem servorum venalium. *J. B.* *In venalitiis*] Scribend. per *c.* 'Venalicium' est 'forum venalium,' Δουλοπρατήριον. Venuleius. l. ult. § 2. de edilit. Edict. 'E venalicio novitiorum emptus.' Ulpianus autem l. v. § 1. de Jure delib. videtur posuisse id verbi pro *venalibus*: quam conjecturam nostram non respuet qui inspexerit locum, et in emendis speciosis mancipiis Romanorum luxus meminerit. Ab hujusmodi *venalibus* lios multi venalicii mercatores superarunt.' Inscriptio vetus:

L. VALERIVS.
ZABDAE. MERCAT.
VENALICI. L.

Onomast. vet. 'Venalicius, Ἀγοραστής.' Iidem et 'Venaliciarii.' Glossæ: 'Μεταβόλος, μεταπράτης ἀνδραπόδων, Mango, venaliciarius.' Aliæ: 'Venaliciarius, Σωματέμπορος.' *Pric.*

PAG. 480 *Piaculari sacro*] Ἀποδιοπομπήσει. In de Deo Socrat. 'Piacularibus sceleribus.' Isidor. 'Proculum, abominatio:' fors *Piaculum.* Idem.

Etsi nihil ad religionem suffragaretur] In verbis hæreo: nec scio an satis bene emendem *etsi nihil ad libidinem suffragaretur.* Sententiam facile video: quam iterum infra expressam video. 'Ceterum,' ait, 'nequeo in animum inducere tam stultum Æmilianum esse, ut arbitretur mihi literas pueri, et ejusdem accusatoris mei, obfuturas.' *Casaub.* Corrupte. Fortasse rescribendum, *nihil ad delationem suffragaretur.* Wower. *Libidinem.* Alii *delationem.* Flor. et Rom. *religionem*: quod retinet et explicat Scipio Gentilis. [vid. inf.] *Elmenh.* Nullus heic *libidini* locus, quod reponere Casaub. gestiebat: multo minus Wowerii conjecturæ, scribentis *delationem.* *Relligionem* signate dixit Noster, ut et alii sexcenti. Cicero: 'Habeo Judices, quem vos socium vestræ relligionis jurisquejurandi facile esse patiemini.' Tacitus: 'Securum adversus æmulos et relligione judicum meritam laudem assequuturum.' l. v. Cod. de Testib. 'Relligio judiciaria.' Δικάζοντος ἀγχίνοιαν καὶ θεοφιλίαν Harmenopulus vocat. Lib. I. Tit. 7. 'Fidem jurisjurandi' Phædrus III. 10. *Pric.* Excepta Vulc. sec. quæ Casauboni conjecturam, *libidinem*, expressit, Edd. habent *nihil ad*

me, v. Brisson. de V. S.) Locum hoc modo interpretatur Florid. 'cujus quamvis pueritia nihil conferret ad religionem movendam judici, accusatoris tamen persona, quam sustinet, detraheret ei fidem.' Jungerm. Ep. 31. inter Gudian. p. 364. pro *nihil* reponebat *mihi:* ut sit sensus, pueritiam Pudentis posse movere suspicionem de sacris magicis, quia enim ad sacra illa opus est pueris. Neutrum ab omni parte mihi placet: sed verissimam censeo lectionem, ad quam ducunt D'Orv. Pith. *refragetur*, quemadmodum mox etiam *deroget*, quod et Salm. scripsit in marg. Legendum itaque *nihil ad relig. refragaretur:* hoc sensu: Etiamsi ad testimonii religionem minuendam nihil faceret ejus pueritia, tamen vel propterea omnis ei fides deroganda, quia sustinet personam accusatoris, cui adversus reum testimonium dicere non datur. *J. B.* *Cujus pueritia, etsi nihil ad religionem suffragaretur, tamen adcusatio fidem derogaret*] Hæret vir doctissimus in verbo, *Religionem*, atque inclinat, ut legat, *ad libidinem.* Nihil mutandum est: etenim religionem Judicum intelligit, quam instruere testimonium pueri non potest, quum Pueri a testimonio dicendo arceantur in caussis, præsertim capitalibus; immo et minores XXV. annis. Neque puer solum Pudens, sed et inimicus et adcusator Appuleii; quæ altera caussa repellendi testis. Apuleius ipse infra utramque conjunxit, quum ait: 'Cæterum nequeo in animum inducere, tam stultum Æmilianum esse, ut arbitretur mihi literas pueri, et adcusatoris mei obfuturas.' Ubi et tertiam causam notes, quod literis, non voce testimonium dicat. At Divus Adrianus generaliter rescripsit, testibus se, non testimoniis credere. L. III. vers. divi. ff. de testib. Et Orator idem noster, infra alio loco: 'Cur autem testimonium ex libello legistis? Crassus ipse ubi gentium est?' Quartum etiam vitium in hoc testimonio notari potest, quod unius pueri, quum ne duorum quidem aut plurium idoneum sit. *Scip. Gent.*

Facilius fuit] *Facilius* hoc loco non εὐχερέστερον est, sed συμφερώτερον. Q. Cicero ad M. Fratr. de petit. Consul. 'Facile præceptum est ut quod acturus sis, id significes te studiose ac libenter esse facturum.' Varro de R. R. lib. II. 'Facile est quod habeant conservam in Villa.' Salvian. III. contra Avar. 'Facilius est heic deesse filiis quippiam, quam parentibus in futuro.' *Pric.*

Dementire] Vulg. *dementiri.* Sed Apologia II. 'sese mea Magia in amorem inductam dementire:' ubi in Rom. ed. *dementare.* Utrumque Veteribus usitatum repperias. Glossarium: 'Dementat, ἀφρονεῖ, ἀπορεῖ, ἀπογινώσκει.' Lucret. III. 'Dementit enim, deliraque fatur.' Tertull. de Anima: 'Nam et cum dementit homo, dementit anima.' Marcianus Capella l. VIII. 'Desipere vel dementare cœpisti.' *Colv.* Add. Haverc. ad Tertull. Apol. c. 23. *Dementire* videtur confirmari Mss. Florent. Sed Pith. et D'Orv. cum Edd. ante Colv. *dementiri.* J. B. *Tete ut ipsum diceres interfuisse, et ex eo sacro cœpisse dementire*] Venustam Ironiam! si finxisses (inquit) mentis invaletudinem, prospexisses melius tibi, aperuisses veniam calumniæ. Juvenal. Sat. II. 'Furor ipse Dat veniam.' Senec. Herc. Fur. 'Solus te jam præstare potest Furor insontem.' Salvian. Massiliens. 'Nulla res minus culpanda est quam amentia: voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur.' V. lib. IV. D. de in jus voc. Jul. Paul. Recept. Sent. Lib. v. Tit. de Injur. Et huc refer quæ de Octavio quodam narrat in Julio Suetonius, et de Druso Tacitus Annal. XVI. *Pric.* *Dementire*] V. Colvium, aut (qui eum exscripsisse videtur) Gentilem. Estne hoc novas observationes afferre, an

alienas recoquere? *Idem.*

Mendacium frigere] Κακοπρεπῶς· sic Græci suum ψυχρόν. V. Casaub. Not. ad Suetonii Claud. *Idem.*

Atque ita ad aliam speciem argumenti transgressus est] Cur autem speciem? immo eadem plane videatur, id est, de puerorum testimoniis: sed aliam dicit duabus de caussis: una est quod pueri isti, de quibus nunc loquitur, servi erant: altera, quod spe libertatis ad mentiendum erant confirmati. Species quædam Translationis Rhetoricæ hic notanda est; de quibus Quintilianus lib. III. et Alciatus, et Antonius Augustinus in libris Emendationum. *Scip. Gent.*

Ultro provoco] Plerique libri vulgati, *vitro provoco.* Refer ad clepsydram judiciariam. Suidas εἶτ' ἐφ' ὕδωρ. *Wower.* Alii *vitro prov.* Elmenh. Legi non nemo voluit, *vitro provoco:* namque quia res hæc acta est ad aquam. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! *Pric.* Merum est Typothetæ vitium in Edd. Ald. Bas. pr. *J. B.*

Pueros quos spe libertatis audio confirmatos ad mentiendum] Sisenna apud Nonnium III. Historiarum: 'Servulum ejus præmio libertatis inductum, cum tumultu conventum populum perduxit armatum:' scribebam, *conventum populi perduxe armatum.* Pric.

Pag. 481 *Postulo, et flagito*] Cicero pro Fonteio: 'Insector ultro atque insto accusatori: insector, inquam, ac flagito testeis.' Et pro Plancio: 'Etiam atque etiam insto, atque urgeo: insector, posco, atque adeo flagito crimen.' *Idem.*

Mea aqua ad hoc] Sic apud oratores Græcos: ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι λεγέτω. *Casaub.* D'Orv. non habet *ad.* J. B.

Mea aqua licet ad hoc utare] Demosth. κατ' Εὐβουλίδ. Εἴ φασί με τοῦτο ψεύδεσθαι, ἐπὶ τοῦ ἐμοῦ ὕδατος, ὅστις βούλεται, τ' ἐναντία μαρτυρησάτω. *Pric.*

Quid taces? quid contaris? quid respectas] Antea, 'Postulo, Flagito, ultro provoco,' dixit. Plane, ut Cicero in ea pro Plancio: 'Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam, atque etiam insto, atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen.' *Scip. Gent.*

Legibus delegata] Lib. IX. Cod. de Assess. 'Judicio, legibusque tradantur.' Sidon. lib. VII. Epist. 7. 'Seronatum Barbaris Provincias propinantem, non timuerunt legibus tradere.' *Pric.*

Duodecim Tabulis interdicta] Ammian. Marcellin. lib. XXVI. 'Filium suum venefico tradidisse, docendum artium nefariarum secreta, legibus interdicta.' *Idem.*

Ob incredundas frugum illecebras] 'Illecebræ' sunt 'Excantationes,' ut in verbis legis, 'Si quis alienas frugeis excantassit.' h. e. de loco suo carminibus pellexerit. D. August. de Civit. VIII. 19. 'Hac pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur.' Author Queroli: 'Messes hac atque illac transferunt diris tempestatibus:' obiter adverte etiam, quid sit *Incantare:* fruges necare nempe, facere ut arescant. De hoc maleficii genere capiendus Petronius: 'Florida Tellus Quum volo, spissatis arescit languida succis.' Et Ovid. 'Carmine læsa Ceres steriles vanescit in herbas.' *Idem.*

Cui non modo servorum, &c.] Casaub. ad Athen. XIV. 10. Elmenhorst. ad Minucium. *Idem.*

XVviri sacris fac.] Ironia: ut mox: 'ut video vos palæstritam, non magum accusatum venistis.' *Brant.*

Si conscientiæ nimis multi s.] Nihili lectio: puto scribendum, *si conscientia unius multi sunt.* Vocem *nimis* mutatum in *unius,* quæ dictio totidem apicibus constat: quamquam si quis utramque vocem censeat retinendam, non refrager. Ita legimus, *conscientia unius nimis multi sunt.* catum dic-

tum est nimis verum. *Casaub.* Leg. *si c. unius m. s.* Arguta sententia, quæ nulla est, ut nunc verba leguntur. Neque mihi constructionis raram faciem quis dicat. Ad Grammaticos abeat, qui hic offenditur. Eadem locutionis forma est, quæ sequitur: *XV. liberi homines, populus est; totidem servi, familia.* Recte ita lego. Sed amico meo videbatur, *Si conscientia nimis multi sunt*, i. e. si ipsa conscientia multorum instar testium est. Non hoc voluit Auctor. Sed, quorsum, inquit, tot servos conscios adhibuissem; cum si unus conscius sit, tantundem esse periculi videatur, ac si conscii multi sint? *Acidal.* *Conscientiæ nimis multi sunt.* Veterem hanc lectionem nihili esse pronunciaverat Casaub. quare deinceps editores, eo suadente, dedere *conscientia unius multi sunt*, quomodo legendum esse suspicatus quoque est Gruter. Suspic. Ined. XXII. 6. Equidem illud viris doctis non adsentio, et ne ferendam quidem eo sensu locutionem arbitror. Itaque restitui veterem lectionem, cujus sensus est: si nimis quam facile per tot servos res magica, quæ in occulto fieri solet, ad conscientiam, i. e. ad notitiam vulgi pervenire potest. Supra: 'Sciunt ergo aliquid quindecim servi, et occultum est? ... Alterum horum fatearis necesse est, aut illicitum non fuisse in quo tot conscios timuerim; aut si illicitum fuit, scire tot conscios non debuisse.' *Unius* tamen firmatur auctoritate Mss. Florent. et D'Orv. Sed *conscientiæ* servant Mss. quantum scio, O. Unde, ni fallor, clare patet, illud *unius* ex solita confusione τῶν *unius* et *nimis* ortum esse. Groslot. adlevit, *si conscientiæ unus multi sunt.* i. e. si ad rem divulgandam vel unus instar multorum est. *J. B.*

Quindecim liberi homines, populus est] Mirum hoc alicui videatur. Sed populum intellige, vicum, vel aliam exiguam multitudinem in unum locum jure congregatam. Sic Græcum Δῆμος accipitur. Tradit enim Aristoteles in libello de Poëtica δήμους ab Atticis vocatos esse, quos alii κώμας, seu vicos appellarent. et Festus, 'δῆμοι, apud Atticos, sunt apud nos pagi.' Non est autem absurdum, vicum quindecim tantum liberis hominibus constare, præsertim si solos patres familiarum eo nomine intelligamus; quibus alii multi subsunt. At Justinus lib. x. 'in tanto populo,' inquit; loquens de quinquaginta filiis. *Scip. Gent.*

Totidem vincti, ergastulum] Veteres glossæ: 'Ergastulum, τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται,' Locus in quo vincti operantur: de ergastulis servorum apud Romanos erudite, ut omnia, doctor noster J. Lipsius exposuit lib. II. Electorum, cap. 15. ubi locum hunc Appuleii citans, ait: Non sic tamen, ut dico, tres servi vincti Ergastulum confecerint: sed certo numero, quem acceptum referes soli Appuleio, quindecim, &c. Quod tamen de pleno legitimoque ergastulo dictum capio: quia alias scio, pœnalem illum carcerem stetisse numero minore. Ibidem servos ergastularios, ἁπλῶς vinctos nominatos docet: ut hic Appuleii locus etiam demonstrat, qui Milesia IX. pedes iis annulatos tribuit, quod catenæ, quibus ii adstricti, orbes e ferro essent, instar annulorum. Florus, 'catenatos cultores,' dicit. *Idem.*

PAG. 483 *An adjutorio*] Alii libri *auditorio*, credo parum visam Latinam vocem Taciti, Suetonii, et Senecæ, *adjutorio.* Aut illi certe lolio victitabant qui hæc corruperunt: 'tenere hostias' dictum ut ab Epicteto apud Arrianum περὶ τῶν μαντευομένων quodam loco, κρατεῖν τὰ σπλάγχνα. nam idem ritus ab utroque intelligitur. Hostiarum lustralium in magicis sacris meminit Tibullus, 'Et me lustravit tædis, et nocte serena Concidit ad Magicos hostia pulla deos.' *Ca-*

saub. Fulv. Rom. et Flor. *adjutorio.* Elmenh. Excerpt. e vett. Gloss. 'Adjutorium, βοήθεια.' *Pric.* *Auditorio* male editum in Edd. Ald. Junt. post. Colv. Vulc. pr. et paucis aliis vett. Quod, licet jam monitum a Casaub. mireris iterum intrusum ab Elmenh. et Scriv. contra Mss. O. Auditorum non est hostias lustrales tenere, sed adjutorum. De τοῦ *adjutorium* frequentiori apud Latinos auctores usu, quam vulgo putatur, vide Tennul. ad Front. Stratag. IV. 7. § 31. et Oudend. ad ejusd. l. II. 5. § 11. *J. B.*

Grana th. numerarent] Invitis libris et Interpretibus omnibus lego *mundarent.* Eunapius pari argumento λιβανωτοῦ χόνδρον καθαρίσας. Marcian. Capella vocat 'Aroma præparare.' Cum hæc satis dixi, cape et Petronii illa: 'Ut solvit ergo licio pannum, partem leguminis super mensam effudit, jussitque me diligenter purgare.' Loquitur de maleficio: nil certius lectione nostra. *Pric.*

Perductam] D'Orv. *productam.* cf. Met. lib. II. pag. 146. b. coll. lib. VIII. pag. 576. a. et lib. XI. pag. 782. b. *J. B.*

Ejusdem Thalli valetud.] Latinitatis ratio postulat, *Thallo:* genus loquendi est translatitium et jam pueris notum: in libello tamen de Deo Socratis ita emendandus venit locus quem corruperunt, qui similem huic φράσιν non intelligebant. 'Socrates, sicubi locorum aliena sapientiæ officiis consultatio ingruebat, ibi sui dæmonis præsagio regebatur:' hodie legitur, *alienæ:* nullo plane sensu: separat officia sapientiæ, a divinatione. Sic paullo ante, 'sicubi tamen interfectis sapientiæ officiis, non consilio, sed præsagio indigebat.' Quo loco anceps animi sum, dixeritne Auctor, *interfecta sapientiæ officia,* ut Plautus, 'occisa hæc res Est:' an potius legendum *interfectis,* vel *interceptis.* Casaubonus. Scal. in Ed. Vulc. sec. et Wow. fidenter dedere *Thallo.* Frustra. 'Eadem Thalli valetudo,' i. e. eadem valetudo, quæ est valetudo Thalli. Genit. *Thalli* non regitur a τῷ *ejusdem,* sed a nomine *valetudo.* Pro *pollic. sim* Pith. *poll. sum.* J. B.

Themison medicus, a quo mulier ad inspiciendum perducta est] Id est, ut inspiceretur, antique. Sallustius: 'Quo cum Tisidius ad imperandum vocaretur,' id est, ut imperium acciperet, pareret. Cicero: 'Ades ad imperandum: sic enim Veteres loquebantur.' Idem in Jure nostro Duarenus annotavit, licet quidam dissentiant. *Scip. Gent.* *Ad inspiciundum*] Sic etiam Plautus Pers. 'Morbum inspicere:' Valerius 'caussam inspicere,' et Petronius 'querelam.' Cicero pro Flacco: 'Vos oro, Judices, et obtestor, ut totam caussam quam maxime intentis oculis, ut aiunt, acerrime contemplemini.' *Pric.*

Nimis inquietam] Lat. Latin. *minus quietam.* Frustra. *Nimis,* i. e. valde: ut sæpe. V. Ind. Capitol. in Gord. Jun. c. 18. 'Sereno Sammonico nimis acceptus et carus usque adeo, ut,' &c. id. in Maxim. et Balb. c. 6. 'ad rem Veneream nimis rarus.' Treb. Poll. 30. Tyr. c. 9. 'Nimietas crudelitatis.' *J. B.*

Discessisse] Sic Mss. Pith. D'Orv. cum Edd. ante Colv. qui cum seqq. dedit *decessisse.* Utrumque notat *abire.* Sed absolute, non addito casu, aut loco e quo sive ad quem abitur, Appul. utique semper utitur verbo *discedere.* V. Met. I. p. 48. et 79. II. p. 101. 105. 106. et 115. III. p. 195. et 208. IV. p. 277. V. p. 326. VI. p. 407. VII. p. 458. et 462. IX. p. 604. X. p. 704. et 747. XI. p. 790. de D. Plat. lib. I. p. 582. Ed. Flor. Sed *decedere,* vel est, locum alii cedere, ut Met. lib. I. p. 70. lib. XI. p. 766. vel cum casu aliquo jungitur, ut 'decedere mensa,' Met. l. IV. p. 287. cf. II. p. 95. vel additur locus, e quo sive ad quem abitur: ut 'decedere

ad somnum' Met. l. v. p. 329. 'decedere e triclinio' Met. l. x. p. 715. *Idem.*

Sedulo impresentiarum, a laudibus tuis tempero] Eodem artificio III. Floridorum: 'Metuo quidem, Scipio, quoniam laudes tuas attigi, ne me impresentiarum frænet vel tua generosa modestia, vel mea ingenua verecundia.' Simillime libro IV. etiam, ad Pop. Carthag. 'Facilius laudes vestras alibi gentium quam apud vos prædicarim; ita apud vos cuique modestia obnoxia est, apud extrarios autem veritas libera:' male se habet locus, Brantius tentabat, *Ita apud vos utique modestia o. e.* melius (aut fallor) ego, *Ita apud suos cuique, &c.* Pric.

Quæsisti tu, &c. quod mihi emolumentum fuerit incantandi] Infra: 'Respondeat Æmilianus aut Ruffinus, ob quod emolumentum, etsi maxime Magus forem, Pudentillam carminibus et venenis pellexissem.' Cicero pro Roscio: 'L. Cassius ille, quem Pop. Romanus verissimum et sapientissimum Judicem putabat, identidem in caussis quærere solebat, cui bono fuisset; sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.' Fulgent. I. Mythol. 'Ubi emolumentum deest negotii, causa cessat inquiri.' Lysias Λόγῳ Ἀρεωπαγ. Πάντες γὰρ ἄνθρωποι τὰ τοιαῦτα οὐκ ὕβρεως ἀλλὰ κέρδους ἕνεκα ποιοῦσι· καὶ ὑμᾶς εἰκὸς οὕτω σκοπεῖν, καὶ τοὺς ἀντιδίκους ἐκ τούτων τὰς κατηγορίας ποιεῖσθαι, ἀποφαίνοντας ἥτις ὠφέλεια τοῖς ἀδικήμασιν ἐγένετο. Miles. III. Noster: 'Vel certe ulla præda monstretur, cujus cupidine tantum flagitium credatur admissum.' *Idem.*

Pulchre ac perseveranter tertio quæsivisti] Hæc est *Solertia* illa *percontandi* quam supra laudat: quæ tamen Judici an permissa, disceptant quidam. Phavorinus apud Gellium l. XIV. c. 2. 'Atque illud amplius ambigi ac dubitari scio, debeatne Judex inter cognoscendum ea quæ dicto quæsitoque opus est, dicere et quærere, etiamsi cujus ea dici quærique interest, neque dicat, neque postulet; patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt, non judicare.' Locus est perquam luculentus, et omnino dignus qui inspiciatur, plura enim quæsita habet super Judicis officio. *Idem.*

PAG. 484 *Expediant*] Met. lib. III. pag. 190. 'imaginis rationem idoneis verbis expedire.' *Expedire* est rem impeditam et intricatam, ut sunt caussæ, cur quæque facta sint, explicare. cf. Græv. ad Justin. XLIII. 1. Oudend. supra ad Met. VI. p. 399. a. *J. B.*

Neque culpæ, &c. confinem] Savar. ad Sidon. lib. I. Epist. 6. *Pric.*

Admonendus es mihi, non docendus] Fabius lib. IV. cap. 1. 'Heic est admonendus Judex, illic docendus.' Gellius lib. XVI. cap. 8. 'Sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.' Idem lib. ult. cap. ult. 'Ut ea non docendi magis quam admonendi gratia scripta existiment.' Hyginus Poët. Astron. 'Scripsi ad te, non ut imperito monstrans, sed ut scientissimum commonens.' *Idem.*

Timæo] Non longe a fine operis. *Colv.* *Plato, &c. cælesti quadam facundia*] In de Deo Socratis: 'Plato cælesti facundia præditus, æquiparabilia Diis immortalibus disserens.' Minuc. Octav. 'Platoni apertior de Deo, ac rebus ipsis, et nominibus oratio est, et quæ tota esset cælestis, nisi persuasionis civilis admistione nonnunquam sordesceret.' *Pric.*

Caussam morborum omnium trifariam percenset] Videtur Plato hac in re dissentire ab Hippocrate et Galeno, et ita ego accepi. Sed contra revocat me idem vir doctissimus Ficinus, ita scribens eodem loco: 'Distinguit quoque morborum, tum aliorum, tum febrium species, singulorumque rationes adsignat. Quales esse potissimum rationes, quas apud Galenum Platonicum legi, jamdiu existimavi,

ac nuper a Georgio Cyprio, insigni medico, sum in sententia confirmatus. His enim diebus quum ad me curandæ matris meæ gratia frequenter adcederet, meque reperiret hæc ipsa legentem, miro quodam ordine Galeni mentem cum Platonica mente conjunxit.' *Scip. Gent.* *Trifariam percenset.* Postremo tertiam speciem item tripartito dividit; alios enim morbos a spiritu, alios a pituita, alios a bile fieri; quas singulas caussas ordine deinceps explicat. Appuleius ita interpretatur, 'Concrementa varii fellis' (χολῆς) 'et turbidi spiritus' (πνεύματος) 'et pinguis humoris' (φλέγματος). Ubi notandum est, quæ vocabula simpliciter et sine ullo adjecto Plato posuit, ea Appuleium epithetis vestivisse; ut quæ ille prolixius exponit, ipse quodammodo explicaret. *Idem.*

PAG. 485 *Modo excessit*] Vera et antiqua scriptura *modum excessit.* Wower. Lege *modum.* In de Dogm. Plat. 'Cum valetudinis portio procurata salubriter, modum necessarii victus nescit excedere.' *Pric.* 'Excedere numerum' dixit App. Met. lib. III. Imo vix Latinum videtur *excedere modo.* Consensus tamen Mstorum O. et Edd. ante Wower. nonnihil suspicionis movet: nisi fraudi fuerit librariis sequens *loco.* An *excedere modo* dictum, ut 'excedere urbe?' licet simile exemplum non noverim. *J. B.*

Concreta ex simplicibus elementis, una tamen specie coaluerunt] 'Partes consimiles' vocat cit. libro. *Pric.*

Ossi] Sic Mss. Florent. et D'Orv. quem duorum summæ auctoritatis Codicum consensum adeo non pro nihilo habendum putavi, ut sic restituerim pro vulgato *ossis.* Amat Noster ἀρχαΐζειν, et *ossum* Antiqui dixere pro *os.* V. Voss. de Anal. II. 13. Alii posterioris ævi scriptores sæpe usurparunt *ossuum.* Vid. Prudent. peristeph. vs. 533. et Burm. ad Anthol. Lat. *J. B.* *Visceris et ossis*] Eod. lib. 'Visceribus ossa sunt tecta.' Miles. VIII. 'Suisque visceribus nudatis ossibus.' *Viscus* pro *carne* accipit. Miles. II. 'Viscus fartim concisum:' inde 'Visceratio, κρεανομία,' vet. Onomast. *Pric.*

Pinguis humoris] Sic φλέγμα vertit. Magna autem elegantia et perspicuitate Appuleius, quæ plurib. verbis et obscurius a Platone dicta sunt, paucis exprimit. Studiosi locos comparent. *Casaub.*

Quorum e numero præcipua sit materia morbi comitialis] Τὸ, *Quorum*, referendum est ad verbum *Concrementa*, vel ad omnes illas tres caussas, quas dixi: omnes enim in morbum comitialem concurrunt, spiritus, pituita, bilis; ut intelligi potest ex loco Platonis, quem hic Appuleius ad verbum pæne vertit: τὸ δὲ λευκὸν φλέγμα διὰ τὸ τῶν πομφολύγων πνεῦμα χαλεπὸν ἀποληφθὲν, ἔξω δὲ τοῦ σώματος ἀναπνοὰς ἴσχον, ἠπιώτερον μὲν, καταποικίλλει δὲ τὸ σῶμα, λεύκας, ἀλφούς τε καὶ τὰ τούτων ξυγγενῆ νοσήματα ἀποτίκτον. μετὰ χολῆς δὲ μελαίνης κερασθὲν, ἐπὶ τὰς περιόδους τε τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ θειοτάτας οὔσας, ἐπισκεδαννύμενον, καὶ ξυνταράττον αὐτὰς, καθ' ὕπνον μὲν ἰὸν, πραΰτερον, ἐγρηγορόσι δὲ ἐπιτιθέμενον, δυσαπαλλακτότερον, νόσημα δὲ ἱερᾶς ὂν φύσεως, ἐνδικώτατα ἱερὸν λέγεται. *Scip. Gent.*

Inimico igni colliquescit] Eadem sententia et loquutione Laberius apud Nonium corrigendus: 'Figura humana inimico ardore ignescitur:' vulg. *inimici.* Forsan et Noster emendandus IV. Miles. legitur concinne minus, 'Flagrantia Solis inimici,' scripserim ut supra utrobique, *inimico.* Pric. Nescio ubi. *J. B.*

Spiritum indid.] Scribo, *spiritu ind.* Quod ita esse debere, arguit locus Platonis, quem modo citavi. [Vid. Not. Scip. Gent. sup.] *Colv.* Plato πνεῦμα ἐγγενόμενον. *Casaub.* Colvio adsensum præbuere Cas. Wow. Gent. Pric. Flor. et probat eam emendatio-

nem Ms. D'Orv. et sensus e Platone expressus. Caro liquefacta comprimit aërem: hinc oritur 'turbidus spiritus, πνεῦμα.' Antea edebatur *spiritum*, quomodo exstat in Mss. Florent. Pith. Hinc Vulc. in marg. *spirituum*, receptum ab Elmenh. et Scriv. quo sensu nescio. In Ms. Pith. (aut D'Orv. nam non liquet) pro *parto* est *pario*. Lat. Latin. emendavit *spiritum ind. parit, et ex, &c.* quod non displicet. *J. B.*

Ex candore, &c.] Locus bifariam corruptus. scribe *calore*, inde enim spuma. Ennius apud Macrob. 'Spiritus ex anima calida spumas agit albas.' Sic apud Nostrum lege: dico *spumida tabes*, non *tumida*. Supra proxime, 'Humorem crassum et spumidum.' *Pric.* Non persuadet mihi Pric. quem transcripsit Florid. edens *calore*. *Candor*, pro calore et æstu, exemplo non caret: eamque vocem hic præoptavit Auctor, quia conjunctam habet albedinis notionem. 'Aër fervoribus ustus Canduit,' dixit Ovid. Met. I. vs. 120. Vulc. in marg. una voce legit *excandore* pro 'inflammatione.' *J. B.* *Albida*. Vet. Onomast. 'Albidus, Ὑπόλευκος.' Gloss. vett. 'Ὑπόλευκος, subalbus.' *Pric.* *Ex candore compressi aëris albida*. Albidam et tumidam tabem fluere in hoc morbo ex candore compressi aëris, vel potius ex spiritu, qui ex illa spumida carnis colliquatione existit. Nec id mirum, quum caro natura sua sit alba. Quod apparet ex eo, si sanguinem expresseris, aut eam abluas. Et signate Appuleius, 'spumidum humorem' hunc dixit; omnis enim spuma albescit; omnisque conclusus aër albidus est, præsertim a pituita alba generatus, ut docet Galenus III. Symptom. cap. 2. *Scip. Gent.*

Majore dedecore quam noxa diffunditur] Efficiendo vitiliginem. Lucilius; 'Hæc odiosa mihi est vitiligo, non dolet.' Celsus lib. V. cap. ult. 'Vitiligo quamvis per se nullum periculum afferat, tamen fœda est.' *Pric.*

Pectoris enim] Lego *Corporis*. Plato enim, καταποικίλλει τὸ σῶμα, non τὸ στῆθος. neque autem dicat aliquis ita fortasse legisse Appuleium: sequitur namque, 'levi turpitudine corporis compensat.' Deinde quo auctore tueri aliquis possit propriam sedem vitiliginis et similem ἐξανθημάτων esse pectus? *Casaub.* Lege cum Casaubono *corporis*. Elmenhorstius. Casaub. *corporis* legit, quia Plato σῶμα, non στῆθος. etiam infra Noster: 'Levi turpitudine corporis compensat.' Graviter et ingeniose hæc: non tamen a vulgatis recedo. *Pectus* pro *corpore* positum non semel repperi. Nævius apud Gellium lib. XX. cap. 7. 'Corpore, pectoreque undique obeso.' Vetus Epigramma: 'Cur tua fœmineo cæduntur pectora socco?' Et in alio, de Pantomimo: 'Mascula fœmineo derivans pectora flexu:' (ut legend. e Ms. Salmasii cod. supra monitum.) Claudianus, 'Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno, Pectore sopito reddit amica quies:' adde et emenda Lucretium: 'Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat, Clunibus ipsa viri Venerem si læsa' (vulg. *læta*) 'retractet, Atque exossato ciet omni pectore fluctus.' Eadem Græci enunciatione στέρνον ponunt. Euripid. Phœniss. Ἄρην δ' Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει. Scholiastes: τὸ στέρνον ἀντὶ τοῦ ὅλου σώματος εἶπεν. *Pric.* *Pectus* et *corpus* in Mss. confundi solent. cf. ex. gr. Virg. Æn. II. vs. 474. Hic tamen contra omnes Mss. et Edd. alterum pro altero non mutandum; neque etiam *pectoris* de universo corpore h. l. intelligam: Poëtica illa vocis significatio in hujus loci seriam disputationem vix cadit, licet poëticum quid sonet sæpe App. Platonis locum amplificavit Noster, et ad suam medicæ artis cognitionem, paululum auctiorem reddidit. Licet totum corpus commaculetur, tamen

primo loco et præcipue pectoris cutem vitiligine insigniri ait: quod an recte dixerit, videant medici. *Enim* non est in D'Orv. *J. B.* *Pectoris enim primorem cutim.* Plato, ἔξω δὲ τοῦ σώματος ἀναπνοὰς λαχόν. Ficinus, 'ad exteriorem cutim delapsa.' Vocat *exteriorem*, quam Appuleius, *primorem*. Sed cur adjecit *pectoris?* quasi non et facies ipsa commaculetur vitiligine ista, vel, ut ipse loquitur, insigniatur. An pectus pro toto corpore posuit, ut Latini faciem pro totius corporis forma dicunt, non pro vultu atque ore, ut Gellius alicubi docet? nisi, *corporis* hic legendum sit. *Primorem*, autem, sive *exteriorem*, erudite dixerunt, quia vitium cutis vitiligo est, raro et leviter tangit subjectam carnem; eaque duplex, alba a pituita, nigra a melancholia. Utraque cutim squamosam reddit, et, si altius serpat, ex alba vitiligine fit lepra, λεύκη, ex nigra, elephantiasis: ut docet Galenus lib. III. de Symptom. caussis cap. 2. In veteri Glossario scriptum est, λέπρα, λειχήν. Item, *impetigo*, λιχὴν, λεπρός. Appuleius eam tantum vitiliginem hic intelligit, quæ primorem, ut ait, cutim attingit, proprieque Vitiligo adpellatur, non etiam quæ altius in carne insidet, id est, Leucen, quæ et ipsa Vitiligo dicitur. Tria enim Vitiliginis genera, Corn. Celsus lib. v. extremo, Ἄλφος, in quo color albus est, fere subasper, et non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ videantur. Μέλας, quod solo colore ab alpho distat, utpote nigrum et umbræ simile. Λεύκην magis quam Alphon, albescens et in carnem altius descendens, eoque et pilos albos reddit, et lanugini similes. *Scip. Gent.*

Pag. 486. *Sed cui hoc usu venerit, numquam postea comitiali morbo attentatur*] Id Plato reticet. At contra Plato non solum vitiligine corpus commaculari dicit, sed illud præterea addit, alios cognatos morbos inde generari, quod Appuleio omissum: aut certe Platonis mentem sic est interpretatus, ut aliorum morborum successu comitialem morbum penitus extingui putaverit. Sed repugnat, quod mox ait, 'ita ægritudinem animi gravissimam levi turpitudine corporis compensat.' Ut adpareat ex illis caussis nullum existimavisse alium morbum oriri. Quod notandum est, ne in eo, qui aliena interpretatur, semper eadem, quæ auctor ejus dicit, requiramus. Idque ipse etiam Appuleius de se profitetur supra, quum ait de libris quibusdam Aristotelis; 'Et in omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere.' Quod in hoc loco Platonis interpretando insigniter præstat: adeo omnia mutat pro arbitrio. *Idem.*

Pernicioisa illa dulcedo] Immo potius *albedo:* quod postulat Plato. *Colv.* Vere emendatum Colvio, cum in omnibus libris legeretur *dulcedo*. Platonis illa exprimit: τὸ λευκὸν φλέγμα ἀποληφθὲν μετὰ χολῆς μελαίνης κερασθέν. *Casaub.* Rom. et Flor. *dulcedo.* Colvius *Albedo*, quod probat Casaubonus. *Elmenh.* Si locus indiget conjectura, mihi præ Colviana placeret emendatio Vulcanii, in marg. quam expressere Scal. ac Wow. *mucedo:* ut quæ propius insistit antiquæ lectioni. Interim tamen ἐπέχω, et cum Elmenh. et Scriver. retineo cum Mss. O. et Edd. vett. *dulcedo:* licet non clare perspiciam, quid hac voce voluerit Auctor. cf. tamen comm. Gentil. *Albedo* dedere Casaub. Gent. Pric. Flor. *Albidus* et *subalbidus* frequenter de sanie et pure usurpat Cels. v. 26. ubi observandum tamen, quod et puris et saniei species eo minus esse perniciosas docet, quo albidiores. cf. totum cap. *J. B.* *Perniciosa illa albedo*] Ita Colvius emendavit, adsentiturque Casaubonus: quod ita exprimantur illa Platonis: Τὸ λευκὸν φλέγμα ἀποληφθὲν μετὰ χολῆς μελαίνης κερασθέν. ego, *Dulcedo* (quæ vox in omnibus libris legitur) retinendam

censeo: nec video, quomodo recte dicere potuerit Orator noster, *Albedo*, pro alba pituita, λευκὸν φλέγμα, præsertim quum sit color nullius rei efficiens caussa. At contra, *Dulcedinem*, vocat, quod supra dixerat, pinguem humorem: pinguia enim dulcia plerumque esse, nemo nescit. Repugnat tamen, quod mox Plato quasi concludens hunc locum dicit, φλέγμα δὲ ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν πήγη πάντων νοσημάτων. Nisi dicas, Appuleium ad colliquationem illam carnis, quam supra describit, respexisse: eamque dulcem existimavisse. Mira certe est in hac interpretatione Appuleii solertia, nam et quæ Plato de secunda specie morborum dicit, ea Appuleius in tertiam transtulit. Ita enim Plato in secunda specie principali loquitur, Ταύτην πᾶσαν τηκεδόνα ἁπαλῆς σαρκὸς μετὰ πνεύματος ξυμπλακεῖσαν, λευκὸν εἶναι φλέγμα φαμέν. Colliquationem carnis hic aperte vides: et quod ait Appuleius, 'inimico igni conliquescit,' id Plato paulo superius dixerat, ὅταν νέα ξυντακῇ σὰρξ ὑπὸ τοῦ περὶ τὴν φλόγα πυρός. Quod item Appuleius humoris crassi mentionem facit, id Hippocratis vel Galeni sententiæ ea parte convenire videtur. Ita enim Galenus lib. III. de locis affectis 7. et II. de Symptom. Caussis, et II. Aphorism. 45. caussam morbi comitialis facit crassum humorem et lentum, ventriculos cerebri obstruentem, eumque humorem vel pituitam esse dicit, vel melancholiam. Quorum utrumque Appuleius hic conjungit, et epilepsiam conciliari dicit, simul ac in spiritum conversa fuerit: eamque Appuleii sententiam defendunt contra Galenum clarissimi nostra tempestate Medici, Rondeletius cap. de Epilepsia, Fernelius II. de abditis rerum caussis. II. ex Averrois III. collectaneorum cap. ult. Aiunt enim, tenuem, fumosum, acrem et mordicantem spiritum ex tali materia, qualem hic Appuleius noster describit, excitatum stimulare cerebrum, ceu principium nervorum et motus, unde illa membrorum existit laboriosa commissio. *Scip. Gent.*

Intus cohibita, et atræ bili sociata] Alcinous: Εἴσω δὲ κερασθὲν χολῇ μελαίνῃ, τὴν καλουμένην ἱερὰν νόσον ἐπάγει. *Pric.*

Venis omnibus furens pervasit, deinde ad summum caput viam molita, &c.] Recte, et pro Philosopho, vel enim et Medico disputatum. Philostrat. Ἡρακλ. μαινομ. Icon. lib. II. Καὶ ἀνοιδοῦσιν αἱ περὶ αὐτὸν φλέβες, δι' ὧν ἐς τὰ καίρια τῆς κεφαλῆς ἀναῤῥεῖ πᾶσα χορηγία τῆς νόσου. quæ sint τῆς κεφαλῆς καίρια, ego hercle non plus intelligo, quam quod ibidem Interpres reddit, 'capitis lethalia:' olim fortasse discam, interim χωρία legam. *Idem.*

Verticem hominis velut arcem et regiam] In de Dogm. Platonis: 'Rationabilem, id est, mentis optimam portionem, hanc ait capitis arcem tenere.' Ibid. 'Machinamenta quibus ad sentiendas dijudicandasque quantitates et qualitates sensus instructi sunt, erga regiam capitis constituta esse.' Oppido venusta est assimilatio ista, nos ideo eam firmabimus ex aliorum scriptis. Priscian. 'Erit nobis de capite tanquam ex arce, ad reliquam corporis curam descendendum.' Seren. Sammonicus: 'Principio celsa de corporis arce loquamur.' Idem de oculis: 'Quos quasi custodes defensoresque periclis, Prospiciens summa Natura locavit in arce.' Cicero Natura Deo. II. 'Sensus interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce,' &c. Minuc. Octav. 'Et omnes cæteri sensus velut in arce compositi.' Manilius: 'In arcem Erectus capitis.' Claudianus: 'Capitis fundavit in arce.' Lactantius: 'In summo capite collocata tanquam in arce.' Pauca etiam e Græcis cape. Philostrat. Herc. et Pigm. Οἱ δὲ τῇ κεφαλῇ προσ-

μαχόμενοι, &c. καρτερωτάτου αὐτῆς τούτου δοκοῦντος, ἐπάγουσι καὶ οἷον ἀκροπόλει μηχανάς. Gregor. Nyssen. περὶ κατασκευ. ἀνθρωπ. Οἱ δὲ τὸν ἐγκέφαλον ἀφιεροῦντες τῷ λογισμῷ, ὥσπερ ἀκρόπολίν τινα τοῦ παντὸς σώματος τὴν κεφαλὴν δεδομῆσθαι παρὰ τῆς φύσεως λέγουσιν. Theodoret. περὶ προνοίας. Serm. III. Ἐπειδὴ εἰς αὐτὴν ἀφικόμεθα τὴν κεφαλὴν, βλέπε αὐτὴν ὥσπερ ἀκρόπολίν τινα τῆς τοῦ σώματος πόλεως ἐν ὕψει καθημένην. Alcinous cap. 23. Ὡσὰν δὲ μὴ τῆς φλυαρίας τῆς θνητῆς ἀναπιμπλάμενον ᾖ τὸ θεῖον αὐτῆς (ψυχῆς) καὶ ἀθάνατον, κατῴκισαν (οἱ θεοὶ) ἐπὶ τοῦ σώματος ἐπὶ τῆς οἷον ἀκροπόλεως ἄρχον καὶ βασιλεῦον ἀποφήναντες, οἴκησίν τε ἀπονείμαντες αὐτῷ τὴν κεφαλήν. Paria Chalcidius in Timæum Platonis. *Idem.*

Sapientes meatus] Artificiosos. Hellenismus. *Idem.*

Repentino mentis nubilo] Idem modus loquendi x. Metam. p. 190. Ed. Colv. *Er. Putean.*

PAG. 487 *Cessante animo*] 'Cessare' est ἀναισθητεῖν, Ciceroni 'sine sensu esse.' *Pric.*

Majorem] Hesychius: Μεγάλη νόσος, ἡ ἐπιληψία. *Idem.*

Rationalem] Vide quomodo illa non vertat, sed interpretetur, νόσημα δὲ ἱερᾶς ὂν φύσεως ἐνδικώτατα ἱερὸν λέγεται. Porro caussas hujus appellationis alias reperies apud Hippocratem, Aristotelem, Galenum. *Casaub.*

Quantum potui] Locutionem elegantem ab aliis miror hactenus non revocatam, *quantum potuit.* Usos ea formula Cæsarem, Terentium, Plautum non vacat, neque lubet ostendere. Appuleium potius secundo emendem hac eadem Apologia: 'audi igitur, cui cura cognoscere est, sed animo quantum potest erecto:' hactenus libros occupat, *quantum potes.* Stewech. Forte, *quantum potuit:* de quo supra. *Colv.* Non necesse est. Facile intelligitur *eam explicare.* Ms. D'Orv. *quantam.* J. B.

Tempora pulsata] Emenda ex V. *tempora pulsantia.* Wower. In vet. cod. legi aiunt *tempora pulsantia:* forte non male. *Scip. Gent.* *Tempora pulsantia, aures sonoræ.* Sic lego cum Flor. Vulgo: *t. pulsata, auris sonora.* Elmenh. *Tempora pulsata.* Ita optime Rom. et Casauboniana Edd. principes, illa ab ordine, hæc a puritate. In Florid. ead. figura. 'Leonum indignati fremores.' In Miles. 'mulier fleta.' Nuperi interpolatores oggerunt *pulsantia.* Pric. De τῷ *pulsantia,* an sit in Mss. Florent. nihil monitum video in Excerpt. Lindenbrog. quare valde suspecta mihi est Elmenhorstii fides. Edidit tamen Scriv. me non sequente. Met. lib. II. p. 162. dicitur 'salubris vena pulsari:' et sane vena non pulsat, sed pulsatur, crebris successionibus sanguinis; ita et tempora. *J. B.*

Morbi penitus adacti] Lege, *penitus exacti,* et causam hujus rei ab Appuleio disce: nam dextra, inquit, corporis validiora sunt, eoque minus spei ad sanitatem. Emendo et Arnobium etsi leviuscule lib. II. 'quod si homines penitius se noscent, aut intellectum Dei suspicionis exciperent aura:' libri impressi retinent *penitus.* Eodem pertinet quod et supra in hac Apologia legendum monui, 'penitis piscium ventribus insuatis.' pro vulgari *penitus pis. ven. insuatis.* de quo nos alibi pluribus. *Stewech.* Virg. Æn. X. 'Alte vulnus adactum.' *Pric.* Stewechium ne audias: multo efficacius est *penitus.* Ms. D'Orv. *penitus m. ad.* Pro *adacti* Groslot. malebat *adaucti.* Frustra. *J. B.*

Dextera corporis validiora] Ita Plinius lib. VII. cap. 17. et Aristot. de animal. lib. I. c. 128. rationem ibid. reddit. Lib. III. c. 9. διὰ τὸ τὴν κίνησιν εἶναι ἐκ τῶν δεξιῶν. aliter Macrobius Saturnal. VII. 4. 'Ideo' (inquit) 'omnes dextræ partes validiores sunt, et debiliores sinistræ, quia has regit calor visceris sui; illæ conta-

gione frigoris sinistra obtinentis, hebetantur.' Transpositio pronominum omnem loci sententiam destruit: lege, *quia illas* (nempe dexteras partes) *tegit* (non *regit*) *calor visceris sui* (h. e. jecoris;) *hæ* (scil. sinistræ) *contagione frigoris, &c. hebetantur:* quem locum miror a castigatoribus adeo impune dimissum. *Pric.*

PAG. 488 *Quibus æque caducis, &c.*] Leg. *quibusque cad.* i. e. quibuscunque. Eadem menda ad lib. II. Flor. 'in plurimis æque,' pro *in plurimisque.* Acidal. Τὸ *æque* quo referatur non habet. Sententia postulat, ut legatur, *quibuscunque*, vel, ut Valens Acidalius putat, *quibusque*, quod idem hic significat, et alibi in veterum scriptis, etiam JCtorum. *Scip. Gent.* Τὸ *æque* non habere quo referatur Gentilis inquit: inde pro *quibus æque*, legend. *quibuscumque* putat, vel cum Acidalio *quibusque.* Ego nil temere mutem, nam et alibi id verbi reperio aut πλεονάζον, aut quodam sensu quem intellexeris quam expresseris positum. Videtur ut plurimum autem valere, maxime, præsertim. Miles. VI. 'Crebris æque ingestis ictibus.' VIII. 'Canis adæque venaticus.' Florid. II. 'In plurimis æque.' Ubi idem Valens legit *plurimisque.* Pric. Expressam auctoritatem Msti D'Orvill. habet conjectura Gentilis et Vulcanii in marg. quæ sensum reddit planum. Jungerm. Ep. 31. inter Gudian. transpositione locum sanandum putabat, hoc modo: *scriptum æque reliquit, quibus cad. &c.* Nil tamen innovandum putavi, sine plurium librorum consensu. Sensus est: Quando epilepsia diversos homines eadem vi corripit, tunc eorum difficilior medela, quibus morbus a dextero occipit. *J. B.*

De non videntibus] Lego *de invidentibus animalibus:* quis fando audivit aut legendo didicit Theophrastum scripsisse librum de non videntibus animalibus? Referebam tamen ad librum ejus Περὶ τῶν φωλευόντων ζώων. parum firma conjectura, ut postea animadverti: nam extat hodieque locus Theophrasti, quem vertit noster Orator. Ita enim Excerpta illa paucula, quæ hodie reliqua sunt de libro Περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν, incipiunt: "Ὅτι ὁ γαλεώτης, φασὶ, φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις, καταπίνει τὸ δέρμα, ὅταν ἐκδύηται, ἔστι γὰρ βοήθημα ἐπιλήπτῳ. *Casaub.* *Alio libro, de non videntibus animalibus.* Casaubonus: 'Lego,' inquit, 'De invidentibus animalibus. Quis fando audivit aut legendo didicit Theophrastum scripsisse librum De non videntibus animalibus?' Aliquis, immo id patet, neque id solum ex hoc loco Appuleii, sed ex Senecæ testimonio quis colligat. Sic enim ille lib. III. Natur. Quæst. cap. 16. 'Nihil enim,' inquit, 'usquam inane est, et stagna obsessa tenebris et locis amplis. Animalia quoque illis innascuntur, sed tarda et informia; ut in aëre cæco pinguique concepta, et aquis torpentibus facta: pleraque ex his cæca, ut talpæ, et subterranei mures, quibus deest lumen, quia supervacuum est. Inde, ut Theophrastus adfirmat, pisces quibusdam locis eruuntur.' Sed hæc alio pertinere videntur, nec sequitur propterea, librum de non videntibus animalibus eum scripsisse. At librum scripsisse eum περὶ τῶν φωλευόντων ζώων, ex Diogene manifestum est. Sed verissima est amici nostri emendatio: scripsit enim Theophrastus librum περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν, id est, de invidentibus animalibus: ex quo superest hoc fragmentum, quod legi etiam in Bibliotheca Photii pag. 862. "Ὅτι ὁ γαλεώτης, φασὶ, φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις, καταπίνει τὸ δέρμα, ὅταν ἐκδύηται. ἔστι γὰρ βοήθημα ἐπιλήπτῳ. An hoc est, quod Appuleius hic appellat, 'malignum præsidium?' omnino. Sensus enim est, præsagire stellionem et præscire, eas exuvias usui hominibus futuras

ad epilepsiæ morbum propulsandum: eoque maligne eas devorare, ne prosint. A qua malitia Jurisconsulti nostri stellionatus crimen dixere. Ulpianus: 'Stellionatum objici posse his, qui dolo aliquid fecerunt, sciendum est, scilicet, si aliud crimen non sit, quod enim in privatis judiciis est de dolo actio, hoc in criminibus stellionatus persecutio. Ubicunque igitur titulus criminis deficit, illic stellionatus objiciemus.' Serpens est sive lacertus in morem stellarum distinctus, unde nomen. *Scip. Gent.* Recte Casaub. *De invidentibus an.* περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν. *Pric.* Genuinam lectionem *invidentibus* servavit Ms. D'Orvill. *Non videntibus* videtur esse glossa lectoris, qui quid esset 'invidia animalium,' non intelligeret, adeoque quorumdam cæcitatem intelligi putaret. *J. B.*

Exuvias stellionum] V. Vulcan. ad Gloss. col. 84. *Pric.* *Exuvias stellionum.* Hunc locum Theophrasti etiam Plinius intelligit, quum ait: 'Theophrastus auctor est, anguis modo et stelliones senectutem exuere.' Et melius sane alii (inquit Casaubonus) inter lacertos ponunt: etsi Aristoteles ab utroque genere distinguit, ut in Octavo Historiarum: φωλεῖ τὰ πολλὰ τῶν ἐναίμων. οἷον τά τε φολιδωτὰ, ὄφεις τε καὶ σαῦραι, καὶ ἀσκαλαβῶται. Donatus in Terentium, 'stellionem esse, quem Græci γαλεώτην adpellant.' Plinius non γαλεώτην solum, sed et κωλώτην et ἀσκαλαβώτην dici scribit lib. XXIX. cap. 4. *Scip. Gent.*

More ceterorum serp.] Stellionem inter serpentes numerat. Plinius separat: 'Theophrastus' (ait) 'auctor est, anguis modo, et stelliones senectutem exuere.' Et melius sane alii inter lacertos ponunt: etsi Aristoteles ab utroque genere distinguit, ut in octavo Historiarum: φωλεῖ τὰ πολλὰ τῶν ἐναίμων· οἷον τά τε φολιδωτὰ, ὄφεις τε καὶ σαῦραι, καὶ ἀσκαλαβῶται. *Casaub.*

Temporibus statutis] Locus iste ex iis est, in quibus restituendum putavi, *statis temporibus.* Stewech. *Temporibus statis . . . converruntur.* Ita Fulvius, qui et mox legit, *ac mea ratiocinatione recte factum esse.* Sciopp. in Symb. Idem vet. *statis.* Wowerius. Fulvii Ms. *statis*, sed non sequendus: non quod non proba locutio hæc, sed quod illa non improba. Tertull. adv. Judæos cap. 2. 'Certis et statutis temporibus.' Miles. VII. Noster: 'Statuta cibaria.' *Pric.* Stewechio et Fulvio adsensum præbuit Scriv. Recte. V. Ind. *J. B.*

Malignone præsagio an naturali adpetentia? illico convertuntur et devorant] Antig. Caryst. ἱστορ. παραδ. Οὐχ ἧττον τὰ φθαρτικὰ τῶν ὠφελούντων, οἷον ὁ γαλεώτης, ὅταν ἐκδύῃ τὸ γῆρας, ἐπιστραφεὶς κατέπιεν. *Pric.* *Malignone p. a. n a.* Idem, Εἴτε κατὰ προαίρεσιν, εἴτε κατὰ τύχην. *Idem.*

PAG. 489 *Tu potius caducus, qui tot jam calumniis cecidisti*] Alludit solennia illa, 'Caussa, formula cadere:' scil. quum actio rite non intenditur: neque inficetum est, quidquid Scipio obganniat de frigiditate. *Idem.* *Tu potius caducus, qui jam tot calumniis cecidisti.* Frigidior hic jocus alicui videatur, ab Etymologia petitus. At noster Ulpianus non inepte de legibus caducariis agens, 'Caducum,' inquit, 'legatum dicitur, quod a legatario cadit in fiscum,' id est, quod legatarius capere non potest. Qua de re exposui pluribus ad nobilissimam orationem Justiniani 'de caducis tollendis.' *Scip. Gent.*

Tanta vis morbi] Sic loqui amant Scriptores. Lucretius: 'Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque.' Idem: 'Unde queat vis immensi procrescere morbi.' Cicero in de Fato: 'In quo vis morbi tanta non appareat.' Nepos in Attico: 'Subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit.' Et Sallust. Catilin. 'Tanta vis morbi, &c. civium animos invase-

rat.' Gellius lib. XII. cap. 5. 'Vis illa, et natura morbi.' Seren. Sammonicus: 'Est et vis morbi quod telum commemoratur.' *Pric.*

Quem innocentem liquido scis, tamen accusas ut nocentem] Lactant. Divin. Instit. lib. V. cap. 1. 'Student damnare tanquam nocentes, quos utique sciunt innocentes.' *Idem.*

PAG. 490 *Impudentia*] Quid sibi velit hæc *impudentia*, qui intelligunt, exponant. Scripserim *imprudentia*: ut et Miles. II. ubi legitur vulgo: 'Impudentiæ suæ labem.' *Idem.*

Crudæ senectutis] Etiam heic hæreo: nam cur 'crudum senem' hoc loci appellet, quem infra 'Capularem' vocat? 'hominem ævi emeriti?' item alibi, 'præcipitis ævi, et occiduæ senectutis?' *Idem.* Ut Gr. ὠμὸς, sic Lat. *crudus*, non semel de homine crudeli et inhumano usurpatur. Hic tamen 'crudam senectutem' intelligo, senectutem, quæ ante tempus Æmiliano obvenerat: quemadmodum immaturitas, i. e. cruditas, omnibus rebus tribuitur, quæ ante tempus fiunt. *J. B.* *Et misera insania crudæ senectutis.* Notum est illud Virgilii: 'Et cruda Deo viridisque senectus.' Medicis cruda et viridis senectus dicitur ab anno 50. ad 60. ætatis: ut qui tamdiu negotiis pares aptique sint. Galeno tales dicuntur ὠμογέροντες, crudi senes et semicani lib. V. de sanit. tuenda. At Pythagoras ultra progressus est, qui puerum XX. annos implere, juvenem itidem XX. virum etiam XX. senem XX. atque ita ætates distinguebat, teste Laërtio. *Scip. Gent.*

Tantum super omnes stultitia evectus es] Demosth. περὶ στεφ. Τοσοῦτον ὑπερβέβληκεν ἅπαντας ἀνθρώπους ὠμότητι, καὶ συκοφαντίᾳ. Plaut. Bacchid. 'Quicunque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac, Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones: Solus ego omnes antedeo stultitia, et moribus indoctis.' Terent. Heautont. 'In me quidvis harum rerum convenit, Quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus, In illum nil potest, nam exuperat ejus stultitia omnia hæc.' *Pric.*

PAG. 491 *Et a vobis stat*] 'Pro illo stare' Terent. Phor. *Brant.*

Quamquam ipse aperiret] Perturbatæ prius et perversæ sententiæ attolimus interpunctionis rectæ lucem. *Casaub.*

Linteum] Observa *linteum* in Bibliotheca, et vide de libris linteis Casaub. ad Vopisci Aurelian. c. 1. et Salm. ibid. c. 8. *J. B.*

Eo negligentius adservabam. Sed enim] Ironia usus ridet orator stultitiam suspicandi, magicum quid reconditum fuisse in linteolo, quod negligenter adservabatur. Est autem vis in *occultabatur*: absurdum enim foret *negligentius adservare*, quod *occultare* quis vellet. Quare non facio cum Gudio ad Phædr. I. 25. emendante *eone diligentius adservabam?* licet probet id Drakenb. in marg. Sed vidisse videntur VV. DD. disjunctivam particulam *sed enim*, quæ idem valet ac simplex *sed* (vid. Ind.) minime h. l. convenire, si legatur *eo negligentius*. Propterea autem locum conjectura sanandum putavi hoc modo: *eo negligentius adservabam scilicet. Enim, &c.* Sexcenties confusa esse in Mss. *scilicet* et *sed* seu *sct*, sæpius monitum. V. Oudend. ad Met. l. III. p. 227. a. et Ind. item Gruner. ad Aurel. Vict. Or. G. R. 4. 6. cit. ab Arntzen. ad Eumen. Grat. Act. c. 6. Quo facilius autem h. l. id fieri potuerit, fecit τὸ *enim* initio periodi, quod sæpius in Nostro offendit librarios. V. Ind. Elegantem vim τοῦ *scilicet* in ironia, ubivis notatam videas. Ferri tamen potest *sed enim*. Idem.

Qui in individuo contubernio mecum vixit] Miles. IV. 'Mecum primis ab annis nutritus et adultus individuo contubernio.' Infra heic: 'Arto contubernio intime mihi junctus.' Onomast. vet. 'Contubernium, ὁμορο-

φία.' *Pric.*

Reminiscere] *Comminiscere* legendum fuerit. *Colv.* Juvo Plauti loco Asin. A. I. Sc. 1. 'Fabricare quidvis, quidvis comminiscere, perficito,' &c. Ipse Lucius noster l. IV. 'Tale consilium comminiscimur.' *Brant.* Colvius, *comminiscere:* juvat ex Plauto Brantius, 'Fabricare quidvis, quidvis comminiscere:' at ista nimis violenta emendatio est; dulcius et lenius, si quid moves, *eminiscere* scribes. Gloss. Isid. 'Ementum, excogitatio.' Cave quid mutes tamen: eandem infra loquutionem habes: 'Fingite aliquid, reminiscimini quid responderetis.' [pag. 563. Ed. Flor.] *Pric.* Lat. Latin. quoque malebat *comminisci.* Sed et Nep. in Alcib. c. 2. 'Ut si ipse se' (sic leg.) 'fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi.' *J. B.* *Finge quidvis, reminiscere, excogita.* Afranius Fratriis: 'Finge, fabricare uti lubet.' Plaut. Bacchid. 'Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina.' *Pric.*

Sacro traditum] Familiæ nempe, seu privato. *Idem.*

Somnio imperatum] Petronius: 'Medicinam somnio petii, jussaque sum vos perquirere.' Sueton. Vespas. 'E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro Tribunali adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem.' 'Somnia monitura' habes apud Statium lib. VIII. cap. 7. Ὀνειράτων φήμας apud Philostr. de Apollon. Ὀνειράτων βοηθήματα apud Antonin. in de vita sua: hujus loci sunt EX VISV, IVSSV, et similia, quæ occurrunt passim in antiquis inscriptionibus. *Idem.*

PAG. 492 *More communi, et vulgatissima observationum consuetudine*] In de Mundo: 'Hanc opinionem communis mos, et hominum observationes secutæ affirmant.' Gellius (eadem copula) lib. V. cap. 13. 'Hujus moris observationisque multa sunt testimonia.' Idem lib. I. cap. 6. 'Quotidiana intelligentia, et communi pervulgatoque vitæ usu.' Lactant. Divin. Instit. lib. III. cap. 7. 'Quod ipse usus rerum, et quotidiana experimenta possunt docere.' Joann. Sarisburiens. Proëm. lib. VII. 'Usu quotidiano, et rerum experientia.' *Idem.*

Quod deprehensum et detectum] Fulvius. Idem proxime: 'quid in sudario habuisti? num tu me accusatum, ac interrogatum venisti?' *Sciopp. in Symb.* Manifeste verum *et detectum.* Wowerius. Fulvius legit *detectum.* Elmenh. Sunt qui *detectum* legunt, nec inepte: nam easdem has voces conjunxit D. Cyprianus, 'Deprehenderis,' (inquit) 'virgo, detegeris.' Docti vulgatum retinent, sed non explicant. Ego Africanam quampiam subinnui notionem puto. Idem Cyprianus in de hab. Virg. 'Pejor adultera detineris.' Tertullian. Apolog. 'Nomen detinetur.' Marcian. Capella de nuptiis, &c. lib. IV. 'Nihil deesse cerneres nihil superfluum detineres.' *Pric.*

Ap. Lares potissimum] Oscitantiam Interpretum! Et quid facilius quam vel ex iis quæ supra proxime, 'Habuit Apuleius quæpiam linteolo involuta apud Lares Pontiani,' etiam hic loco reposuisse germanam lectionem? At ita fieri amat: plane qui (ut Criticissantium nonnulli) in scirpo nodum quærunt, ii ubi usus acuminis venit, minus æquo vident. *Idem.* Bene ex superioribus restituas *apud Lares Pontiani.* Florid. Mihi id non placet: licet pag. seq. rursus, 'in Bibliotheca Pontiani;' et paulo post, 'Laribus Pontiani.' Sed in τῷ *potissimum* vis suspicionis est: quod non alibi, sed in sacratissima ædium parte deposuit; quod eum locum præ ceteris (i. e. *potissimum*) elegit, in quo deponeret. *J. B.*

Tute argue quæ d.] L. *qui accusare*

C. *de edendo*, sacrorum plerique initia in Græcia participant. *Brant.*

In alicujus statuæ femore] 'Votum in alicujus statuæ femore adsignasti.' Vota sua Veteres et preces tabella conceptas conscriptasque et cera obsignatas Deorum genibus adfigebant: quod vocabant, Votum, seu preces, seu orationem signare, adsignare. Plinius ad Trajanum: 'Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, et suscepimus, domine, pariter, et solvimus: precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari.' Tertullianus de Oratione: 'Quod, adsignata oratione, adfigendi mos est quibusdam.' Ex hoc ritu intelligendus Juvenalis: Propter quæ fas est genua incerare Deorum.' Et Prudentius lib. I. contra Symmach. 'Saxa illita ceris Viderat, unguentoque Lares humescere nigros.' *Colv.* Totam votorum historiam tu explicasti docte, Rutgersi virorum optime, in politissimis tuis variis lectionibus l. v. c. 5. quibus verbum non amplius addo. *Elmenh.* Cf. Arntzen. ad Mamert. Genethl. c. 6. Ms. D'Orv. *statu f. signasti.* J. B. *Votum in alicujus statuæ femore adsignasti.* Fuse Rutgersius Var. v. 5. *Pric.*

Tacitas preces] Vide, quos citant Pric. ad h. l. et Berneggerus ad Plin. Paneg. c. 67. § 6. *J. B.* *Tacitas preces, &c.* Scalig. ad Tibull. Lips. ad Senec. Schott. Observ. human. II. 11. *Pric.*

Pag. 493 *Donum posueris*] Florid. I. 'Donum apponere.' Seneca Epist. 115. 'Omnia Deorum sunt, tamen Diis posuimus donum.' Inscriptio vetus:

SANCTO SILVANO NINIVS
PHILENVS IN PRÆDIO
DONVM POSVIT.

Alius Excellentissimæ Arundeliæ Comitis, a Cl. Seldeno editus:

SILVANO SACRVM SODAL.
EIVS ET LARVM DONVM
POSVIT. TI. CLAVDIVS AVG.
LIB. FORTVNATVS, &c. *Idem.*

Verbenam sumseris] Ad ornandam aram et perspergendam. Ritus idem apud Plautum, Mercatore: 'Aliquid cedo Qui hanc vicini nostri aram augeam, Syra. Sy. Do sane hanc virgam lauri.' *Colv.* Vide Serv. et la Cerd. ad Virg. Ecl. VIII. vs. 65. Donat. ad Terent. Andr. IV. 5. 11. *J. B.*

Cella promptuaria] Gloss. 'Penaria cella, promptuarium, ταμεῖον. Cellarium, et cellar, promarium: (ita docti legunt) ταμεῖον.' Stephan. Byzant. Ταμεῖον, οἶκος ἐν ᾧ τὰ ἀναγκαῖα ἀπετίθησαν. Firmic. de err. &c. 'Omne quo vescuntur homines Penus vocatur: hinc et cella penaria.' Sidon. lib. II. Epist. 1. 'Cui continuatur vicinante textrino cella penuaria.' Ammianus tralate, 'Promptuaria cella calumniarum:' nec male. Φρύνιχος ἐν σοφιστικῇ παρασκευῇ καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν φησι τὸ ταμιεῖον. Ib. Stephan. *Pric.*

Quantique sudores innocentibus hoc uno sudariolo afferantur] Elegans cum irrisione παρήχησις, sic supra. 'Satis, ut puto, crinium crimen, quod illi quasi capitale intenderunt, refutatum est.' Et infra: 'Quod ad sudarium pertinet, omnem criminis maculam detersisse.' Lepidulum Lucium meum! mellitulum meum! meum cor et suavium! agnosco festivas Ironias tuas, ingenium osculor. *Idem.*

Pag. 494 *Repertissimum*] Supra jam dixerat Auctor, se concedere velle, sudariolum in bibliotheca positum, ibique adeo repertum fuisse. Nunc dicere debebat, se concedere etiam velle, quædam in eo involuta fuisse. Evincunt id seqq. 'ut olim Ulixi socii,' &c. Hinc præclare Wyttenbach. V. Cel. suo exemplari adscripsit, *refertissimum.* Quam summi viri emendationem adoptavi, propter evidentiam. *J. B.* *Per me licet fuerit repertissimum.* Hoc est, quod supra ait, *deprehensum* et *detentum*: male quidam *detectum*; quod minus est,

quam deprehensum. At detentum est, quod manibus tenetur. Potest quis deprehendi, non tamen teneri, aut capi : ut deprehensus in furto, fur manifestus dicitur, licet procul visus, nec teneatur. *Scip. Gent.*

Manticularentur] Festus : 'Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro sæculo fuit. Unde Manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant.' Subjecit deinde exempla ex Pacuvio, quibus docet, Manticulari pro dolose, captiose agere, furari, positum fuisse. Adsentior iis, quidquid contra sentiat Lambinus, qui legunt Plauti Captivis : 'Nam Hercle nisi manticulatus probe ero, fusti plectito.' Hinc Manticularius, proculdubio etiam is, qui aliena libentius contrectat, quam sua, apud Tertullianum Apologetico : 'Quis illic Sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo.' *Colv.* *Manticularentur.* V. heic Colvium. Scalig. ad Fest. H. Stephan. Animad. in Adag. *Pric.*

Sacrorum pleraque] Docte Casaubonus ad Athenæum lib. VI. c. 15. *Elmenh.*

Signa et monumenta] Σύνθημα vocat Clemens Alexandrinus. *Signum* Arnob. V. ad gen. quo sacrati et symmistæ inter se noscebant. Facit huc insignis locus Minucii Felicis, cui cum a gentibus esset objectum, 'occultis se notis et insignibus noscunt,' respondet, 'Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimus.' *Brant.* Add. Bimard. ante Murator. p. 68. ubi inter alia : 'Muta symbola fuere quædam signa sive crepundia, quæ a sacerdotibus accepta mystæ sedulo adservabant, cavebantque ne quis ea profanus videret, quale fuisse laminam Pinellianam' (de qua ibi agit) 'existimo. De his Appuleius magiæ insimulatus, quod reconditum quid inter res suas occultaret.' *J. B.*

Nihil insolitum, nihil incognitum dico] Symmachus : 'Non novum, vel incognitum, sed compertum jam fide insinuo.' *Pric.*

Tacite veneremini] Ritu mystarum. Hesych. Μύστης, τελούμενος, σιωπηλός. Tertullian. (sive alius quis) Carm. de Judic. Dom. 'Et picturatas timuit sine voce figuras :' apud Ægyptios ubicunque locorum colebantur Isis et Serapis, collocabatur juxta Harpocrates statu os digito obsignantis. Augustin. de Civit. &c. lib. XVIII. at quid de silentio loquor isto? sonant omnia. *Idem.*

Nec ad hoc tempus compono] Hegesippus de excid. &c. I. 41. 'Id plerique ad tempus compositum rati.' Tacit. Annal. I. 'Sensit miles in tempus conficta.' *Idem.*

Primis diebus quibus Œam veneram, publice disserens] Infra : 'Interibi' (Œæ) 'revalesco, dissero aliquid postulantibus amicis publice.' *Idem.*

PAG. 495 *Religiosis Œensibus comm.*] Fuit Œæ Æsculapii nobile templum : isque deus quasi patronus ejus oppidi et tutela habitus : propterea oratio quæ magna ex parte esset de religione et cultu illius numinis, non potuit non esse Œensibus gratissima. Lego autem, *mentione Æsculapii religionis Œensibus commendata.* Casaub. *Mentione Æsculapii religiosis Œensibus commendata.* Quomodo accipiemus hæc? an quasi Œensium πολιοῦχος fuerit? minime, nam et Carthagine disserens ab ejusdem nomine exorsus est. Florid. IV. 'Principium mihi apud vestras aures auspicatissimum, ab Æsculapio Deo capiam.' Ego diffusum ejus cultum innui putarim, quo Dæmonas et Heroas omnes antestabat. In de Deo Socratis : 'Eos tantum Deos appellant, qui juste ac prudenter vitæ curriculo gubernato, pro Numine postea ab hominibus prædicati, fanis et cerimoniis vulgo admittuntur : ut in Bæotia Amphiaraus ;

in Africa Mopsus: in Ægypto Osiris: alius alibi gentium: Æsculapius ubique.' *Pric.*

Dicite aliqui, si quis forte meminit hujus loci principium] Mirum hoc videatur, oratorem in ipsa actione rogare aliquem ex populo, qui initium suarum orationum recitet: magis mirum, fuisse qui recitarent. Sed composito et compacto hæc agi solita pacto, sicut et id, quod de libro allato sequitur. Illud verum est, oratorem interdum orationem ad adversarium vel patronos et advocatos ejus convertisse, dum aliqua in re hæsitant. Ut illud Ciceronis: 'Recte mones.' *Scip. Gent.*

Tot mysteriis conscium] Nove dictum pro, *tot mysteriorum*, nisi scribendum, *tot mysterium*. Casaub. Avienus tamen Perieg. 'Qua surgenti terræ pars conscia Phœbo est:' et Tibullus: 'Levis occultis conscia cista sacris.' Author carminis de Phænice: 'Et sola arcanis conscia Phœbe tuis.' *Pric.* A Casauboni conjectura locum vindicat etiam Heins. ad Ovid. Met. VI. vs. 586. quem ibi vide, et Burman. *J. B.*

Quædam sacrorum crepundia] Quæ supra proxime 'initia sacrorum' vocat. Glossæ Isidori, 'Crepundia, initia.' Gloss. Philox. 'Crepundia, γνωρίσματα, ἀρχαί.' legit Vulcanius ἀρχαίως. vellem rationem addidisset. *Pric.*

Lana segnissimi c. e.] Multa Plutarch. Isid. et Osir. *Idem.*

Segnissimi corporis] Ut supra *pectus* pro *corpore* posuit, ita heic *corpus* pro *animali* ponit: idem ante et post eum, etiam alii fecere. Virgil. 'Placidum carpebant fessa soporem Corpora.' Julius Firmic. 'Qui laborem terrenorum nocturnis opibus recreasti.' Ennodius Ticinens. 'Tubera, perdices, grus, turdus, turtur, echinus: Non implent ventrem corpora mille tuum:' hac facie Galli etiam *un pauvre corps:* Anglo-Saxones, *Some-bodye, No-bodye.* innuitur ab utrisque non tam σῶμα quam ζῶον. *Idem.*

PAG. 496 *Pythagoræ scitis*] Aut valde Noster errat, aut Diog. Laërtius, qui de hoc Philosopho principe l. VIII. Στολὴ δὲ αὐτῷ λευκὴ, καθαρὰ, καὶ στρώματα λευκὰ ἐξ ἐρίων. τὰ γὰρ λινᾶ οὔπω εἰς ἐκείνους ἀφίκετο τοὺς τόπους. *Colv.* Diogenem Laërtium erroris arguit Olear. ad Philostrati Apollon. init. ubi v. *J. B.* *Pythagoræ scitis.* Contrarium plane scribit in Pythagora Laërtius, lanea veste eum usum, non linea: στολὴ δὲ αὐτῷ, &c. Sed ex alia forte lana, quam pecoris, vestitus Pythagoræ fuit: aut dicendum est, nihil Appuleium hic adfirmare, quasi recte is fuerit usus; sed hoc tantum, quid de lana et lino senserit: quod nihil adversatur testimonio Laërtii. *Scip. Gent.*

Indutui] Flor. *inductui.* Elmenh. *Inductui* dedi pro vulgato *indutui*, auctoritate Mstorum Florent. *Indutus* et *amictus* non differunt: at vero differunt *inductus* et *amictus*. Licet enim Stat. Silv. v. 2. 67. 'inducere humeros amictu' dixerit: proprie tamen *inductus* magis de calceamentis dicitur. Noster Flor. N. IX. 'Indumenta, quibus indutus, et calceamenta, quibus erat inductus.' Intelligit igitur Auctor 'soleas palmæ victricis foliis intextas,' quas Isidis sacerdoti tribuit Noster Met. lib. XI. p. 760. Conferri quoque meretur locus Amm. Marc. XXIX. 1. in cerimoniæ magicæ descriptione: 'Linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis.' *J. B.*

Atque] Non opus est cum Florido mutare in *atqui:* utriusque vocis eadem interdum vis. V. Oudend. ad Cæs. de B. G. IV. 25. Et sic *atque* explicandum quoque in Terent. And. I. 3. 20. *J. B.*

Facetiæ sibi habere] Gellius lib. XV. cap. 8. 'Pro facetiis procedit.' Sidon. lib. III. Epist. 13. 'Videntur sibi granditer facetiari.' *Pric.*

Adorandi gratia manum labris admovere] Adeundi Pythens Advers. Subsic. I. 17. Lips. Elect. II. 6. Glossæ Vindocinens. Ms. in lib. Regum: 'Osculans manum. Solebant osculari manum propriam, ut per hoc quasi osculum idolo porrigerent.' τιμᾷν τοῖς διὰ τῶν χειρῶν φιλήμασι vocat Libanius Orat. περὶ προστασιῶν· quam cum aliis tribus, ante triennium edidit e Bibliotheca Augustana, Clariss. ac jureconsultissimus Jacobus Gothofredus, vir in his studiis etiam qua parte voluit, eminentissimus. Nec adorantium mos iste tantum, sed et amantium. Miles. VI. 'Jupiter perpressa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consuaviat.' *Idem.*

Nec Diis rurationis] Tibullus: 'Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum Agricolæ ponitur ante Deo.' Nam Veterum ea superstitio, u· quorumlibet fructuum annis singulis diis suis rusticis primitias sacrarent. Censorinus de Die Natali: 'Itaque cum perciperent fruges, antequam vescerentur, Diis libare instituerunt.' A. Gannius, vetus poëta: 'Hic adoris dat primitias tibi: sanguine libat.' Leonidas: Ἀγρονόμῳ τάδε Πανὶ γὰρ εὐαστῆρι Λυαίῳ Πρέσβυς καὶ Νύμφαις ὄρκας ἔθηκε Βίτων. Πανὶ μὲν, ἀρτίτοκον χίμαρον συμπαίστορα μητρὸς, Κισσοῦ δὲ Βρομίῳ κλῶνα πολυπλανέος. Νύμφαις δὲ, σκιερῆς εὐποίκιλον ἄνθος ὀπώρης, Φύλλα τε πεπταμένων αἱματόεντα ῥόδων, Ἀνθ' ὧν ἔνυδρον Νύμφαι τόδε δῶμα γέροντος Αὔξετε, Πὰν, γλαγερὸν, Βάκχε, πολυστάφυλον. *Colv.* *Diis rurationis.* Quos 'Numina ruris' vocat Juvenalis Sat. XIV. Virgilius Georg. II. 'Deos agrestes.' Propertius: 'Deos quibus est tutela per agros.' Tibullus 'Cælites agricolas,' lib. II. Eleg. 1. et 'Agricolas Deos' lib. I. Eleg. 1. quod non adverterunt interpretes: verba ejus: 'Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolæ ponitur ante Deo:' legerim *agricolas ponitur ante Deos:* sic in Authore de Nuce etiam contra quam impressi, scribo: 'Agricolas fructu præveniente Deos.' Porro non alii sunt, quos Ἀγροίκων ἐφόρους Δαίμονας Alciphron in Epistolis vocat: et Inscriptio vetus Græca ΘΕΟΥΣ ΝΟΜΙΟΥΣ. Genera eorum quatuor memorat Maximus Tyrius Dissert. XIV. Ἐπικαρπίους, ἀλώους, ἐπιληναίους, προηροσίους· quos Varro de R. R. l. I. duodecim numero complexus videtur, titulo 'Consentium Deorum, Agricolarum ducum.' Extat in Arundelianis monumentis lapis selectissimus iste, 'Inseratur heic Marmoris figura.' *Pric.* Neque tamen inserta est, in meo utique exemplari, quare totam Pricæi commentationem in marmor istud, hic ommittendam putavi. *J. B.*

Aut gregis primitias] Vide notas ad Gennadium p. 197. *Elmenh.* *Segetis ullas, aut vitis, aut gregis primitias impertit.* Tibullus I. 5. 'Pro vitibus uvam. Pro segete spicas, pro grege ferre dapes.' *Pric.*

Nullum in villa ejus delubrum] Ex eadem superstitione erat, ut fere unusquisque in agris, prædiis suis sacellum quoddam Deo cuidam aut Deæ sacrum haberet. Censorinus ibidem: 'Et quum agros atque urbes Deorum munere possiderent; partem quamdam templis sacellisque, ubi eos colerent, dicavere.' Bacchylides: Εὔδημος τὸν νηὸν ἐπ' ἀγροῦ τόνδ' ἀνέθηκε Τῷ πάντων ἀνέμων πιοτάτῳ ζεφύρῳ. Εὐξαμένῳ γάρ οἱ ἦλθε βοηθόος, ὄφρα τάχιστα Λικμήσῃ πεπόνων καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων. Propertius lib. II. 'Atque ibi rara feres inculto thura sacello Hædus ibi agrestes corruet ante focos.' Plinius lib. IX. Epistolar. ad Mustium: 'Aruspicum monitu reficienda est mihi ædes Cereris in prædiis in melius et in majus.' *Colv.* *Nullum in villa ejus delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus.* Etiam privatis hominibus hæc religio olim fuit, sacras ædiculas in suis agris habere,

pro cujusque opibus vel magnificentia. Plinius Cæcilius lib. IX. Epistol. XXXIX. 'Aruspicum monitu reficienda est mihi ædes Cereris in prædiis meis et in melius et in majus:' et statim: 'multa ibi vota suscipi, multa reddi.' Nota, 'Aruspicum monitu:' Neque enim privata auctoritate, ut existimo, id licebat. Dedicatio certe, ut hodie, sic olim tota erat juris Pontificii: ut adparet ex oratione Ciceronis de Aruspicum responsis. Neque aliter usi hac potestate Imperatores, quam quod iidem erant Pontifices Maximi: ut Trajanus apud eumdem Plinium lib. X. *Scip. Gent.*

PAG. 497 *Negant vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum*] Notandum est, quod Appuleius noster, *in finibus*, ait. Nam licet de tota villa vel fundo id intelligi possit, tamen videtur alludere ad veterem ritum terminorum defigendorum, quem describit Flaccus Siculus: 'Quum terminos,' inquit, 'disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram conlocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos ornabant.' *Idem.* *Lapidem unctum.* Multa de hoc ritu Colvius ad I. Florid. et Casaub. ad Theophrast. cap. περὶ δεισιδαιμονίας. Qualis heic vero *lapis* intelligendus? *terminalis* an *sepulchralis?* nam et cippi in finibus ponebantur, et nonnunquam pro terminis errorem faciebant. Siculus Flaccus de condit. agror. ungi etiam solitos constat ex Anacreonte. *Pric.*

Ramum coronatum] Ovid. Metam. VIII. 'Pendentia vidi Serta super Ramos.' Arnob. lib. V. 'Quid lanarum vellera quibus arbores colligatis, et circumvolvitis stipitem?' Miles. VI. Noster: 'Videt dona speciosa, et lacinias auro literatas, ramis arborum, postibusque suffixas.' Plutarch. Timol. Ἐκ τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων ταινία τις ἀποῤῥυεῖσα, καὶ φερομένη, στεφάνους ἔχουσα καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας, περιέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος. V. Etymolog. in Εἰρεσιώνη. *Id.*

Et forsan ne ob hanc div. cont.] Scribo, *et fors fuat ut ob hanc divini contumaciam non inducat in animum verum esse quod dixi.* Similiter aliquanto post, 'Fors fuerit ut ne sic quidem credat Æmilianus.' In epistolis Symmachi *fors fuat an*, non raro memini legere, pro fortasse, vel fortasse an. Ut libro primo Epistolæ V. et XXXIII. et alibi. 'Divini contumacia' vox Appuleii ut, quæ præcessit, 'divini sciens,' ubi Magiam 'artem piam et divini scientem' vocavit: nisi tamen et hoc loco 'divum contumaciam,' et illo 'divum scientem' verius est scribi. Falluntur qui putant vocem *contumaciam* hic non convenire. Glossarium, 'contumacia, καταφρόνησις, ἀπείθεια.' *Casaub.* L. *Et fortassean ob hanc divum contumaciam. Fortasse an*, dictionem primus in locum revocavit primus JCtorum Cujacius, quem secuti dein alii, multis auctorum locis, eandem restituerunt, nec tamen nullis etiamnum in mendo reliquerunt. *Contumaciam* autem *divum* sic accipio ut dicimus 'metus deum' pro erga vel adversum Deos: τὸ *fortassean* in Seneca etiam Colvius tentat Pag. Not. 249. Sed frustra, nam Senecæ mentem non vidit. *Acidal.* Legerim, *fortassean.* Brant. In Rom. Ald. et Florent. est *forsan.* Elmenh. Prætuli Mstorum et vulgatam ante Vulcan. lectionem *forsan ne o. h. d. c. non inducat animum*, qua nihil verius puto, hoc sensu: forsan metus est ne sibi non persuadeat, &c. Mendum tamen h. l. subesse adeo sibi persuaserunt Editores, Casauboni exemplum secuti, ut inde a Vulcanio nemo veterem et scriptam lectionem revocare ausus sit, præter Scip. Gent. Et Scal. quidem in Vulc. Ed. sec. Wow. Elm. et Scriv. ediderunt *fors fuat ne*, quod sane, si locutionis vim spectes,

eodem redit. Pric. vero et Flor. conjecturam dedere Casauboni *fors fuat ut*: quæ locutio habetur et apud Anson. Epist. vi. sed h. l. nimis abit a Mss. *J. B.* *Divini contumaciam.* Emendo *ob hanc Divum contumeliam*: vel *contemnentiam.* Certe locus hic non caret maculis, quas necdum satis ex animi sententia eluere potui. *Colv.* Τοῦ θείου, non bene mutat Colv. in *divum.* Brant. *Divinum*, τὸ θεῖον, ut et aliquoties *humanum*, τὸ ἀνθρώπινον, substantive ponitur. Flor. N. xv. ‘Omnis divini arcani antistitem.’ Vide ad Met. viii. p. 582. b. ubi miror Oudendorpium, aientem, se verba *divini contumaciam*, a Pricæo eo loco citata, in Apologia invenire nequivisse. Vulgata certe lectio in nulla Ed. quod sciam, mutationem passa est: et quidem recte. *Contumacia* enim, i. e. contemtus. Sic ‘omnium contumax,’ de omnium rerum contemtore Noster de Dogm. Plat. lib. ii. p. 250. ubi vide. Videtur tamen *Deum* esse in Cod. Fux. *Divum* conjecit etiam Lat. Latin. *Animi* Groslot. Expungendam vocem censet alius V. D. in marg. *J. B.*

Manum non verterim] Phalaris Epist. 63. Πάντων ἂν εἴην ἀψυχότατος, εἰ καὶ τῶν σῶν ἐπιστραφείην δραμάτων. Et 66. Ἐγὼ δὲ οὐδὲ τῆς ἐπὶ Περιλάῳ τιμωρίας ἐπαινούμενος ἐπιστρέφομαι. Antholog. vii. Τῆς λευκῆς καλάμης οὐδὲν ἐπιστρέφομαι. *Pric.*

Signum dato] Ritus observandus, ex quo etiam intelligendus elegans Plauti locus, Milite: ‘Mi. Tum pol ego id quod celo, haud celo. Pa. Immo ita, etiam si non Celas. Mi. Quo argumento? Pa. Infidos celas: ego sum tibi firma fide. Mi. Cedo signum; si tu harum Baccharum es.’ Symbolum, et, ut alibi vocat Appuleius, memoraculum quo se invicem agnoverunt Matris Deum symmystæ fuit hoc, ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. Quo synorgiastæ Liberi patris, ἀστράγαλος, σφαῖρα, στρόβιλος, μῆλα, ῥόμβος, ἔσοπτρον, πόκος. Quo participes sacrorum Eleusiniorum, Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης· ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. Adi, si lubet, par scriptorum doctissimum, Clementem Alexandrinum, et Arnobium. *Casaub.* *Signum dato, et audiat, &c.* Τὸ signum exponere potes σύνθημα, h. e. ‘tesseram vocalem,’ qualem Casaubonus affert ex Clemente Alexandrino, et Arnobio. Ego intelligi malim cuticulare quodpiam invisum signum, quo participes sacrorum eorundem invicem agnoscebant se. Minucius Fælix vocat ‘corporis notaculum:’ suavissimus scriptor Prudentius, σφραγῖδα. Neque temere hinc colligas, tametsi rara eorum mentio occurrat, fuisse apud Græcos, sacerdotes quosdam σφραγιστῶν nomine insignitos. Apud Ægyptios certe, a quibus bonam partem τῆς τῶν Θεῶν θεραπείας hausere, fuisse ejusmodi munus disertissime Plutarchus de Isid. et Osir. docet. Sacri enim ab iis in Typhonis execrationem facti ritus, ac ceremoniarum debita describens, τὸν μέλλοντα θύεσθαι βοῦν (inquit) οἱ σφραγισταὶ λεγόμενοι τῶν ἱερέων κατεσημαίνοντο. imo sigillum enarrans ipsum ex antiquioris se Historici fide habuisse insculptum ait, ἄνθρωπον εἰς γόνυ καθεικότα, ταῖς χερσὶν ὀπίσω περιηγμέναις· prorsus ut in sigillo isto marmoreo cubitali, [Insertum est sigillum,] ex Illustrissimi Arundeliæ Comitis reconditioribus cimeliis deprompto, ipsisque Athenis ab amicissimo et eruditissimo Pettæo in Britanniam advecto, cujus humanitati edecumatissimæ imaginis istius non tantum copiam acceptam fero, sed et μήνυτρα doctrinæ debeo de Plutarchi loco. *Pric.*

Pag. 498 *Enunciare*] Vulgo *annunciare.* Elmenh. Legend. *enunciare.* Miles. x. ‘Neque apud vos quæ ignoravi, possum enunciare.’ Gellius

lib. I. cap. 23. 'Placuitque ut eam rem, super qua tractavissent, ne quis enunciaret priusquam decreta esset.' *Pric.* *Enunciare* jam est in Ed. Junt. post. et consentiunt Mss. Florent. et D'Orv. recte. Locis a Pricæo citt. add. Metam. lib. II. pag. 118. 'Divino præsagio et ipsum scire, et nobis enunciare.' Lib. XI. p. 804. 'Quod solum potest sine piaculo ad profanorum intelligentias enunciari.' De Dogm. Plat. I. p. 572. de Divina natura, 'in multos eam enunciari non posse.' *J. B.*

Animo explesse] Rom. Venet. *animum*. Colv. *Animum expl.* Et hoc ex Edit. Rom. Alii *animo*. Casaub. *Animum expl.* v. c. Et mox, *quamquam in eo tempore vel Alexandriæ fuerit:* ut supra, 'quam forte tum in eo tempore conscribebat.' *Sciopp. in Symb.* Edd. Junt. utr. Ald. Bas. Colv. Vulc. pr. *animo explesse*, contra Mss. et Latinitatem. Terent. Hec. V. 1. 29. 'Exple animum iis, teque hoc crimine expedi.' Cf. Burm. ad Ovid. Rem. Am. vs. 129. *J. B.*

Omnem criminis maculam detersisse] Claudianus II. Entrop. 'Tunc ire recentes Detersum maculas.' Gregor. Turonens. 'Quo facilius detergeretur a crimine.' Optat. Milevit. 'Pulsa, atque extersa infamia.' Demosth. Olynth. I. Ἀδοξίαν ἀποτριψόμεθα· ubi Ulpianus, οἱονεὶ ἐκκαθάρωμεν καὶ ἀποπλύνωμεν, ὡς μεταφορᾶς τῆς κηλῖδος, τῆς γενομένης ἀκαθαρσίας περὶ τὴν ἐσθῆτα. V. Etymolog. in Κηλὶς, Festum in 'Labes.' *Pric.*

Gumiæ] Festus: 'Hinc et Ingluviosus, et Glutto, Gulo, Gumia.' Lucillius apud Cic. II. de Finib. 'Compellans gumias ex ordine nostros.' *Colv.* *Gumiæ*, gulosi. Ita enim apud Nonium legit Joseph. Scaliger, Conjectan. in Varron. Et *degumiare* apud Fest. id est, devorare, degustare. *Brant.* *Gumiæ cujusdam.* *Gumias* quasi *Gurgites* dictos Turnebus vult, deducitque ἀπὸ τῶν κυμάτων. audiamus Scalig. Advers. XXVII. 8. potius, Not. ad Varr. *Gumia* a γόμος, quod est πλήρωμα τῆς νεώς· Latinus *Saburra*, inde Plauto 'mulieres saburratæ.' *Pric.* *Testimonium ex libello legi audisti gumiæ cujusdam.* Quod licet prohibitum non sit, tamen nulla fere vis est horum testimoniorum, præsertim in caussis capitalibus: infra iterat Appuleius: 'Cur autem testimonium ex libello legistis? Crassus ipse ubi gentium est?' Seneca lib. IV. Natur. Quæst. 'ex his me testibus numero secundæ notæ, qui vidisse quidem se negant, sed audisse.' Sed hic Appuleius non improbat Crassum quasi testem ex auditu, sed quod non ipse coram testimonium dicat, sed ex libello recitetur, eo absente. Cicero pro L. Flacco: 'Ergo is, cui si aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, injuratus probabit?' *Scip. Gent.*

Nocturna sacra] Paullus l. v. Sentent. 'Qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, faciendave curaverint.' Eadem Mala sacrificia Modestinus l. XIII. ad L. Corn. de Sicar. *Colv.* *Me in ejus domo nocturna sacra factitasse.* Probus in vita Alcibiadis: 'Aspergebatur infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur.' *Pric.*

Quamquam meo tempore] F. *in eo temp.* Brant. Stewech. ad Met. lib. II. p. 99. b. male geminatam litteram *m* putabat. Imo, legendum *in eo tempore* ex Mss. O. ut edidit jam Scriv. Sic aliquoties locutus est Auctor in hac Apol. Supra p. 464. 'Quam forte tum in eo tempore conscribebat.' p. 472. 'a me petitam eo in tempore, quo me non negabunt in Gætuliæ montibus fuisse.' Infra pag. 506. 'quem abfuisse in eo tempore scitis,' ubi idem error commissus. p. 528. 'me in eo tempore non amabat.' p. 553. 'in extremo tempore vitæ.' Ita et Ms. Septim. de B. Troj. l. I. c. 6. 'atque in eo die:' ubi vulgo *atque ita*

eo die. J. B.

Symposia obiret] Quod statim, *de die in ganeas correpere.* Emendandus hic locus Auctoris nostri, Milesia x. 'Hortulanus detorsus in ipsam tabernam clam direpsit,' &c. *Detorsus*, antique. Cato II. Originum: 'Propterea Mamertini vocantur, a Marse detorsum nomen.' Significat enim Appuleius contorto et compresso corpore in cistulam correpsisse. Eamdem rem Horatius ita expressit Satyr. VII. 'an turpi clausus in arca Quo te detrusit peccati conscia herilis Contractum genibus, tangas caput.' *Scip. Gent.*

De die in ganeas] Quod tempestivum convivium dicitur, de quo Lipsius excursu ad Corn. Tacit. lib. XII. Annal. *Brant.* *De die.* H. e. non 'interdiu,' sed 'diluculo,' 'summo mane:' sic ap. Plautum Asinar. 'de die potare.' Sueton. Domit. 'de die lavare.' Tertullian. de Spectac. 'de die ad balneas condicere:' quod in Apolog. vocat 'diluculo lavari.' *Pric.*

In ganeas correpat. Proprie *correpat*, nam *correpimus* in occulta loca, cujusmodi *ganeæ* sunt, et id genus latibula. Sylloge rariorum vocum e Gloss. vett. 'Ganea,' (sic recte Vulcanius,) 'occulta loca et subterranea.' Isidorus Orig. lib. x. 'Ganeo, luxuriosus: tanquam in occultis locis et subterraneis.' Donat. in Adelph. 'Veteres ganeum meritoriam tabernam dixerunt ἀπὸ τῆς γᾶς, τοῦτ' ἔστι τῆς γῆς.' Balb. in Cathol. 'Ganeum dicitur locus in terra defossus, ad quem ad ludendum et scortandum populi confluebant:' allusit Noster etiam figurate in de Platonis dogmate: 'Cupidinem atque appetitum postremam mentis portionem, infernas abdominis sedes tenere, ut popinas quasdam et latrinarum latebras, diversoria nequitiæ atque luxuriæ.' *Idem.*

PAG. 499 *Aucupatum*] Sensus est: Quasi vero Crassus Alexandriæ, in caupona, inter compotores suos, plumas domo sua apportatas aucupatus fuerit, i. e. studiose inquisiverit; et suæ domus fumum agnoverit. In Edd. Elm. et Scriv. minor distinctio minus bene collocatur post *advectas*, ut, credo, *aucupatum* passive accipias, quemadmodum statim dixit Auctor 'fumum frustra captavit.' Ceterum recte iidem Elm. et Scriv. revocarunt veterem ante Casaubon. lectionem *aucupatum*, pro qua Casaub. cum seqq. *aucupantem.* Bene, quod ad sensum, sed contra Mss. *J. B.*

Ulixes fumum] Odyss. α. ... ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται. *Colv.*

Terra sua emergentem] Scribebatur *mergentem:* hoc est δύντα vel δυόμενον. Scripsimus *emergentem* auctore Homero qui ἀποθρώσκοντα dixit. Imo ratione ipsa ita flagitante, et rerum natura. *Casaub.* *Ulysses fumum terra sua emergentem.* Lucianus: Ὁ τῆς πατρίδος αὐτῷ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. Eustathius Ἐρωτικῶν Scriptor libro III. Καπνὸν πατρίδος οὐ μόνον ἐλευθερίας, ἀλλὰ καὶ θεώσεως αὐτῆς τιμιώτερον ἔκρινε. Philostrat. Ariad. Ὁ Θησεὺς δὲ ἐρᾷ, ἀλλὰ τοῦ τῶν Ἀθηνῶν καπνοῦ. Rutil. Numat. Itinerar. l. I. 'Signa levis fumi commendat Homerus, Dilecto quoties surgit in astra solo.' *Pric.*

Vincit sagacitate odorandi canes et vulturios] Τῶν πτηνῶν καὶ τῶν πεζῶν, οἱ γῦπες καὶ οἱ κύνες πόρρωθεν τῶν ὀσμῶν ἀντιλαμβάνονται. Suidas in Κογχύλη. *Idem.*

Omnis fumi non imperitus] Non omnes animadvertent quare hoc dicat. Objicit autem Crasso isti vitam parasiticam: Parasitorum enim hæc solertia fuit, hæc palma. Ait quidam de eo grege apud Diphilum Comicum: Ἀτενὲς δὲ τηρῶ τοῦ μαγείρου τὸν καπνὸν Κ' ἂν μὲν σφοδρὸς φερόμενος εἰς ὀρθὸν τρέχῃ, Γέγηθα, καὶ χαίρω τι καὶ πτερύσσομαι· Ἐὰν δὲ πλάγιος καὶ λεπ-

τὸς, εὐθέως νοῶ Ὅτι τοῦτό μοι τὸ δεῖπνον ἀλλ' οὐδ' αἷμ' ἔχει. Præterea fuit ea ætate frequens in ore hominum proverbium, quod in historia aliquot Augustorum apud Spartianum et Capitolinum sex septem locis notare memini, 'fumum vendere,' vel 'per fumum aliquid vendere:' de eo qui gratia, qua valebat apud principem, ad quæstum suum abutebatur. Eo etiam allusum esse ab Appuleio declarat quod infra non longe ait: ut ne impunitum Crasso foret, quod Æmiliano homini rustico fumum vendidit. *Casaub.* Apposite 'helluonem, omnis fumi non imperitum' vocat. Est enim fumus lautitiarum indicium. Seneca Ep. LXIV. 'Intervenerant quidam amici propter quos major fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautiorum culinis, et terrere vigiles solet; sed hic modicus, qui hospites venisse significaret.' Tertull. Apolog. 39. 'Ad fumum cœnæ Serapicæ.' Fumus etiam popinæ proprius. Cic. in Pison. c. 6. 'stetimus in illo ganearum tuarum nidore et fumo.' cf. Pric. *J. B.* *Omnis fumi non imperitus.*] Vitam Parasiticam heic objici recte Casaubonus notat. Ea enim natio culinarum fumos captare solebat, vel (ut verbis Appuleianis loquar) nidores naribus hariolabatur. Ammian. Marcellin. l. XXVIII. 'Plerique distentioribus saginis addicti, præeunte nidoris indagine, &c. humum summis pedum unguibus contingentes, aulis adsistunt, digitos prærodentes dum patinæ defervescunt.' *Pric.*

Quo solo censetur] Frequens locutionis formula optimis passim auctoribus: in his Agellio, Plinio, Juvenali, Justino. Sed et Minutius Felix: 'Nos igitur,' inquit, 'qui moribus et pudore censemur.' Tertullian. de Velan. virgin. 'proprietatem ejus vocabuli' [mulieris] 'ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, quo communiter etiam virgines censeantur.' Sidon. Apollin. lib. VIII. Epist. 7. 'qui superbissime opinantur solo se sensu esse censendos.' Occurrit et apud Jurisconsultos 'juris peritia censeri' Instit. de jure nat. gent. et civili. Et ult. de suis et legit. hæred. 'nulla juris auctoritate censeri:' et alibi. *Brant.*

Facilius ad eum vini aura quam fumi pervenerit] Plaut. Curcul. 'Vinosissima, Eaque extemplo ubi vino has conspersi fores, de odore adesse me scit.' *Pric.*

Jejunus adh. et abstem.] Ἄσιτος καὶ ἄοινος. Abstemius comica licentia non est ὁ μὴ μετέχων οἴνου ut vertitur in Glossaria: sed ὁ μήπω, qui pro hora Diei nihil dum vini bibit. Si bene memini, ita accipit et Tertullianus de Christianorum stationibus et jejuniis alicubi loquens. *Casaub.* *Jejunus et abstemius.* Tertullianus de Pall. de Chamæleonte, 'Jejunus et irrefectus:' quæ non laudo quasi eodem dicta modo quo Authoris verba, sed quia sub manum cadunt, nec fortassis infæliciter. Eruditissimus Interpres *indefectus* scribit: h. e. ἄλειπτος. (Noster Græcissans diceret, *fame melior.*) nam *irrefectus* (inquit) ipsum illud quod *jejunus* est, ita bis idem diceret, quod absurdum foret. Nil imminutum ibimus ab illius Genio profectum, cujus acumen, εὐστοχίαν, eruditionem inter paucos suspicimus: stari tamen putamus posse a recepta lectione, idque citra ullum sensus aut Latinitatis dispendium. Miles. VII. Noster, 'Cæcam et exoculatam Fortunam.' Nona, 'Sub dio, et intecto conclusus stabulo.' Ibid. 'Nudis, et intectis pedibus.' III. 'Intecti atque nudati bacchamur.' (ita in Mss. legi monent, vulg. *intecti b.*) X. 'Nudo et intecto corpore.' Mire frequentes Afri sunt in his loquutionibus, ubi Criticam limam ponere, foret polire in detrimentum, adhibere pumicem, detergere nativam gratiam. *Pric.*

Abstemius] Recte Casaub. *abstemius*, non ὁ μὴ μετέχων οἴνου, sed ὁ μήπω. Miles. VII. 'Sauciis illis, et crapula vinolentiaque madidis, ipse abstemius vinum non cessat impingere.' Miles. X. alibi 'invinium' vocat. Plautus et Horatius 'Siccum.' *Idem. Jejunus et abstemius, testimonium illud vendidisse.* Quare *jejunus?* an ut plus fidei quæreret? an quod ita leges juberent? ejusmodi quidem μαρτυρίας religionem in Pontificio jure servatam video, ut Decretal. lib. II. de Test. c. 1. Et Capp. Karoli M. l. III. Tit. 10. et 52. at in Pandectis nec volam illius reperio, nec vestigium. *Idem.*

PAG. 500 *Si quid ejus*] Videtur pro *Ejusmodi* positum, etsi, quod sciam, sine exemplo. *Idem.* Ut quidem in eo tempore videbatur mihi: longe nunc secius. Plautus in Casina: 'Verum altrovorsum, quum eam mecum rationem puto, Si quid ejus esset, esset mecum postulatio:' at non putem hoc solenter occurrere, ea re advertendum censeo. *Id. in Add.*

Quintianum istum qui mihi adsistit] Ut amicum decuit, amplius e consuetudine. Plin. in Epistolis, 'Adsistebam ei, &c. ut amicus.' Miles. III. Noster: 'Non contentus quod mihi nec adsistendi solatium perhibuit, insuper exitium meum cachinnat.' Cicero et Seneca vocant 'reo adesse.' Græci Oratores, τῷ ἀπολογουμένῳ παρίστασθαι. Suetonius (contra Gellii mentem) 'superesse.' *Idem.*

PAG. 501 *Non potest, nec in testimonio dando, discedere longius a culina*] Trahas huc, nec invita, ut puto, Varronis ea in Modio: 'Ganeones, quibus est modulus vitæ culina.' Et in Manio: 'Habens ante positam alimoniam, Sedens altus alieno sumptu: Neque post respiciens, neque ante prospiciens, Sed limus intra limites culinæ.' *Idem.*

Testimonium ex libello, &c.] Harpocration in Ἐκμαρτυρία. Donat. ad Andr. *Idem.*

Helluo attentatur] *Heluco* legendum, aliis ante nos animadversum. Eam vocem apud eundem Tertullianum invenias de corona militis: 'Quod hederæ natura sit caput ab heluco defensare,' id est, gravitatem capitis arcere, quæ nimia vini ingurgitatione creatur. Vide Turneb. lib. XXI. Advers. cap. 12. *Brant.* Legend. *Heluco*, vel *eluco*, quod eodem cadit. Tertullian. de corona milit. 'Quod hederæ natura sit caput ab heluco defensare.' Festus: 'Elucum significat languidum et semisomnem, &c. sine halonem: id est, hesterno vino languentem, quem ἕωλον Græci vocant.' Gellius *helucum* tarditatem animi, et stuporem interpretatur: Ego gravedinem capitis cum succussione, nempe ut Etymon *crapulæ* respiciat. κραιπάλη enim est quasi καραπάλη, ἀπὸ τοῦ κάρα, καὶ τοῦ πάλλειν τοῦ δηλοῦντος τὸ κινῶ· inde κραιπάλη, ὁ ἐκ μέθης παλμὸς, ὅ ἐστι δίνησις καὶ κίνησις τοῦ κάρα. Etymologus in κραιπαλῶ, et πηλός. Eustath. ad Iliad. α. et hoc verius quam quod Isidorus, 'crapula, quasi cruda epula.' *Pric.* Fidenter edidi *eluco* sive *heluco*, cum Wower. quam correctionem verbum *attentatur* flagitare videbatur. Salm. ad Solin. p. 903. restituit eam vocem quoque Gellio IV. 19. 'Pueros impubes compertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri, ad veterni usque aut eluci tarditatem:' ibi vero Salmasii conjecturam a Mss. comprobari postea cognovit Gronov. Sed nostro loco Msti auctoritas adhucdum desideratur. Fortasse ea non careremus si Ms. D'Orv. integram hanc Apologiam servaret: solet enim iste Ms. rariorum lectionum vestigia præ se ferre. cf. supra ad illud 'tædaceo fumo.' Solet etiam Tertullianus, qui eandem vocem, quæ vix alibi legitur, usurpavit, e nostro Auctore rariora vocabula imitari. De τῷ *Elucus* s. *helucus* vid. Gronov. ad Gell. locis a nobis et a Pricæo citt. et Voss. Etym.

in v. *J. B.* *Attentatur.* Barthius, *amentatur,* sed nil mutatione opus. 'Crapula attentari' dixit ut supra, 'attentari morbo:' et Miles. I. 'fatigatione pertentari.' *Pric.* Bene, si dixisset Auctor *crapula attentatur,* sed addita præpositio *ex,* facit, ut desideretur nomen, quod τῷ *attentatur* junxerit Auctor. Interpretatur quidem Florid. 'num gulosus ille ex temulentia decumbit.' Verum hoc non significat *attentari,* quod verbum usurpatur de morbis: sed non nisi addito vocabulo, quo morbus designatur, aut intellecto e præcedentibus. ex. gr. Sept. de B. Troj. II. 30. 'nullus, neque mortuus ex hoc malo, neque attentatus est:' id. ibid. XXXIII. 'paullatim vis mali leniri, neque amplius attentari corpora.' *J. B.*

Hæc fabra tecum] Lipsius emendat, *hæc fabricantem.* Colv. Placet admodum quod docti viri excogitarunt, *hæc fabricantem:* sic tamen ut nostræ conjecturæ nondum nos pœniteat, *hæc fabram tecnam,* id est, *technam.* Imo vero sic potius scribet qui me audiet, *Nam equidem hæc fabra tecum fabricantem hesterna die animadverti, &c.* nam quia inter *fabra tecum* et *fabricantem,* et literarum et soni est similitudo aliqua, ea re corruptus hic locus, ut alii μυρίοι ἐπὶ μυρίοις. *hæc fabra* valet, τὰ σοφὰ ταῦτα. supple μηχανήματα et commenta. *Casaub.* *Hic sabra tecum.* Ita v. c. Fulv. *equidem hac hora tecum.* Et mox *iste maxime præsens per libellum.* Sciopp. in Symb. Mira varietas lectionis et emendationum. In V. C. Fulvii legi aiunt, *hic fabra.* Unde viri docti sic legunt, *Hæc sapra hesterna die.* Σαπρὰ, optime, inquiunt, ad sententiam, aptumque obructandi verbo, ita σαπρὸς λόγος. Iidem, *Hac hora tecum hesterna die.* Alii, *hæc fabra tecum fabricantem.* Alii, *hanc fabram technam.* Alii, *hæc fabricantem.* Dædalum esse oportet, qui novam lectionem fabricetur. Conatus tamen sum veram lectionem indagare: atque ita conjeci legendum. *Hæc supra te cum hesterna die, &c. obructantem.* *Supra te,* id est, supra aurem tibi capite adplicato, ut solet, quum quid secreto alii committimus et cum illo consusurramus, ut loquitur Terentius, in Heautontimorumeno. *Scip. Gent.* Hic locus est, qui insigniter exercuit ingenia virorum in his litteris maximorum: et pro *hæc fabra tecum* restituit Lipsius, *hæc fabricantem,* probat Casaubonus, ita tamen ut neque damnet suas conjecturas, *hanc fabram technam* vel *hæc fabra tecum fabricantem,* adjecta integra dictione. Fulvius Ursinus vellet, *hac hora tecum.* Ego legendum existimo, *nam equidem hunc fanaticum hesterna d.* arbitrabitur æquus lector. *Meurs.* V. C. Fulv. *hic fabra.* Viri docti emendarunt, *hæc fabricantem hesterna die.* Casaubonus, *hanc fabram technam.* Nec dum me expedio. Quid si legamus cum Fulvio, *Nam equidem hac hora tecum hesterna die?* Sed non temere in V. C. *Sabra.* Fortasse: *Nam eq. hæc sapra hesterna die animadverti satis notabiliter in m. f. tibi Æ. obructantem.* Sapra σαπρὰ, optime ad sententiam; aptumque obructandi verbo: ita σαπρὸς λόγος. *Wower.* Non est locus mendosior in toto Appuleio. Casaub. legit, *Nam equidem hæc fabra tecum fabricantem h. d.* Meurs. *Nam equidem hunc fanaticum h. d.* Memb. Florent. *Nam equidem hic sabrate cum externa die.* Fulvii liber, *Nam equidem hic sabra tecum h. d.* Roman. Aldus et Basil. *Nam equidem hæc fabra tecum h. d.* Wower. *n. e. hæc sapra hesterna die animadverti satis notabiliter i. m. f. tibi Æ. obructantem.* Ego retinui Scaligeri conjecturam tantisper dum meliorem inveniam in libris aliis. *Elmenh.* Non extat locus aliquis in Authore nostro, cujus institutioni Interpretes plus et temporis et operæ dedere. Legit post omnes e Florent, eruditiss. Salmasius, *Nam equidem heic sabratæ cum hesterna die, &c.* Li-

bens acquiescerem, si habitam ibi orationem putarem, constat non alibi autem quam Carthagine pronuntiatam. *Pric.* ***Nam equidem hanc fabram techam hesterna die animadverti, &c. Æmil. obructantem.*** Hæc est lectio a Scaligero primum recepta, quæ sequentes Edd. occupavit omnes (præterquam quod Scriv. locum corruptum reliquit ut in Mss. legitur); quum antea vulgaretur *nam equidem hæc fabra tecum, &c.* Adjectivum *faber, bra, brum* aliquoties usurpat Noster, et recte *fabra techna* dici potuit fraus illa, quam 'de fuligine et pinnis mentitus est' Crassus, et quam, quum ipse temulentus in judicium venire non posset, Æmiliano obructatus fuerit. Verum istiusmodi vocabula Græco-Latina in Mss. corrumpi solent; ita tamen, ut alius aliud præbeat: hic vero Mss. O. consentiunt in *hæc* vel *hic sabrate cum* vel *eum.* Verior igitur, imo palmaria, est emendatio Salmasii ad Solin. p. 227. *nam equidem hic Sabratæ eum hesterna die, &c.* Quam quidem correctionem, extra omnem dubitationem positam, fidenter amplexus sum. Parum vel nihil ea abit a Mss. quin et in Pith. majuscula litera scriptum videtur *Sabrate* De Sabrata Africæ urbe, vide Cellar. Ge. Ant. IV. 3. 12. Heins. et Drakenb. ad Sil. It. III. vs. 256. Non me fugit, admissa hac lectione, falsum fieri, quod vulgo creditum est, orationem hanc ab Appuleio habitam fuisse Carthagine: sed hoc ipsum emendationem confirmat. Carthagine enim causam suam non dixisse Appuleium, colligas ex iis, quæ infra pag. 552. leguntur. Proximum est ut de Œa cogitemus: sed nec hoc verum, uti et ex aliis locis suspicari possis, et clarissime patet e proxime seqq. 'an hic Junium Crassum Œensem viderint:' et loco, qui infra habetur p. 507. 'Jussi curriculo iret aliquis, et ex hospitio meo Mercuriolum afferret, quem mihi Saturninus iste Œæ fabricatus est.' Pronunciavit itaque App. orationem hanc in urbe, ubi *hospitium,* non domum, habebat; quo profectus fuerat, ad causam suam dicendam. Vicina oppida sunt Œa et Sabrata: Sabratæ autem conventus Juridicus videtur fuisse. Ceterum Sabratæ loquenti satis fuisset dicere *hic in medio foro,* quo facile viderent omnes, forum Sabratæ intelligi: at, quum supra rogasset, 'An Alexandriam remeavit?' recte h. l. et cum emphasi additur *hic Sabratæ.* *Hic* jam editum, ni fallor, in nonnulla Edit. exstat certe in Mss. Florent. 'Obructare alicui' dictum ut apud Plaut. Pseud. v. 2. 6. 'quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius irructas?' et vs. 9. 'pergin' ructare in os mihi?' Restat ut moneamus Heinsio in mentem venisse *hunc saburratum* vel *hæc suburrate cum* vel *saburrato ore:* vide ejus Advers. p. 480. *J. B.* *Quid sit diei vides? dico Crassum jamdudum ebrium stertere*] Ex Plautinis illis in Trinummo: 'Diei tempus non vides? quid illum putes Natura illa atque ingenio? jamdudum ebriu'st.' *Pric.*

Ad repotia cœnæ obeunda, vinolentum sudorem in balneo desudare] Plutarch. in de cura valetud. Οἱ μὲν ὑπὸ λαιμαργίας καὶ φιληδονίας ἐμβάλλουσιν ἑαυτοὺς ἐπὶ τὰ βαλανεῖα, καὶ σπεύδουσιν ἐπὶ τὰς προσπόσεις. Nonnunquam Sole apricabant etiam, ut se largius mero invitarent. Arnobius I. 'Numquid ideo dicenda sunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur otiose rutilare se flammis, et causas potionibus præparare?' Quandoque ad ignem. Sisenna IV. Historiarum: 'Dum pristinum vinum apud ignem per sudorem corpore exhauserunt.' *Idem.*

PAG. 502 *Iste cum maxime*] Mirum, præteritum hoc a Criticis *Is tecum m.* Statim sequitur 'ne cum sub tam severis oc. t. const. ne tu bell.' ***Leg.*** *ne cum eum s. t. s. o. t. c. tu belluam, &c.* Acidal. Ingeniose et vere Aci-

dalius: *Is tecum, Maxime, præsens, &c.* Indignitatem Crassi auget, et quod quum præsens esset, tamen cum Procons. per libellum loqueretur, et id non modestiæ vel timoris causa faceret, quasi vereretur etiam sub oculis Proconsulis sine ullo rubore mentiri: sed quia non tanti putavit ut vel ea hora saltem sobrius exspectaret, donec sibi testimonii dicendi copia daretur. Nedum in Crasso isto, sed etiam in summis viris superbum haberetur, non per se alloqui præsentes, sed per internuncium: superbius per libellum. Tacitus de Pallante Claudii Imperatoris liberto lib. XIII. Annal. 'Nec tam grata Pallantis innocentia, quam gravis superbia fuit, quippe nominatis libertis ejus, quos conscios haberet, respondit, nihil unquam se domi, nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret.' Superbissimum autem et intolerabile, non venire quem in judicium et ad Proconsulem testimonii dicendi caussa, quantavis dignitate præditus sit, nedum qualis Junius iste Crassus erat; quod ab eodem Cornelio acriter reprehensum in Urgulania summæ apud Tiberium et matrem Liviam gratiæ, lib. II. Annal. 'Cæterum,' inquit, 'Urgulaniæ potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in caussa quadam, quæ apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est Prætor, qui domi interrogaret; quum virgines vestales in foro et judicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit.' *Scip. Gent. in App.* Jungerman. loco sæpius cit. mallet quoque *Is tecum m.* eamque correctionem, a Putschio profectam, palmariam vocat. Equidem, lectis quæ de formula *cum maxime* accurate disputat Ernest. in Cl. Cicer. nil muto: nec cum Fulvio ejicio *cum*. J. B.

Madentes] Heins. Advers. p. 480. *marcentes.* Sed Mstorum et vulgata lectio *madentes* non improbanda, de oculis vino languidis. cf. Pric. not. 'Oculos udos ac tremulos et marcidos' conjunxit Noster Met. II. p. 52. Ed. Pric. sed ibi de libidinosis, ὑγροῖς, quos 'ebrios ocellos' vocat Catull. XLV. 14. cf. Pric. ad loc. Met. cit. *Idem.* *Madentes oculos*] Rutil. Lupus de fig. &c. l. II. 'Oculi mero madidi.' Ibid. 'Oculi vinum lacrymantes.' *Pric.*

Rictum, &c. ructus] Non æquo animo fero, duo ista sine epithetis nuda hic posita, *rictum* et *ructus*. Et sane crediderim, scripsisse Appuleium *rictum, &c. restrictum.* 'Restringere' non semper est 'constringere,' sed et 'distringere,' ut in Epigr. superiore ad Calpurnianum: 'Restrictis forte si labellis riseris:' τῷ *ructus* autem quid apponam, nondum conjectura sum assecutus. Fuit omnino aliquid sono isti voci simile, ut ad *rictum*. Acidal. Quum omnibus partibus, quas nominat, sua Epitheta Lucius adjunxerit, mirum videtur doctis viris non et 'rictui' et 'ructui.' Suspicari aliquis posset, palantem alieno loco voculam, *Ructum:* et scripsisse Appuleium *Rictum reductum*, quomodo Silius lib. IV. locutus est: 'namque ora reducto Paulatim nutat rictu.' Nunc perpensis iis, quæ sequuntur ita legendum puto: *Cil. turg. apertum rictum; sal. lab. voc. abs. ructum de cupa. Nam patr. Ructum de cupa* interpretor viri de cupa empti: miseram enim paupertatem Crasso exprobrat et sordes, quomodo L. Pisoni Cicero: 'Pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola, atque de cupa.' Firmat hanc conjecturam, quod supra Appuleius dixit: 'Cauponibus quam nomenclatoribus notior.' Et infra: 'Cujus oboluisse fæcem videbant,' aliaque similia. Cicero eodem loco: 'quum isto ore fætido teterrimam nobis popinam inhalasses.' *Scip. Gent. in Append.* V. *Ructus spinam: nam patrimonium.* Non capio hæc depravata. Et tota qui-

dem periodus parum sana. Rectius haud dubie scribas: *cilia turgentia, rictum hiantem, salivosa labia, vocem absonam, manuum tremorem, ructus fetidos.* Istiusmodi enim voces, aut iis similes, desiderari, ostendunt reliqua periodi membra. *Wower.* Deest forte aliquid, *Brant.* Florid. *ructu spinam!* Fulvii liber, *ructus spinam.* Wowerius, *rictum hiantem, salivosa labia, v. a. m. t. ructus fœtidos.* Probarem, si libros haberet auctores. *Elmenh.* Sana in speciem omnia: ulcus in recessu latet. Codex Florentinus habet *ructu spinam patrimonium, &c.* Fulvii Ursini liber, *Ructus spinam p.* hæc quum non caperet Wowerius, *Ructus fœtidos* reposuit, et Scipio pari licentia *ructum de cupa.* At o Dii Boni! quid ad veterem scripturam hæc? cur non eadem opera suggessere *ructus amarulentos, de caupona,* et similia? imo quidquid sub calamum cecidit, etsi remotissimum? Rutgersius sane modestius *rictus spumam* legit. Ego post omnes scribo *ructus popinam.* Cicero in Divin. 'Quum isto ore fætido teterrimam nobis popinam inhalasses.' Claudianus Mamercus de statu animæ II. 9. 'Inhalare cloacam ventris et sentinam oris.' Judicent eruditi. *Pric.* Ms. *ructus spinam. Nam, &c.* Lego: *ructus, suspiria. Nam, &c.* Ita optime quadrabit, quod sequitur 'Nam patrimonium omne jam pr. abl.' *Is. Voss. in Schedula.* Locum affectum esse quivis videt. Vulgo editum *rictum salivosaque labia, vocem absonam, manuum tremorem, ructus. Nam patr. &c.* Sed non video, quomodo conjunctione *nam* seqq. præcedentibus jungi possint, idoneo sensu. Quod vidit Is. Voss. in schedula, quam edidi. In Ed. Junt. post. non apparent *ructus nam:* pro quibus in Mss. est *ructu spinam,* aut *ructus spinam,* quod, addito præterea *nam,* aiunt esse in Ms. Fulv. Præter conjecturas a VV. DD. supra propositas Salm. marg. adlevit *os ructu hians,* sed τοῦ *os* nullum est in Mss. vestigium. Rutgers. conjecit *ructus spumam:* proxime sane ad Mss. Suetonius Claud. c. 30. 'spumantem rictum' Claudio irato tribuit. Lennepio V. Cl. suspecta est ipsa ructus mentio, non suo, ut videtur, loco posita, quum *manuum tremor* haud concinne inter *rictum* et *ructum* memoretur: alioqui divinaret V. Cl. *ructus pœnam,* ut apud Plin. H. N. XXIII. 2. 'Acetum scillinum prodest acescentibus cibis: gustatum enim discutit pœnam eam.' Tutius itaque visum, ipsam Codicum lectionem exhibere, et verba *ructu spinam,* quia in Ed. Junt. post. desunt, uncis includere. *J. B. Manuum tremorem*] Pers. 'Tremor inter vina subit.' Seneca Ep. XCIV. 'Pallor, et nervorum vino madentium tremor.' Plinius lib. XIV. cap. 22. eod. argum. 'Oculorum ulcera, tremulæ manus.' Glossæ: 'Μέθη, Trementura, ebrietas.' Ubi vide an recte Vulcanius, *Temulentia, e. Pric.*

Patrimonium omne jampridem abligurivit] Cænis nempe, cupediis, et culinæ sumptibus. Cicero Catilin. II. 'Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas abligurrierunt.' Terentius: 'Patria qui abligurrierat bona.' Sidonius lib. IX. Ep. 6. 'Quantum de bonusculis avitis paternisque sumptuositas domesticæ Charybdis abligurisset.' 'In patrimonio belluari' vocat Gellius II. 24. 'Familiam et pecuniam suam prandiorum gurgitibus proluere.' Noster infra: 'In ventrem condere.' Athen. lib. IV. τὴν πατρῴαν οὐσίαν σφαῖραν ποιεῖν, sive ut pillulam deglutire. Huc pertinet quod de Acteone Fulgentius Mytholog. ex Anaximene: 'Dum periculum venandi fugeret, affectum tamen canum non dimisit, quos inaniter, (lege *immaniter*) pascendo, pæne omnem substantiam perdidit: ideo a canibus suis dictus devoratus esse.' *Idem.*

Ad calumniam venditandam] In qua

me nocturna et magica sacra fecisse per calumniam affirmet. *Florid.* Non audiendus itaque Vulc. in marg. conjiciens *venditanda:* quod satis arguunt seqq. ' Nam temulentum istud mendacium ... vendidit.' De locutione ' venditare calumniam,' aut sim. cf. Burm. ad Lucan. VIII. vs. 675. Ernest. in Cl. Cic. *J. B.* *Nec quidquam ei de bonis paternis superest, nisi una domus ad calumniam venditandam*] Et hæc e Plauti Sticho : ' Nec aliud quidquam nisi hoc quod habeo pallium Præterque linguam unam venditariam :' vel ex his Trinummi : ' Est ager sub urbe heic nobis, eum dabo Dotem sorori, nam is de stultitia mea Solus superfit præter ' (lego *propter*) ' vitam reliquus.' *Pric.*

Tribus millibus nummis] Si ad Latinitatis normam exigas, scribes, *nummum,* vel, *ter mille nummis:* sed illo potius modo Auctor scripserat : ut infra, ' sexaginta millibus nummum.' *Casaub. Nummum.* Flor. *nummis.* Elmenh. In Cicerone istiusmodi lectionem *tribus millibus nummis,* sine hæsitatione, invitis etiam Mss. mutarem. Quum vero, observante Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. n. 78. Orosio, et illius ætatis auctoribus in primis familiare fuerit, pro genitivo partitionis adhibere illum ipsum casum, quo numerus rei numeratæ *deinde* exprimitur, quin et Livius hanc constructionem non adspernatus sit, qui l. XXXVII. c. 59. 'Tulit,' inquit, 'in triumpho nummos aureos Philippeos centum quadraginta millia :' equidem contra Mstorum et Edd. veterum auctoritatem affirmare non ausim, Appuleium sibi hanc constructionem non permisisse, etiamsi numerus præcedat. Revocavi itaque cum Scip. Gent. et Pric. codicum lectionem mutatam a Casaub. et reliquis seqq. *J. B.*

Denunciatione impedire] Aliud est, denuntiatione testimonii terrere, apud Ciceronem in Orat. pro L. Flacco : ' Adjunxit illa, ut eos qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione terreret :' (id est, impediret, ne contra se quidquam agerent, minando, si facerent, sese eos ad testimonium dicendum Romam evocaturos, ut infra etiam exponit :) hoc loco Appuleii est, impedire, ne testimonium dicat. *Scip. Gent.* Id est, inquit Gentilis, ' impedire ne testimonium diceret :' esto : at non interim exponit *denuntiandi* verbum. Ego *denuntiationem* accipio heic pro delatione, indicio criminis istius Magistratui. Saltem legendum putem *denuntiationem impedire :* id est, injustam mei accusationem. Budæus in forensibus, ' deferre nomen alicujus ut malefici, est fere quod denunciatorem esse dicunt non justum accusatorem.' In quæ verba tamen quia exemplis non firmat, non jurari velim. *Pric.* Ad *impedire* intellige *mendacium.* Si denunciasset App. magistratui, de mercede pactum esse Crassum, ad ipsum falso accusandum, admissus non fuisset ad testimonium dicendum, et *denunciatione* illa mendacium impeditum fuisset. *Denunciatio,* quæ *impediendæ* venditionis caussa fit, e Digestis citatur a Brisson. de V. S. *J. B.*

Damno affici] Glossarium, ' Affici damno, Ζημιοῦσθαι.' *Pric.*

PAG. 503 *Haudquaquam occulta r. a. e.*] Malim *occulto.* Casaub. Lege cum Casaub. *occulto ;* nam non novam rem narrat quampiam, sed eam de qua supra proxime, Crassi Testimonium. Qui alia ruspantur heic, et ad subsequens quidpiam referendum putant, næ illi quasi cœcæ bestiæ incassum hiant. *Pric.* Non necessariam putavi correctionem Casauboni. In domo Rufini facta est illa res, quæ haudquaquam occulta est, quæ nemini Œææ ignoratur. *J. B.*

Deprecatoribus] Legerim *depreciatoribus.* Sidon. Apollinaris lib. I. Epist. 7. ' Et pretiosa quæque trapezitarum involucra rimari, pensare, depreciare, devolvere,' &c. Et lib. II. Epist. 10.

'Neque apud te literariam curam turba, depreciet imperitorum,' ad quem locum, vide quæ annotavit Joan. Savaro, cujus equidem scrinia non compilo. Tantum addo B. Ennodii locum l. III. Epist. 2. 'Apud amantes, et honore pollentes, beneficiorum effectus in promtu est, nec ullas preces [cui præstandi] mos est tarditate depreciat.' *Brant.* Sensus est, intercessione ac suasu istorum duumvirum, Æmilianum tribus millibus nummum emisse Crassum testem. Id quod studiosus (inquit Appuleius) Ruffinus contendit, quia præscivit in uxorem suam (cujus stupra sciens dissimulabat) pecuniæ illius maximam partem a Crasso erogatum iri. Hæc vera loci sententia est, quam si perspectam habuisset non indoctus vir quidam, procuidubio vulgatam scripturam non movisset, ut obtruderet *depreciatoribus*, ridicule simul exempla congessisset quæ suo ipsius sensui pugnant. *Depreciare* enim est conari ut quam minimo acquiras quid, vili æstimare. Gloss. Vindoc. Ms. 'Aspernatur, contemnit, depegit:' (lege *depreciat*) quo quid oppositum magis Ruffini artificio. *Pric.* *Deprecari*, Nostro in primis, est valde precari. V. ad Met. IX. p. 668. a. et Ind. *J. B.*

Ipso Rufino et Calpurniano] An ille Calpurnianus, cujus supra facta mentio, ad quem versiculos de dentifricio scripsit? Videtur ab eo oppugnatus in judicio Appuleius: nisi hoc nomen existimes improbitatis nobilitatæ hominis. D. Hieronymus mentionem facit non semel 'Sallustiani' cujusdam 'Calpurnii,' quem et 'Lanarium' alibi nominat, quo nomine fuit homo scelestissimus, proditor, et percussor Salinatoris, ut refert Plutarchus in vita Sertorii. Idem Hieronymus in Apol. III. cap. 18. 'discipulos Calpurnianos' vocat, his verbis adversarium suum Rufinum notans, quasi sceleratum et proditorem. Proverbiale igitur nomen hoc fuit, ut dixi. *Scip. Gent.*

Coitionem adversum me] Glossæ: 'Coëris,' (lege *cœtus*) 'Coitio, Συνέλευσις.' Lex Sempronia: 'Qui convenerit, consenserit, coierit,' &c. Lex Gabinia: 'Qui coitiones, &c. conflavisset.' *Pric.*

Solita audacia] Edd. vett. *soluta aud.* Colv. Arrisit mihi vetus lectio præ illa nova *solita aud.* Casaubonus. Bas. et Ven. habent *soluta aud.* quod rectum, ut dicimus 'projectam audaciam:' quamquam ante conjeceram *solida*, qui eandem dictionem et in Seneca restituebam c. 2. de Tranquill. l. II. *Acidal.* Al. *solita*, forte, *solida*. Brant. Hærent heic nonnulli. Brantius *solida*, alii *solita*: at purior lectio est vulgaria quam ut moveri debeat. Aurel. Victor. 'Quum pontificum lege hostiæ mactarentur, suis utero maris fæminarum apparuere: id aruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fere potiora interpretari.' Doctissimus Schottus *solutionem* exponit 'mores dissolutos.' Sumpta est, ut videtur, loquutio hæc a corporibus languidis et solutis. Casaubonus ad ea Persii, 'Laxumque caput compage soluta Oscitat hesternum,' ait, quos Græci ἐκλύτους vocant Latinis *dissolutos* esse: solereque scriptores virtuti τόνον ac robur tribuere, quia ut valentis hominis corpus est robustum, non valentis languidum et παραλελυμένον. Sic cujus animo inest virtus, eum omnia vitæ officia implere facile; contra qui depravatis sunt moribus, nec corpore nec animo valent ad præstanda quæ usui sunt officia, eos ἐκλύτους et *dissolutos* vocari. *Solutam audaciam* porro explicare poteris *effrænatam*: Cicero *præruptam* vocat, sumpta ab equis metaphora, quorum impetus sine ope fræni incohibilis est: atque hæc est expositio Turnebi Advers. 30. 34. *Pric.* Edd. Junt. post. Colv. Vulc. pr. Gent. cum Ms. Pith.

solita. Placet mihi lectio reliquarum Edd. et Mss. Florent. *soluta*, i. e. libera, nullo metu aut pudore coërcita. Amm. Marc. XVII. 5. 'Veritatis oratio soluta debet esse et libera.' *J. B.*

Cujus fæcem] Interpretatur Florid. 'cujus videbant vinolentiam suboluisse:' quasi, credo, 'fæx alicujus subolere' dici possit, quando manifestum sit, eum 'fæce tenus' (de proverbiali hac locutione cf. Lamb. ad Horat. III. 15. 16.) cados vini ebibere solere. Quæ sane contorta est explicatio, qua tamen meliorem non habeo; nisi illud *fæx*, quæ vox de quacunque re impura usurpatur, ad impuritatem, atque adeo falsitatem et fallaciam testimonii referas: et tum *cujus*, i. e. testimonii. Et sic arbitror. Sin τὸ *fæx* ad impuritatem, non testimonii, sed ipsius Crassi, referre quis malit, ei fortasse non displiceat ejusmodi emendatio: *tamen, testimonio* (e Mss.) *Crassi quia ejus eboluisse fæcem videbant, nec ipsi, &c.* Idem.

Pinnarum formidines] Venet. *non quo.* Alludit hic ad lineam illam variis plumis pennisque avium distinctam, quæ ad retia ponebatur, et sic genus omne ferarum in ea captiose inducebat ac induebat. Hæc dicta Formido. Seneca de Ira lib. I. 'nec mirum, cum maximos ferarum greges linea pennis distincta retineat, et in insidias agat, ab ipso effectu dicta Formido.' Hoc quomodo fieret, satis aperte Nemesianus: 'Linea quin etiam magnos circumdare saltus Quæ possit, volucresque metu concludere prædas, Digerat innexas non una ex alite plumas. Namque ursos, magnosque sues, cervosque fugaces Terrificant, linique vetant transcendere septum.' Seneca lib. I. de Clementia: 'sic feras lineis, et pinna conclusas contine, easdem a tergo eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.' B. Augustinus lib. I. de Nuptiis et Concupisc. 'Et cum verentur infamiam falsam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia.' Hinc Formidines captiosa argumenta apud Gellium Noct. Atticar. lib. VIII. cap. 9. 'Remotarum autem quæstionum nebulas et formidines capiendis imperitorum animis ostentante.' *Colv.* Virgil. XII. Æneid. 'Inclusum veluti si quando flumine nactus Cervum, aut punicea septum formidine pennæ Venator cursu canis et latrantibus obstat.' *Brant.* Vide Colvium hæc docte explicantem. *Elmenh.* Adde Pric. *J. B.* *Pinnarum formidines*] Alludit notas illas 'venatorias formidines.' V. heic Colvium. Meurs. ad Lycophron. Rittersh. ad Oppian. Cyneget. IV. Nicol. Loens. Epiphyll. VII. 1. Turneb. Advers. V. 5. Lips. ad Senec. de Clement. I. 12. *Pric.*

Æmiliano, homini rustico] Supra: 'Æmilianus, vir ultra Virgilianos opiliones et bubsequas, rusticanus.' Infra de eodem: 'Rustico et barbaro.' *Idem.*

Fumum vendidit] Sed et hæc de 'fumi venditoribus' notissima. V. Quintilian. Mandos. de Prax. et Theor. Commiss. a. P. dat. Commiss. 25. verbo 'Remissoria.' *Idem.*

Nuncupare Βασιλέα] Tractum hoc ex ima penu vetustatis: passim in vet. Instrumento Idola hoc vocabulo insignita videas. V. Cl. Selden. de Diis Syris, Syntagm. I. cap. 2. et 6. *Pric.*

Unde etiam crimen] Non pendent hæc a superioribus, quod innuere videtur dictio *unde*, quamobrem *inde* etiam legerim, quo commode ad aliud accusationis caput fiet transitus. *Acidal.* Neque ego capio illud *unde* quo pertineat. Sed unice verum, quod e Ms. Fux. adscripsit Salm. *unum etiam crim.* i. e. Restat adhuc unum crimen diluendum, priusquam (p. 510.) ad

litteras Pudentillæ prævertar, et totius rei ordinem paulo altius petam. *Unum* et *unde* sic, confusa quoque Met. l. VII. p. 466. *J. B.*

PAG. 504 *Celeri forma*] Rom. Ven. marg. Bas. 2. *celeti forma.* Forte, *hebeti forma.* Colv. Malo legere, *colore et forma*, ut 'color turpis' referatur ad buxum, *forma* vero ad 'evisceratam diri cadaveris formam' ut postea Appul. loquitur. *Vulc.* Non est nostri moris emendationes nostras venditare, inque illis περπερεύεσθαι: tamen hunc locum et quatuor alios qui non longo intervallo sequuntur, Musis faventibus, emendavimus. Legebatur in editionibus aliorum, *cum sit celeri forma.* Scripsimus *sceleti f.* nam quid est *celeri forma?* illa vero quorundam emendatio, *hebeti forma* plane hebes et ἀπροσδιόνυσος. nostra vero correctio tam certa ut de ea ne dubitandum quidem sit. Nam *sceleti forma* esse legendum patet liquido ex ipsa re primum: istud enim, de quo agitur, sigillum ea facie fuisse dicebatur ab Appuleii accusatoribus. Arguunt illa mox, 'Tertium mendacium vestrum fuit, macilentam vel omnino evisceratam formam diri cadaveris fabricatam prorsus horribilem et larvalem.' Omnino sceleti formam his verbis describit. Contra Appuleius in refutatione hujus falsi, tribuit sigillo suo 'faciem decoram et succi plenam.' Quæ sunt plane ἐξ ἀντιφράσεως opposita formæ σκελετώδει. Patet etiam manifestissime ex vestigiis depravatæ lectionis cum hoc loco: nam editio illa Romana, quam toties laudamus, *celeti* non *celeri;* tum reliquorum qui sequuntur, in quibus *scelestus* legebatur. Quis adeo Academicus ut pronuntiare dubitet, et *celeti* literulæ adjectione in *sceleti*, et *scelestus*, quoties in hac disputatione occurrit, unius item literæ detractione in *sceletus* mutandum? sed omnem dubitationem vel Pyrrhoni alicui ademerit ipse Appuleius paullo post ita scribens: 'Hoccine est sceletus? hæccine est larva?' lege eo loco cum vulgatis *scelestu*. Quæram a te ubi ante dictum sit adversarios Appuleii larvam appellasse istud simulacrum: sed certo certius scripsisse illum *sceletus*, voce Græca: pro qua Latinam subjicit *larva* ceu interpretamentum prioris. Glossarium vetus, 'Σκελετὸς, larva, sceletus:' nihil opportunius ea auctoritate ad probandam nostram emendationem fingi potuit: ex qua duo discimus: alterum, vocem *larva* in superiore loco esse interpretationem dictionis *sceletus:* alterum, vocabulum *sceletus* etsi Græcum purum putum, pridem tamen civitate Latina fuisse donatum: ne quis forte miretur, oratorem in foro Romano vocem Græcam toties usurpasse. Det vero mihi aliquis Latinum vocabulum proprium (nam *larva* κυρίως aliud est) Græco ἰσοδύναμον, et concedam eo potius usurum illum fuisse. Norunt tamen eruditi Græcis literis, quam familiaris ea lingua huic scriptori fuerit: cujus Veneres et Charitas plurimis locis felicissime aut vertendo exprimit, aut Latine imitatur: quod sæpe interpretes quia non animadvertebant, ob Græci sermonis imperitiam, fœde et turpiter lapsi sunt. Sic mihi risum aliquando movisse memini Beroaldi subtilem horum verborum interpretationem Milesia septima, 'accipite virum ipsa morte, quam formidant alii, meliorem:' ubi cum ille non videret Græcanicam elegantiam elegantissimam, Deus bone quam inepte se gerit? atqui 'morte melior' non aliud quam mortis contemtor. Græce ad verbum dixeris, δέχεσθέ με τὸν καὶ θανάτου, ὃν φοβοῦνται πάντες, κρείττω. Tale illud quoque lib. XI. 'secretoque mandatis quibusdam, quæ voce meliora sunt:' sic enim Græci τὰ ἀπόῤῥητα vocant λόγου κρείττω. Legas ibidem et *invinius*, quod Græci ἄοινος imitatione dictum: ut *illiberis* apud Tertullia-

num IV. contra Marcionem pro eo quod Græci dicunt ἄπαις. Noster vero libro De philosophia etiam *symbolæa* Latine protulit: ubi tamen *symbolæ* vel *symbola* perperam scribi video. Mirum vero nondum esse emaculatum istum ejusdem libri locum, quo notissima Platonis sententia continetur: 'Illum quidem qui natura imbutus est ad sequendum bonum, non modo sibimet intimatum putat: sed omnibus etiam hominibus: nec pari aut simili modo: verum etiam unumquemque acceptum esse: de hinc proximis, et mox cæteris qui familiari usu vel notitia junguntur.' Quæso, quem sensum ista sic scripta habent? Legendum est absque omni dubio: *non modo sibimet ipsi natum putat.* Deinde, *verum patriæ unumquemque acceptum esse*, vel, *astrictum.* Adeone quisquam in literis peregrinus, ut ista unde sint desumpta non statim agnoscat? Ex eodem philosopho debuit et hic locus emendari, lib. De Deo Socratis, quem ita nobis edidit vir ille doctissimus, qui nuper, bono publico, cum suis manuscriptis eos libros contulit: 'Ita enim est apud Platonem: ne quisquam arbitretur omnia eum vulgo loquentium captasse: quippe etiam semotis arbitris uno cum Phædro extra pomerium sub quodam arboris opaco umbraculo signum illud ac nuntium sensit, ne prius transcenderet illius amnis modicum fluentum, quam increpitum inclinatum amor retinendum placasset.' Cedo quemvis arbitrum, neminem esse qui ista intelligat ita scripta: sed omnes mendas sustuleris, si primo *omina* legeris non *omnia*: deinde *sub quodam arboris opacæ umb.* non *opaco*: postea *ne prius transcenderet Ilissi amnis m. fl.* nam ad Ilissum habitus ille sermo, ut initio ejus dialogi narratur: postrema autem sic, *quam increpitu indignatum Amorem recinendo placasset.* Res sic habet: Socrates post habitam illam orationem quam ab eo expressit Phædrus, trajicere Ilissum, ad cujus ripas ambo sedebant, cogitabat, ne iterum talem aliquam necessitatem idem ille imponeret: Inter hæc, suum illi dæmonium insusurrat, graviter offensum esse ei Cupidinem ob superiorem orationem, qua amorem increpuerat; faciendum ei omnino esse, ut eum prius quam amnem transcendat placet. Placandi Dei unicam viam et rationem esse statuit Socrates τὸ παλινῳδεῖν. Hæc ita Plato: quæ eo protulimus ut superiorem emendationem nostram confirmaremus. *Increpitu* dixit Appuleius pro increpatione. Sic apud eundem *agnitus* pro agnitione. Ita enim legi debet initio III. Floridorum hic locus: 'Reperias apud ipsum multos sales, argumenta lepide inflexa, agnitus lucide explicatos.' Loquitur de Philemone comico, et ejus comœdiis. *Agnitus* sunt *αἱ ἀναγνωρίσεις*, quæ fuit vel operosissima pars plerarumque fabularum veteris comœdiæ: ut ex Aristotele, et Plauto ac Terentio scimus: nam Aristophanes non utitur. At vulgo scribitur in Appuleio *agnatos* perabsurde. 'Recinendo placare' in superiore loco est, *ἱλάσασθαι τῷ παλινῳδεῖν*, quod Horatius dixit 'recantare opprobria.' Venit et commodum alius loci mihi nunc in mentem ex eodem Platone emendandi: quem et ipsum non possum quin apponam. Legitur sub finem libri De Dogmate Platonis, in descriptione pereruditа partium corporis humani: 'At enim illæ optimæ sunt partes, quas labor subigit: ut femina ipsaque sessitandi regio.' Apage tam stultam sententiam, quæ optimas corporis nostri partes vocat femina et clunes. Scribe, *opimas*, hoc est, ut loquitur Plato in Timæo, unde totus ille locus est expressus, *σαρξὶ ξυμπεπληρωμένας*. Sententia aperta et certa: quam habes fusius tractatam tum apud alios, tum Lactantium De opificio Dei cap. XII.